JULII REICHELTI
Exercitatio,
De
AMULETIS
æneis figuris illuſtrata.



LIPSIÆ.
Apud FRIDERICUM GROSCHUFFIUM
M. DC. LXXXXII.

CURIOSUS
AMULETORUM
SCRUTATOR

In quo

De natura & attributis illorum, uti &
plurimis illis, quæ passim in usum tam
in theoria quàm praxi vocari sueverunt,
ac in specie

DE

ZENECHTIS,

Vel quæ pesti opponuntur, agitur;
Superstitiosa atque illicita notantur,
rejiciuntur, & utilia illustrantur

Theologis, Juris-Consultis, Medicis, Physicis,
Philosophis ac quibuscunq; in specie

CURIOSIS

apprimè inserviens accommodatus & ad normam
Academ. Leopoldino-Imper. Curios.
adornatus

â

JACOBO WOLFF. Philos. & Medicin.
Doct. Prof. Publ. Jenens.

Cui accessit

JULII REICHELTI
Exercitatio,

DE

AMVLETIS,

Liber utilissimus, æneisque figuris instructus.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud FRIDERICUM GROSCHUFFIUM Bibl.
Anno M. D C. XCII.

f 8th

Præfatio ad Lectorem.

NOn dubito, quin multa judicia de præsenti hoc scrutinio mihi sint expectanda, ea vero non optima vel exoptata futura omnia itidem ominor. Malevoli autem restim omnino ducent inter Censores istos, quorum gratia tamen lucubratio mea non admodum fuit sollicita: iis enim, teste communi experientiâ, nemo facilè recti quid ad invenire aut sistere valet. Existent præterea mitioris notæ censores, qui pro suo judicii modulo metiuntur aliorum dicta, scripta & facta; atque ideò modô hoc, modò aliud minùs congruum, in hoc tractatu existimabunt suo palato. Ii quippe modò omittenda vel emittenda quæpiam, modò admittenda plura, vel alia, nec non augenda eadem censebunt. Verùm hi pro candore seu voluntate & voluptate sua mutent, sive corrigant aut indicent quæcunque placent aut dispiicent ipsis, atque eâ ratione me imposterum etiam seris in annis erudiant; veluti ideo etiam docilem me sisto vel polliceor omni tempore iis, qui meliora candidè docebunt. Expectandæ etiam sunt à nobis posteriores cogitationes, eæque fortassis meliores suô tempore edendæ, quæ iterum innotescere atque meliùs forte quadantenus satisfacient benignis ejusmodi censoribus: pauca enim ita exasciata & omnibus modis perfecta simul atque semel elaborantur, quibus non meliora vel persectiora tempore addi possint. Novi præterea fata curiosorum quorundam tractatuum, qui alioquin non vanum vel vacuum usum hominum conscripti aut divulgati in sunt, qualia nimirum illi experti aut passi sæpe sint â lectoribus vel censoribus malevolis Momique nepotibus. Audies quospiam, qui vel primô intuitu conspicientes libros ad *normam Academiæ nostræ naturæ curiosorum* à sedulis atque curiosis viris conscriptos, inquiunt: **Es ist zusammen geschrieben oder geschmiertes Zeug.** Virgæ censoriæ illorum expositio non rarò etiam innotescit his verbis: *talia nimirum scripta esse laboris non judicii.* Quæ censura tamen sæpe neque judicium neque laborem ullum præsupponit aut agnoscit. Facilius etiam, juxta illud tritum, est taxare quid, quam imitari, aut simi-

le quid

le quid tradere. Verùm dicant aut ſentiant iſtiusmodi cenſores quæ volunt; requirunt certe talismodi ſcripta plurima judicium, induſtriam, temporis jacturam, ſumtus &c. ſuôque uſu neutiquam deſtituuntur. Nequaquam autem per ſomnum placidamve quietem ori patulo hianti, ſive oſcitanti, ſive etiam animis calamove talia dicta illabuntur. Inſunt ſæpe certè illis ſcriptis utilia commoda atque jucunda, quæ non omnibus ita nota ſunt, aut facile innoteſcunt alibi ſparſim æquè, ac hæc talia in compendium de certa materia redacta. Quod antea, vel priùs etiam dicta, aut nota ſint quibusdam ejusmodi collectanea quæpiam, non diffido; cùm nihil novi ſub ſole, vel hodie dicatur demum, de qua non pariter antea vel dictum quadentenus ſit priùs. Iſtiusmodi compilata verò propter veritatem ſolidiorem, rerum conſiderationem atque indagationem, item propter diverſa autorum judicia, teſtimonia & harmoniam aut diſſenſum eorundem, imò propter augmenta rerum vel materiarum tractandarum, & propter fines plures congeſta in compendio eadem publico bono offeruntur. In hoc negotio etiam neutiquam prohibitum eſt, ut quisque ſuum judicii, eruditionis, atque induſtriæ ſymbolum addat vel conferat, & ſic bono publico inſervire ſtudeat. Liberum interim eſt cuiq; ſi hæc, ſtudiô & jactura temporis atque ſumptuum &c. collecta & ex aliis in compendium redacta averſatur, ut dulciori voluptate eadem ex fontibus ipſis paſſim vel ſparſim conquirat & hauriat, quæ ſibi placent; quod tamen non omnibus promptè vel facile brevique tempore eſt expectandum. Cenſores tales inſimul autoritate ſua, eâque imaginariâ non rarò nituntur & abutuntur, ſibi nimiam autoritatis, eruditionis æſtimii atque libertatis offam ſumunt; dum ſibi jus vitæ in ſui ingenii fœtus, & necis in aliorum ſcripta & facta ſumunt, & non niſi ſua inventa & dogmata crepant. His itaque, quibus ſua ſolùm optimè ſapiunt, neutiquam illa invidemus, modò illi facientes hoc, aliud omitterent, aliorumque ſcripta & opera intacta ſinerent. Liberum inſimul his foret, ut cum *Hippia* (de quo *Apulejus in Floridis*) utenſilia, veſtes & geſtamina omnia ſibimetipſis manibus conficerent, aut ſolis iis uterentur. Dicti autem ejusmodi priores autores compi-

compilantes, vel conquirentes ex aliis ſuos tractatus more licitô, *ingenuè profitentur, per quos perfecerint*, (veluti *hoc ingenui pudoris opus* aliàs reputatur) dum autorum loca & fontes ſincerè tradunt aut indicant. Et rectè quidem hi faciunt, ne omittendo vel ſilendo autorum loca hæc tanquam nova vel ſua impudenter aut imprudenter edant, aut ſaltem talia ab aliis falsò putentur edita. Malui proinde ego allegando autorum loca incurrere jactantiæ aliisqve levioris judicii ſive vituperii notam, quàm turpem maculam vel ſuſpicionem plagiorum, ſi reticuiſſem dictos fontes. Imò pluries ſententiam quampiam in hoc ſcrutinio meo concinnando fovi longè ante, quàm in autorum loca idem tradentia incidi, vel eadem excerpſi, veluti hoc itidem indicavi, & loca illa demum reperta meis ſpeculationibus affixi. Hac qvippe ratione, nimirum fideliter allegando, ſi quis adornat ſua ſcripta, & modeſtè ac prudenter rerum conditionem trutinat ac tradit, videlicet adaugendo, conciliando, confirmando aut placidè emendando illam, & quidem ſine felle aut famæ aliorum turbatione, neutiquam delinquere videtur. Iis etiam, qvibus allegandi ſtudium & induſtria (*legibus Academiæ noſtræ Leopoldino-Imperialis Curioſæ conformis*) diſplicet, vel ſuum in locos communes, ſive collectanea odium, (aut in ſtudio excerpendi minùs verſatam peritiam innuunt aut produnt, aut eâ ratione qvipiam etiam clanculùm & indirectè patrocinantur aliorum ſive ſuis plagiis, qvibus in ſcriptis utuntur. Dictis autem iis locorum communium adminiculis non raro parallela loca, plagia, longosq; ſulcos interdum in qvibusdã novis ſcriptis deprehendimus, quia ex aliis clanculùm & ſine autorum vel fontium indicatione ducti, atque ſic furtum quaſi commiſſum fuit. Atqve his plumis alienis ſeu pavoniis pennis quidam boni viri admodum tanquam ſuis, ſuperbiunt interdum. Proinde hos ad *Horatium* priùs ablego, ut ex eo notent: *quod deprehendi miſerum ſit*; & deinde ad eos, qvi de plagio literario egerunt, aut impoſterum acturi ſunt, inprimis etiam ad *Theod. ab Almeloven, in inventis nov-antiqvis.* Iſtiusmodi ſcri-

)()(ptores

ptores fortaſſis cum cornicula Æſopi admodùm nudi apparerent, ſi quælibet avis vel eruditus ſuas plumas, vel anteà dicta, ſive ſcripta repeteret ab iisdem, quorum autorum nomina ii deſtinatô conſiliô nolunt ore vel calamo ingenuè profiteri, quod per eos profecerint. Inter alia verò dictis his loco cautionis vel notæ inſerviet impoſterùm illud *Ciceronis ad* Herennium *l.4. c.3. & 4.* vide, inquit, ne facias impudenter, qui tuô nomine velis ex aliorum laboribus libare laudem. Nam ſi eorum volumina prehenderint antiqvi oratores & poëtæ, & ſuum qvique de libris tulerit, nihil iſtis, quod ſuum eſſe velint, relinqvetur. Diverſa itidem lectorum judicia ſæpe de *Annis Miſcellaneis Academ. Leopoldin Imperial.* audiuntur, videlicet qvòd inſerta iis quæpiam trivialia deprehendantur; Verum ii, qui talia accuſata communicant, certè ſe non omninò vana vel vulgaria ſuppeditare credunt, cùm iis ſine dubio non adeò obvia vel trivialia illa appareant. Impoſſibile etiam non eſt, qvin celebres viri quæpiam inaudita vel minùs anteà viſa pro novis ſingularibus rarisve rebus reputent, quæ tamen aliis, & vulgaribus ſæpè hominibus, vilia & abjecta apparent, ſic ex adverſo alii, vel nobis quædam pulchra & mirabilia exiſtunt, quæ illis abjecta & trivialia apparent. Ecquis ex his non humanæ noſtræ fragilitatis varia documenta & poriſmata colligat? Propter ea modò dicta verò Anni vel collectanea miſcellaneorũ non omnia vana aut inutilia cenſenda, aut communicata iſta virorum, alioquin celebrium, cum eorundem favore & aliis utilibus meritisqve repudianda vel excutienda ſunt.

Admodùm infirmum etiam & præcox eſt quorundam judicium, qui ſcripta & alia ſolùm ab autoritate vel æſtimo, celebrium perſonarum judicant, cùm tamen ex libris non adeò celebrium ſcriptorum ſubinde boni laudabilis atque ignoti quid addiſci poſſit, quod ad uberiorem ſpeculationem inſimul alios invitat vel deducit. Autoritatis idolum enim in medicina non raró deſtruit illud notum,

Quan-

Quandoq; est olitor verba opportuna locutus;

Imo juxta illius versiculi tenorem

Quo minimè credis gurgite, piscis erit.

Proinde dictis his ita constitutis severi nimis aut temerarii censores ejusmodi retineant suam nimis crassam asperamve limam ab aliorum scriptis. Miseri hujusmodi etiam censores sive dictatores sæpe soli digitis monstrari appetunt, & non nisi sua crepant, suaque unicè ad cœlum evecta, vel ad extimas oras orbis famam suam sparsam cupiunt, hinc aliorum famæ & scriptis adeò invident, cùm ipsorum scripta tamen vix censuram aliorum atque pœnam talionis (& sæpe æqvè vel magis dignam) effugiant, ac illa, qvæ bonâ intentione publico bono communicantur: quemadmodum exempla ejusmodi, modò dictū hoc probantia, *Guevara in horologii principū argumento.* Imò nōnulli ex hoc censorio consortio vix unquam ediderunt, aut edere quid pollent sive audent evulgare luce dignum, pensitantes fortè, *quàm magnum sit dare aliqvid in manus hominum:* hinc malunt illi *tacere, ut philosophi perseveranter maneant,* sive reputentur. Hujusmodi censori inter alia notum, illud acclamandum foret: *veni foras Lazare!* quod *Erasmus* olim jocô protulisse vel objecisse dicitur *Lazaro Bonamico Professori Patavino* qui nihil scripsit, omnes tamen scriptores censuit aut taxavit. Noti mihi etiam sunt nonnulli scriptores, qvi in contradictione gloriam ponunt, suumque studium unicè ferè in aliorum refutatione collocant. O miserrimos verò tales! Hinc isti etiam, quia scribunt & loquuntur quæ volunt, sæpè redditivum consonum suo interrogativo, audire sive legere tenentur, etiamsi non velint. Absit à Christiano & prudenti viro quovis, ut sordido modernô quopiam more in famam & libros virorum bonorum, aut benè alioquin meritorū rabidi instar canis irruat, eosdem arrodat, mordeat aut laceret. Proh! talem simplicitatem, melancholiam aut maniam, de cujus causa & prognosi inter Politicos æquè ac medicos non rarò meditationes occurrunt. Audiat vel legat talis verò temerarius ex

)( )(4 Epistola

Epistola ad Roman. 14. v. 14. Tu qui es, qui judicas de alieno famulo proprio Domino stat aut cadit &c. Notet insimul omnis pronus in censuram frivolam illa ex *Psalm. 34. v. 13.* quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? prohibe lingvam (addo, etiam calamum) à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Non nullis etiam in materia, vel libris hujusmodi elaboratis modò brevitas, modò prolixitas displicet, sic nullus liber æqualia vel æqua semper auffert judicia. Sed quò prolixa tandem hæc apologia? Quod posthæc ego etiam in hoc æqvè tractatu, ac aliàs errare possim, neutiqvam inficior, homo enim sum, ideoque neutiquam illud à me alienum esse labens confiteor, siquidem nos homines multis in rebus labimur omnes. Qvi verò in difficilibus imprimis neminem errare posse arbitratur, is votis hoc citiùs expetendum, quàm expectandum credat. Diu hæsi, nec ausus sum hoc meum scrutinium publico concredere, cùm varia hactenus adducta pensi habuerim, ac veritus fuerim varia adversa, qvibus labor hic meus expositus esset, nunquam enim satis perfectum duxi illum, sed semper meliora illi addere meditatus sum. Eâdem timiditate etiam alios autores laboràsse deprehendi plures, eosqve sæpè morte inopinata abreptos, & sic meditationes aut scripta eorũ inedita, aut aliorum, quandoqve indignas professorum nomine, nec sine horũ postremorum gloria edita observavimus. Perfectionem summam itaque nullis vel paucis rebus inesse posse ratus sum, atque ideò rupi tandem moram, & hoc scrutinium bonâ intentione edidi, provocans in initio hujus libri ad verba illa, quæ ultima in *p. 688.* adducta à me ex *Augustino* prostabunt legenda. Sit interim hoc opus meum laboris benè cogitati, si benè etiam cedet judiciô lectorum quorundam, nec omni usu destitutum reputabitur, (veluti bono publico illud ideò destinavi) contentus ero. Alioquin enim nec Jupiter omnibus semper placet. Novimus insimul diversam hominum mentem etiam ex *Petronio.*

Inveniat, quod quisq; velit: non omnibus unum est,
Qvod placet, hic spinas colligit, ille rosas.

Sola-

Solaturquoqve me in hac materia difficili, quòd in magnis voluisse sat sit. Destitutum autem me deprehendi, multis in autoribus agentibus & libris de hac materia, adminiculis sufficientibus expetitis; atque vix alios præter *Thom. Erastū. in disputat.* & *Casp. Bartholinum in tractatu de lapide nephritico* comperi, qui in specie de amuletis medicis nec superstitiosis, illicitis, aut tilsemis magis egerit. Verum parcè admodùm modò dicti illi duo autores hanc doctrinam illustrant. Optassem etiam, ut *Bartholinus* catalogo suo amuletorum loca autorum addidisset, qui pleniùs egerint de hac doctrina, quò supersedere potuissem recensione locorum vel autorum à me consignatorum. Parci admodùm etiam fuerunt in hac materia & communicandis plurimi (præter unicum virum & amicum à nobis magni æstimatum, collectaneis aliàs faventem) qvos ideò invitavi aut operam eorundē solicitavi. Cæterū liberè in hoc meo scrutinio sum philosophatus, vel ratiocinatꝰ & nulliꝰ in verba jurans amuletis nec nimiū, nec minimū tribui; atq; insimul ne injuria fieret huic doctrinæ (relegationi penè accinctæ in nostra medicina) fidelibus naturæ mystis ac ministris commendavi sedulò eandem; cùm à me vix qvisquam amuletorum omnium aut plurium experientiam solidam poscere, sive expectare possit. Non latet præterea me quòd homo alter altero feliciori acumine mentis & scribendi aptitudine vel gratiâ sit prædtus, veluti ideò Deum per organum tale excellens meritò agnoscimus ac deprædicamus. Exprimit hoc assertum ferè hunc in modum *Homerus lib. 13. Iliad.*

Uni non dat Deus omnia, verùm
Dotibus hoc illis, alios his dotibus auget
Nec ratione pari dispensat cuncta &c.

Qvemadmodum itaqve in cœtu hominum divites ac pauperes aliàs, ita etiam gradus inter doctos & indocti tolerandi, suoque in æstimio relinquendi sunt. Novimus quoque in cœlo diversæ magnitudinis stellas reperiri, & ad Hierosolymitanum templum diversos opifices materiem & opem nobiliorem, aut viliorem contulisse. Ad to-

tum quid enim constituendum non essentiales solùm sed etiam integrales & viles partes requiruntur. Cùm itaque hactenus dicta veritati sint consona, & prætereà non omnis ferat omnia tellus, nec pura semper ex metallorum fodinis eruantur metalla, sed admodùm sæpe lapidibus aliive recrementis permixta: ideoque etiam inter librorũ autores tolerandi sunt, qui tenuioris conditionis existunt. Qui itaque feliciores sunt aliis, & quidem interdum solùm in quibusdam certis partibus aut actionibus, nec in omnibus adeò, hi minimè credunt, sibi isthæc ex debito, vel casu concessa esse; sed eadem inter reliqua bona desuper à fonte omnis boni descendisse reputent. Qui etiam sapiunt præ aliis, aut saltem sibi sapere eâ ratione videntur, in sinu gaudeant de sua felicitate, Deoque & proximo, bonoque publico decenter inserviant & bonorum instar dispensatorum sint, memores sui Domini atque depositi sive talenti, à quo & quem in finem sibi sint concessa corporis & animi bona, nec obliviscantur iidem charitatis Christianæ, & nexus vel vinculi, quo proximo sunt devincti. Deus qvippe alioquin valdopere odit superbos, tragicamque metamorphosin minatur fastu tumentibus & modò dicta monita negligentibus. Compensat aliàs etiam voluntas bonorum quorundam (quæ bono publico est destinata vel addicta) aliorum facultatem potiorem, non æquè benè tamen collocatam pro dicto fine vel scopo. Benè tandem, Benevole ac Candide lector interpretare hæc jam præmissa & in scrutinio communicata; siquæ alia meliora imposterum vel in hac difficili doctrina, vel alia materia pro medicina nostra augenda mihi innotescent, uti non omninò despero, suô tempore eadem communia faciam bono publico. Vale L. meisque studiis fave, atque sic ad alia & altiora viam benigniter sterne.

CAR-

CARMINA GRATULATORIA.

QVeis amoliri valeat ſibi noxia rebus,
Qvo vitare qveat præqve cavere modo,
Nullum non animal ſtudio connititur omni,
Nedum, cui potior cura ſalutis, homo.
Cui ratio, cui vis rutilis obvenit ab aſtris,
Vivere qvi novit qvamqve ſit, eſſe bonum.
Amuletorum fluit hinc & nomen & uſus,
Sed pietas vitæ ſvavia ſæpè vetat.
Incidit in ſcyllam cupiens vitare charybdin
Non rarò, cautò cui minùs eſſe libet.
Qvid moror? Apta docet circa Periapta papyro
WOLFIUS æternâ. Lector amice fave!

Joh. Georg. Volckamerus,

M. D. Academiæ Leopold. Imperialis Præſes. Archiater Cæſar. Comes Palatinus, S.R.I. Nobilis, Coll. Med. Noriberg. Senior primarius & perpetuus.

AMuletorum nugas, veraſqve docendo
Vires, ne timeas dentes cenſoris iniqvi:
Ipſa Tibi Virtus tua erit Periamma probatum.

Lucas Schröckius, Med. D.

Acad. Leopoldin. Imperial. Direct. S. C. Majeſti Archiater, Comes Palat. S. R. I. Nobilis, & Colleg. Auguſtani Medici Collega.

QVid erudita crena publici ſanctô
Amore ſcripſerat, colende Collega,
Decente curioſitate dum profers,
Deoqve, Proximoqve gratus evadis.
Proinde ponderoſa gratulabundus

Tib

Tibi repono vota; totus exoptans,
Ad ampliora fiat incitamentum!

Nobiliss. Dn. Autori, Adfini bonorando Memoria

Gabrielis Clauderi, D.

Arch. Elector. & Ducal. Saxonici, Acad. Leopold. Nat. Cur. Adjuncti.

QVi curare doces Periapta per apta, qvid optas?
Qvid curas capitis fascina Gorgonei?
Mordeat aut rodat scelerata Calumnia Librum;
Nascitur ex hujus Tilsemat arte TIBI.
Sed ne fortassis rumpatur ad ilia colon:
Pendeat à collo Tilsema Mome tuo.
HINC FUGIAS, FUGIAS, BILIS QVÆREBAT ALAUDA.
Si crucias, tandem ut discruciere, putes!

Autori & Fautori suo.
Obligatô approperabat calamô.

Joh. Georg. Otto, Ph. & M. D,

Duc. Saxon. Leucopetr. Consiliar. & Somatiater. Phil. P. & P. P.

ET vidi & legi: *studium* placet, optime *Wolfi*,
Ingenium & *virtus*, deniqve cuncta placent.

Christ. Fr. Paullini.

Curiosor. Arion.

NE radat carpatve Theon periammata *Wolfi*,
Qvale ego præfigam jam periamma libro?
Nempe Theonino dentem opposuisse Lupinum
Proderit, is niger est, hic nive candidior.

Christ. Frider. Garmanus.

Curios. Pollux.

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Prudentissimo,

DOMINO

ELIAE BRACKENHOFFERO,

Reip. Argentinensis Quindecimviro,

Patrono suo,

S. P. D.

JULIUS REICHELTUS.

COgitanti mihi jam pridem, qua ratione beneficiis Tuis obæratus grati animi publicum ederem documentum, Tuæque erga bonas artes earumque cultores propensissimæ benevolentiæ prædicandæ occasionem avide cap-

tanti, Ipse ansam præbuisti, dum me, ut de Amuletis, quibus præter plurima alia universæ Polymathiæ subsidia Cimeliarchium Tuum publica celebritate dignissimum instructum est, quædam meditarer, es hortatus. Cui voluntati Tuæ eo promptiorem morem gessi, quo expeditius propositum meum hac ratione maturari posse mihi videbatur. Quanquam aliæ postmodum officii mei occupationes impedimento fuerunt, quo minus ex voto id, quod fervent licet animo aggressus eram, absolvi potuerit. Ipsa quoque proposita materies colligenti tanta copia succrescebat, ut si omnis hac scriptione complectenda fuisset, ne jam quidem ad finem pervenire potuissem. Rumpendum itaque erat tractationis filum, & quæ restant, in proximum, DEO volente, augmentum differenda. Hac autem vice satis largum instituti mei fructum consecutus mihi videor, si ad votum Tuum in Senatu Philosophico de Amuletis sententiam rogavero, eoque obtinuero, quod Amplissimo Nomini Tuo consecrarem. Redit itaque ad Te libellus hic, cujus suscepti autor extitisti,

titisti. Redeunt ad Te amuleta, quorum typos ære expressos, usuræ loco, in sinum Tuum refundo. Accipe quæso, pro more Tuo comiter, quod devotissimo cultu offero, nec muneris exilitatem despice: quin potius animum & candorem respice. DEUS vota, quæ pro salute Tua Tuorumque incolumitate nuncupo, & posthac suscipere minime cessabo, clementer exaudiat! Te Reipub. nostræ firmissimum fulcimentum diutissime servet! largamq; gratiam referat pro omnibus beneficiis, quibus me hactenus, nec me solummodo, verum etiam Academiam nostram mactasti: quorum unicum saltem hac opportunitate omnino memorandum. Scilicet Tua inprimis commendatione factum est, ut ornamentis Academiæ nostræ etiam inter turbulentissima fata efflorescentis, reliquis Inclytus noster Magistratus etiam speculam quandam Astronomicam non non ita dudum, anno scilicet hujus seculi septingentesimo tertio addiderit. Perge quæso Patrocinio Tuo juxta plurimos alios clientes me meosque conatus fovere, tue-

ri, quo certatim laudes Tuæ, quas inter salutares Reipubl. curas de incremento elegantiorum literarum dudum consecutus es, celebrentur. Vale. Scrib. Argentorati die XI. Febr. anno Chr. cIↄ Iↄc LXXVI.

DE

DE AMULETIS.

§. 1.

INter alia Astrologorum apotelesmata periculosa & gentilis superstitionis monumenta merito numerantur metalla, lapides aliaq; corpora naturalia variis Characteribus & imaginibus insiguita, vel ad figuras aliarum corporum efficta, quæ peculiari quadam virtute cælesti gravida jactitant, qui fallacibus arcanorum titulis veritatis speciem ipsis lucrari student.

2. Varij varie ea denominant. Latini Amuleta vocant, vel ex mente Vossij Etymolog. pag. 27. rectius Amoleta, ab amoliendo; Præbia à prohibendo, ut mavult, idem Voss. pag. .405. Ligaturas. Græci φυλακτήρια, ἀλεξιφάρμακα, στοιχεῖα, περιάμματα, περίαπτα (unde forte originem trahit Leonh. Thurneisseri Æthiopicum [illegible]:: Periapteno, qui Onomastici pag. 172. Periapteno, inquit, diß sind Zeichen/Siegel/sonst Ligaturen oder Amuleten genannt/ werden von mancherley sachen/als Metall/Steinen/Wurtzen und andern specien nach den ständen der Gestirn/ für mancherley Fell und Mengel bereitet/ wie dann Alexand. Trallianus ein herrlich Bildnuß in Agstein/ fürs Krimmen im Leib gebraucht) Chaldæi צלמניא à radicè צלם: Arabes طلسمات טלסמאת: unde vulgo Talismæ vel Tilsemæ, figuræ Talismanicæ vel Tillemanicæ dicuntur. Judæi מגן דוד, scuta Davidis.

3. Ex hisce Amuleti magis tritum vocabulum notat

 latius

latius omne id, quod collo vel reliquæ corporis parti alligant vel quomodocunque adjungunt, vel etiam in vestimentis secum gestant, vel certo loco ponunt, ad depellendos morbos, corporis firmitatem corroborandam, vel ad alia comparanda, sive id fiat licito & naturali modo, sive superstitioso: strictius significat corpus aliquod Characteribus, imagine vel figura certa insignitum, ad singulares effectus virtute quadam cœlesti præstandos. Quo posteriori sensu Amuleti vocabulum in thesibus nostris intelligendum supponimus.

4. Commenti hujus antiquitatem nonnulli probant ex Syrorum תרפים Gen. 31. 9. quæ cum Sabæorum Tilsemis convenire putant Nicol. Fullerus Misc. Theolog. L. 1. c. 16. Selden. de Diis Syris Syntagm. 1. c. 2. Hotting. Hist. Orient. L. 1. c. 8. p. m. 196. cujus vero rei certitudinem minorem judicat in disputatione sua de Teraphim Augustus Pfeifferus, vestigiis Scripturæ S. pressius insistens. Ejusdem artificij fuisse Syrorum inaures memoratas Genes. 35. v. 4. censet notis suis Biblicis Abr. Calov. ad cit. locum. Huc quoque referunt medelam Philistæorum 1. Sam. 5. v. 6.

5. Cæterum Arabicæ Tilsemæ Apollonio Tyanæo velut autori tribuuntur, easque in orbem invexisse, Arabes Muhammedani pariter ac Christiani tradunt. Ex Arabibus autem inprimis operam dabant Tilsemis fabricandis Sabæi, ex quibus insignis artifex memoratur Ibn Vahschija. Operosissimos quoque fuisse in conficiendis ejusmodi imagunculis Gnosticos, Basilidianos, Marcosios & Valentinianos, abunde docet Johannis Macarij Abraxas & in adjectis notis Joh. Chifletius, qui librum istum Macarij posthumum edidit. Idem argumentum etiam prolixe tractavit Athanas. Kircherus Oedip. Ægyptiaci Tom. 2. part. 2.

6. Ex scriptoribus Amuletorum Christianis famosiores sunt Henr. Cornelius Agrippa, qui suam occultam Philosophiam doctrinâ ista oppido denigravit: Theophrastus Paracelsus autor Archidoxis Magicæ: & Jacobus Gaffarellus Theol. & Juris Doctor, qui Gallico idiomate edidit Curiositez inoyes, h. e. Curiositates inauditas de Sculptura Talismanica

manica Persarum, horoscopo Patriarcharum & lectione stellarum: Sed postea sententiam suam publice retractare coactus est, coram Theologiæ Parisiensis Facultate Sorbonica die 4. Octobr. 1629. Id quod memoriæ prodidit Joh. Baptista Morinus circa finem Lib. 20. Astrologiæ Gallicæ. Sparsim quoque rei amuletariæ meminerunt plurimi scriptores, quorum nomina magna ex parte in thesibus nostris obvia uberius hic commemorare studio supersedemus.

7. Summam artis in exemplo hydropis curandi proposito Gaffarellus inauditarum Curiositatum part. 2. cap. 6. num. 17. octo partibus distinxit, quarum prima est effectus propositus, secunda subjectum amuleti, tertia signum per horoscopum ascendens, quarta signum, cui morbus adscribitur, quinta signum sympatheticum, sexta signum, cui membrum morbo maxime affectum subjectum est, septima siderum est, quæ ipsi ægro potissimum dominantur, octava certorum aspectuum. His omnibus rite pensitatis & eodem tempore consentientibus, figuram quandam effectui præstando analogam materiæ convenienti insculpere, vel ex materia effingere jubet. Omnes tamen enumeratas partes in plurimis aliis amuletis observari non posse concedit.

6. Singulas partes accuratius ad sanioris Philosophiæ regulam examinabimus. Et primo quidem de effectu quærendum, an influentia cœlestis corpori cuidam arte infundi seu comparari possit? Quod merito negamus, quia & ipsa influentia cœli universalis omnibus individuis ex æquo competit, & media virtutis cælestis, subjecto alicui largius ut influat, conciliandæ nulla ars suppeditare valet, ut in exâmine mediorum infra clarius patebit. Nec obstat I. experientia, quam jactitant in exemplis à Gaffarello allatis, quibus naturalem evidentiam omnino denegamus. Nulla quippe legitima sequela, sive post confectum & adhibitum amuletum promissus effectus appareat, sive post destructum amuletum malum averruncatum redeat, colligi poterit, factum id esse virtute cœlesti amuleto ab artifice infuso. Poterit enim caussa ista latens esse vel dæmon, vel imaginatio, ex sententia

Dani. Sennerti, in lib. de consensu & dissensu Chymicorum cum Aristotel. & Galenicis cap. 18. pag. m. 340. Ph. Jac. Sachs Gammarolog. L. 2. c. 9. p. m. 867. Ol. Olai Borrichij de Cabala Characterali dissertationis cap. 3. Imo Civis Gaffarelli Morinus Astrolog. Gallicæ L. 20. c. ult. p. m. 495. nihil efficacius Gaffarello objici posse existimat, quam quod ipse nunquam Tilsemam aliquam præsentis efficaciæ viderit, nec fecerit. Nec II. analogia naturæ, cujus benignitate nonnullorum corporum naturalium virtutes signo aliquo externo revelatas esse asserunt. Nimis enim distant natura infinitæ potentiæ & ars humani ingenij arctissimis limitibus definita. Caute quidem arbitrium humanum Gaffarellus excipit, quod sidera inclinationibus potius tentare, quam vi aliqua cogere Astrologi sentiunt. Frustra igitur hodie Principum & Magnatum gratiam & benevolentiam, judicis favorem, victoriam bellicam, itinera tuta, conjugium felix & quæ ejusmodi sunt alia, promittunt amuletorum artifices: huncque terminum transgressi sunt quam maxime vetustioris superstitionis populi, qui invasiones hostium prohibere, omnisque generis mala averruncare, imo oracula ex Tilsemis & futurorum prædictionem solicitare ausi sunt. Verum nec reliqui effectus artis humanæ sunt, quas speciatim recenset Gaffarellus, qui amuletis bestias noxias, ut Scorpiones, mures abigi, ventorum violentiam cohiberi, fulmina vel grandinem averti & morbos sanari posse putat. Egregiæ artes, quas ne gentiles saniores probarunt. Siquidem earum insimulat Christianos Celsus apud Orig. pag. m. 301. editionis Cantabrigiensis. Talia præstitisse Apollonium Tyanæum, refert Justin. respons. ad Orthodox. cap. 24. cujus facinora Christi miraculis opposuit Hierocles. Adversus hunc peculiarem librum scripsit Eusebius, quo diabolicæ collusionis Apollonij istius celeberrimi Magi *τελέσματα* uberius convicit. Exprimamus mentem nostram verbis citati Patris, quæ extant pag. 514. Editionis Parisiensis: *εἴ τις ὑπερπηδῶν τοὺς ὅρους καὶ φιλοσοφίας ὑπέρτερα φρονεῖν θρασύνοιτο, γόης ἀτέχνως ἀντὶ φιλοσόφου φωραθήσεται, si quis terminos evagari, supraq́; Philosophiam se ferre ausit, magus pro Philosopho deprehendetur.*

9. Sed

9. Sed fortasse Amuletorum defensor sententiæ suæ opem petet ab intelligentiis vel à dæmonibus, quales planetis præsertim adscripserunt Ægyptij, Arabes, Hebræi, Græci, qui ut continua causarum catena ima summis conjungerent, secundum illud Tabulæ Smaragdinæ: *Quod est inferius, est sicut id, quod est superius: & quod est superius, est sicut id, quod est inferius*, subjecerunt universam rerum terrestrium œconomiam sideribus, sidera intelligentiis seu dæmonibus, intelligentias seu dæmones primo enti, ordine tam specioso, qui animum minus cautum facile occupet. Negatur vero æque facile commentum hoc, ac asseritur & quidem rectius: quippe ut motus, ita & influxus siderum, qualiscunque fuerit, soli corporum cælestium formæ cum Physicis tribuendus erit.

10. Effectum methodo analytica sequitur subjectum, sive corpus influxum cœlestem recipiens, quod ex naturalibus plerumque vel vegetabile vel minerale. Malunt tamen artifices amuletorum eligere aliquod minerale, quale vegetabili solidius facultatem impressam firmius & diutius retinere creditur. Hinc sæpius occurrunt gemmæ Talismarum imaginibus vel characteribus notatæ, sæpissime metalla. Respiciunt autem in eligendo subjecto vel naturam mali tollendi vel sideris. In malo quodam, veluti morbo tollendo, corpus quodcunq; qualitatibus malo contrarium eligendum esse censet Gaffarellus. Sideris naturam qui observant, eligunt vel mineralia, vel vegetabilia, quæ naturæ sideris propius accedere & in quibus vim suam maxime exserere sidera persuasum habent. Et quidem Planetis quænam corporum naturalium species attribuantur, exponit ex antiquis Vettius Valens; ex recentioribus præter plurimos alios Corn. Agripp. Occult. Philosoph. L. 1. c. 22. & seqq. Kirch. Oedip. Ægypt. Tom. 2. part. 2. pag. 179. & seqq. confer. pag. 366. Augustus Etzlerus in Isagoge Physico-Magico-Medica de septenario numero: Israel Hiebner in mysterio sigillorum, herbarum & lapidum: Stellis vero fixis attributa corpora recenset idem Corn. Agrippa Occult. Phil. l. 1. c. 32. Kirch. Oedip. Tom. 2. part. 2. pag. 177. Conf. pag. 359. & seqq. Sed quid de

 hac

hac distributione statuendum? Omnino improbandum est dominium illud in corpora seu mineralium sive vegetabilium seu animalium, quod Astrologi Planetis præsertim attribuunt, sic *describentes siderum apotelesmata* (Verba sunt ingeniosissimi Keppleri lib. 4. de harmonia mundi cap. 7.) *ac si illa dii quidam essent: securissimi, quo medio illa unum quodq; perficiant apud nos in terris, cum ipsa in cœlo maneant, nec quicquam quod sensibus patet, ad nos præter radios lucidos demittant.* Et si vel maxime harmonicen aliquam instituere vellemus, non tamen singulis corporibus unicum tantummodo planetam, nec singulis planetis speciatim unicum metallum adscribendum videtur. Exemplum habet Abdias Trevv Astrologiæ Medicæ disput. 1. thes. 26. & seqq. disput. 3. thes. 4. Hinc etiam, ut maneamus in exemplo metallorum, diversimode Planetis ea dispertiuntur. Quidam enim Jovi stannum, Veneri cuprum: quidam Jovi cuprum, Veneri stannum adscribunt. Conf. Kirch. Oedip. Ægypt. Tom. 2. part, 2. cap. 6. Conf. pag. 179. & seqq. & pag. 366.

11. Progredimur ad tertiam tractationis nostræ partem, quæ media tradit vel operationis, vel applicationis. Illa sunt influxus cœlestes ad diversos siderum positus diversi; hæc ab artifice adhibentur in conciliandis siderum influentiis. Ex sideribus præcipuum est in horoscopo constitutum, hoc est, horizontem orientalem stringens. Ἀρχὴ γὰρ, inquit Sext. Empiricus adversus Mathemat. L. 5. pag. 117. *καὶ ὥσπερ θεμέλιος τῆς Χαλδαϊκῆς ἐστι τὸ στῆναι τὸν ὡρόσκοπον, primum enim & velut fundamentum Chaldaicæ doctrinæ est constituisse horoscopum.* Gaffarellus cit. loco requirit signum Zodaici malo tollendo qualitate contrarium, ut in curando hydrope, morbo ex ipsius sententia humido signum arietis calidum & siccum. Dividunt Astrologi duodecim Eclipticæ signa secundum numerum elementorum in ignea, aerea, aquea & terrea; cujus divisionis fundamentum quæsivit Ptolemæus in quartis anni, qua ratione forent quadrantis verni tria signa ♈ ♉ ♊ aereæ; æstivi ♋ ♌ ♍ igneæ; autumnalis ♎ ♏ ♐ aqueæ & hyberni ♑ ♒ ♓ terreæ naturæ, sed nobis in hemisphærio telluris septentrionali degen-

degentibus; contrariæ vero in hemisphærio australi viventibus, dissimilis quoque sub æquatore habitantibus, aperta absurditate. Recentiores quatuor triangulis Eclipticæ inscriptis ἰσοπλεύροις, collegerunt trigono igneo ♈ ♌ ♐; aereo ♊ ♎ ♒; aqueo ♋ ♏ ♓; & terreo ♉ ♍ ♑. Cujus distributionis fundamentum solidius excogitasse sibi visus est Morinus, quod operosissime exponit Astrolog. Gall. L. 1. c. 5. supponens distinctionem cœli in dodecatemoria naturalem, quam proxime præcedenti cap. 3. & 4. probare conatur argumentatione, cui ipse diffidit, 1. ex sectione mutua circulorum eclipticæ & colurorum in quatuor partes æquales. 2. ex tribus Circulis maximis sphæræ ita inscriptis, ut singuli in quatuor partes æquales, secentur, inque harum terminos incidant circulorum poli ter assumpti, præsupponens & circulos & in his data quævis puncta omnem vim & essentiam habere ex polis & ex istis colligens: si triplex polorum vis, ex quatuor partium terminis in circulum effusa concipiatur, consurgere in ipso circulo quater tres virtutes ejusdem naturæ. Satis obscura inanitas! sufficiat hypothesis falsitatem notasse. Circumferentia, quam Morinus cum vulgo Astrologorum circulum vocat, contra Euclid. Elem. L. 1. def. 15. & Theodos. Sphæric, Lib. 1. defin. 5. est terminus circuli, qui generatur ex motu rectæ, cujus unus terminus in dato puncto quiescit; alter vero circumducitur, donec principium motus redeat. Est itaque primum principium & circuli & circumferentiæ centrum, quod expresse testatur Kepplerus eo ipso in loco, quem in argumenti sui probationem ex ipsius Astronomiæ Copernicanæ Lib. 1. pag. 48. & 49. Morinus exscriptum adhibuit. Cum itaque polus constitutionem circuli non ingrediatur, qui igitur essentiam ipsi acceptam feret? Objicienti forte, circumferentiam non solum globo ab artifice adscribi ex polis; verum etiam moveri circa polos: respondeo primum: aliam esse descriptionem circuli naturalem, de qua hic sermo, quæque fit brevissimæ lineæ motu per Vitell. Lib. 5. theor. 5. aliam artificis, quândo loco occulti centri polum assumere cogitur, cujus distantia à circumfe-

cumferentia major ac centri : secundo separandam esse circumferentiam qua talem à mobili. Circumferentia in præciso sui conceptu nullos involvit polos. Ita hypothesi destructa sponte ruit omnis argumentatio Morini, pro obtinenda naturali distinctione cœli in dodecatemoria instituta. Arbitraria igitur cum sit distinctio ista, quam Ægyptiis inventoribus tribuunt, etiam distinctio trigonorum ex solo hominum arbitrio dependet, consentiente Kepplero cap. 6. Libri de nova stella: frustranea quoque erit omnis opera excogitati commenti, quo trigonorum singulorum qualitates elementares stabilire conatus est. Cæterum, quæ plerique dodecatemoriorum efficaciæ objiciunt, objicit quoque Gass. Phys. sect. 2. L. 6. c. 2. pag. 724. Ingenue hunc Astrologorum errorem fatetur Abd. Trevv. Astrolog. Med. disput. 1. thes. 36. *Quod quatuor qualitatibus elementaribus pollere & differre ab invicem inferunt Astrologi, majori faciunt absurditate, quam si asinum iisdem qualitatibus pollere cum equo dicant, quod uterq; & ut Homerus loquitur, μώνυξ sit. Et tamen tantum tribuunt huic commento Astrologi nonnulli, ut eo utramq; paginem compleant prognostici tempestatis tanto futuræ vel calidioris vel frigidioris, quanto plures planetæ insignis calidis vel frigidis inveniunt.* Veteres potius signorum figuram spectasse, ut in scorpionibus abigendis, signum scorpionis orientis male affectum, testantur multa Arabum monumenta, ob occultam scilicet, quam credebant, sympathiam, de qua in thes. 14.

12. Post signum Oriens Gaffarellus signum, seu potius Planetam, morbi observare jubet, ut in hydrope curando Saturnum, supponens cum Astrologorum turba planetas morborum causas. Quæ assertio fundamenti loco præmittit membra corporis humani certis Planetis assignata: in qua hypothesi Cardanus Ptolemæum à contradictione in suis commentariis liberasse sibi visus est, distinguendo inter membra exteriora & interiora; hac planetis, illa dodecatemoriis tribuens. Qua vero ratione membris illis principium morbi inprimatur, explicat Hermes statim ab initio suæ ἰατρομαθηματικῆς, hisce verbis: Ἐν τῇ καταβολῇ τοῦ ἀνθρωπίνου σπέρματος, ἐκ τῶν ἀστέρων ἀκτῖνες ἐπιπλέκονται ἐφ' ἕκαστον μέλος τοῦ ἀνθρώπου, ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῆς

ἐκτροπῆς

ἐκτροπῆς, κατὰ τὴν τῶν ιβ. ζωδίων θέσιν. In dejectione seminis humani ex septem stellis radij impliciantur, in unoquoq; hominis membro, similiter quoq; & in exitu secundum 12. signorum Zodaici positum. paulo post : *ἐάν τις ἐν τούτων κακῶς τύχῃ κείμενος ἐπὶ τῆς σπορᾶς ἢ τῆς γεννήσεως, ἐπὶ τοῦ προσωκειωμένου αὐτῷ μέλους, ἡ πήρωσις γίνεται. horum igitur si quis male positus fuerit in satu aut nativitate, in membro ei cognato oblæsio oritur.* Præcipua autem lædendi vis Saturno & Marti adſcribitur, utpote à quibus reliqui planetæ infeſtentur. Nos quidem non omnem corruptionis morbique cauſam cœlo denegamus; ſed præter ea, quæ Medica cenſura monere poteſt, occurrunt in ſpeciali morborum diſtributione Aſtrologorum argumenta accuratius perpendentibus dubia nec pauca nec levia. Manebimus in exemplo Gaffarelli, qui hydropis ſedem in hepate, cauſam in Saturno ponit. At per ſuperiorem regulam hepar non Saturno, ſed vel ex mente Ptolemæi & Procli Paraphraſtæ Veneri, vel ſecundum Cardanum Jovi ſubjectum ab ipſo Saturno non vitiabitur. Forte dominus hepatis à Saturno infeſtatus hoſtiles Saturni radios membro ſubjecto immittit? quales ergo? frigidos utique. Oritur enim hic morbus ex imminuto calore membri ſanguifici, ex communi veteris Medicorum Scholæ ſententia. Sed qui probabitur frigiditas illa Saturnina? Ptolemæus quadripartit. L. 1. c. 4. frigiditatis cauſam eſſe conjicit maximam Saturni à Sole diſtantiam *διὰ τὸ πλεῖστον, ὡς ἔοικεν, ἅμα τῆς τε τοῦ ἡλίου θερμασίας ἀφεστάναι, quod ut verisimile est, & à Solis calore, & terræ humiditate longissimè distat.* Hac vero ratione qualitates Planetarum non internæ forent, ſed adſcititiæ. Hanc autem Saturno internam eſſe qualitatem ſolisque radiis elici & in terram derivari exiſtimat Athanaſ. Kirch. artis magnæ Luc. & umb. Lib. 6. part. 3. cap. 5. ſed contentus autoritate Ptolemæi nullam aliam rationem addit. Morinus Aſtrol. Gall. L. 13. ſect. 1. poſtquam cap. 1. prolixè Ptolemæum, Cardanum aliosque Aſtrologos arguiſſet multi erroris in tradita Planetarum natura, ſequenti cap. 2. docet determinare naturas elementorum, prius ac certo cognitas habuerat. Supponit enim potiſſimum eas experientia Aſtrologica ſatis cognitas, addens conjecturam illam, quam non-

nulli Saturni frigiditatem ex obſcuriori ſideris lumine colligunt, & quidem Lib. 9. ſect. 2. cap. 8. his verbis: *Quoniam Saturni lumen obtuſum, nobis colorem exhibet fuſcum & plumbeum in ipſo meridiano circulo (ubi Planetarum veri colores ſunt potiſſimum obſervandi) qui color naturam refert craſſiorum elementorum terræ & aquæ: ipſe vero hæc inferiora impenſe refrigerat & mediocriter exſiccat, ut Aſtrologicis conſtat experientiis: ſequitur ex elementis aquam ſed magis terram in eo prædominari: ideoq; ab utroq; elemento ſumme frigidum eſſe, & à prædominio terræ moderate ſiccum.* conf. Wendelin. Phyſ. ſect. 2. pag. 765. De utroque quæ dicenda reſtant, convenientius in ſequentem theſin reſervari videntur.

13. Tertio requirit Gaffarellus ſignum ſympatheticum, ut in medela hydropis Lunam decreſcentem. Sympathiam ſiderum corporumque telluris naturalium Gaffarellus in qualitatum, alij in figurarum ſimilitudine ponunt. De ſimilitudine qualitatum multa diſſerit Morinus L. 13. ſect. 3. c. 3. ſupponens qualitates ab Aſtrologis ſideribus adſcriptas: quas probare diximus experientia & luminis diverſitate. Experientiam in Genethliacis evidentiorem putat Morinus L. 10. c. 5. & inprimis urget thema Pici Mirandulæ à Lucio Bellantio erectum: rectius vero in meteorologicis inſtituendam cenſet Abd. Trevv Aſtrolog. diſp. 1. th. 18. & ſeqq. Utriusque vero experientiæ fallacitatem prolixe oſtendit Gaſſendus Phyſ. p. 743. & ſeqq. nec non in decantatiſſimo exemplo Pici. Non aliud vero aptius, quam proprium exemplum Morino objicit, pag. 747. Conf. Tob. Wagneri Aſtrolog. Genethliac. pag. 98. Cujus rei argumentum eſt ipſa Aſtrologorum divinatio fallaciſſima, quam proinde Kepplerus harmon. mund. L. 4. c. 4. ſic perſtringit: *Cum prognoſticum aliquod millies errat, negligitur tamen hoc, at ſi ſemel ſcopum attigit, hoc omnium ſermonibus celebratur.* Alterum argumentum duo implicat, lumen & colorem. Lumen autem eſt vel proprium vel alienum. Proprium Saturno non eſſe, & ex natura ejus, qualem Morinus cum reliquis Aſtrologis affingunt, colligitur, & noſtri ævi ſummorum Aſtronomorum ſententia eſt. Lumen reflexum in quibusdam corporibus debilius apparet propter corporis vel majorem diſtantiam, vel materiam rariorem vel aſperiorem. Ex colorum diver-

diversitate in istis remotissimis corporibus substantiarum diversitatem aliquam colligi posse concesserim; sed non in qualitatibus primis determinatam. Qui talia conantur, potius suam speculationem inveteratæ traditioni & præconceptæ, quam ipsi rei accomodant, ut apparet in Keppleri Epitom. Astronom. p. 489. & 490. & Paralipom. pag. 261. Optime Ricciol. Almagest. part. 1. pag. 496. in fine num. 5. *non sunt, inquit, Planetæ tanquam tellures, nec tam fœda opacitate obsiti, sed aptiores ad combibendum lumen, illudq; revibrandum viridius ac rutilantius.* Conf. Gassend. Phys. sect. 2. lib. 1. c. 3. p. 510.

14. Longe vero ineptius sympathia in figurarum similitudine quæritur, quæ vel sunt in globo cœlesti expressæ, vel occultæ decanorum & monomæriorum. De figuris istis ita loquitur autor Carpi, quem Ptolemæum nonnulli, pleriq; Hermetem faciunt, num. 9. Τὰ ἐν τῇ γενέσει καὶ φθορᾷ εἴδη πάσχει ὑπὸ τῶν οὐρανίων εἰδῶν. διὰ τοῦτο χρῶνται τούτοις οἱ στοιχειωματικοὶ, τὰς ἐπεμβάσεις τῶν ἀστέρων σκοποῦντες ἐπ᾽ αὐτά. *In generatione atq; corruptione formæ afficiuntur à cœlestibus formis. Idcirco qui imagines faciunt his utuntur, cum eo stellæ ingressæ fuerint observantes.* Ad hunc locum Haly Aben Rodoan Arabs, quem Jos. Scalig. Epistolar. pag. 410. Editionis Lugdunensis, ex suo codice manuscripto Haly Abu-Gesar nominat, ita commentatur: *In hoc capitulo vult Ptolemæus multa imaginum secreta patefacere, & vultus (εἴδη) quos in hoc seculo esse dixit, sunt species animalium & species Planetarum, & id eo dicit, quod omnibus istis speciebus dominantur sibi vultus consimiles in cœlo manentes. Verbi gratia: Scorpio cælestis terrenis scorpionibus dominatur, & cœlestis serpens terrenis serpentibus: & sapientes imaginum inspiciebant, quando Planeta ex radiis solis egrediebatur & ingrediebatur hos vultus, eumq; in ascendente ponebant: & vultum, quem intrabat, sculpebant cum eo ex aptatione vel destructione quod volebant, & vis illa in lapide multis temporibus durabat.* Figuras Sphæræ expressas quod attinet, primo ex globo cælesti adscriptæ sunt potissimum distinguendi & docendi causa, secundo alias atque alias figuras adscribebant Chaldæi, Ægyptii, Arabes, Indi, Græci. Achilles Statius circa finem suæ Isagoges: ἐπὶ δὲ πᾶσι χρὴ εἰδέναι, ὅτι οὔτε κηφεὺς, οὔτε κασσιέπεια, οὔτε ἀνδρομέδα ἐστὶν ἐν οὐρανῷ. γελοῖον γὰρ ὑποτιθέναι πρὸ

 τούτων

τούτων ἀκαταστέριστον τὸν οὐρανόν. ἀεὶ γὰρ ἦσαν ἀστέρες καὶ πρὸ περσέως καὶ ὠρίωνος. διὸ καὶ ἐν διαφόροις ἔθνεσι διάφορα καὶ τὰ ὀνόματα τῶν ἄστρων ἐστὶν εὑρεῖν. ἐν γοῦν τῇ τῶν αἰγυπτίων σφαίρᾳ, οὔτε ὁ δράκων ἐστὶν νομιζόμενος ἢ ὀνομαζόμενος: οὔτε ἄρκτοι, οὔτε κηφεύς. ἀλλ' ἕτερα σχήματα εἰδώλων καὶ ὀνόματα τεθειμένα. οὕτε δὲ καὶ ἐν τῇ τῶν χαλδαίων. ἕλληνες δὲ ταῦτα τὰ ὀνόματα ἔθεντο τοῖς ἄστροις ἀπὸ ἐπισήμων ἡρώων, πρὸς τὸ εὐκατάληπτα εἶναι καὶ εὔγνωστα. *oportet autem omnino ſcire quod neq; Cepheus, neq; Caßiopeia, neq;* Andromeda *ſit in cœlo: ridiculum enim ſuſpicari, antehac cœlum ſtellis non eſſe diſtinctum: ſemper enim erant ſtellæ & ante* Perſeum *& ante* Orionem. *Proinde apud diverſas gentes & diverſa inveniuntur ſtellarum nomina. Igitur in Ægyptiaca ſphæra neq; draco, neq; urſa, neq; Cepheus, ſed aliæ ſunt idolorum formæ nominaq; iis indita, uti neq; in* Chaldaica *ſphæra. Græci autem nomina iſta impoſuerunt aſtris ab inſignibus heroibus, ut comprehendi & agnoſci facilius poſſent* Conf. Kirch. Oedip. Ægypt. Tom. 2. part. 2. pag. 204. Joſeph. Scalig. not. ad Manil. p. m. 440. & ſeqq. nullius itaque certitudinis ſunt iſtæ analogiæ conſtellationum & corporum telluris. Occulta ſigna, quæ ab Ægyptiis primum excogitata dicuntur, partim ſunt decanorum, partim ſingulorum graduum Eclipticæ, quæ monomœriæ appellantur. Omnia hæc ex Petro de Abano exſcripta exhibet Johannes Angeli in ſuo Aſtrolabio plano Venetiis excuſo anno æræ Chr. 1494. Recenſet quoque decanos Joſeph. Scalig. in notis ad Manil. pag. 336. monomœrias pag. 442. Sed πῆγες iſtos & μοῖρας terminis ſignorum minores ipſe Aſtrologorum princeps Ptolemæus rejecit, quod οὐ φυσικὸν, ἀλλὰ κενόδοξον λόγον habeant, & in paraphraſi Proclus L. 1. c. 25. nec hodie in uſum revocantur, ulteriori itaque refutatione non opus eſt. Conf. Morin. L. 15. c. 13. pag. 346.

15. Signum Sympatheticum ordine Gaffarelliano excipit ſignum, cui membrum corporis læſum ſubjacet. De diſtributione membrorum corporis humani ſecundum ſeriem ſignorum Zodaici pauca occurrunt apud Veteres ſcriptores. Sextus Empiricus cit. loco p. 113. hæc habet: ἦσαν δέ τινες χαλδαίων, οἳ καὶ ἕκαστον μέρος ἀνθρωπείου σώματος, ἑκάστῳ τῶν ζωδίων ἀνατιθέντες ὡς συμπαθεῖν. κριὸν μὲν γὰρ κεφαλὴν ὀνομάζουσι· ταῦρον δὲ, τράχηλον· διδύμους δὲ ὤμους· καρκίνον δὲ, στέρνον. λέοντα δὲ πλευράς.

παρθένον

παρθένον δὲ γλουτούς· ζυγὸν δὲ, λαγόνας· σκορπίον αἰδοῖον καὶ μήτραν· τοξότην, μηρούς· αἰγόκερων, γόνατα· ὑδροχόον, κνήμας· ἰχθύας δὲ, πόδας· Fuerant etiam quidam Chaldæi, qui unamquamq; partem humani corporis attribuerunt unicuiq; signo, ut quæ cum illo haberet consensum, & cum eo afficeretur. Nam Arietem quidem caput nominant: Taurum autem collum: Geminos autem humeros: Cancrum autem pectus: Leonem vero latera: Virginem autem coxendices: Libram ilia: Scorpium, pudendum & matricem: Sagittarium femora: Capricornum, femora: Aquarium autem tibias: Pisces autem, pedes. Agit quoque hac de re in operis sui differentia prima Alcabitius Arabs, quem Valentinus Nabod annotationibus auctum edidit. Hic memor Cardani distinctionis thes. 12. allatæ, paulo aliter ac Alcabitius membra distribuit, ubi caput arieti, collum & cervix ♉, humeri & brachia ♊, pectus ♋, à furcula pectoris usque ad umbilicum intercepta portio ♌, Venter inferior ♍, nates ♎, pudenda ♏, coxæ & femora ♐, genua ♑, crura & tibiæ ♒ & pedes ♓ obtigere. Magnum hujus dogmatis usum in arte Medica, inprimis in φλεβοτομίᾳ prædicant secundum Carpi regulam 20. *μὴ ἅψῃ μορίου σιδήρῳ τῆς ☾ ἐπεχούσης τὸ ζῴδιον ὁ κυριεύει τοῦ μορίου ἐκείνου, membrum ferro ne percutito, cum ☾ signum tenuerit, quod membro illo dominatur.* Sed Abdias Trew Astrolog. Med. disp. 1. thes. 37. experientiam experientiæ opponens hanc distributionem plane improbat. *Ejusdem,* inquit, *est Zodiaci in membra humani corporis divisio. Quod commentum licet ineptissimum vel pueri videant, ita tamen invaluit in venæ sectionis electione, ut plurimi etiam Medici & quidem ex iis, qui rationali Medicinæ dediti sunt, refragari non audeant, sive, ne venæ sectionis ex alio principio infelicioris culpa ipsis imputetur, sive quod non satis exploratum putent, an non fortasse aliquid ipsis ignotum sub tam antiquo commento lateat. Ego sancte confirmo, me aliquoties istas regulas data opera in meis & me ipso violasse, nec unquam quicquam sensisse incommodi.*

16. Quintum denique ex signis, observandis est id, cui æger subjectus est. Præmissis hactenus quibusdam ἀποτελεσματικῆς εἰσαγωγικῆς, devolvimur ad γενεθλιακὴν, in qua primatus isti planetæ tribuitur, qui ratione & dignitatum & loci præ reliquis valet. Si utrinque idem planeta præ reliquis minu

eminet

eminet, dominus genituræ dicitur, qui dignitatibus magis pollet, ita ut ei associetur qui optimam in domiciliis cœlestibus sedem obtinet. Tria hic considerationem subeunt: Tempus, distinctio cœli in domicilia & positus siderum. De tempore nondum perorata lis est, utrum momentum conceptionis sit attendendum, an vero nativitatis. Illud omnino latere, hoc vero vix sciri posse bene probavit Sext. Empiricus cit. loco pag. 118. nec errorem plane eximit sive transitus sive progressio sive directio, multo minus trutina hermetis vel Animodar.

17. Domorum primo numerum frustra Morin. L. 17. sect. 1. c. 5. p. 387. ex quatuor istis triplicitatibus ejusdem naturæ, ut vocat, genericæ deducit supra thes. 11. explosis. nec aliud quoddam solidius fundamentum apud veteres & recentiores scriptores obvium est. Haud certius quid in ipsa distinctione reperitur. Ipse enim Astrologorum princeps Ptolemæus dum mentem suam non satis aperuit, posteris hac in re crucem fixit. In modo, quem vocant æqualem & antiquissimum jactitant, nulla domus integra supra horizontem extat, nulla infra, nisi cum uterque polus Eclipticæ horizonti incumbit, situsque stellarum supra & infra horizontem plane negligitur. Methodus & Porphyrij & Alcabitij, præter hoc, laborat domiciliorum magnitudine semper diversa & inæquali: insuper in quibus locis Ecliptica horizontem stringit, ibi definit eorum ars. Campanus & Gazalus à reliquis Astrologis ob hoc potissimum reprehenditur, quod elegerint verticalem circulum, imaginarium prorsus & nullius virtutis. Modum denique sive Aben Esræ, sive Regiomontani & ex recentioribus multi improbant, quod omnes veterum prædictiones nitentes, ut putant, æquali Eclipticæ divisione, huic ineptius applicentur. Quidsi in obliquitate Sphæræ *66*. gr. 30. min. æquator stringat horizontem vel *69*. gr. 22. min. congruat cum circulo undecimæ? Tertio denique sive vires sive significationem domorum quod attinet, Morinus cit. loco pag. 386. cœlum dividit secundum præcipuæ vitæ humanæ momenta, quæ ipsi sunt vita, actio, conjugium & passio, in quatuor cardines, Græcis κέντρα: subdividit

dividit idem ſecundum vitam in ſe, in DEO & in liberis conſideratam: ſecundum bonum actionis humanæ finem triplex, immateriale dignitatis, materiale ſenſitivum ſubditorum, ſervorum, animalium & materiale inſenſitivum nummorum, ſuppellectilis, agrorum: ſecundum ſocietatem corporis in conjugio, ſanguinis in fratribus & affinibus, benevolentiæ in amicis: ſecundum paſſionem naturæ in generatione, in afflictionibus corporis & morte in duodecim ſpatia domiciliorum, ordine veterum aliquantum mutato. Morborum quippe ſedem ex VI. in XII. tranſtulit. Quid ſi cuſpides figuris quadrangulis rectangulis colligantur & domicilia ſecundum inſignis cujusdam Aſtrologi ſpeculationem dividantur in quatuor bona IV. I. X. & VII. quatuor mala XII. II. VI. & VIII. & quatuor mediocria reliqua? Ita IV. cui, ſi ab occultis ad aperta, à cauſa ad effectum procedendum eſt, primus locus competit, vitæ ortum, I. orti ſubſtantiam, X. actiones. VII. conjugium notabit. Ex malis II. paupertatem. XII. carceres. III. morbos & VIII. mortem &c. Sed quicquid ingenioſi Aſtrologus diſtinctioni cœli arbitrariæ ſuperſtruere tentaverit, corruet. Prius demonſtrent diſtinctionem iſtam cœli naturalem eſſe. Δῆλον δὲ, verba mutuor Origenis Philocaliæ cap. 23. pag. 69. Editionis Cantabrigienſis, ὅτι τοῖς εἰδόσι τοὺς τοιούτους, ὅτι λόγον ἀπαιτηθέντες διδόναι αὐτῶν, οὐδαμῶς δυνήσονται, *perſpicuum vero eſt iis, qui iſtos norunt, rationem ſi rogentur, reddere nullo modo poſſe.* Nec ſufficit reſpondiſſe cum Morino proprio ſuo figmento diffidente cit. l. pag. 386. diviſionem iſtam ab Adamo per Cabalam ad poſteros perveniſſe. Ita quicquid inveteratæ traditionis ratione caret, pari ratione ad Adamum revocabitur. Forte rectius ſentit Orig. c. l. pag. 72. talia innotuiſſe ἐκ διδασκαλίας ἀγγέλων τῶν τὴν ἰδίαν τάξιν παραβεβηκότων, καὶ ἐπὶ τῇ τοῦ γένους ἡμῶν ἐπιτρίβῃ διδαξάντων περὶ τούτων. *ex doctrina angelorum, qui ordinem ſuum transgreſſi ſunt, & ad humani generis occupationem nonnulla de his docuerunt.* Confer. Lactant. Inſtitut. L. 2. c. 17. Euſeb. de præp. Evang. L. 5. c. 14.

18. Supereſt poſitus ſiderum felicior vel infelicior ratione dignitatum vel debilitatum, tam eſſentialium quam accidentalium.

lium.

lium. Dignitates essentiales sunt domus Planetæ, exaltatio, triplicitas, terminus & decanatus; accidentales domus cœli, Almugea, motus tardior vel velocior, situs vel orientalis vel occidentalis & aspectus. Quæ omnia hic uberius ventilare, arctior instituti ratio non permittit, nec adeo necessarium videtur. Siquidem earum præcipuis fundamentis, naturali Eclipticæ distinctione & domorum ordine confutatis, quicquid iis nititur, in vanum ibit. Ad hæc si vel maxime omnia Astrologica placita forent verissima, quid inde veritatis accedit amuletis? Influat peculiari modo scorpius cœlestis in scorpionem terrestrem, qua sequela influet etiam in scorpionem sculptum? Influat peculiari influxu Sol in aurum, quid peculiare accedet auro characteribus vel imaginibus notato? dirigat quam maxime fata nati dominus, quid artifici amuletorum conferet, qui alieni dominij est.

19. Sexto certos aspectus requirit Caffarellus, quorum determinatio Astronomicæ est theoriæ, significatio Astrologicæ conjecturæ hujusque loci. Morinus Lib. 6. sect. 1. c. 10. postquam Ptolemaicæ & aliorum Astrologorum opinionis errores ostendisset, ipse hujus distinctionis fundamentum petit ex rectis Eclipticæ ita inscriptis, ut ex eodem puncto ductæ omnium signorum terminis terminentur &, excepta diametro, latera constituant inscriptibilium figurarum ordinatarum triangulæ, quadrangulæ, sexangulæ, & duodecangulæ, adq; triangulum SS. Trinitatis Symbolum judicatis. Quæ rectæ si Geometricè spectentur, perperam Ecliptica ex arbitrio in 12. partes divisa præsupponitur: Si vero opticè, radius per centrum ductus perpendicularis est, & in se reflectitur, ideoque in fontem suum citius redit ac triangulum. Tantum de mediis Gaffarelli operantibus. Hucusque vero de iis dicta non tam de ipso cœli influxu, quam de modo probandi, quo hactenus usi sunt Astrologi eorumque principiis, quibus etiam doctrina amuletorum nititur, intelligi volumus. His si veriora ferent, res salva erit. Dubito tamen de accupatiori cœleris operationis, si quæ præter calefactionem & illuminationem fuerit, cognitione ab ingenio humano excogitanda. Consentit Origenes Philocal. pag. 72. scribens: πολλῷ μεῖζον ἢ κατ'

ἄνθρωπον

ἄνθρωπον τὸ δύνασθαι κατ' ἀλήθειαν ἐκλαμβάνειν ἀπὸ τῆς κινήσεως τῶν ἀστέρων τὰ περὶ ἑκάστου τῶν ὅτι ποτὲ οὖν ἐνεργούντων ἢ πασχόντων. Supra humanas vires est, ut ex motu astrorum, quid unusquisq; agat vel patiatur vere percipere possit. Et Sext. Empir. c. l. p. 124. *οὐκ ἔστι πρὸς τὰς τῶν ἀστέρων κινήσεις διοικεῖσθαι τὸν βίον· ἢ εἴπερ ἐστὶν εὔλογον, ἡμῖν πάντως ἀκατάληπτον, non potest esse, ut vita administretur ex motu astrorum, aut si est consentaneum, id vero à nobis minime potest comprehendi.*

20. Meminerunt insuper alij scriptores Tilsemarum horæ planetariæ & feriæ hebdomadis Planctæ certo olim à gentilibus dicatæ in hoc negotio observandarum. Horas planetarias exactius ttactavit Elias Cratschmairus in horologio Zodiacali, qui usum tabularum suarum exponens pag. 30. de amuletis vegetabilium hæc asserit: Well man die Planeten nicht allweg in jhren eygenen Häusern haben kan / so ists schon genug / wan man nur jhren Tag und Stunden præcise hat / adjecto exemplo morbi Hepatici curandi. Impingere videtur hypothesis hujus figmenti, series scilicet Planetarum in veritatem Astronomicam. Siquidem ♀ & ☿ modo superiores, modo inferiores Sole centro suarum orbitarnm primus observavit Tycho Brahe, Phœnix Astronomorum sui seculi, itemque in systemate terræ immobilis ♂. De dierum distinctione nullum aliud monumentum ex antiquitate superest, præter illud notissimum Dionis Cassij Lib. 37. Hist. Rom. in quo distinctionis istius basis memoratur proportio harmonica *διὰ πασῶν*, sed eundem planetarum ordinem, quem à Tychone luxatū diximus, adhibito. Sed quia Gaffarellus hæc improbat, nō est, cur operosius iis imoremur.

21. Meminit quoque domini domus & domini planetæ partis fortunæ & domini in ejus &c. Leopoldus Ducatus Austriæ filius in conpilatione de astrorum scientia Augustæ Vindel. Anno 1489. edita pag. 194. plurium amuletorum fabricam recensens: Qui locus libri non ubivis obvii adscribendus videtur. *Cum vis facere*, inquit, *imaginem alicui pro sanitate vel ægritudine, fortunentur vel infortunetur hæc: ascendens & dominus ejus, dominus domus domini ascendentis, lunæ & dominus ejus, decimum & dominus ejus: dominus octavi, dominus horæ. Inscribuntur hæc: nomen rei, nomen ascendentis, nomen domini diei, nomen*

men domini horæ, pars bonorum vel malorum & dominus partis. Dicitur, quod intendit imago, reponitur vel sepelitur. Medium cœli si sit ad fortunandum hominem, portet eam secum vel reponet eam in domo sub ascendente fortunato fortunio forti. Similiter fac in loci fortunatione vel destructione regionis. Pro substantia faciliter acquirenda fortunetur ascendens & dominus ejus, secundum & dominus ejus, dominus secundi sit in retrogradatione cum domino primi, dominus secundæ sit in obediente, dominus primæ in imperanti, decimum & dominus ejus, octavum & dominus ejus, undecimum & dominus ejus, Luna & dominus ejus, pars fortunæ sit in primo vel undecimo. Pro habenda re optata vel recuperanda re perdita, duæ fiant imagines, prima fiat sub ascendente illius, qui rem petit vel repetit secundum nativitatem vel interrogationem & fortunetur ascendens & dominus eius, ascendens & dominus ejus aptetur in fortitudine & fortuna, ita ut etiam ponatur in signo imperanti & ponatur in conjunctione vel bono aspectu cum receptione significatoris illius, qui rem tunc tenet vel detinet: & dicatur, quod intenditur, ut si rex decimi, si pater quarti, si frater quarti & sic de aliis: & nominetur imago nomine famoso illius pro quo facta est, & cum perfecta est, inscribatur nomen rei, nomen ascendentis, nomen domini ascendentis, nomen domini diei, nomen domini rei, & nomen domini horæ. Secunda fiet sub ascendente illius, qui rem tenet aut detinet & fortunetur ascendens & aptetur dominus ejus in fortitudine & fortuna, excepto quod ponatur in signo obedienti, & ponatur in conjunctione vel bono aspectu cum receptione significatoris imaginis primæ & dicatur quod intenditur & nominetur imago nomine famoso illius, pro quo facta est. Cum perfecta est, inscribatur nomen rei: nomen ascendentis, nomen domini ascendentis, nomen domini diei, & nomen domini horæ, & cum ambæ sunt perfectæ, ponantur ambæ cum domino imaginis primæ. Pro fortunatione loci & ejus destructione procede, sicut habes supra de sanitate & infirmitate, hoc addito, ut in bonis ponas dominum horæ bonum planetam, & quod ille sit in bona habitudine; In malis vero malum planetam & specialiter Saturnum, ita quod infortunes eum. Pro honore habendo fortunetur ascendens & dominus ejus, Dominus decimæ sit in receptione cum domino primæ, pars fortunæ sit in decimo vel undecimo. Pro favore majoris inter dominum primæ & decimi sit conjunctio vel receptio cum bono aspectu vel ambo sint liberi à malis. Et dominus decimi in ascendente vel aspiciat eum benigne vel ambo sint liberi à malis. Et dominus decimi non impediat dominum ascendentis: secundam

cundam fac sub ascendente, cum dictis conditionibus, & pone manum secundæ ad collum primæ. Ad odium majoris, in omnibus fac contrarium: dominus decimæ in opposito sit primæ cum separatione. Pro amore alicujus habendo fac imaginem illi cui vis amorem acquiri die & hora Jovis sub ascendente nativitatis vel interrogationis: fortuna ascendens & dominum ejus & remove malos ab ipsis: dominus decimæ sit fortuna & jungatur domino ascendentis cum receptione corporea vel bono aspectu nomina imaginem nomine famoso illius, pro quo facis. Secundam imaginem fac sub ascendente undecimæ pro amico: sub ascendente septimæ pro uxore: nomina etiam imaginem istam nomine famoso illius, pro quo facis, pone secundam cum prima, ut amplexentur se, pone in panno mundo & cum dommo primæ imaginis, imagines ambas: vis non est in metallo, de quo fiat vel cera vel luto, quia sufficit observatio ascendentis cum conditionibus memoratis. Pro repulsione alicujus animalis verbi gratia scorpionis, fac imaginem scorpionis ascendente scorpione, luna sit ibidem infortunata, infortunetur dominus ascendentis in octava. Infortunetur dominus quarti septimi vel quarto aspectu malevoli. Inscribantur hæc: nomen ascendentis, nomen domini ascendentis, nomen domini diei, nomen domini horæ, nomen Lunæ. Et in bonisque inscribis pone in ante, in malis in dorso. Sepeli imaginem versam in medio loci, melius erit, si feceris quatuor & sepeliveris omnes versas in quatuor partibus loci, loco recto diviso in quatuor & cum sepelis dic: hæc est sepultura scorpionis, ut recedat ab isto loco & non redeat in æternum. Forma caput, in quam fundis imaginem, sculpe sub ascendente, in quo sit caput Draconis & dominus ascendentis sit boni esse. Corpus sub ascendente, in quo sit Luna aucta lumine, juncta fortunæ spatula & pectus sub ascendente, in quo sit Jupiter: ventrem sub ascendente, in quo sit Venus: ancas sub ascendente, in quo sit Sol in aliqua dignitate sua: femora sub ascendente, in quo sit Mercurius nec retrogradus nec combustus, sed in aliqua dignitate sua: pedes sub ascendente, in quo sit Luna Veneri sociata.

22. Jam quod artis caput est, medium applicationis, quod nimirum influxum cœlestem subjecto amuleti conciliat asseritur à Gaffarello sculptura dicto tempore vel efformatio figuræ analogæ effectui præstando, quia figura qualitas est, ideoque subjectum aptius reddit ad agendum. Cujus sententiæ firmandæ vim petit ex Galeotti Martij libri de doctrina promiscua cap. 24. sed quâ sequela hujusmodi imagines vel figuræ imaginum cælestium virtutes attrahunt, si ex figuris per exemplum

 conica

conica lignum vel ferrum ad findendum vel penetrandum aptius reddit, Cylindrica & Sphærica ad motum, Sphærica speculum ad reflectendos & colligendos radios solares: Ipse Galeottus in figura causam non reperit attractionis, qui cit. loc. p. m. 189. *Figura Leonis*, inquit, *sub constellatione servatis horis impressa, non agit, sed principium actionis ac passionis affert, ut beatus Thomas, Magnusque Albertus testantur; non ut figura & imago mathematicè impressa, sed ut efficit aliam atq; aliam in re figurata præparationem, quæ cœlestem actionem sine difficultate variis modis accipiat; quoniam si canis, aut equi, aut alterius animalis imago in aurea materia imprimatur, non erit ea materiæ dispositio, quæ leoninam imaginem comitatur. Leo namq; densam grandemq; jubam, caudamq; longissimam & cætera membra dissimilia aliis animantibus habet, sicuti quivis & ventrem & os & aures, pedesq; ejus contemplans dijudicat: ea propter in figuratione aliarum imaginum non servaretur id, quod est necessarium ad vim illam cœlestem imbibendam. Bractea enim aurea alibi densa, alibi rara, aliaq; in loco inter rarum & densum media expostulatur, ut cœlitus vim descendentem excipiat. Collum enim canis, cum sine juba sit, densius aurum haberet, quam Leonis. Juba namq; formata, cum in illa impressura profundius insederit, necesse est aurum, eo in loco rarius esse. Sic etiam in cæteris membris diversitas varietasq; continget. Unde concludimus, quod hæc aptitudo, ad vim cœlestem hauriendam in figura est, non ut figura, sed ut densius rariusq; aurum imaginis conditione formatur.* At causa erit diversitas densitatis vel præcisè, quatenus ut cumque densitas auri diversa est, itaque, etiam ab impressa imagine canis aurum diversimode densum redditur virtutisque cœlestis recipiendæ capax: vel determinate, quare cum à diversis artificibus imago Leonis imprimitur diversa, aurum minus capax erit recipiendæ virtutis cœlestis. Quippe si centum sigilla Solis ex variis locis collecta intuearis, imago Leonis in omnib⁹ fere diversa erit, sedentis, ingredientis, erecti, incurvati, & diversitas metalli densioris & rarioris per omnes partes in tot τοιχίοις minime eadem erit. Quid si ad magnitudinem determinatam formaretur canis hirsutus & ita tonsus, ut figuram Leonis referat? Sexcenta alia absurda colliget, qui otio abundat. Leonh. Thurnheisserus Histor. Plantarum Lib. 1. c. 17. ut severiorem declinet censuram, imagines istas impressas tantum signa esse profitetur loci Solis, item situs & conditionis loci. Qua igitur ratione signa-

tum

tum aurum præstaret non signato? Alii existimãt ipsas imagines amuletis plane nil efficaciæ conferre; sed corpora naturalia suorum siderum virtutem nativo quodam appetitu attrahere, & læsa in sui conservationnem incitatius attrahere. Signari itaque corpora naturalia tempore, quo sidera situ & aspectibus feliciores creduntur, ut signatura cujuscunque rei stimulata tum temporis summam sideris virtutem avidius haurirent. Hac ratione anima metallorum & plantarum sensitiva foret. Absonum. Marsilius Ficinus Lib. 3. de vita cœlitus comparanda cap. 1. vim attrahentem influxum cœlestem secundum Plotinum consistere ait in eo, quod anima mundi & stellarum dæmonumque animæ facile alliciantur corporum formis accommodatis. Verum nec ex hac sententia quicquam opis fertur Amuletorum defensoribus. Si enim internæ corporum formæ virtutem cœlestem corporibus concilient, frustra idem Artifex tentabit imagine seu adscripta, sive insculpta seu quocuuque modo efformata. Postea cap. 15. Lib. 3. p. m. 141. mentem suam explicat, quid de amuletorum imaginibus sentiat. *Cum vero natura, ait, cœlestis, tanquam inferioris naturæ regula, soleat tenore quodã progredi naturali, & ita progredientibus aspirare, merito diffidunt pleriq;, imagines ejusmodi cœlestes aliquam virtutem habere. Ego quoq; ambigo sæpius, ac nisi & omnis antiquitas, & omnes Astrologi vim mirabilem habere putarent, habere negarem. Negarem equidem non omnino, opinor enim (nisi quis alter persuaserit) ad prosperam valetudinem saltem aliquam habere virtutem, electæ præsertim ratione materiæ, tametsi multo majorem inesse pharmacis arbitror & unguentis sidereo favore conflatis.* Paulo post: *Ego medicinis ad cœlum temperatis, non imaginibus utor, atque ita cæteris quotidie consulto.* Cap. 18. propius ad rem accedere videtur, ubi, *demũ, tutius*, inquit, *fore arbitor medicinis, quam imaginibus se committere, rationesq; à nobis potestate cœlesti pro imaginibus assignatas, in medicinis potius, quam in figuris efficaciam habere posse. Probabile enim est, si quam vim imaginis habent, hanc non tam per figuram nuper acquirere, quam per materiam possidere naturaliter sic affectam. Ac si quid denuo acquiritur, dum insculpitur, non tam per figuram comparari, quam per calefactionem contusione quadam provenientem. Quæ quidem contusio calefactioq; facta sub harmonia, cœlesti simili harmonia, quæ, quando materiæ virtutem insuderat, excitat virtutem ipsam atq; corrobo-*

 rat

rat sicut flatus flammam.: & manifestam efficit ante latentem, sicut calor ignis in aspectum producit literas scriptas succo cepæ prius delitescentes. Paulo post: *Si quis forte tractare metalla lapidesq; voluerit, præstat percutere solum atq; calefacere, quam figurare. Præter enim id, quod inanes esse figuras suspicor, haud temere vel umbram idololatriæ debemus admittere.* Ex his satis patere arbitror, quod nodum hunc Amuletarii solvere minime valeant.

23. Adhibebant insuper olim plures ritus & actiones detestandas, quales recenset Kirch. Oedip. Ægypt. Tom. 2. part. 2. c. 6. Sic & Leopoldus in compilationis cit. loco enuntianda quædam requirit. Amuleta postmodam vel gestabant, vel in propatulo collocabant, vel sepeliebant.

24. Virtutem denique non cum subjecto æque durare, sed tandem exspirare affirmat Gaffarellus, nec ubique locorum, nec omni tempore effectum edere dicit Thurneiss. cit. loco. *Sigillum, (Solis)* inquit, *si conficiatur Sole infra horizontem depresso, nulla efficaciæ potentia eodem supra horizontem evecto: & viceversa, si paretur Sole supra horizontem commorante, inefficax est, Sole infra eundem demerso.* Post. *Quia ingressus Solis non ubiq; locorum in unum momentum incidit: Ideo quod Toleti in Hispania sub elevatione poli gr. 39. min. 55. factum est. Hamburgi ad Albim (ubi polus ad gr. 54. min. 24. altitudinem elevatur) nihil quicquam præstat. Quæ vero loca unum & eundem habent meridianum sive situm sub eodem parallelo communem, ea quoq; communi sigillorum ejusmodi efficacia fruuntur. Exempli gratia: Sigillum quod conficitur Coburgi efficaciam suam quoq; prodit Haustij in Normandia. Similis sigillorum ratio etiam erit in Valle Joachimica Misnia & locis adjacentibus.*

25. Liquet igitur, nullam esse amuletis causam naturalem, & proinde esse superstitiosos Diaboli illices. In primis adolendum quod in aulis Principum & Magnatum ejusmodi impostoribus aditus sæpissimè pateat. Inter Plebejos quoque non raro occurrunt, quibus lucri cupido ea potissimum commendat. Perperam distinguunt usum & abusum in amuletis quorum nullus verus usus est. Omnino annumeranda sunt istis περίεργοις, quarum mentio fit Act. 19. v. 19. igne dignissimis. Conf. Genes. 35. v. 4. & ad hunc locum notas Abrah. Calovii.

2. Machab. 12. 40. Suntque non tantum eorum artifices à Deo damnati; sed etiam qui iis utuntur, Levit. 19. v. 26. & 31. Deut. 18. v. 10. 2. Paralip. 33. v. 6. Jes. 47. v. 12. 2. Machab. 12. v. 40. ad עננים, כשפים & חברים utique referendi, quemadmodum & Photius ex more primitivæ Ecclesiæ, Nomocanonis tit. 9. c. 25. & tit. 13. c. 20. Περιάπτυς annumerat τοῖς ἀποστάταις, θύταις, μάγοις, ἐπαοιδοῖς, ἀστρολόγοις, μαθηματικοῖς, μάντισι, φαρμακεῦσι: improbati in Ecclesiæ Conciliis, in Patrum scriptis. Concil. Laodic. Can. 36. expressius de hac re agens sic se habet: Ὅτι ὀυ δεῖ ἱερατικὸς ἢ κληρικὸς, μάγυς ἢ ἐπαοιδὺς εἶναι, ἢ μαθηματικὸς ἢ ἀστρολόγυς, ἢ ποιεῖν τὰ λεγόμενα φυλακτήρια, ἅ τινά ἐστι δεσμωτήρια τῶν ψυχῶν αὐτῶν· τὺς δὲ φορῦντας ῥίπτεσθαι ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκελεύσαμεν: Gentiano interprete: *Quod non oportet eos, qui sunt sacrati vel clerici, esse magos, vel incantatores, vel mathematicos, vel astrologos vel facere ea, quæ dicuntur amuleta, quæ quidem sunt ipsarum animarum vincula: eos autem, qui ferunt, ejici ex Ecclesia jussimus.* Huc trahendus canon 24. Concilii Ancyrani: Οἱ καταμαντευόμενοι, καὶ ταῖς συνηθείαις τῶν ἐθνῶν ἐξακολυθῦντες, ἢ εἰσάγοντές τινας εἰς τὺς ἑαυτῶν οἴκυς ἐπὶ ἀνευρέσει φαρμακειῶν, ἢ καὶ καθάρσει, ὑπὸ τὸν κανόνα πιπτέτωσαν τῆς πενταετίας κατὰ τὺς βαθμὺς ὡρισμένυς, τρία ἔτη ὑποπτώσεως, καὶ δύο ἔτη ευχῆς χωρὶς προσφορᾶς, Gentiano Herveto interpretante: *Qui vaticinantur, & gentium consuetudines sequuntur, vel in suas ædes aliquos introducunt ad medicamentorum inventionem, vel lustrationem, in quinquennii Canonem incidant, secundum gradus præfinitos, tres annos substrationis, & duos annos orationis sine oblatione.* Quem canonem suum facit Basilius epist. ad Amphilochium, num. 83. paucis ita mutatis: Οἱ καταμαντευόμενοι, καὶ ταῖς συνηθείαις τῶν ἐθνῶν ἀκολυθῦντες, ἢ εἰσάγοντές τινας εἰς τὺς ἑαυτῶν οἴκυς ἐπὶ ἀνευρέσει φαρμακειῶν καὶ καθάρσει· ὑπὸ τὸν κανόνα πιπτέτωσαν τῆς ἑξαετίας, ἐνιαυτὸν προσκλαύσαντες, καὶ ἐνιαυτὸν ἀκροασάμενοι, καὶ ἐν γ' ἔτεσιν ὑποπίπτοντες, καὶ ἐνιαυτὸν συστάντες τοῖς πιστοῖς, ὕτω δεχθήτωσαν. Godefrido Tilmanno vertente: *Qui vaticinantur & gentium consuetudines sequuntur, & aliquos in ædes suas introducunt ad veneficiorum inventionem & eorum expurgationem, cadant in Canonem sexennii, est postquam anno defleverint, & anno audierint, in tribus annis substrati, & anno cum fidelibus consistentes, sic admittantur,* Conf. Canon. 65. & 72. Nec omittendus

 canon

canon 89. Conc. Carthaginensis IV. *Auguriis & incantationibus servientem, à conventu Ecclesiæ separandum. Similiter & superstitionibus Judaicis vel feriis inhærentem.* Clarius loquitur Canon. 42. Concilii Turonens. III. *Admoneant sacerdotes fideles populos, ut noverint, magicas artes, incantationesq;, quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre: non animalibus languentibus, claudicantibusve, vel etiam moribundis quidquam mederi: non ligaturas ossium, vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse: sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.*

26. Ex Patribus Gregorius Nyssenus in epistola ad S. Letojum, can. 3. p. 117. Tom. II. Edit. Paris. scripsit. Οἱ πρὸς γόητας ἀπιόντες, ἢ μάντεις, ἢ τοὺς διὰ δαιμόνων καθάρσιά τινα καὶ ἀποτροπιασμοὺς ἐνεργεῖν ὑπισχνουμένους, οὗτοι ἐρωτῶνται δι' ἀκριβείας καὶ ἀνακρίνονται, πότερον ἐπιμένοντες τῇ εἰς Χριστὸν πίστει, ὑπ' ἀνάγκης τινὸς συνηνέχθησαν ἐκείνῃ τῇ ἁμαρτίᾳ, κακώσεώς τινος, ἢ ἀφορήτου ζημίας ταύτην αὐτοῖς τὴν ὁρμὴν ἐμποιησάσης· ἢ καθόλου καταφρονήσαντες τοῦ πεπιστευμένου παρ' ἡμῶν μαρτυρίου, τῇ τῶν δαιμόνων συμμαχίᾳ προσέδραμον. εἰ μὲν γὰρ ἀθετήσει τῆς πίστεως καὶ πρὸς τὸ μὴ πιστεύειν εἶναι Θεὸν τὸν παρὰ τῶν Χριστιανῶν προσκυνούμενον ἐκεῖνο ἐποίησαν, δηλαδὴ τῷ κρίματι τῶν παραβάντων ὑπαχθήσονται. εἰ δέ τις ἀβάστακτος ἀνάγκη κατακρατήσασα τῆς μικροψυχίας αὐτῶν, εἰς τοῦτο προσήγαγε διά τινος ἠπατημένης ἐλπίδος παρακρουσθέντας, ὡσαύτως ἔσται καὶ ἐπ' αὐτῶν ἡ φιλανθρωπία, καθ' ὁμοιότητα τῶν πρὸς τὰς βασάνους ἐν τῷ καιρῷ τῆς ὁμολογίας ἀντισχεῖν μὴ δυνηθέντων. Gentiano Herveto interprete: *Qui ad Præstigias vel Vates abierunt, vel eos, qui per dæmones se piacula quædam & aversiones operaturos pollicentur; ii exactè interrogantur & examinantur, utrum in fide in Christum permanentes, à necessitate aliqua ad illud peccatum impulsi sunt, cum afflictio aliqua vel intolerabilis jactura hunc illis animum indidisset; an omnino neglecto quod nobis creditum est testimonio, ad dæmonum societatem se contulerunt. Si enim ad fidem infirmandam, & quod DEum esse non crederent, qui à Christianis creditur & adoratur, illud fecerunt, erunt scilicet Apostatarum judicio obnoxii. Sin autem non ferenda necessitas aliqua, pusillo & abjecto eorum animo superato, eo deduxit falsa aliqua spe deductos; similiter erit & in ipsos clementia, instar eorum qui tormentis in tempore confessionis resistere*

non

non potuerunt. Hieronymus in Matth. L.4.c.23.citante Mornæo, in responsione ad lib. Episc. Ebroicensis de colloquio Fontisbellaquei, pag. 173. *Dominus*, inquit, *cum dedisset mandata legis per Mosem, ad extremum intulit, ligabis ea in manu tua; & erunt immota ante oculos tuos. Et est sensus; Præcepta mea sint in manu tua ut opere compleantur: sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis. Et perperam interpretati hunc locum in membranis eam asservare contenti erant; Quod apud nos superstitiosæ mulierculæ, in parvulis Evangeliis, & in crucis ligno, & istiusmodi rebus (quæ habent quidem zelum DEI, sed non juxta scientiam) usq; hodie factitant culicem liquantes, & camelum glutientes.* Optime Chrysostomus in fine homil. 21. ad pop. Antioch. pag. Edit. Paris. 246. Τί ἄν τις εἴποι περὶ τῶν ἐπῳδαῖς καὶ περιάπτοις κεχρημένων καὶ νομίσματα χαλκᾶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ταῖς κεφαλαῖς, καὶ τοῖς ποσὶ περιδεσμούντων; (Inspice quæso Polyd. Virgil. de rer. invent. lib. 2. c. 23.) αὗται αἱ ἐλπίδες ἡμῶν, εἰπέ μοι, ἵνα μετὰ σταυρὸν καὶ θάνατον δεσποτικὸν, εἰς Ἕλληνος βασιλέως εἰκόνα τὰς ἐλπίδας τῆς σωτηρίας ἔχωμεν; οὐκ οἶδας πόσα κατώρθωσεν ὁ σταυρός; τὸν θάνατον κατέλυσε, τὴν ἁμαρτίαν ἔσβεσε, τὸν ᾅδην ἄχρηστον ἐποίησε, τοῦ διαβόλου τὴν δύναμιν ἐξέλυσε, καὶ εἰς σώματος ὑγίειαν οὐκ ἔστιν ἀξιόπιστος; τὴν οἰκουμένην ἀνέστησεν ἅπασαν, καὶ σὺ αὐτῷ οὐ θαῤῥεῖς; καὶ τίνος ἄξιος εἶ, εἰπέ μοι, οὐ περίαπτα δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐπῳδὰς σαυτῷ περιάγεις, γραΐδια μεθύοντα καὶ παραπαίοντα εἰς τὴν οἰκίαν σου εἰσάγων, καὶ οὐκ αἰσχύνῃ οὐδὲ ἐρυθριᾷς μετὰ τοσαύτην φιλοσοφίαν πρὸς ταῦτα ἐπτοημένος; καὶ τὸ χαλεπώτερον τῆς ἀπάτης· ὅταν γὰρ παραινῶμεν ταῦτα, καὶ ἀπάγωμεν, δοκοῦντες ἀπολογεῖσθαι φασὶν, ὅτι Χριστιανή ἐστιν ἡ γυνὴ ἡ ταῦτα ἐπᾴδουσα, καὶ οὐδὲν ἕτερον φθέγγεται ἢ τὸ τοῦ Θεοῦ ὄνομα. διὰ τοῦτο μὲν οὖν αὐτὴν μάλιστα μισῶ καὶ ἀποστρέφομαι, ὅτι τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ πρὸς ὕβριν καταχέχρηνται, ὅτι λέγουσα Χριστιανὴ εἶναι, τὰ τῶν Ἑλλήνων ἐπιδείκνυται· καὶ γὰρ οἱ δαίμονες τὸ τοῦ Θεοῦ ὄνομα ἐφθέγγοντο, ἀλλ᾽ ἦσαν δαίμονες, καὶ οὕτως ἔλεγον πρὸς τὸν Χριστὸν, οἴδαμέν σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, καὶ ὅμως ἐπετίμησεν αὐτοῖς καὶ ἀπήλασε. διὸ δὴ ταῦτα παρακαλῶ τῆς ἀπάτης καθαρεύειν ταύτης, καὶ καθάπερ βακτηρίαν ἔχειν τὸ ῥῆμα τοῦτο. καὶ ὥσπερ χωρὶς ὑποδημάτων ἢ ἱματίων, οὐκ ἂν ἕλοιτό τις ὑμῶν εἰς τὴν ἀγορὰν κατιέναι, οὕτω χωρὶς τοῦ ῥήματος τούτου μηδέποτε εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλῃς, ἀλλ᾽ ὅταν μέλλῃς ὑπερβαίνειν τὰ πρόθυρα τοῦ πυλῶνος, τοῦτο φθέγξαι τὸ

ῥῆμα πρότερον, ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, καὶ τῇ πομπῇ σου καὶ τῇ λατρείᾳ σου, καὶ συντάσσομαί σοι Χριστέ· καὶ μηδέποτε χωρὶς τῆς φωνῆς ταύτης ἐξέλθῃς. τοῦτό σοι βακτηρία ἔσται, τοῦτο ὅπλον, τοῦτο πύργος ἄμαχος. μετὰ τοῦ ῥήματος τούτου καὶ τὸν σταυρὸν ἐπὶ τοῦ μετώπου ἐκτύπωσον· οὕτω γὰρ οὐ μόνον ἄνθρωπος ἀπαντῶν, ἀλλ' οὐδὲ αὐτὸς διάβολος βλάψαι τί δυνήσεται μετὰ τούτων σε ὁρῶν τῶν ὅπλων πανταχοῦ φαινόμενον. Transferente Bernardo Brixiano: *Quid vero diceret aliquis de his, qui carminibus & ligaturis utuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti vel pedibus? dic mihi, hæ sunt expectationes nostræ, ut post crucem & mortem dominicam in gentilis regis imagine spem salutis habeamus? Ignoras quanta crux perfecit? mortem dissolvit, peccatum extinxit, orcum inanem reddidit, diaboli solvit potentiam, & ad corporis sanitatem præstandam non est fide digna? totum orbem exuscitavit, & tu in ipsa non confidis? & quid pati dignus non esses? Non ligaturas vero tantum, sed etiam excantamenta tibi circumducis, vetulas ebrias & titubantes domum ducens. Nec confunderis, nec erubescis, post tantam adhuc trepidans disciplinā: & quod gravius est errore, quando hæc admonemus, & dissuademus, putantes se excusari, dicunt, quod, Christiana est mulier hæc excantans, & nihil aliud loquitur, quā DEI nomen. Propterea namq́, potissimū ipsam odi & aversor, quod DEI nomine ad contumeliam utitur: quod se dicens esse Christianam, Gentilium opera facit: etenim & dæmones DEI nomen fatebantur, sed tamen erant dæmones, & ita Christo dicebant: (Marc. I. 14.) scimus te, qui sis, sanctus DEI: & tamen ipsas increpavit, & ejecit. Propterea quippe vobis supplico, ut ab hac sitis fallacia puri, & tanquam baculum hoc verbum habeatis. Et sicut sine calceamentis, vel vestimentis vestrum nemo in forum descendere eligeret: Ita sine verbo hoc nunquam in forum prodeas, sed cum es januæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum, Abrenuntio tibi Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo, & conjungor tibi Christe. Ne unquam absq́ hac voce exeas: hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime: sic enim non tantum homo occurrens, verum nec ipse diabolus te quicquam lædere poterit, cum his te cernens armis ubiq́, apparentem &c.* Idem Pater homil. 39. Edition. Paris. sive 6. adversus Judæos pag. 477. de ægroto Joh. 5. Piscinæ Bethesdæ accumbente cum laude

laude prædicat: καὶ οὐδὲ οὕτως ἔδραμεν ἐπὶ μάντεις, οὐκ ἦλθε πρὸς ἐπαοιδοὺς, οὐκ ἐπέδησε περίαπτα· ἀλλ' ἀνέμεινε τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ βοήθειαν. διὰ τοῦτο πρὸς τῷ τέλει θαυμαστῆς τινος καὶ παραδόξου θεραπείας ἔτυχεν. Erasmo Roterodamo interprete: *Nec sic quidem confugit ad vates, non adiit incantatores, non alligavit amuleta, sed expectavit divinam opem, eoq; tandē admirandam quandam & inauditam sanitatem adeptus est.* Paulo post de Lazaro pag. 478. ἀλλ' ὅμως οὐκ ἐπαοιδὸν ἐζήτησεν, οὐ πέταλα περιῆψεν, οὐ μαγγανείας ἐκίνησεν, οὐ γόητας πρὸς ἑαυτὸν ἐκάλεσεν, οὐκ ἄλλο τι τῶν κεκωλυμένων ἐποίησεν, ἀλλ' εἵλετο μᾶλλον τοῖς κακοῖς ἐναποθανεῖν ἐκείνοις, ἢ τῆς εὐσεβείας μικρόν τι προδοῦναι μέρος. *Haud tamen quærebat incantorem, nō petala circumligavit, non expertus est imposturas, non veneficos ad se vocavit, nec aliud quicquam vetitarum artium tentavit, sed prius habuit illis immori malis, quam ulla ex parte deserere pietatem.* Deniq; pagina 480. καθάπερ ἐκεῖνοι (μάρτυρες) μαστίζεσθαι καὶ βασανίζεσθαι εἵλοντο, ἵνα τιμηθῶσιν· οὕτω καὶ σὺ σήμερον εἵλου μαστίζεσθαι καὶ βασανίζεσθαι παρὰ τοῦ πυρετοῦ, καὶ τῶν τραυμάτων, ὥστε μὴ προσιέσθαι ἀσεβεῖς ἐπῳδὰς μηδὲ περίαπτα, καὶ ταῖς ἐλπίσι ταύταις τρεφόμενος, οὐδὲ αἴσθησιν τῶν ἀντικειμένων πόνων. *Quemadmodum illi* (martyres) *praoptarunt cædi flagris torqueriq; à febri vulneribusq;, ne admitteres impia incantamenta, neve amuleta, & tali spe nutritus, ne senties quidem adversantes dolores.* Hisce plura consona in sequentibus deprehendet, qui plura desiderat. Augustinus etiam pluribus in locis amuleta detestatur, ut serm. 215. de tempore. *Cum ergò duplicia bona* (corporis sanitatem & peccatorum indulgentiam) *possint in Ecclesia inveniri, quare per præcantatores, per fontes & arbores, & diabolica phylacteria, per characteres & aruspices & divinos & sortilegos multiplicia sibi mala miseri homines conantur inferre.* Paulo post: *Etsi adhuc videtis aliquos, aut ad fontes, aut ad arbores vota reddere, & sicut jam dictum est, sortilegos etiam & divinos præcantatores inquirere, phylacteria etiam diabolica & characteres aut herbas vel succos sibi aut suis appendere, durissime tanta eorum peccata increpantes dicite, quia quicunq; fecerit hoc malum, perdit baptismi sacramentum.* Idem de Catechizandis rudibus cap. 25. *Multos visuri es ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores, adulteros, fornicatores, remedia sacrilega sibi allegantes, præcantatoribus & Mathematicis, vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos,* Lib. 2.

 de

de doctrina Christiana c. 20. *Adhoc genus* (magicarum artium) *pertinent omnes etiam ligaturæ, atq; remedia, quæ medicorum quoq; disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis atq; illigandis &c.* L. 10. de Civit. D E I. cap. 11. ex epistola Porphyrii ad Anebuntem Ægyptium hæc profert. *Quærit etiam* (Porphyrius ex Anebunte) *veluti dubitans, utrum in divinantibus & quædam mira facientibus animæ sint potentiores : an aliqui spiritus extrinsecus veniant. Et potius venire extrinsecus conjicit, eo quod lapidibus & herbis adhibitis, & alligent quosdam & aperiant, clausa hostia, vel aliquid ejusmodi mirabiliter, operentur. Unde dicit alios opinari, esse quoddam genus, cui exaudire sit proprium, natura fallax, omniforme, multimodum, simulans deos & dæmones, & animas defunctorum & hoc esse, quod efficiat hæc omnia, quæ videntur bona esse vel parva : cæterum circa ea, quæ bona sunt, nihil opitulari, imo vero ista nec nosse, sed & male conciliare, & insimulare atq; impedire nonnunquam virtutis sedulos sectatores, & plenum esse temeritatis & fastus, gaudere nidoribus, adulationibus capi, & cætera quæ de hoc genere fallacium malignorumq; spirituum, qui extrinsecus in animam veniunt, humanosq; sensus sopitos vigilantesq; deludunt, non tanquam sibi persuasa confirmat, sed tam tenuiter suspicatur, aut dubitat, ut hæc alios asserat opinari.* His suam mox subjungit sententiam Hipponensis Præsul : *Quod ei* (Porphyrio) *videtur herbis & lapidibus & animantibus & sonis certis quibusdam ac vocibus ac figurationibus atq; figmentis, quibusdam etiam observatis in cœli conversione motibus siderum, fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas variis effectibus exequendis, totum hoc ad eosdem ipsos dæmones pertinet ludificatores animarum sibimet subditarum, & voluptaria sibi ludibria de hominum erroribus exhibentes.* Circa finem capitis cit. *Verum quia tanta & talia geruntur his artibus, [illegible]niversum modum humanæ facultatis excedant, quid restat, nisi ut ea, quæ mirifice tanquam divinitus prædici vel fieri videntur, (nec tamen ad unius dei cultum referuntur &c. sed ad proprias affectus sedandos, & libidines explendas) malignorum dæmonum ludibria & seductoria impedimenta, quæ vera pietate cavenda sunt, prudenter intelligantur.* Eadem mens Marsilio Ficino Lib. 3. de vita cælitus comparanda. c. 18. asserentis. *Referre mirabiles quosdam effectus imaginum in dæmonum falsitatem,*

ſitatem, nec eſt à Platonicis alienum. Nam & Jamblichus ait, eos qui religione ſumma ſanctimoniaq; poſthabita, imaginibus duntaxat confiſi, ab eis divina ſperant munera, hac in re à malis dæmonibus ſæpiſſime falli, ſub prætextu bonorum numinum occurrentibus. Contingere tamen ex imaginibus legitima Aſtrologiæ ratione conſtructis naturalia quædam bona, non negat. Et cap. 15. ejusdem lib. 3. *Didici,* inquit, *à Theologis & Jamblicho, imaginum fictores à dæmonibus malis occupari ſæpius atq; falli. Nimis prolixum foret recentiorum Theologorum adjicere calculum.*

27. Nec in Eccleſia ſolum damnata amuletorum ars eſt; verum etiam Cæſarum legibus interdicta. Sub Antonino Caracallo *damnatos eſſe, qui remedia quartanis tertianisq; collo annexa geſtarent*, memoriæ prodidit Æl. Spartian. in vita ejus pag. 314. Edit. Gruter. Sub Conſtantio *pronuntiatus capitis reus interibat, ſi quis anile incantamentum ad leniendum adhiberet dolorem, aut remedia quartana vel doloris alterius collo geſtaret, ſive per monumentum tranſiſſe veſpere, malevolorum argeretur indiciis; ut veneficus, ſepulcrorumq; horrores, & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana*, memorante Amm. Marcell. Lib. 16. c. 12. & L. 19. cap. 28. Ulpianus l. 1. §. 3. ff. de var. & extr. cogn. improbat medicum, *ſi incantavit, ſi imprecatus eſt, ſi exorcizavit*, aſſerens, *non eſſe iſta Medicinæ genera, tametſi ſint, qui hæc ſibi profuiſſe cum prædicatione affirment.* Cumque artes Tillemanicæ omnino ſint Magicæ, iisdem pœnis ſubmittendæ ſunt, quales hiſce dictat C. L. 9. tit. 18. Conf. omnino Gothofred. ad Cod. Theodoſ. Tom. 3. pag. 117. Joan. Fileſaci Idololat. Magic. fol. [illegible]. Sic quoque Carol V. Conſtitut. Criminal. art. 109. magicas artes exercentibus pœnas minatur, etiamſi nihil damni aliis creaturis intulerint.

28. Sed juvabit forte penitiorem cognitionem petere ex ſpeciali amuletorum deſcriptione, quæ partim amicorum communicatione obtinui, partim ex diverſis ſcriptoribus collegi. Traduntur quædam amuleta cœlo delapſa; plurima artificio parantur: Utraque vel majora, vel minora. Majora cælitus miſſa, quæ Jamblichus in libro περὶ ἀγαλμάτων, *de ſimulacris* à Photio recitato cod. 215. Bibliothecæ, *hominum manibus occulta quadam arte fabricata & ob incognitum artificem cœlo delapſa nominari* affirmat, ſunt Græcorum Palladium διοπετὲς & Ancile Romano-

manorum. Palladium fuiſſe produnt ſimulacrum Palladis trium cubitorum, dextra haſtam, ſiniſtra colum & fuſum tenens, quod alii cælo delapſum referunt; alii à Mathematico quodam Aſio per optimum horoſcopum fabrefactum & Trojanis datum, ut civitas eorum incolumis foret & inexpugnabilis, quamdiu in ea Palladium inviolatum ſervaretur; ſed à Diomede & Ulyſſe clam furto ablatum & poſt excidium Trojæ ab Ænea Romã delatum: quanquam & alia plura loca ejusdem Palladii gloriam ſibi arrogarunt. Quare Freinsh. not. ad Flor. l. 1. cap. 2. ſcite, *Poſſet*, inquit, *Romanis hoc loco obiici, quod à Strabone lib. 6. Heracleotis. At multo etiam protervius eſt ea ab Ilio allata fabulari, quæ ſcriptores ponunt. Nam & Heraclea, & Lavinij & Luceria & Siritide Minerva habetur Iliaca, quaſi ab Ilio allata.* Sic & alii Athenas allatum eſſe narraverunt: alij duo diverſa Palladia numerarunt, Trajanum & Athenienſe. Vid. Gyrald. de Diis gentium Syntagm. XI. pag. m. 468. & 469. Plura quoque Palladia aſſerit Pherecydes apud Nat. Com. Mytholog. l. 4 c. 5. p. m. 305. Quænam vera Iliaca Pallas fuerit, disquirit Jul. Frimicus de errore profan. religionum pag. m. 26. Ubi ait: *Volo ſane diligenter inquirere, cujus Minerva hoc volunt eſſe ſignum. Plures enim Minervas fuiſſe conſtat, nec aliquis in iſta parte diſſentit. Singularum itaq; genus, inſtitutum, artem, propoſitumq; dicamus, ut ex his omnibus inveniri poſſit, Palladium cujus Minerva ſit nomine conſecratum. Quinq; Minervas fuiſſe legentibus nobis tradit antiquitas. Una eſt Vulcani filia, quæ [illegible]henas condidit, quam ex agreſtibus locis ad urbanæ converſationi[illegible]nem ruſtica turba comitata eſt. Fuit alia in Ægypto, Nili Regis filia, textrinæ artis magiſtra. Tertia vero patre Saturno genita eſt. Sed hanc Viraginem fuiſſe commemorant: nam nunquam ſe intra fœminei ſexus verecundiam tenuit, ſed arma ſemper ſtrepitumq; pugnarum, & cruenta ſequuta eſt ſtudia bellorum. Quarta Jovis Cretici regis fuit filia, quæ occiſum patri detulit Liberum. Quinta Pallante patre, & Tritonide matre orta eſt, quæ patris appellata nomine, Pallas eſt ab hominibus nuncupata. Hæc parricidialis amentia furoris & veſanæ temeritatis inſtinctu, patrem Pallantem, crudeli morte jugulavit. Nec ſimplici Patris morte contenta, ut diutius malis ſuis frueretur, & ut de morte patris crudelius triumpharet, exuviis corporis ejus ornata eſt, ut parricidij facinus ex crude-*

crudeli ostentatione publicaret. Hujus est Palladium, pro nefas, nomine consecratum. Hæc est Pallas, quæ colitur, hæc est, quæ pontificali lege servatur, & cujus facinus severius damnari debuerat, ejus imago suppliciter adoratur. Porro quid de hoc Palladio sentiendum sit, uberius exponit idem Firmicus c. l. p. m. 24. his verbis: *Palladium etiam quid sit numen audite. Simulachrum est ex ossibus Pelopis factum. Hoc avarus Scytha fecisse perhibetur, jam quale sit considerate, quod Scytha barbarus consecravit. Estne aliquid apud Scythas humana ratione compositum, & illa effera gens (hominum) & crudelis atq; inhumana semper atrocitate grassata, in constituendis religionibus rectum aliquid potuit invenire? simulacrum hoc Trojanis avarus vendidit, stultis hominibus vana promittens. Vendebatur DEUS, ut prodesset emptori, & emptor suppliciter adorabat, quicquid paulo ante viderat subhastatum. Substantia autem simulacri ipsius ex ossibus Pelopis est. Si humana vis miseros homines ossa venerari, purioris saltem & castioris hominis reliquias collige. Accedat idolo quod facis, ex hominis virtutibus meritum. Pelops in delitiis amatori fuit, & diu prostituti pudoris damna sustinuit. Sed nec adulteo ei scelus defuit. Is enim, cujus filiam petebat, eum fraude proditoris occidit. Proditorem etiam ipsum perjuriis aggressus est, & ne promissa redderet præmia, hunc eundem per abrupta præcipitia jactavit. En cujus electa sunt ossa, ut DEus fieret, qui urbes & regna servaret. Sed nec servavit aliquando nec profuit, & quid se maneat, ex urbium, in quibus fuit, casibus vidit. Incensa est Troja à Græcis, â Gallis Roma, & ex utraq; incendio Palladium reservatum est. Sed reservatum non propriis virtutibus, sed humano præsidio: ab utroq; enim loco homines liberant, & translatum est, ne humano flagraret incendio. Tanto numini humana fuerunt præsidia necessaria, & ne arderet, humanum quæsivit auxilium. Dilatum est Palladium ab incendio, non liberatum. Stat sententia, manet pœna, ignis imminet, ignis urget, quem vitare non poterit. Jam parturit flamma cœlestis, jam divinæ animadversionis nunciatur exitium, in hoc incendio Palladium latebras invenire non poterit, ignis iste scrutatur abdita, quærit absconsa: & quicquid errantes homines vanis persuasionibus perdidit, rapida flammarum populatione complectitur: Malach. 4. Venit enim (inquit) dies Domini, ut ardens clibanus. Audisti quid veniat. Nihil est, quod ex te collectum in apothecis reponi possit,*

sit, ardebis ut stipula, cujus inanis vilitas in cineres favillasq; servatur, quam rapax ignis violentia congeniti spiritus pascitur. Hic est exitus finisq; vester: hac est pœna, quam pro deceptis hominibus DEUS statuit, ut perpetuis ardeat flammis, qui contra voluntatem DEI miserum hominem aut decepit, aut perdidit. Si quod vero Palladium extiterit, arte Magica fabrefactum rectius sentire videtur Seldenus de Diis Syris pag. m. 106. & 107. Cæterum tolerari quoque potest interpretatio Natalis Comitis, qui sub Minerva sapientiæ descriptionem latere putat & cit. loco pag. m. 312. hæc habet: *Erit igitur tamdiu civitas incolumis & inexpugnabilis ab hostibus, quamdiu inviolatum in ea Palladium servabitur. Quid hoc significat Dii boni? an adeo stupidi sunt homines, ut nesciant neq; lapideam, neq; ligneam, neq; æream statuam per hac rectè significari? an credendum est, statuarios esse in cœlo, è quorum officinis, ut primum absoluta sunt statua, ad nos aufugiant? quid hoc est monstri Dij boni? Quis non intelligit mirificam quandam sapientiam sub hac fabula occultari? Nam civitas illa, in qua religio ac Deorum metus parvi fiat, in qua sapientia desit in rebus publicis administrandis, in qua justitia nulla sit, in qua non viri boni, sed opulenti & gratiosi summa rerum præficiantur, diutius consistere non potest. Ast ubi sapienter omnia gubernantur, neq; ulli impune fit injuria, tunc inviolatum persistit Palladium, neq; ulla vis est humana, qua civitatem illam vel possit vel cupiat evertere. Illud videtur significasse Æschylus in Persis in eo carmine:*

> θεοὶ πόλιν σώζουσι Παλλάδος θεᾶς.
> *Urbem Dei Dea tuentur Pallades.*

Quod si Paris vel res alienas per injuriam non attigisset, vel si Priamus male ablatas reddidisset, & eandem rationem secuti fuissent posteri, nunc etiam staret amplissimum Trojanorum imperium. Dicitur Palladium è cœlo delapsum, quia res Divina sit sapientia, cujus initium est timor Domini, atq; omnis humana sapientia originem habet à DEO: quare Palladium de cœlo cecidit. Hac necessaria est terram colentibus, hac navigantibus, hac artes exercentibus, cum omnia sapientia pareant: quod ea Minervæ cognomina significarunt.

29. Ancile latinius quam Ancyle scriptum, teste Vossio pag. 28. Etymologici sui, notat peltam Thracicam, quam è cœlo in Numæ manus, ingruente peste, decidisse memorat Plutarch.

tarch. in vita Numæ cap. 25. Ad hujus formam XII. alia ancilia summa arte confecit Mamurius Artifex, nulla alia mercede ex opere contentus, nisi quod in fine sacri Mamurii nomen accineretur. Quæ Numa, inter *Imperii pignora*, ut loquitur Florus Lib. I. c. 2. v. 3. posuit, quibus scilicet manentibus salus populi salva esset, & custodiæ Saliorum sacerdotum commissa. Hæc læva ferebant Salii, per urbem tripudiantes & carmina Saliaria canentes. Vid. Gyrald. de Diis Syntagm. 17. pag. 662. Occon. numism. Impp. Roman. pag. 55. sed eandem fidem meretur hoc Ancile, ac Egeria Dea, ex cujus congressu Numa ejusmodi sacra didicerit. De hac sive Dea sive Saga vide Jo. Filesaci Idololatriam Magicam fol. 38.

30. Minora amuleta cœlitus demissa dicuntur nummi, quorum meminit Thurneisserus in Onomastico suo pag. 44. hisce verbis : [illegible] Αγαρκήλιος : Dieses sind gülde- ne gantz dicke geformirte und runde/unn wie ein Schüsselin holechtige Groschen oder Pfenning : Sie werden etwan Guttæ Apollinis und Spermata Solis & Iridis genennt. Sollen von krafft der Sonnen (durch würckung influentischer natürlicher und Elementischer Krafft) wann Sol die Regenbogen bescheinet / in puncto der Zusammenkunfft der radiorum Solis & Iridis gehling erschaffen und also geformirt werden / und hernacher herab fallen. Es werden darauff wunderbarliche Figuren und Bildnüssen / deren selten zwo einander ehnlich judicirt und mit gar widerwertigen Sentenzen außgesprochen. Sie werden auch שמשריין von der Sonnen und einer heimlichen spiritualischen præparation herbenamset / wie dann das Griechisch auch von ἀγορευν und ἥλιος versammlet/herkomt. Paracelsus schreibt weitläufftig davon in Büchern de Impressionibus cœlestibus lib. 4. cap. 15. Quæ verba describere videntur numos aureos, quos Tabula IV. num. 12. 13. 14. & 15. exhibet, cum concavitate eorum accurate adscripta. Verum displicet hæc anilis sententia Eruditis, quotquot hac in re consului, qui potius eos à Vandalis in Sicilia cusos conjiciunt, potissimum in hanc sententiam adducti ex triquetro numi decimi tertii & tribus punctis numorum decimi quarti & decimi quinti, tria Insulæ promontoria denotantibus. Duodecimus crucem figere videtur numorum curiosis, Oedipo aliquo dignus. Gothicum

vel Vandalicum esse, concavitas ejus conjecturæ locum præbet. Literæ vero impressæ minimè cum Gothicis conveniunt, quales Bon. Vulcanius edidit. Frustra quoque evolvimus Jo. Trithemij Polygraphiam, L. Thurneisseri Onomasticon & Olai Wormii Historiam Runicam. Conf. Tilem. Frisii Müntzspiegel pag. 88. & 89. Cæterum signata metalla naturaliter cælitus de labi posse putat M. Tilemannus Frisius, qui speculi sui monetarii lib. 1. c. 22. p. m. 45. ita disserit: Es sagen etliche erfahrne Leut / daß ehrmahls Pfenninge vom Himmel im Regen / do das Regenzeichen überauß helle gestanden / und seinen Glantz von sich in der Tropffen deß Regens geworffen / herunter gefallen sein sollen / den alten Römischen Pfenningen / an Silber / Form und Gestalt / mit Hauptbildern gleich / außerhalb daß sie gerings umb / spitzige Zacken / wie Sterne hatten / dahero sie Sterneschoß / Asterisci, Guttæ Apollinis und Iridis flores, von etlichen genannt worden seynd.

Ob nun wol deren mir nicht mehr als einer fürkommen / der mich angesehen / als wäre er fictitius, also von Menschen zugerichtet und gefeylet / so könte es nun wohl nicht weniger geschehen seyn / als ein Meteoron und Wunderzeichen / deren Plinius lib. 2. gedencket. Sintemahl Gottes unaußsprechliche Krafft wunderbarlich wircket / so wol in der Lufft mit Stein / Blut / Kornregen / als in der Erden mit Gold / Silber und ander Metall / wachsend. Daß in den Schieffern zu Mansfeld schöne contrafactur deß Keysers / Bapst und anderer Creatur / bey weilen gefunden werden / als immer ein kunstreicher Mahler könte abreissen und außstreichen. Wie den auch offt auff der Erden / daß die Sonne jhr selbst eygen Bilde / ein Angesicht mit Flammen umbgeben / in die Steine mit jhrem Scheine wircket / und nicht allein Gottes Macht / wunderbarlich erscheinet in der Lufft / in und auff der Erden / sonder auch im wilden Meere / wie den Petrus Bizarus in libro de motu Belgico schreibt / das Anno 46. ein Walfisch in Niederland / auß dem Meer angeländet / mit manniger Gestalt grosser und kleiner Schiffe / mit Segel / Mastbäumen / Büchsen und aller Zugehör / einer Armaden / gleich wie ein Krieg und Schlacht zu Wasser geschicht / so jhm in seiner Haut und Fleisch gewachsen / und veraltet war / allen Menschen ein ungehört und schrecklich Wunderzeichen. Wie dann auch in diesem 87. Jahr / in Dennemarck ein Fisch

Fisch mit wunderbarlichen Buchstaben gefangen worden / darauff der unverhoffentlicher tödtlicher Abgang / deß frommen Königs in Dennemarck gefolget. Also könte es mit den geregneten Pfenningen/ein Wunderwerck Gottes auch gewesen seyn. Quæ verba latine versa occurrunt inferius suo loco. Utut vero talia dari posse concesserim, haud tamen nummis istis, si modo unquam extiterint, superstitiose peculiarem vim affingere licet. Quippe & plurima alia corpora præter ordinem peculiari nota naturaliter insignita, non æque peculiari virtute pollere compertum est.

31. Progredienti ad amuleta artificialia prius occurrunt majora, quæ potissimum formas animalium æmulabantur, & rationalium & irrationalium. Tilsemæ ad formam humanam effictæ referebant vel integram statuam, vel partem. Integræ statuæ memorantur tum in sacris, tum in profanis monumentis literariis. In sacris, præter Teraphim, quorum supra mentio facta est pag. 2. §. 3. quæque Tilsemas fuisse plures existimant, occurrit Exod. 14. v. 1. Baal Tzephon, Idolum à Magis ad siderum positum fabricatum, si fides Hebræorum interpretibus habenda sit, quam tamen iis derogat Seldenus Syntag. I. de Diis Syris, cap. 3. Contra ab Hebræorum parte stat Kircherus in Oedypo & ex nostratibus Theologis August. Varenius ad cit. loc. Exodi pag. 221. ita commentans: *Baal Zephor fuit planities ampla, in quam per fauces illas Chirotarum perveniebatur, & in qua Idolum, eo nomine colebatur, quod à mari rubro Aquilonem versus spectans dominus Aquilonis dicebatur.* & Vincent. Schmuck. Homil. I. in cap. XIV. Exodi, pag. 9. cujus verba hæc sunt, Latine exhibita inferius: Und wird ihr Lager dahin sie sich begeben / beschrieben / daß es gewesen am Meer / oder in faucibus, das ist im Schlund deß Gebürges Hiroth / welches sie auff beyden Seiten neben sich gehabt / und das Meer für sich / auch dabey an denselben Orthen die Festung Migdol/auff dem einen Berg am Meer gelegen/ allda es eine hohe Warte gehabt/und einen Abgott / den man Baal Zephon / das heißt Dominum Speculæ genennet. Derselbe Baal oder Abgott die Grentzen hat sollen beschirmen/und wie Paulus Fagius, und andere Hebräer schreiben/ die Knechte / wann sie entlauffen/

wider zurück in Egypten treiben/und sie nicht auß dem Lande kommen lassen. Occurrunt etiam ἱερώματα τῶν ἀπὸ Ἰαμνείας εἰδώλων 2. Maccab. 12. v. 40. Huc quoque spectat, quod Marsil. Ficinus L. 3. de vita cælitus comparanda c. 13. scribit: *Hebræi quoq; in Ægypto nutriti, struere vitulum aureum didicerunt, ut eorundem Astrologi putant, ad aucupandum Veneris Lunæq; favorem, contra Scorpionis atq; Martis influxum Iudæis infestum.* Sed fides sit penes Ficinum. A profanis scriptoribus præcipuè memorantur Ægyptiorum & Sabæorum statuæ. De Ægyptiorum idolis, quorum quædam consulentibus responsa reddidisse dicuntur, sequentia prodit Marsil. Ficin. L. 3. c. 13. *Narrat Haly* (ad Carpi aphorism. 9. supra pag. 11. §. 14. expositum) *notum illic* (in Ægypto) *sibi virum sapientem industria simili fecisse imagines, quæ moverentur, qualem effectam, nescio quomodo, legimus ab Archyta. Quales & Trismegistus ait, Ægyptios ex certis mundi materiis facere consuevisse, & in eas opportunè animas dæmonum inserere solitos, atq; animum avi sui Mercurij. Item Phœbi cujusdam, & Isidis Osiridisq; sic in statuas descendisse, profuturas hominibus, vel etiam nocituras. Huic illud simile, Prometheum figmento quodam luteo vitam rapuisse, lucemq; cælestem. Magi quin etiam Zoroastris sectatores, ad evocandum ab Hecate spiritum, utebantur aurea quadam pila Characteribus insignita cœlestium, cui & sapphyrus erat insertus, & scutica quadam facta tauri corio vertebatur, atq; interim excantabant.* Paulo post: *Porphyrius quoq; in Epistola ad Anebonem, imagines efficaces esse testatur, additq; certis quibusdam temporibus, qui à propriis suffumigationibus exhalabant, aerios dæmonas insinuari statim consuevisse. Jamblichus,* cujus opus περὶ ἀγαλμάτων refutavit Joannes Philoponus peculiari libro à Photio recensito Cod. 215. Biblioth. pag. 254. Edition. Rothomag. *in materiis, quæ naturaliter superis consentaneæ sint, & opportune riteq; collectæ undiq;, conflataq; fuerint, vires effectusq; non solum cœlestes, sed etiam dæmoniacos & divinos suscipi posse confirmat.* Idem omnino Proclus, atque Synesius. Idem Mars. capite ultimo L. 3. explicat artem ex Samuele Hebræo Astrologo parandi statuam futura prædicentem, ubi docet *Metallum fundere ad hominis pulchri formam, die Mercurij, hora tertia, scilicet Saturni, quando Mercurius Saturnum in aquario subit in IX. cœli plaga, ascenditq; geminorum sidus, Mars à Sole comburitur.*

buritur, nec Mercurium intuetur, Sol tamen aspicit conjunctionis illius locum, Venus interea aliquem obtinet angulum, occidentalis est & potens, Luna ex trigono gradum aspicit ascendentem similiterq; Saturnum. Sed recte subjungit 1. ejusmodi dispositionem siderum forte nunquam fieri posse. 2. Si modo loquentes statuas Ægyptii effecerint, non simplicem ipsum stellarum influxum ibi formasse verba, sed dæmonas. 3. Si forte contigerit, ut statuas ingressi fuerint, non cœlesti influxu esse devinctos, sed sponte potius suis cultoribus obsecutos denique decepturos. Conf. Lib. 3. cap. 20. Kirch. Tom. 2. Oedip. part. 2. pag. 447. Ex Elmacini Historia Arabica aliquot statuas recenset Hottingerus Histor. Orientalis pag. 191. 194. & 195. scilicet imaginem ab Hermete positam *in veteri Mezer, ut arena ab illa arce arceretur*: Item *figuram hominis*, in urbe quadam Andalusiæ Insulæ contra inundationem factam, *cujus facies luto illita, per aquam ex mari ad murum usq; ascendentem, posteaq; ad locum suum redeuntem, abluatur*; aliam denique hominis Afri clavem seræ dextra tenentis, contra irruptionem Barbarorum in eadem Insula Andalusia extructam ex lapidibus albis ad litus maris, cujus fundamentum æquabat altitudinem Tilsemæ sexaginta circiter, aut septuaginta cubitorum. Photius Biblioth. Cod. 80. ex Olympiodoro Historico memorat statuas Tilsemanicas, quarum una circa Rhegium Bruttiorum metropolim ad trajectum freti Siculi occurrebat: tres in confiniis Thraciæ & Illyrici in terram defossæ erant contra irruptiones Barbarorum. De illa hæc cit. loco pag. 182. Edit. Rothomag. leguntur: ὅτι τὸ Ῥήγιον μητρόπολίς ἐστι τῆς Βρεττανίας, ἐξ οὗ, φησὶν ὁ ἱστορικὸς, Ἀλάριχον ἐπὶ Σικελίαν βουλόμενον περαιωθῆναι, ἐπισχεθῆναι· ἄγαλμα γάρ φησι τετελεσμένον ἱστάμενον ἐκώλυε τὴν περαίωσιν. τετέλεστο δὲ, ὡς μυθολογεῖ, παρὰ τῶν ἀρχαίων ἀποτρόπαιόν τε τοῦ ἀπὸ τῆς Αἴτνης πυρὸς, καὶ πρὸς κώλυσιν παρόδου διὰ θαλάσσης βαρβάρων· ἐν γὰρ τῷ ἑνὶ ποδὶ πῦρ ἀκοίμητον ἐτύγχανε, καὶ ἐν τῷ ἑτέρῳ ὕδωρ ἀδιάφθορον· οὗ καταλυθέντος, ὕστερον ἔκ τε τοῦ Αἰτναίου πυρὸς, καὶ ἐκ τῶν βαρβάρων βλάβας ἡ Σικελία ἐδέξατο. κατέστρεψε δὲ τὸ ἄγαλμα Ἀσκλήπιος ὁ τῶν ἐν Σικελίᾳ κτημάτων Κωνσταντίου καὶ Πλακιδίας διοικητὴς καταστάς: ex versione And. Schotti. *Rhegium metropolin esse Bruttiorum, e qua refert Historicus Alarichum, dum in Siciliam trajicere parat, retentum*

tum fuisse. Statua enim, inquit, inaugurata, ibi stans, trajectum vetabat. Fuerat vero hæc, ut fabulatur, ab antiquis inaugurata, tum ut Æthnæ montis ignes averteret, tum ut maris transitu Barbaros prohiberet. Altero enim pede perpetuum ignem, altero vero perennem aquam gestabat. Ea igitur statua confracta, tandem ex Æthnæo igne, & à Barbaris detrimentum Siciliam cepisse. Eversam vero statuam ab Æsculapio, qui in Sicilia possessionum Constantij & Placidiæ curator erat. De his vero pag. 187. & 188. sequentia ex Olympiodoro excerpsit: Ὅτι ὁ ἱστορικός φησι περὶ Οὐαλερίου τινὸς τῶν ἐπισήμων ἀκοῦσαι περὶ ἀνδριάντων ἀργυρῶν, τετελεσμένων εἰς βαρβάρων ἀποκώλυσιν. ἐν γὰρ ταῖς ἡμέραις, φησὶ, Κωνσταντίου τοῦ βασιλέως, ἐν τῇ Θρᾴκῃ Οὐαλερίου ἄρχοντος, μήνυσις γέγονεν ὡς θησαυρὸς εὑρεθείη. Οὐαλέριος δὲ παρὰ τὸν τόπον παραγενόμενος, μανθάνει παρὰ τῶν ἐπιχωρίων· ἱερὸν τὸν τόπον εἶναι, καὶ ἐξ ἀρχαίας τελετῆς, ἀνδριάντας ἐν αὐτῷ ἀφιερῶσθαι. εἶτα ἀναφέρει ταῦτα τῷ βασιλεῖ, καὶ δέχεται γράμμα, ἐπιτρέπον αὐτῷ ἀναλαβεῖν τὰ μηνυθέντα. ἀνορυχθέντος τοίνυν τοῦ τόπου εὑρίσκονται τρεῖς ἀνδριάντες δι᾽ ὅλου ἐξ ἀργύρου πεποιημένοι, ἐν σχήματι βαρβαρικῷ κατακείμενοι, καὶ ἐξηγκωνισμένοι κατ᾽ ἀμφοῖν τοῖν χεροῖν, ἐνδεδυμένοι δὲ βάρβαρον ποικίλμην ἐσθῆτα, καὶ κομῶντες τὰς κεφαλὰς, νεύοντες ἐπὶ τὸ ἀρκτῷον μέρος, τουτέστι κατὰ τοῦ βαρβαρικοῦ χώρου. ὧν ἀνδριάντων ἀναληφθέντων παραυτὰ καὶ μετ᾽ ὀλίγας ἡμέρας, πρῶτον μὲν τὸ γότθων μέρος πᾶσαν ἐπιτρέχει τὴν θρᾴκην· ἔμελλε καὶ μικρὸν ὕστερον καὶ τὸ τῶν Οὔννων καὶ τὸ τῶν σαρματῶν καταδραμεῖσθαι, τό τε ἰλλυρικὸν καὶ αὐτὴν θρᾴκην· ἐν μέσῳ γὰρ αὐτῆς τε θρᾴκης, καὶ τοῦ ἰλλυρικοῦ, κατέκειτο τὰ τῆς τελετῆς. καὶ ἐῴκει τῶν τριῶν ἀνδριάντων ὁ ἀριθμὸς κατὰ παντὸς ἔθνους τετελέσθαι βαρβάρου. *Refert hic scriptor, audisse se à Valerio clarissimo viro, de argenteis statuis ad Barbaros arcendis inauguratis. Nam Constantij, inquit, Imperatoris temporibus, Præfecto in Thracia Valerio, indicium factum thesauri reperiundi. Valerius vero ad locum accedens, sacrum illum esse religione ex incolis cognovit, & antiquo ritu statuas ibidem consecratas. Retulit hæc ad Imperatorem, rescriptumque accepit, quo jubebatur indicata illa bona tollere. Igitur effosso loco, tres solida ex argento fabricatæ repertæ sunt statuæ, specie barbarica sitæ, & utraque brachio ansato, veste præterea variegata barbarico ritu indutæ, & comam capite gestantes atque in septentrionem, qua Barbarorum ergio est, obversæ. Quæ simul atque statuæ sublatæ sunt, paucos*

post

post dies, Gotthorum primum gens universam incurrit Thraciam; futuraq; post paulo erant Hunnorum ac Sarmatarum incursiones in Illyricum, & ipsam Thraciam: uti Thraciam inter & Illyricum sita sunt hæc consecrationis loca, & trium statuarum numerus, adversus omnes gentes barbaras inauguratus videbatur. J. Gaffarell. Curios. inaudit. part. 1. c. 6. p. 121. ex Leunclav. pandect. Turcic. cap. 130. reliquis Tilsemis annumerat statuam equitis ænei, quam Muchemed Sultan Constantinopoli destrui jusserit, quamque destructam secuta fuerit pestis vehementissima, & singulis fere annis mense Julio & Augusto adhucdum redeat.

32. Tantum de integris statuis; ex iis, quæ partem statuæ repræsentant, Tilsemis, duæ forte occurrunt, capitis humani & vultus humani. Caput humanum, quod oraculi instar responsa dabat, construxit Gerebertus Rhemensis Archiepiscopus, cujus meminit Seldenus l. 1. de Diis Syris cap. 2. pag. m. 109. his verbis: *Idem putandum de statuæ capite, quod Gerebertus ille Rhemensis primum, deinde Raven. Archiepiscopus, & postea Pontifex Max. Sylvester secundus dictus, à Saracenis Hispaniensibus idq; ad humanæ curiositatis satietatem edoctus in Oraculum sibi conflavit. G. Malmesburiensis de gestis Regum Angliæ 2. c.* 10. De Gereberto fama dispersit, fudisse sibi statuæ caput, certa inspectione siderum, cum videlicet omnes Planetæ exordia cursus sui meditarentur, quod non nisi interrogatum loqueretur, sed verum vel affirmative vel negative pronunciaret. Verbi gratia, cum diceret Gerebertus: ero Apostolicus? responderet statua, Etiam. Morior antequam cantem Missam in Jerusalem? Non. *Sed responso de Mortis tempore, deceptus est; cogitavit enim ille urbem Jerusalem; Oraculum autem sacras ædes sic dictas Romæ voluit: illic, postquam dominico, cui titulus:* Statio ad Jerusalem, *Pontifex ille Oraculi mentem non assecutus sacra celebrasset, misere vitam finivit.* Formam vultus contra Pestem formari describit Kirch. Oedip. Tom. 2. part. 2. pag. 447.

33. Plures reperiuntur in monumentis Historicorum Tilsemæ, bestiarum formas exhibentes, ut Canis apud Hottinger. Histor. Oriental. pag. 192. qui ex Jacobi Justi Judæi explicatione Chorographica terræ sanctæ hæc recitat: *Adonis, fluvius Phœniciæ notus, & à fabula Adonis sic nominatus, hodie dicitur fluvius Ca-*

F nis.

nis. Siquidem illius regionis habitatores sibi persuadent, in quodam monte alto, vicinoq; illi fluvio Canem ex metallo arte magica conflatum fuisse, & cum hostium Pyratarum naves, mare illud percurrerent, latrare, cujus latratu omnes commonefactos confestim convenisse, & ad defensionem arma cepisse, hincq; nomen comparasse credant. Apollonius Tyaneus Tilsemanica arte culices Antiochia expulit, quod paucis his verbis Zzetzes Hist. cap. 60. complexus est:

Ο Ἀπολλώνιος αὐτὸς νέρωνος ὢν ἐν χρόνοις,
Ο τυανεὺς ὁ πάνσοφος, ὁ προειδὼς τὰ πάντα,
Ἀντιοχείᾳ μὲν ποιεῖ καὶ μὴν καὶ βυζαντίῳ.
Μὴ παρεισδύνειν κώνωπας, ἕτερα τε τοιαῦτα.

ut Paulus Lacisius Veron. vertit:

Apollonius hic, Neronis qui fuit temporibus,
Ille Tyaneus, sapientissimus, qui praesciebat omnia,
Antiochiae quidem facit, imo & Byzantii,
Ne ingrederentur culices, aliaq; hujusmodi.

Sed uberius exposuit J. J. Boissard. de divinatione pag. 343. inquiens: *Antiochenses à culicibus & Scorpionibus pessime infestabantur. Ad eos cum venisset Apollonius, calamitatem eorum miseratus, aeneum scorpium conflavit, & terrae defodi jussit; columnulamq; illi imposuit consecratam. Praecepitq; Antiochensem populum calamos gestare, circumire movendo calamos, & exclamando, Vacet urbs culicibus, vacet urbs scorpiis: quo facto subito evanuerunt scorpiiq; culicesq;.* Idem Apollonius Byzantii marmoriis ciconiarum simulacris ciconias urbe exterminavit. Id quod uberius enarravit Tzetzes cit. loco sequenti metro:

Καὶ πελαργοὺς ἐγγλύψας δὲ πώποτε μαρμαρίνους,
Ἐκ βυζαντίου πελαργοὺς ἐξήλασε μακρόθεν,
Ὄφεις νεκροὺς δεξαμεναῖς ῥιπτοῦντας βυζαντίων,
Καὶ τῷ φαρμάκῳ κλείνοντας τοὺς πίνοντας ἀθρόως.
Ποτὲ γὰρ ἔθνος βάρβαρον ἐλαύνει βυζαντίοις,
Ἀποδημοῦντος ἄνακτος τότε τοῦ βυζαντίων,
Οἱ βάρβαροι τῇ πόλει δὲ προσέβαλον ἀθρόως.
Ἡ τοῦ κρατοῦντος δὲ γυνὴ τῶν ἐχεφιδίων ἴσα,
Ἐν ἱερακίνοις σκεύεσιν ὄφεις τοὺς βαλοῦσα,
Πᾶσι πολίταις δέδωκε τοῖς ἑαυτῆς πατρίδος.

Ἀπὶ

Ἀπὸ τοῦ τείχους σφενδονᾶν πρὸς στρατιὰν βαρβάρων.
Οὗ γεγονότος, ὄλεθρος ἐμπίπτει τοῖς βαρβάροις,
Ὡς κατ' αὐτῶν, τῶν ὄφεων τότε στρατευομένων.
Εἰς τὰς πατρίδας τολοιπὸν στραφέντων τῶν βαρβάρων·
Οἱ ὄφεις ἐπεστράτευσαν κατὰ τῶν Βυζαντίων.
Πολλοὺς αὐτῶν ἐδήγμασι κλίνοντες ἰοβόλοις.
Εἶτα στρατός τις πελαργῶν τοὺς ὄφεις ἀναλίσκει.
Ὡς δὲ τοὺς ὄφεις πρὸς αὐτὰς δεξαμενὰς ἐῤῥίπτουν
Καὶ πλεῖστον τὸν ὄλεθρον ἔδρων τοῖς Βυζαντίοις,
Τοὺς μαρμαρίνους πελαργοὺς, οὓς ἔφην, στοιχειώσας,
Ὁ Ἀπολλώνιος. αὐτὸς τοὺς ἀληθεῖς ἐλαύνει.

Atq; ciconias cum scalpsisset olim marmoreas,
Ex Byzantio ciconias expulit longe,
Serpentes mortuos cisternis injicientes Byzantiis,
Atq; veneno occidentes bibentes confertim.
Olim enim gens Barbara invasit Byzantios,
Absente Rege tunc Byzantiorum:
Barbari vero in urbem irruerunt turmatim.
Imperatoris autem uxor ex prudentibus cum esset,
Testaceis vasculis serpentes quodammodo injectos
Omnibus civibus dedit suæ patriæ,
Ut à mœnibus ejacularentur fundis exercitum Barbarorum.
Quo facto, internecio invasit Barbaros,
Tanquam contra se etiam serpentes militarent.
In patrias postea reversis Barbaris,
Serpentes aciem direxerunt in Byzantios,
Multos eorum morsibus occidentes venenatis.
Deinde exercitus quidam ciconiarum serpentes consumit.
Cui autem serpentes ad cisternas projicerent,
Et majorem internecionem facerent Byzantiis,
Marmoreas ciconias, quas dixi cum formasset
Apollonius ipse, veras ejecit.

Avem æneam contra Samaritanos in monte Gazirim à Romanis positam ex autore Chronologiæ Samaritanæ c. 46. latinè sic interpretatur J. H. Hottingerus Historiæ Oriental. L. 1. c. 8. pag. 192. *Prohibebantur etiam Samaritani ascendere montem (Gazirim) adeo ut illi, qui montem ascendit, supplicium mortis annunciarint. Collocarunt autem Romani in vertice montis Tilsem, avem nempe æneam*, (quam idem Hotting. Ennead. disputat. Heidelberg. pag. 29. Columbam fuisse asserit) *quæ cum ipso Sole circumferebatur: Quodsi ergo Samaritanus ascendit, clamavit avis: Hebræus! Unde colligentes, Samaritanum in monte esse, egressi sunt, eumq; occiderunt.* Tilsemam aliquam Crocodili plumbeam ad coercenda hujus bestiæ plurima damna confectam & forte repertam sic describit H. Cardanus lib. 9. de subtilitate p. m. 517. Edit. Basile. *Ubi & illud admiratione dignum, quod supra Chairum urbem sæviat, hominesq; occidat, infra autem mitè. Referunt à septingentis annis, quibus Mahumeti cultores eam regionem obtinent, factos longè ferociores quam antea: hujusq; causam esse, quod in fundamentis templi cujusdam, hi statuam plumbeam crocodili invenerunt cum literis Ægyptiis, qua conflata crocodilos in posterum desævisse.* & repetit J. C. Scaliger exercitat. 196. num. 6. ubi, *Acuet*, inquit, *etiam hujus historiæ novitas studiosos. In Ægyptiorum Arabum libris ita scriptum est. Humethaben Thaulon præfectum Ægypto ab Arabibus, signum plumbeum Crocodili, quod in cujusdam templi fundamentis inventum esset, igne dissolvi jussisse. Quo ex tempore conqueruntur indigenæ: Crocodilis infestiores factas regiones. Adversus quorum maleficia signum illud à priscis sapientibus, & conformatum, & infossum fuisset.* Tilsemam hanc Apollonio quoque autori tribuendam putat Boissardus cit. loco, aliam quandam ejusdem Apollonij commemorans his verbis: *In Ægypto ad Nilum erecta fuit Stichiosis ab eodem Apollonio, qua crocodilorum delabentium ex Æthiopia sævitia & impetus prohibebatur, & si qui irrepsissent secundi fluminis inundatione propulsi, innoxij tamen reddebantur. Hanc Selymus debellatis Sulthanis Campsone & Tomombao, occupataq; Ægypto tollere voluit, sed sapientum consilio monitus intactam reliquit.* Contra vim serpentum Tilsemam ab Apollonio Byzantij erectam idem Boissardus, citato describit loco, ex Leunclavij Pandect. Turcic. cap. 130. *Columna*, inquit, *quoq; hodie erecta*

recta est in ejusdem (Byzantii) *urbis Hippodromo, quod Atminda vocatur, cui impositi serpentes triplices ex ære conflati, & inter se nodis cohærentes. Hanc columnam Mahometes Turcarum Rex deturbare voluit: Pusdiganoq; (clavam ferream hoc nomine appellant Turcæ) unius serpentis os attrivit. Tunc subito ingens serpentum numerus per urbem obrepere visus est, magno omnium terrore, & metu. Tum quidam ex senioribus Principem monuerunt, ut à reliquorum serpentum æneorum, qui in columna erecti erant, confractione abstineret, ne urbs incursione colubrorum infestaretur. Hoc motus consilio Princeps nihil ulterius molitus est, consecratione non penitus violata. Ita serpentes innoxij paulatim ex urbe proruperunt, & evanuerunt sine damno civium. Quidam hanc Stichiosim non Appollonio tribuunt, sed eo antiquiorem esse asseverant: dicuntq; Constantinum Magnum Bizantij restauratorem eversis Delphis tripodem Apollini sacrum adportatum Constantinopolim, & ab Imperatore capitibus horum serpentum fuisse impositum.* Conf. Camer. lib. 3. c. 20. Kirch. Tom. 2. part. 2. Oedip. pag. 447. Denique contra ictum scorpionum Tilsemas fabricasse Apollonium paulo ante dictum est. Joseph. Scalig. Epist. pag. 485. Edit. Francofurt. ex quodam Cosmographo Arabe, cujus quoque pag. 391. meminit, recitat regionis Hamptz sub tertio climate, Urbem Hamptz cum observatione Talismannica extructam: quam neque serpentes neque scorpij unquam ingrediantur, quodque si qui forte usque ad portas urbis afferantur, subito moriantur. In summitate turris, quæ in media urbe extet, simulacrum æneum hominis equitantis conspici, quod quovis vento in partem contrariam moveatur. In muro autem hujus turris figuram scorpij lapidi cuidam insculptam esse, & si quis à scorpio vel serpente ictus in urbem ingressus figuram illam argillæ vel cretæ imprimat, vulnerique imponat, statim læsum sanari & à morte liberari. J. Gaffarellus curios. in audit. part. 1. cap. 6. pag. 120. ex itinerario Domini de Breves Legati Regis Galliæ refert, hunc in urbe Syriæ Tripoli lapidem vidisse muro insertum, cui figura scorpii insculpta erat, ad scorpiones exterminandos. Conf. Kirch. cit. loc. pag. 410. De quibus vero Tillemis quid sentiendum sit, bene docet Boissardus de divinatione cit. loco p. 347. ex Anastasio Theopolis Episcopo, qui, *quibusdam*, inquit, *in locis ad hunc usque diem Apollonij Tyanæi stant opera, & suam habent efficaciam: alia*

 quadru-

quadrupedibus & volucribus damnosis avertendis: alia ad inordinatos animorum excursus inhibendos: alia aliis rebus, quæ hominibus detrimentum afferrent arcendis. Neq; eo tantum vivo Dæmones per ipsum tot & talia egerunt, sed ipso etiam mortuo, ad monumentum ejus perseverarunt. Atq; ipsius nomine miracula quædam ediderunt, ad decipiendum miseros homines, qui facile hujusmodi rebus se à diabolo in fraudem adduci patiuntur.

34. Æmuleta majora excipiunt minora, quæ vel corporum naturalium sive integrorum, sive mutilorum speciem exhibent, vel artificialium. Ex illis unicum attulimus Tab. IV. n. 9. corallinum argenteo cingulo & annulo exornatum, contractam referens manum, inserto intra primores digito pollice. Hoc Hispani Higam vocant deque collo suspensum adhibent contra fascinum ac maleficia, docente Mart. Geig. tract. de superstitione ex Delrio disquis. magic. L. 1. cap. 4. quæst. 4. pag. 54. & L. 3. part. 1. q. 4. sect. 1. pag. 376. & Joh. Laz. Gutierrio de fascino dub. 2. pag. 9. & dub. 7. pag. 148. seqq. ubi latius in originem figuræ hujus inquiri dicit.

35. Ex iis, quæ artificialia exprimunt, potiora sunt annuli, quibus gemmas subjungemus & lamellæ nummorum instar cusæ. Potiora dico. quippe & alia signa occurrunt, sed pauciora: Sic urbis Neapolitanæ effigiem olla vitrea inclusam ex Arnoldi Abbatis Lubecensis historiæ Slavorum lib. 4. c. 19. refert Jo. Seldenus de Diis Syris Syntagm. 1. c. 2. pag. 107. Theophil. Paracelf. Archidoxis Magicæ lib. 1. pag. 549. Edit. Argentorat. docet fabricari furcam ferream contra impotentiam virilem. Lib. 3. pag. 558. frameam ex Chalybe, contra muscas. Quos quidem Paracelsi libros Archidoxis Magicæ Leon. Thurneiss. Onomast. pag. 172. Monacho cuidam Wormatiensi tribuit.

36. Annulorum multus usus est in Magicis, & quos *prisci magni fecerunt*, teste Ficino l. 3. de vita cœlitus comparanda: c. 8. *Nam Damis & Philostratus narrant, Hiarcham sapientum Indorum principem septem annulos confecisse, stellarum septem nominibus appellatos, eosq; Apollonio Thyanæo dedisse. Qui deinde singulos diebus singulis gestaverit, juxta dierum nomina hos distinguens. Dixisse vero Hiarcham Apollonio, avum suum Philosophum annos centum atq; triginta vixisse, ejusmodi forsan cœlesti munere fretum. Quo*

&

& Apollonius deinde usus, centesimo etiam anno, ut ajunt, juvenem præferebat. Ejusmodi annulum planetarum & signorum cœlestium characteribus insignitum, quo Hadrianus usus est, ex Gorlæi Dactyliotheca in suum commentarium in Joann. Macarij Abraxas, pag. 61. transscripsit Jo. Chifletius. Exhibemus nos quoque Tab. VII. num. 3. annulum aureum, quem collo suspensum & usque ad scrobiculum cordis propendentem contra paralysin gestant. De annulis, quos φυσικὺς καὶ φαρμακίτας Δακτυλίυς Græci vocabant, adversus serpentes, imo ad omnes dolores, κεφαλαλγίαν & tormina gestatis vid. Joseph. Scalig. not. in M. Manil. pag. 397. edit. Argentorat. Propius accedit Ficin. dict. loco ad confectionem annulorum magicorum, quam ex Thebit Philosopho tradidit. Hic enim docet, *ad captandam alicujus stellæ (fixæ insignioris) virtutem, lapidem ejus accipere, herbamque ejusdem, annulumq; aureum facere vel argenteum, in quo lapillum inseras herba subjecta, gerasq; tangentem. Id autem efficias, quando Luna subit stellam, aut aspicit aspectu trino vel sextili, & stella in medio percurrit cœlo vel ascendente.* Hic subjungit etiam, quid de iis idem sentiat. *Deniq;, ait, si quid ejusmodi annuli virtutis habent ex alto, id quidem non tam ad animam, vel ad crassum corpus pertinere arbitror, quam ad spiritum, calefacto paulatim annulo, sic inde vel sic affectum, ut firmior efficiatur, aut clarior, vehementior, aut mitior, severior aut lætior. Quæ quidem affectiones in corpus quidem omnino, & in animam sensualem quodammodo, plenumq; indulgentem corpori transeunt. Quod autem adversum dæmonas aut hostes, aut ad principum gratiam profuturos annulos pollicentur, vel fictum est, vel inde deductum, quod spiritum intentum firmumq; efficiant, vel etiam mansuetum, obsequio amabilem, atq; gratiosum.* Stilo non magico, nec gentili, sed Christiano annulos signare præcipit Clemens Alexandrinus Pædagog. L. 3. c. 11. pag. 246. Edit. Parisiens. *αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔςων πελειὰς, ἢ ἰχθὺς, ἢ ναῦς ὐρανοδρομῦσα· ἢ λύρα μυσικὴ, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης· ἢ ἄγκυρα ναυτικὴ, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ· κἂν ἁλιεύων τις ᾖ, Ἀποςόλυ μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων· οὐ γὰρ εἰδώλων πρόσωπα ἐνατοτυπωτέον.* *Sint autem nobis signacula columba,* (qualis occurrit Noæ cum iride in annulo 118. Abrah. Gorlæi.) *vel piscis, vel navis, quæ celeri cursu à vento fertur, vel Ly-*

ra Musica, qua usus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus: & si sit aliquis, qui piscetur, meminerit Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neq; enim idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solum attendere prohibitum est.

37. Annulis subjungimus gemmas, quas in usum Amuletorum ob duritiem adhibere malunt artifices. *Lapilli,* inquit Marf. Ficin. L. 3. de vita cœlit. comp. c.13. *atq; metalla, & si ad accipiendum cæleste munus duriora videntur, diutius tamen retinent, quod confirmat Iamblichus, si acceperit. Sua nempe duritia, vestigia quoq; donaq; vitæ mundanæ post evulsionem diutissime continent, quæ quondam hærentia terræ possederant. Quamobrem ob hoc saltem aptæ materiæ ad capienda tenendaq; cœlestia indicantur.* Ex his attuli Crystallum, Jaspides, Smaragdum, Hyacinthum, Sardium, & Amethystum.

38. Crystalli longitudinem & latitudinem monstrant exacte Tab. I. & II. crassitiem Tab. V. Fig. 3. Lapidem ambit lamina ænea inaurata, quæ anteriore facie nomina Divina & Angelica exhibet; posteriori Planetarum characteres, adscriptis præsidum nominibus. Singula pensiculabimus. Primum legitur in anterioris faciei extrema zona ישו אלהינו יהוה אחד *Jeschu Elohenu Jehova Echad. Dominus DEUS noster Dominus unus.* Videntur hæc verba desumpta ex Deut. VI. v. 4. solum ישו pro יהוה textus sacri positum est, vocabulum ex יבא של וחולי, *quousq; veniat Messiah* cabalistice compositum. Vid. Corn. Agripp. Philos. occult. L. 3. cap. 11. In sequenti cingulo extat: אדני שדי אלהים צבאות, *Adonai Schadai, Elohim Zebaoth, Dominus omnipotens, Deus exercituum.* In tertio recensentur copiosius nomina Divina: יהוה צבאות אלוה אלהים גבר אל יהות אלהים יהוה אהוה *Jehova Zebaoth Eloah Elohim Gibbor El Jehovah Elohim Jehova Ehieh*, de quibus prolixe P. Galatin. lib. I. de arcanis Cathol. veritatis. Joh. Reuchlin lib. 3. de Cabala. pag. 735. & seqq. Edit. Francofurt. Corn. Agripp. Philos. Occult. L. 3. c. 10. & 11. Triangulo duplici inscriptum אדני *Adonai.* Videntur hisce nominibus innui decem Sephiroth, numerationes sive emanationes divinæ, à Cabalistis traditæ, sed ordine luxato, quem ex Reuchlino & Agrippa ita restituimus: Ehieh, Jes seu Jod tetragrammaton, El, Elohim, Eloha, Adonai Sabaoth, Elohe Sabaoth, [illegible] Sadai,

Sadai, Adonai. In quorum Sephiroth explicatione Agrippa altius descendit Christianorum nugas cum Judaicis commiscens: ex quo sequentia, quæ ad explicationem aversæ amuleti faciei spectant, synopticè transcribenda duximus.

Nomen Divinum.	Eheje	Iod	Elohim	El	Elohim Gibbor
Sephiroth	Cether, Corona.	Hochma. Sapientia.	Bina. Providentia	Hæsed, Clementia.	Geburach, Potentia
Ordo angelicus.	Seraphim.	Cherubim.	Throni,	Dominationes,	Potestates.
Sphæra cœlestis.	Primũ mobile	Firmamentũ	Sph. Saturn.	Sph. Iovis.	Sph. Martis.
Intelligentia.	Merattron.	Raziel.	Zaphchiel & Iophiel.	Zadkiel.	Camael.
Præfecta	Mosi.	Adamo.	Noæ, Semo.	Abrahæ.	Samsoni.

Nomen divinum.	Eloha	Adonai Sabaoth	Elohim Sabaoth	Sadai	Adonai
Sephiroth	Tiphereth, Ornatus.	Nezah, Triumphus.	Hod, Laus.	Iesod, Fundamentum.	Malchuth, Regnum.
Ordo angelicus.	Virtutes.	Principatus.	Archangeli.	Angeli.	Animæ beatæ.
Sphæra cœlestis.	Sph. Solis.	Sph. Veneris.	Sph. Mercurii.	Sph. Lunæ.	
Intelligentia.	Raphael & Peliel.	Haniel, Ceruiel.	Michael.	Gabriel.	Anima Messihæ
Præfecta	Isaaco, Iacobo, Tobiæ juniori.	Davidi.	Salomoni.	Iosepho, Iosuæ & Danieli.	

Supponit autem Agrippa decem *nomina principalia divina, veluti decem numina, seu DEI membra per decem Sephiroth, veluti per vestimenta sive instrumenta vel exemplaria archetypi influere in omnia,*

 qua

quæ creata sunt, per singula superiora usq; in infima ordine tamen quodam. Deinde distinguit inter numerationes summas, quarum jussu fiant omnia, tres scilicet priores tribus Divinis personis attributas, & septem reliquas inferiores, fabricæ dictas, per quas illæ operantur. Speciatim vero quomodo singulorum nominum influxus descendat per sua Sephiroth, ordines Angelicos, Sphæras, Intelligentias, præmissa tabula monstrat. Ad amuletum nostrum reversis infra divina occurrunt nomina Angelicorum ordinum, sive Hierarchiarum novem, quotquot potissimum ex Dionysio Areopagita Pontificii recensent & asserunt. Ornamentis interioribus Crystallum inclusum obtegentibus insculpta leguntur DATAN, EFFRON ET ABIRON vocabula, quæ quidem tricipitis factionis Num. XVI. autores innuere videntur; sed verius magica esse ipsa obscuritatis nota probat, de qua inferius quædam ex professo dicemus.

39. In posterioris faciei in forma crucis distinctæ exteriori fascia excurrit dictum, אדני אתה גיבר לעולם, *Adonai Althach Gibbor Leolam: Domine tu potens in æternum.* In secunda fascia extant nomina Intelligentiarum, quæ Sphæris planetarum præesse creduntur: prout eas denominavit Agrippa paragrapho proxime præcedenti. Nam differunt hac in re intelligentiarum scriptores, qui secundum eundem planetarum ordinem, quem Agrippa quoque sequitur, aliter atque aliter intelligentias recensent. Sic apud Kirch. Oedip. Tom. 2. part. 2. pag. 187. ab Ægyptiis dicuntur Rephaniel, Piseusiel, Typhaniel, Pitiel, Surotiel, Anubiel, Prosiel. Apud eundem Kircherum c. l. pag. 234. à R. Abraham Auenar recensentur: Caphiel, Zadkiel, Camael, Michael, Anael, Raphael, Gabriel. Referente Sebastiano Münstero in fine Calendarii Hebraici Basileæ 1527. editi, secundum Hebræos vocantur Kaphriel, Zadkiel, Samael, Raphael, Oniel, Michael, Gabriel. A Trithemio, qui peculiarem tractatum de septem secundeis, id est, intelligentiis ad Imperator. Maximilianum scripsit, subjunctum ejusdem Polygrahiæ, editionis Zetznerianæ, enumerantur Oriphiel, Zachariel, Samael, Michael, Anael, Raphael & Gabriel. Autori libelli Arabatel de Magia Veterum Basileæ 1575. excusi, sunt Aratron, Bethor, Phaleg, Och, Hagith, Ophiel, Phul. Joh. Frid. Jungius, Argentoraten-

toratensis, qui ejusmodi nugas etiam sectatus est, ordinem Trithemij aliquantum mutavit, cui sunt Orphiel, Raphael, Anael, Michael, Samuel, Zachariel, Gabriel. Quæ quidem differentia autorum, præterquam quod nullum aliquod solidum assertionis fundamentum neque ex principio naturali, nec revelato afferri potest, impedimento est, quo minus quis assensum præbere possit, si vel maxime vellet. Intelligentiarum nominibus subjecti apparent Characteres cum planetarum domiciliis. Characteres singulis Planetis plures adscribuntur & quidem distinctius Saturno & Jovi tres, ex mente forsitan Agrippæ, qui l.2. c.22. occult. Phil. distinguit inter Characteres ipsius Planetæ, Intelligentiæ Planetariæ & Dæmonij Planetæ. Verum ipsi Characteres plane discrepant ab Agrippæ notis Characteristicis, itemque libelli Arbatel dicti, magis convenientes cum Characteribus planetariis amuleti 1. in Tabula III. Signa Zodiaci Planetarum signis adjuncta domos, ut Astrologi vocant, Planetarum denotant, quibus singulatim duæ attribuuntur, quorum una diurna seu masculina; alterum nocturna seu fœminina dicitur, exceptis luminaribus, quibus una tantum adscribitur, nimirum Soli ♌ & Lunæ ♋. Sic Saturno domus diurna & masculina est ♒ nocturna & fœminina ♑; Jovi diurna ♐; nocturna ♓ Marti diurna ♈; nocturna ♏ Veneri nocturna ♉; diurna ♎. Mercurio nocturna ♍; diurna ♊. Intelligunt autem Astrologi per domum Planetæ, interpretante J. B. Morino Astrolog. Gall. L. 15. c. 13. partem Zodiaci Planetæ magis congruentem secundum intrinsecam naturam Elementalem, & proinde etiam secundum influentialem. In qua definitione præsupponitur naturalis cœli distinctio in 12. signa cælestia æqualia, & natura signorum diversa secundum diversitatem elementorum: Planetarum natura distincta secundum qualitates elementorum: Planetarum distinctio in masculinos, in quibus qualitates activæ prædominantur passivis; & fœmininos, in quibus passivæ activis: vis Planetarum aucta à signis similis naturæ, in quibus existunt, ut omittam Morini distinctionem inter naturam Planetæ elementalem & cœlestem seu influentialem. Hæc posteriora & si ad reliqua amuleta properans concederem, primum tamen & præcipuum definitionis fundamentum nondum

matum est ab Astrologis argumento aliquo, ut apparet supra thesi XI. & licet in se verissimum foret, temere tamen & levissimè ab Astrologis asseritur, donec id firma aliqua ratione muniverint. Cingulo gemmæ proximo inscriptum: Exurgat DEus & dissipentur inimici ejus Num. XX. v. 35. & decussatum laminæ: Ecce vicit Leo de tribu Juda radix David. Apoc. V. v. 5. Frequentiorem abusum patitur hic locus sacer in sigillis Solaribus, de quibus infra. Denique ipsum lapidem præcingit lamella nomen URIEL more hebræo legendum, latinis tamen literis scriptum exhibens. Ipsius lapidis & crassities & transversa perimeter, cum laminæ crassitie, Tab. V. num. 3. accuratius repræsentatur. Autor hujus amuleti χρυσαλλομαντείαν eo exercuisse videtur, cui erat instar Urim & Thumim Num. XXVIII. 30. Unde factum auguror, ut Uriel inscriberetur. Alioquin Uriel Magis est præfectus plagæ australis, qui quatuor mundi plagis & ventis inde spirantibus quatuor angelos præesse profitentur, & quidem Orientali Michaelem; Occidentali Raphaelem; Septentrionali Gabrielem; Meridionali Urielem. Vid. Agripp. Phil. Occult. L. 3. c. 24.

40. Jaspis Tab. IV. n. 10. conspicitur Arabicis literis insignitus. Legendum: Bismi lahi rachimi: in nomine DEI miseratoris. Quæ verba non solum usitatius à Muhammedanis libris suis loco ἐπιγραφῆς inscribi solere; verum etiam in amuleto aliquo inter rariora Gerardina extare testatur Christ. Hoffman. in dissert. de Umbra in luce, Jenæ habita, pag. 349. Forte non cuivis amuletum videatur hic lapis utpote non occultis verbis vel characteribus insignitus. Sed inde rectius colligitur, opus esse Muhammedanorum, quibus imagines vel fingere, vel pingere, vel quovis modo figurare prohibitum in Alcorano. Quare in monetis Turcicis imagines non apparent. Huc pertinet insignis locus Jo. Leonclav. Pandect. Hist. Turc. num. 55. ubi: *Causa*, inquit, *vel prætextus causæ potius, cur Talismani, velut admodum religiosi & accurati Mahumetanæ legis observatores, usum numorum veterum è medio tollendum censerent, explicationem minime difficilem habet. Quippe nota lex Mahumetis, qua statuas, simulacra, sculptas & pictas imagines, ex interdicti divini præscripto severè prohibuit: notum, quanto Zelo Musulmani Christianorum in templis*

templis imagines mutilare, frangere, destruere soleant. Itaq; cum Romanorum & Græcorum Imperatorum imagines in numis & astris expressæ conspicerentur, violari Prophetæ legem clamabant, & abolenda moneta veteris auctoris erant. Sed interim sub prætextu religionis impostores nequissimi quæstum faciebant, ut ipsimet Turci satis ingenue fatentur. Hodie non amplius animos Turcorum illa religio tantopere tangit, ut signatos Christianorum principum Charactere numos aversentur. Imo numos sive ducatos Venetos, quibus vetitæ lege Mahumetis impressæ sunt imagines, Sultaninis suis, qui nihil habent legi contrarium, Arabicis duntaxat insigniti literis, longe præferunt. Taleris autem Germanicis, præsertim quibus aut ipsius Imperatoris, aut Ferdinandi Archiducis, aut Septemviri Saxonis insculpti sunt vultus, usq; ad eo non infesti sunt, ut ex illis ipsis sibi prohibitis agnitos imaginibus expetant avidissime: nec dubitent, modo se pro mercibus suis eos habituros intelligant, de communi pretio trientem vel quadrantem remittere. Ne pondus quidem horum explorant, quod tamen in Sultani sui, certisq; monetis usitatis, scrupulose facere solent. Eandem ob causam in amuletis suis loco Characterum dictis devotionem aliquam spirantia adhibere consueverunt. Jaspis quoque est Tab. VIII. n. 7. notatus. in quo Luna in duas stellas posita apparet, cornua sua sursum vertens. Jaspide sæpius etiam utuntur, qui Scorpii amuleta vel conficiunt, vel fingunt, de quibus infra paragraph. 50.

41. Smaragdus Prasinus occurrit Tab. VIII. n. 4. insculptum habens Capricornum stellis cinctum, referendus ad thesin. 53. ubi pro hujus signi tractatione commodiorem locum monstrat instituti nostri ordo. Scrupulum injiciunt alæ, quibus alioquin caret Capricornus. Ejusmodi feram caudatam & alatam refert Achates Ab. Gorlæi num. 99. Caput vero ibi Gryphis est. Hyacinthus cit. Tab. num. 6. extat, amuletum Martis, de quo infra §. 61. fusius agetur. Sarda, vulgo Corneolus ejusdem Tab. num. 5. obvius, ab antiquo artifice scalptus videtur. Cernitur enim in eo vir insidens militari thoraci seu spoliis, cujus caput lauro redimitum. Brachium, artificis ne culpa, an alia de causa, mutilum videtur, ni à tergo repositum intelligendum sit. Domina ejus ægrotantibus appendebat. Forte huc pertinet illud Raphaelis Judæi: *Hominis bene ornati imago & ha-*

bentis aliquid pulchri in manibus, si in Corneolo sculpta erit, virtutem habet stringendi sanguinem, & ad honores confert.

Amethystus n. 8. nescio quæ signa refert superstitiosa. De ejusmodi signis Gemmis & lapidibus pretiosis insculpendis uberiorem farraginem suppeditat Dactyliotheca Abr. Gorlæi & libellus Anno 1612. editus: cui Titulus: Veterum Sophorum sigilla & Imagines Magicæ sive sculpturæ lapidum & Gemmarum, secundum nomen DEI Tetragrammaton, cum signatura Planetarum, & juxta certos cœli tractus & constellationes, ad stupendos & mirandos effectus producendos. Authoribus Zoroastre Chaldæo, Salomone Rege Judæorum, Raphaele, Chaele, Judæis, Hermete Ægyptio & Thetele Persa. E Jo. Trithemii manuscripto eruta.

42. Restant lamellæ nummorum instar usualium cusæ, in quibus 1. forma notanda 2. inscriptio. De forma ita disserit Marsil. L. III. c. 18. de vita cælit. comparanda, *Postremi quidem imaginum auctores universam earum* (imaginum) *formam ad cæli similitudinem accepere rotundam. Antiquiores autem, quem admodum in quodam Arabum collegio legimus, figuram crucis cunctis anteponebant, quia corpora per virtutem agunt ad superficiem jam diffusam. Prima vero superficies cruce describitur. Sic enim in primis habet longitudinem atq; latitudinem. Primaq; hæc figura est, & omnium recta quam maxime, & quatuor rectos angulos continet. Effectus vero cælestium maxime per rectitudinem radiorū angulorumq; resultant. Tunc enim stellæ magnopere sunt potentes, quando quatuor cæli tenent angulos imo cardines, orientis videlicet occidentisq; & medij utrinq;. Sic vero disposita radios ita conjiciunt in se invicem, ut crucem inde constituant. Crucem ergo veteres figuram esse dicebant, tum stellarum fortitudine factam, tum earundem fortitudinis susceptaculum, ideoq; habere summam in imaginibus potestatem, ac vires & spiritus suscipere Planetarum. Hæc autem opinio ab Ægyptiis vel inducta est, vel maximè confirmata. Inter quorum Characteres crux una erat insignis, vitam eorum more futuram significans, eamq; figuram pectori Serapidis insculpebant. Ego vero quod de Crucis excellentia fuit ante Christum, non tam muneris stellarum testimonium fuisse arbitror, quam virtutis præsagium, quam à Christo esset accepturi. Astrologos autem qui statim post Christum fuerunt, videntes*

videntes à Christianis miranda fieri, nescientes autem vel nolentes in Jesum tanta referre, in cœlestia retulisse, quanquam considerare debebant, per crucem ipsam, absq; nomine Jesu miracula minime perpetrari. *Convenire quidem imaginibus eam, quia referat fortitudinem planetarum omniumq; stellarum, forsitan est probabile, non tamen ob hoc duntaxat ingentem habere potentiam. Posse vero nonnihil una cum cæteris, quæ necessaria sunt, conjunctam, ad prosperam forsan corporis valetudinem.* Quæ de hieroglyphico crucis Ægyptiis usitatissimo Marsilius disserit, prolixe confirmat & aliquot exemplis probat Athanas. Kirch. Obelis. Paraphil. L.4 hierogrammatis. 20. §. 1. pag. 364. & seqq. qui *Characterem hunc apud Ægyptios non præcise vitam venturam, quemadmodum vult Ruffinus, Suidas, Sozomenus, Socrates* (ab ipso citati) *significasse* existimat; sed *divinæ mentis in rerum omnium productione motum & diffusionem.* Cæterum de signo crucis Thetel Persa sigillo V. *Crucem sculptam in Jaspide viridi, dicunt habere potentiam liberandi gestantem ab aquæ subversione.* Quicquid vero sit de cruce Ægyptiorum, usus hodie obtinuit figuram amuletorum rotundam.

43. In inscriptione notanda tria genera signorum, de quibus idem Marsilius c. l. c. 18. ita disserit: *Sunt ibi* (in cœlo) *formæ oculis valde conspicuæ, & à multis, quales sunt quasi depictæ, ut Aries, Taurus similesq; figuræ Zodiaci, & quæ sunt extra Zodiacum manifestæ. Sunt ibi præterea formæ quam plurimæ, non tam visibiles, quam imaginabiles per signorum facies ab Indis & Ægyptiis Chaldæisq; perspectæ, vel saltem excogitatæ, velut in prima facie Virginis virgo pulchra sedens, geminas manu spicas habens, puerumq; nutriens. Et reliquæ, quales describit Albumasar, cæteriq; nonnulli. Sunt deniq; Characteres quidam signorum & Planetarum ab Ægyptiis designati. Volunt igitur imaginibus omnia hæc insculpi. Ut si quis expectet proprium à Mercurio beneficium, collocare eum in Virgine debeat, vel saltem ibi Lunam cum aspectu Mercurii, & imaginem tunc ex stanno conficere, vel argento, in qua sit Virginis signum, & Character ejus Characterq; Mercurii. Ac si prima Virginis faciei sit usurus, addat etiam figuram, quam in prima facie diximus observatam. Similiterq; de cæteris.* Sed hæc non sunt perpetuæ observationis. Nam signa Zodiaci sæpius omittuntur, ut patebit ex sequentibus.

44. Ex

44. Ex lamellis metallicis quædam sunt significatioris influentiæ cœlestis; quædam obscurioris. Ex illis aliæ sunt signorum Zodiaci, aliæ Planetarum. Priusquam ad amuleta signorum progrediamur; audiamus Marsilium Ficinum, qui L. 3. c. 19. de vita cœlitus comparanda docet ipsius universi imaginem conflare, *ex qua beneficium ab universo sperandum videatur. Sculpet*, inquit, *sectator illorum forte, qui poterit formam quandam mundi totius archetypam, si placebit in ære, quam deinde opportunè in argenti lamina imprimat aurata, quando Sol minutum primum arietis attigerit. Cavebit autem, ne Sabbatho Saturni die figuram sculpat aut exprimat. Hoc enim die DEUS mundi faber ab opere traditur quievisse, quod ideali die Solis inceperat. Quantum enim Sol generationi accomodatus est, tantum Saturnus ineptus. Perfecerat autem opus in Venere, pulchritudinem operis absolutam significante. Quamobrem ille mundum suum primum die vel hora Saturni non sculpet, sed potius vel hora Solis. Imprimet autem in anni natali, præsertim si tunc felices accedant Jupiter atq; Diana. Optimum vero fore putabunt præter lineamenta opificio colores inserere. Sunt vero tres universales simul & singulares mundi colores, viridis, aureus, Sapphyrinus tribus cœli gratiis dedicati: Expedire igitur indicabunt ad gratiarum cœlestium munera capessenda, tres potissimum hos colores frequentissime contueri, atq; in formula mundi, quam fabricas, Sapphyrinum colorem mundi sphæris inserere. Opera fore putabunt, aurea sphæris ad ipsam cœli similitudinem addere, sidera atq; ipsam Vestam, id est, Terram virilem induere vestem. Ejusmodi formulam sectator illorum vel gestabit, vel oppositam intuebitur. Utile vero fore spectare sphæram motibus suis præditam, qualem Archimedes quondam, & nuper Florentinus quidam noster, Laurentius nomine, fabricavit. Neq; spectare solum, sed etiam animo reputare. Proinde in ipsis suæ domus penetralibus cubiculum construet in fornicem actum, figuris ejusmodi & coloribus insignitum, ubi plurimum vigilet atq; dormiat. Et egressus domo non tanta attentione singularum rerum spectacula, quanta universi figuram coloresq; perspiciet.* Hactenus Ficinus, qui hac sua sententia abundet.

45. Amuleta Zodiaci sunt vel ipsorum signorum, vel Decanorum, ni velimus cum Ficino in paragrapho 43. citato, signa & decanos signorum sive conjungere sive confundere. Singulorum

lorum signorum amuleta conficere prolixe docet Paracelsus lib. 2. Archidoxis Magicæ, fabricanda, Sole signa illa ingrediente, dominis eorundem feliciter positis, & appendenda die & hora Planetæ, qui signo dominatur. Junguntur ab aliis signa secundum triplicitates sive trigonos, supra thesi XI. commemoratos. Sic inter sigilla Salomonis quoque conjuncta leguntur, & quidem in ignea triplicitate ita, ut in *triangulo Leo teneat conum, Aries in basi dextram, Sagittarius sinistram:* In terrea triplicitate *in cono debet esse Capricornus, in basis dextra Taurus, in sinistra Virgo.* Ex aereæ triplicitatis signis *erit in cuspide trianguli libra, in basis dextra Aquarius, in sinistra Gemini.* Denique ex signis aqueæ triplicitatis *debet in coronide trianguli esse Cancer, in basis dextra Pisces, in sinistra Mars* (legendum Scorpius.) Pro subjecto metalla eligit Paracelsus, gemmas Salomo. Usum horum amuletorum singulatim exponit Paracels. cit. loco; secundum trigonos quadripartitò tradit Agrippa L.3. c. 36. Occulr. Philosoph. Scil. *arietem, leonem & sagittarium triplicitatem constituentes igneam & orientalem, ferunt prodesse contra febres, paralysin, hydropisin, podagram & contra omnes infirmitates frigidas ac phlegmaticas, & reddere gestantem gratum, facundum, ingeniosum, & honoratum: quia domicilia sunt Martis, Solis & Jovis.* Speciatim *Leonis imaginem faciebant, contra phantasmata melancholica, hydropisin, pestem, febres & ad expellendum morbos, hora Solis, primo gradum faciei leonis ascendente, quæ quidem facies ac decanatus Jovis est, sed contra calculum & contra renum morbos, ac contra nocumenta bestiarum, faciebant eandem, quando Sol in corde Leonis medium cœli obtinebat.* Secundo, *Gemini, libra & aquarius, quia triplicitatem constituunt aeream & occidentalem, atq; domicilia sunt Mercurij Veneris ac Saturni, dicuntur morbos effugare, & conducere ad amicitiam & concordiam, valere contra melancholiam & conferre sanitatem: & præcipue ferunt aquarium liberare à febre quartana.* Tertio *Cancer, Scorpius atq; Pisces, quia triplicitatem constituunt aqueam & septentrionalem, valent contra febres, calidas & siccas, item contra ethicam & omnes passiones Cholericas. Scorpius vero, quia inter membra servat genitalia, provocat ad luxuriam. Configurabant autem ad hoc ascendente ejus facie tertia, quæ est Veneris: & faciebant eandem contra serpentes & scorpiones, venena & dæmonia, ascenden-*

H te

te ejus facie secunda, quæ est facies Solis & decanatus Jovis. Ferturque gestantem etiam reddere sapientem, & colorem efficere bonum. Fertur etiam imago cancri efficacissima contra serpentes & venena, quando Sol & Luna in eo conjuncti ascendunt in facie prima vel tertia; hæc enim est facies Veneris, decanatus Lunæ: illa vero facies Lunæ, decanatus Jovis. Dicuntur etiam torqueri serpentes, cum Sol sit in cancro. Quarto *Taurus, Virgo & Capricornus, quia triplicitatem constituunt terream & meridionalem, curant infirmitates calidas; valent contra synocham: reddunt gestantes gratos, acceptos, facundos, devotos ac religiosos: quia domicilia sunt Veneris, Mercurii & Saturni. Fertur etiam* Capricornus *reddere homines incolumes, & loca tuta efficere, quia exaltatio est Martis.*

46. Ad manus quidem nostras nullum ejusmodi signi amuletum pervenit, abscribemus tamen, quæ de signis separatim monenda occurrebant. De Ariete hæc tradit inter sua sigilla Raphael Judæus: *Arietis vel capitis hominis cum barba imago in Saphyro sculpta virtutem habet sanandi & liberandi à multis infirmitatibus, & à carcere, omniq; molestia, estq; imago regia, dat enim dignitates & honores ac in altum extollit:* Chael Judæus: *Arietis,* inquit, *& Leonis medietatis figura, cum in aliquo pretioso lapide sculpta fuerit, cum discordes cum ea tetigeris, amabiles & concordes efficientur, debetq; in argento ligari.* Idem: *Arietis figuram cum medietate bovis in aliqua gemma sculptam virtutem habere scias, cum in annulo argenteo ligata fuerit, ut quoscunq; ea tetigeris, confestim tales concordes fiant.* Idem: *Arietis & simul Leonis figuram, si in aliquo pretiosorum lapidum sculptam invenies & in argenteo annulo ligaveris, si cum eo discordes tetigeris, concordabunt.* Ant. Mizald. memorab. Cent. 1. n. 52. ex Ptolemæo de imaginibus, nondum, ut ait, alicubi impresso, hæc refert: *Cum volueris fugare serpentes de aliquo loco, ut nec tibi, nec item aliis noceant, fac imaginem diversorum serpentium in æris lamina, secunda facie Arietis ascendente & dum sculpitur, vel fusilis projicitur, dic: Ligo serpentes per hanc imaginem, ut nemini noceant, nec quenquam impediant, nec diutius, ubi sepulta fuerit, permaneant. Deinde conde imaginem, quo loco putabis adesse serpentes, & illico fugient, quasi objecto igne. Si quatuor feceris imagines easq; in quatuor angulis loci sepeliveris, multo tutius egeris. Quod aliis etiam imaginibus rite accomodabitur.* Idem Cent. 9. num.

num. 48. ex Ptolemæo talia docet: *Cum latronem aut furem ligare volueris, & domo tua arcere, figura imaginem viri ex ære, ascendente prima facie Arietis, & Luna ibidem versante. Dum vero id fit, dicas: abigo & abigo omnem hominem furem ab hac domo per istam imaginem in æternum. Tum demum in volve illam in panno nigro. & sepeli in medio domus, & non intrabit in eam latro, aut fur, quamdiu ibi fuerit.*

47. De Tauro ita nugatur Raphael Judæus: pag. 5. *Tauri imago. si in Prasio sit, ad maleficia juvare dicitur, & in magisteriis gratiam præbet.* Salomo pag. 24. *Tauri vel Vituli imago in magnete reperta, portanti felicia præbet itinera per omnia loca, valetq; contra omnes incantationes.* Marſ. Fic. L. 3. c. 21. de vita cœlitus comparanda: *ad duos, ait, ardentiſſimo quodam amore conciliandas, imaginem ſub Luna coeunte cum Venere in piſcibus vel Tauro fabricabant, multis interim circa ſtellas verbaq; curioſius obſervatis, quæ referre non eſt conſilium.* Paulo poſt: *Probabilius eſt effectus ejusmodi per Venereos dæmonas confici, his operibus verbisq; gaudentes, vel per dæmonas ſimpliciter ſeductores. Nam & Apollonium Thyanæum ſæpe Lamias deprehendiſſe & prodidiſſe ferunt, dæmonas ſcilicet quosdam ſalaces, Venereosq; qui formoſas puellas ſimulent, pelliciantq; formoſos, quos ut ſerpens elephantem ore, ſic illi illos ore, vulva pariter exugant, ac prorſus exhauriant.*

48. De Cancro ſupra quædam dicta numero 45. De Leone plura occurrunt. Raphael Judæus pag. 5. ſcribit: *Leonis vel Sagittarij imago. ſi in lapide ſit, ad venena valet, & a febre liberat.* Salomo pag. 24. *Leonis figura in granato ſculpta divitias præbet & honores, lætificat, triſtitiamq; expellit.* Idem pag. 24. *Leonis vel Draconis vultus habentis duo capita cum cauda delicata, vel viri in cujus dextra cum baculus, & percutiat caput Leonis, figuram, cum in cryſtallo ſculptam inveneris, poſuerisq; in Orichalco, ſub vero lapide moſchum & ambram, tecumq; portaveris, omnes tibi obedient, facultatemq; tuam amplificabis, ſignatq; cum eo cera eandem habebit virtutem.* Idem pag. 40. *Imago Leonis ſculpta in auro, Sole exiſtente in Leone, Luna Saturnum non reſpiciente, præſervat à calculo calidisque ægritudinibus.* Marſ. Fic. L. 3. c. 18. de vita cœl. comp. *Leonem aureum imprimebant lapidi, in formam Solis pedibus revolventem, hora Solis, primo gradu faciei ſecunda Leonis oriente. Hanc expellen-*

dis morbis profuturam existimabant. Ad renum morbos similem faciebant, quando ☉ in corde Leonis cœlum medium obtineret, à Petro Aponensi comprobatam, & experientia confirmatam, sed hac conditione, ut Jupiter, aut Venus medium aspiciat cœlum: Planetæ vero noxij cadant, infortunatiq; sint. Mizald. cent. 1. n. 3. memorabil. *Si in lamina auri purissimi figura Leonis sculpatur, Sole versante in Leone & Luna non aspiciente sextam domum, nec domino ascendentis Saturnum vel ♂tem, Lunaq; ab illis recedente, valebit Sigillum hujuscemodi circa renes gestatum, ad sævissimos illorum dolores & cruciatus abolendos. Et si componantur trochisci ex pulvere selecti Olibani cum hircino sanguine, imprimanturq; in dicta lamina, & siccati solvantur in vino albo, quod à jejuno bibatur, mirabilem effectum habebunt adversus calculos renum et vesicæ lapidem.* Idem cent. 2. num. 99. memorabil. *Cum volueris cervos alicujus nemoris congregare in unum locum, fac è cupro, ascendente prima facie Leonis, imaginem cervi, quasi coeuntis cum cerva. Et dum illam facis & formas, dic: Ligo & constringo omnes cervos, sunt, qui fuerint, in isto nemore N. per hanc imaginem, ut, ubi sepulta, ad eam omnes conveniant & non recedant. Deinde sepelias in medio nemoris & miraberis effectum.*

49. De Virginis signo hæc habet Mizald. Cent. 2. n. 44. memorabil. *Cum volueris cogere in unum locum multitudinem corvorum, fac imaginem dimidij corvi in panno, prima facie virginis ascendente, dicendo: Non remaneat corvus in hac tota regione, qui non veniat ad hanc imaginem, quocunq; in loco sepulta fuerit. Deinde sepelias eam, ubi volueris; modo sit in loco & aere libero. Sed non est obliviscendum vel prætermittendum, quod dum formantur istæ imagines, & (ut volunt quidam) sepeliuntur, Luna debet esse in ascendente, adjuta bonis felicium planetarum aspectibus & procul à maleficorum contubernio, qui cadentes erunt, & dominus ascendentis fortunatæ stellæ conjunctus.*

50. Omnium famosissimum Scorpii signum est. Autor iste sigillorum Salomo pag. 40. *Scorpij imago in annulo aureo & lapide bezoar impressa, aut sculpta, Luna existente in Scorpione, sitq; scorpius in uno ex cardinibus mundi, ad puncturam scorpionis valet.* Joseph. Scaliger Epist. pag. 485. Edit. Francofurtensis de Hali Aben Rodan refert, *quod hominem à scorpione læsum sanaverit figura scorpij grano thuris impressa, quodq; in eum gemma annuli sui figu-*

ram

ram scorpij habuerit insculptam, observatis iis ceremoniis, quæ ad id requiruntur, id est, scorpio ascendente, vel ut alij volunt, in medio Cæli existente. Conf. quæ ex eodem allata sunt supra parag. 33. Marf. Ficin. L. 3. c. 13. de vita cœlit. comp. ad locum Carpi supra pag. 11. citatum hæc annotavit: *Quod quidem Haly comprobat ibi dicens: Utilem serpentis imaginem affici posse, quando Luna serpentem cœlestem subit, aut feliciter aspicit. Similiter scorpionis effigiem efficacem, quando scorpij signum Luna ingreditur, ac signum hoc tenet angulum ex quatuor unum. Quod in Ægypto suis temporibus factum ait, seq; interfuisse, ubi ex sigillo scorpionis in lapide Bezahar, ita facto, imprimebatur thuri figura, dabaturq; in potum ei, quem scorpius ipse pupugerat, ac subito curabatur. Quod quidem utiliter effici Hahameth Physicus affirmat, confirmante Serapione.* Mizald. Cent. 6. num. 87. memorabil. *Refert,* inquit, *Alexan. Joviano Pontano auctore, se vidisse hominem graviter à scorpio percussum, qui statim liberatus fuit, ebibito thure contrito, in quo calatum fuerat scorpij signum. Debet autem sculpi in lapide annulari, ascendente scorpio, dum Luna ibidem agit cardinaliter constituta: eodemq; sigillo aromatica imprimi, hora, qua Luna in scorpio cardinalis invenietur, & quo dictum est modo exhiberi, ex aqua, vino albo aut alio aliquo liquore.* Hodie usus obtinuit, ut imago scorpij Jaspidi insculpatur, Sole ejus signum ingrediente: quem vero errorem jam dudum refutavit Sennert. cap. 18. de Chym. cum Aristotel. & Galen. cons. & dissensu, pag. 338. scribens: *Verum sit sane* (quod tamen nondum ab iis probatum) *Scorpiones inferiores subjici signo scorpij in cœlo: Sed quid hoc ad Scorpionem gemmæ insculptum? Certe sculptus vel pictus canis vel scorpius non est sub eodem genere cum cane vel scorpione animali.* Et pag. 339. subjungit: *In his* (Characteribus) *figura nihil potest; gemmæq;, si quas vires naturales habent, sub quacunque figura illas exserunt; scribitq; Galenus de Jaspide, se ejus vim æquè expertum fuisse, sine figura scorpij, ac cum ea.* Adjiciendum superest, quod idem Mizald. Cent. 1. n. 19. memorabil. ex Hermete narrat his verbis: *Ad sanandos genitalium dolores, ad sanguinem cohibendum, antiqui sculpebant in lamina cupri figuram scorpij, hora Saturni, surgente tertia facie aquarij cum eodem Saturno.* Conf. Ficin. L. 3. c. 18. Memorabil. pag. m. 153.

51. De Sagittario duo commentatur Mizaldus in memorabilibus suis, quorum primum extat Cent. 2. num. 8. ubi, *Cum volueris*, inquit, *fugare lupos ab aliqua villa aut nemore, ut nunquam ibi revertantur: Figura ascendente secunda facie Sagittarii imaginem lupi in cupro vel stanno, pedibus simul ligatis, & duos maximos canes quasi latrantes super eum. Et inter operandum dicas: Extermino per hanc imaginem omnes lupos, qui sunt in hac villa aut nemore (proprio nomine addito) ut non remaneat aliquis eorum in illo. Deinde sepeli imaginem in medio villæ aut nemoris, involutam canina pelle, & pedes lupi sursum vertas, ut sit supinus. Sic reddes regionem à lupis immunem.* Alterum, quod ex Ptolomæo tradit Cent 5. n. 100. hoc est: *Cum volueris fortunatos reddere venatores, ut proficiant in venatione, tertia facie Sagittarij ascendente, & Luna in eadem versante, vel in ariete aut Leone, modo applicet Mercurio ex bono aspectu, cum receptione fac ex argento, cupro vel stanno imaginem viri, habentis in dextra manu arcum tensum, sagitta superposita, & inter fundendum vel sculpendum dicas: Per hanc imaginem ligo omnes feras silvestres, cervos, apros, lepores &c ut nulla meam venationem subterfugiat, quin optatam portionem & prædam mihi semper relinquat. Postea tertio gradu Leonis ascendente, incipe sculpere in altera lamina ejusdem materiæ, tot genera ferarum, quot erunt venationi congrua in tua regione, ac inter operandum dicas: ligo omnes feras &c. ut supra. Deinde conjunge ambas imagines conversis vultibus inter se, easq; serico panno viridi involve, et sic deliga, ut non facile separari possint. Tandem ubi venatum exire voles, defer tecum, & rem miram experieris. Veruntenimvero, cave aggredi venationem, nisi cum Luna fuerit in ariete, Leone vel Sagittario. Qui enim illam initiatur ea versante in Tauro, Geminis, Scorpione vel Capricorno, nihil prædæ, vel parum admodum refert, idq; maximo cum labore.*

52. De Capricorno sigillum Chaelis Judæi ultimum hoc est: *Capricorni signum sculptum in Corneolo, aut in alio lapide, in annulo argenteo liga, & tecum porta, nec enim personaliter, nec oraliter ab inimicis læderis, nec judex contra te injustam sententiam dicet, in negotiatione & honore abundabis, & amicitiam multorum acquires, & omnes fascinationes, quæ contra te factæ fuerunt, destruentur, in prælio quoq; nullus inimicus, quam etiam fortis fuerit, tibi resistere poterit.* Mizald. Cent. 1. n. 41. memorab. ex Ptolemæo hoc addit: *Cum volueris fugare mures de aliquo loco, insculpe stanno vel cupro, ascendente tertia facie*

facie Capricorni imaginem cati habentis murem in ore suo. Et dum figuras eam, dicito: ligo omnes mures per hanc imaginem, ut nullus in loco, ubi fuerit, manere possit. Deinde sepeli in medio loco involutam corio cati, & mirum videbis experimentum.

53. Superiunt Aquarius & Pisces. De illo Hermes pag. n. 16. *Aquarij figura si sculpta fuerit in viridi Jaspide, & quis secum portaverit, lucrum præbet in vendendis & emendis rebus, & ab eo mercatores consilium quærent, & in suum domicilium merces portabunt.* Salomo aliquoties citatus pag. 40. hæc tradit: *Imago aquarij prodest iis, qui habent falsas imaginationes, ut sunt Melancholici, quartanarij, maniaci, oportet autem ut fiat in die Solis & hora ejus, & non sit Jupiter combustus, neq; Sol sit Jove altior; neq; Saturnus sit in ascendente, neq; in 19. gr. Arietis: 3. 15. 17. Tauri, 11. Geminorum. 3. 4. 12. 15. 19. Cancri. 2. 5. 19. Leonis 3. 13. 30. Virginis: 3. 5. 21. Virginis: 3. 5. 21. Libræ. 7. 18. 20. 21. Scorpionis: 13. 20. Sagittarij: 12. 13. 14. Capricorni; 7. 18. 20. Aquarii, 13. 29. Piscium:* Ex Mizaldo hoc adjicimus: *Cum volueris, ut pisces multi congregentur in unum locum, fac imaginem piscis ex stanno vel plumbo, ascendente prima facie Aquarij, (melius fortasse Piscium) & dum illam figuras, dic: Ligo & adjuro omnes pisces, qui sunt in flumine (nominandum est) ad tractum balistæ, ut ad hanc imaginem veniant, quotiescunq; in ejus aqua posita fuerit. Et cum volueris exire piscatum, pone eam circa rete in olla nova, & miranda ac perjucunda videbis.* Hunc Mizaldi locum qui rectius ad ultimum signum Piscium referendum putat, illi nequaquam refragabor.

54. Denique de Piscibus hoc profitetur Salomo in sigillorum suorum ultimo: *Imago piscium, Sole existente in piscibus, in 12. domo & Luna in ascendente, dominoq; ascendentis, & domino domus sextæ aspectu sextili aut trigono respicientibus ad invicẽ, aut saltem Luna respiciente alterutrum, à Podagricis doloribus gestantem sub plantis pedum liberare exprimento dicitur.* Conf. Mizald. Cent. 1. n. 19. memorabil. Clausulæ loco erit, quod habet idem Mizald. Cent. 3. num. 92. memorabil. *Cum volueris fugare muscas à quopiam loco, ut nulla ibi amplius videatur, fac imaginem muscæ in lapide annuli, vel ut habet codex meus, figura in lamina æris, cupri aut stanni muscam, araneam & serpentem, secunda facie Piscium ascendente. Et inter formandum dicas: Hæc est imago, quæ omnes muscas exterminat in æternum. Deinde*

sepelias

sepelias eam in media domo, vel suspende ad aliquem locum illius. Si habueris adhuc quatuor similes, & in quatuor angulis domus sepeliveris, aut inter parietes ita occultaveris, ut à nullo poßint auferri, longe melius erit. Sed hæc repositio debet fieri prima facie tauri ascendente. Sic enim nulla musca ingredietur, nec remanebit. Experimentum vidi, inquit Ptolemæus, in domo Adebari Regis sapientißimi & in magia naturali exercitatißimi. In cujus palatio nec musca erat, nec vermis aliquis nocens, aut molestiam afferens. Quod ut explorarem, ait, produxi ibi muscas vivas, quæ illico interierunt.

55. De Amuletis Decanorum vix quicquam superest inter monumenta antiquæ Gentilium superstitionis. Fabricabant autem insuper amuleta eorum asterismorum, qui sunt extra Zodiacum, tam septentrionalium quam meridionalium; imo singularum stellarum, quæ primæ magnitudinis censentur & regiæ dicuntur. Ordiamur à polo arctico, cui proximæ Ursæ, de quibus Salomo pag. m. 34. *Cæterum Ursi imaginem sic formarunt veteres. Binas ursas insculpunt circumvolutas à serpente, Major ursa in capite circumflexionis, minor in cauda continetur: quæ imago in aliquo lapide sculpta, gestantem scientem reddit, versutum & potentem.* Raphael pag. 6. *Ursi imago cum in Amethysto sit, fugiendi dæmones virtutem habet, & hominem ab ebrietate defendendi & præservandi.* Corn. Agrippa L. 2. cap. 37. circa finem: *Draco cum utraq; ursa reddunt hominem astutum, ingeniosum, fortem, diis & hominibus placentem.* Cap. seq. 47. *Sub cauda Ursæ majoris faciebant imaginem hominis cogitabundi, vel tauri, vel figuram vituli. Valet contra incantationes, & reddit gestantem securum in itineribus.*

De Dracone Raphael. in primo sigillo asserit: *Draconis formosi imago, si in Rubino, sive in alio lapide similis naturæ sculpta fuerit, scias virtutem ejus esse in augendis bonis hujus seculi, gestantemq; hilarem & sanum efficere.*

Cephei figura, scribit Salomo pag. 34. *habentis præcinctum ensem cum brachiis & manibus expansis in lapide sculpta, cautum reddit, & scientem, & cum pulvinari dormientis supponatur, in somno res delectabiles facit apparere.*

Caßiopeja, pergit Salomo l. cit. *mulieris imago est sedentis in Cathedra habentis manus porrectas ad modum crucis, aliquando cum triangulo*

angulo

angulo in capite, in signo autem tauri constituitur, & in septentrionali parte, ejus natura est de Saturno & Venere. cum hæc sculpta fuerit in convenienti lapide, virtus ejus erit, hominibus sanitatem præbere, infirma & defatigata corpora restaurare, quietem & tranquillitatem post conceptum laborem gestantibus præbere, amœnum & suavem somnum præstare. Agrippa c. 37. l. 2. Occult. Philosophiæ: *Cassiopeja debilia corpora restituit, & membra roborat. Andromeda puella* Salomoni pag. 36. *imago est, habens crines sparsos, ac remissas manus, à tauro continetur in septentrione, Venerisq; naturæ est: ejus virtus est, si in lapide sculpta erit, rixas & jurgia inter virum & uxorem ortas conciliare, & stabilem amorem firmare: & à quam plurimis infirmitatibus custodire.* Agrippa c. l. *Andromacha* (leg. Andromeda) *conciliat amorem inter virum & uxorem; ita quod dicitur etiam reconciliare adulteros.*

Perseus, inquit Salomo cit. l. *ensem in dextra manu, in sinistra caput Gorgonis habens, imago est, ac locatur in tauro, & in septentrionali parte, vim Saturni habet & Veneris, si in lapide sculpta fuerit, ab infortuniis gestantem avertit, & à fulgure, tempestate præservat, non solum gestantem, sed & loca, ubi continetur, fascinationes quoq; solvit.* Agrippa c. l. *Perseus liberat ab invidia & maleficiis, & præservat à fulgure & tempestate.* Idem cap. 47. *Sub capite Algol faciebant imaginem, cujus figura erat caput hominis cum longa barba, habens collum sanguinolentum. Ferunt conferre eventus petitionum, reddere gestantem audacem, & magnanimum: conservare membra corporis illæsa, conferre contra maleficia, & reflectere conatus malos & incantationes malas in adversarium.*

Agitatoris seu Auriga, verba sunt Salomonis pag. 40. *imago est hominis figura in curru tenentis hircum in humero sinistro: collocatur in signo Geminorum, & in septentrione, naturam habens Mercurij; hæc figura in lapide sculpta facit gestantem venatorem & fortunatum in capiendis animalibus. Sub Hirco*, inquit Agrippa c. 47. c. l. *faciebant imaginem, cujus figura erat tanquam homo volens lætari in instrumentis Musicis: efficit gestantem gratiosum & honoratum & exaltatum coram regibus & principibus, & confert contra dolorem dentium.*

Pegasi alati, scribit Salom. pag. 29. *qui Pegasus dicitur, figuram, cum in aliquo lapide sculptam invenies, optima est militantibus, & in campestri bello dat audaciam & alacritatem.* Pag. 37. *Pegasus sive equus alatus, vel secundum aliquos, medietas e-*

qui cum aliis: secundum alios totus equus cum alis: & sine freno, in signo arietis, & in septentrionali parte naturam habens Martis & Jovis: cum sculptus fuerit in lapide, gestanti in campestri bello victoriam prabet, & velocem, cautum, audacemq; reddit: cum vero equi collo suspendatur, aut in aqua ponatur, ubi bibat equus, à multis infirmitatibus eum liberabit. Agrippa cap. 37. *Pegasus valet contra morbos equorum & conservat equites in bello.*

Piscis sive Delphinus *est imago gibbosi piscis: est in signo Aquarij & in septentrione, naturam habens Saturni & Martis, quod cum in lapide sculpta sit, artubusq; alligata fuerit, gestantem fortunatum efficit in piscando.* Salom. pag. 37.

Vulturis imago si in Chrysolitho sit, virtus ejus erit dæmonas frenare & congregare, defendere locum, in quo ponitur à malis spiritibus, & ab eorum infestatione, gestantiq; dæmonas facit obedientes. Raphael. pag. 4. *Sub Vulture faciebant imaginem vulturis vel gallinæ, vel hominis itinerantis. Efficit hominem magnanimum & superbum: dat posse super dæmones & bestias.* Agrippa c. 37.

Cygni sive gallinæ imago, expansis alis colloq; incurvato, figura gratum gestantem reddit populo, scientem, divitem, podagramq;, paralysin & quartanam pellit. Salom. pag. 35. *Cygnus liberat à paralysi & febre quartanâ.* Agrippa c. 37. *Aquila sive vultur cadens, est imago aquilæ volantis cum sagitta sub pedibus, in cancro, & septentrionali parte collocatur, de natura Jovis & Martis est, sed sagitta de natura Martis & Veneris: hæ constellationes cum in lapide sculptæ erunt, gestantis veteres honorum gradus conservare & novos acquirere, adq; victoriam conferre dicuntur.* Salom. pag. 36. *Aquila largitur novos honores, veteresq; conservat.* Agrippa c. 37. *Herculis quoq; incurvati imago talis est: Vir ingenua prolapsus tenens in manu clavam interficiensq; Leonem: aliquando vir cum Leonina pelle in manu, talesq; figuræ in decente lapide sculptæ ad victoriam conferunt bellicam, maximè si in Achate gestetur.* Salom. p. 34. *Hercules victoriam largitur in bello.* Agrippa. c. 37.

Serpentarius est hominis figura habentis serpentem, tenentis in dextra caput, & sinistra caudam; est in signo Scorpionis, & in septentrione, naturam habet Saturni & Martis, Virtus ejus in lapide sculpta est valere contra venena, venenosorum animalium morsus curare, & si lotura ejus bibatur, facit venenum evomere sine læsione. Salom. p. 36. *Serpentarius fugat venena & curat morsus venenatorum.* Agrippa. c. 37.

Corona

Coronæ imago similitudinem coronæ Regiæ cum pluribus habet stellis, interdum in similitudine regis capite coronati figuratur, existitq; in septentrionali parte & signo Sagittarij, estq; de natura Veneris & Mercurij, cumq; hæc imago in lapide fuerit sculpta, dat gestantibus honores & scientiam, regiamq; gratiam. Salom. pag. 34.

56. Transeundum est ad asterismos meridionales, ex quibus *Cetus est figura magni piscis cum curvata cauda & magno ore, continetur à tauro, & in meridionali parte naturamq; obtinet Saturni: in lapide hæc figura sculpta cum supra dorsum habeat serpentem cristatam, in mari gestantem felicitat, eumq; prudentem & amabilem reddit, & ablata restaurat.* Salom. pag. 37. *Cetus reddit amabilem, prudentem, terra mariq; felicem, facitq; recuperare ablata.* Agrippa. c. 37.

Leporis ad similitudinem leporis imago est cum extensis auribus & pedibus, ac si in cursu esset, in signo geminorum collocatur, & in meridionali parte: natura ejus est Saturnia & Mercurialis: virtus hujus est phreneticos curare & contra dæmonum versutias valere, nec à maligno spiritu gestans poterit lædi. Salom. pag. 38. *Lepus valet contra deceptiones & insaniam.* Agrippa. cit. l.

Orionis armati hominis imago cum ense seu falce in manu collocatur in signo geminorum, & in parte meridionali, Jovis, Saturni & Martis naturam habet, hæc figura in lapide sculpta, gestantem reddit victoriosum, & de inimicis victoriam reportare facit. Salom. p. 38. *Orion confert Victoriam* Agrippa. cit. l.

De Sirio intelligenda puto hæc verba Salomonis pag. 38. *Canis imago est figura canis leporini cum cauda curvata, existit in signo Cancri, & meridionali parte naturam Veneris habens, si in lapide sculpta sit, ipsam vim habere dicunt liberandi totaliter lunaticos, maniacos, Dæmoniacos:* Agrippa c. 47. *Sub cane majore faciebant imaginem canis leporarij, vel puellæ virginis. Confert honorem & benevolentiam & gratiam hominum & spirituum aereorum: & dat potestatem pacificandi & concordandi reges & principes & alios homines.* Canicula quoque amuleto insculpta memoratur à Joseph. Scalig. pag. 391. Epist. Edit. Francofurt. Si quidem per eam Sirium intelligat. Diversam quippe hujus voculæ interpretationem videsis ap. Ricciol. part. 1. Amagest. L. 6. c. 5. pag. 409.

De Procyone vero accipio hoc Salomonis dictum. pag. 39. *Canis imago sedentis in Cancro, de natura Veneris est: cum in lapide sculpta fuerit, tecumq; portaveris, hydropem non timebis, & à peste, canisq; morsu liberaberis*: nec non Agrippæ c. 37. *Canis curat hydropisim, resistit pestilentiæ & tutum reddit à bestiis & feris*: qui distinctius cap. 47. ait: *Sub cane minori, faciebant imaginem galli, vel trium puellarum. Confert gratiam deorum, spirituum & hominum; dat posse contra maleficia & conservat sanitatem.*

Argo *navis imago est cum retorta prora & elevato velo, aliquando sine & cum remis, continetur à leone, & in meridionali parte, est naturæ Saturni & Martis, in lapide autem sculpta securum reddit gestantem in agendis rebus in mari, & aqua, nec ab aqua damnum capere permittit.* Salom. pag. 38. *Navis præstat securitatem in aquis* Agrippa. cap. 37. *Hydræ seu serpentis imago est serpentis figura habentis supra se urnam circa caput, & corvum circa caudam, de natura Saturni & Veneris: virtus ejus est efficere gestantem ditissimum, astutum, cautum, prudentem & à nocivis rebus liberum, & resistit omni noxio calori.* Salom. pag. 39. *Hydra confert sapientiam & divitias & resistit venenis.* Agrippa cap. 37. *Sub ala Corvi*, cujus character extat cap. 52. *faciebant imaginem corvi vel colubri vel hominis nigri induti nigra veste. Efficit hominem iracundum, audacem, animosum, cogitabundum, maledicum: & efficit mala somnia. dat posse fugandi dæmones & congregandi. Proficit contra malitiam hominum & dæmonum & ventorum.* Idem cap. 47. *Centaurus est figura tauri usq; ad collum, reliqua hominis tenentis in sinistra manu hastam quiescentem supra sinistram spatulam cum appenso lepore: in dextra vero manu bestiolam resupinam cum lebete appenso: in libræ & meridionali parte constituitur: estq; naturæ Iovis & Martis. Virtus hujus sculpturæ est reddere gestantem constantem, & sanum perpetua sanitate.* Salom. p. 38. 39. *Centurus confert sanitatem & longævam senectutem.* Agripp. c. 37. *Sacrarii seu thuribuli figura de natura Veneris & Mercurii, cum accenso igne, cum in lapide sculpta erit, habilem gestantem ad convocandos spiritus efficit, ac in eorum conversione esse, eosq; reddit obedientes; dicunt etiam gestantem reddere ornatum perpetua virginitate, cum castitatem inducat.* Salom. p. 39. *Ara conservat castitatem, redditq; gratum diis.* Agrippa cap. 37.

Coronæ australis figura, imperiali coronæ assimilatur, de natura

Saturni

Saturni & Martis in augendis divitiis ejus virtus est, hominemq; hilarem & jucundum reddere. Salom. p. 40. Tantum de asterismis fixarum: de quibus quæ amuletarii delirant, eadem fere fingunt Astrologi de iis, in quorum horoscopo isti ascendunt. Quippe ex Astrologorum commentis, tanquam fundamentis artis suæ regulas deduxerunt amuletorum fabri.

57. A fixis descendendum est ad septem stellas erraticas, quas græci Planetas vocant. Horum sigilla sive amuleta sunt vel omnium simul, vel plurium, vel singulorum. Omnium simul sunt, sive Catholica, quæ flantur in conjunctione vel omnium Planetarum in eodem signo facta; vel binorum. Subjectum amuleti dicitur Electrum, quod est massa septem metallorum: auri, argenti, cupri, ferri, stanni, plumbi & argenti vivi, certa proportione, quam tradit Paracelsus lib. 5. Archidoxis Magicæ pag. 565. & 566. Edit. Argentorat. conflatorum. Conflantur autem metalla vel bina & bina, pro diversa conjunctione binorum planetarũ, modo, quem docet Israel Hiebner myster. sigillorum, herbarum & lapidum p. 157. vel omnia simul in conjunctione omnium planetarum, in eodem signo, qualis non ita dudum Anno æræ Christianæ M Iↄc LXII. d. 1. 11. Decembris contigit. Quæ quidem synodus, si ad rigorem Astronomicum exigatur, nulla erit, vel saltem platica, id quod prolixe ostendit Clarissimus Gedanensium Mathematicus Fridericus Buttnerus in Ephemeride sua Astronomica dicti anni. Requiruntur quoq; metalla, prius defœcata, ad modum à Paracels. cit. loco præscriptum. Qui fore dubitant, ut termino vitæ suæ ejusmodi conjunctionẽ omnium planetarum in eodem signo attingant, methodũ Hiebnerianam eligent, cujus prolixa repetitio nobis crambe bis cocta videtur. Nos hoc loco proponemus amuletum Catholicum, dicto anno M DC LXII. confectum, cujus ectypum Amicorum quidam Augusta Vindelicorum miserat, Tab. III. n. 1. consignatum. In anteriore facie conspiciuntur tres Characterum Planetariorum series. Media vulgarium est; dextra ejusmodi fere exhibet, quales supra §. 39. exhibuimus; sinistra habet, quos autor libelli Arbatel de Magia veterum Basileæ 1575. excusi, delineavit. Triplici vero characterum serie usus est hujus amuleti artifex eodem forsitan consilio, quo autor amuleti §.

 38. &

38. & 39. propoſiti, ſcilicet ſequendo diſtinctionem, quam tradit Agrippa L. 2. c. 22. Characterum Planetæ, intelligentiæ & dæmonii. In poſteriore parte duplex triangulũ mutuo ſibi implicatum cernitur, quod מגן דוד, ſcutum Davidis vocant, quo ipſo David telis impervius ac invulnerabilis redditus traditur, referente Geigero de ſuperſtit. cap. 3. num. 41. In hujus ſchematiſmi triangulis exterioribus legitur אל ארני *Dominus DEus (meus)* Figuræ interiori hexagonæ pentagona inſcripta cernitur, *τριπλοῦν τρίγωνον δι' ἀλλήλων ϗ πεντάγραμμον*, vulgo Trotenfuß/ cujus autorem ferunt Antiochum Soterem, adhibiti in expeditione adverſus Galatas, apicibus ita inſignitis *ὑ γ ἰ ει α.* In noſtro vero exemplo inter apices extat אל אים *Deus terribilis,* intra eosdem, אל אים *omnipotens Dominus.* Denique pentagono interiori inſcriptus apparet trigonus, in quo reconditum ','. Ex quibus facile corrigi poterit, quicquid Chalcographus in ectypo peccavit. Aliam inſcriptionem Judaicam ſcuti Davidici videlis Schickard. Tarchim. pag. 54. Cæterum conveniens hic explicandi amuleti argentei, quod Tab. V. n. 2. notatum, locus videtur, id quod nomen ejus מגן דוד *Scutum Davidis,* ab autore utrimque inſculpum innuit. Ex quo ipſo intelligimus, confectum id eſſe amuletum à Judæo quodam ad extinguenda incendia. Nam *ſcutum Davidis,* ut docet Schick. c. l. *ſuperſtitioſiſſima gens Iudaica, etiam contra ignes valere credit, atq; ut incendia reſtinguant, vel maſſæ panis incluſum, vel ejus cruſtæ ſaltem extrinſecus creta inſcriptum, una cum hebræo verſu Num. XI. v. 2. clamavit populus ad Moſen, & oravit, Moſes ad Dominum atq; repreſſus eſt ignis, poſtquam ter circumtulerunt, in flammas coniiciunt.* Utrinque etiam inſcriptam אגלא factitium DEI nomen, cujus ſingulæ literæ integras voces ſignificant: conflatum ex אתה גבור לעולם ארני *Tu fortis es in æternum Domine.* Vid. Galatin. arcan. Cathol. relig. L. 2. c. 15. In facie anteriori majuſculis literis expreſſum עמי עשי, ubi iterum ſingulæ literæ integras voces denotant: ſcilic. עזר י מעם יהוה עשה שמים וארץ *auxilium meum à Iehova, factore cœli & terræ.* Relique voces איבלווי אשבת אזלת זיונוה חומום מוח שימ obſcuriores, quarum ſingulæ literæ haud dubie etiam integras voces denotant. Faciliora intellectu inferiora: התל הארע מחרב רעה, quæ innuunt Pſalm. CXLIV.

CXLIV. v. 10. הנותן תשועה עבדך מחרב רעה, *qui dat salutem regibus, qui liberat Davidem servum suum à gladio malo.* Obscuriora vero mihi omnia, quæ in posteriori facie extant: יבימי ובומלפ בשאודי ומאלחו שכוג א. Quantum autem præstent ejusmodi scuta Davidica, subjungit cit. loc. Schickard. pag. 55. hisce verbis: *Ipsis vero Judæis, ut redarguantur, experientia opponi potest, quæ illos non raro frustravit, ut cum Anno 1617. Lublini plus mille: aut Anno 1544. Thessalonicæ supra 5000. habitationes eorum, intra sextam horam in cineres redacta fuerunt. Imo ipse Talmud, liber gentis opinione sanctissimus, maximo numero passim per Italiam universam crematus est, ut R. Dav. in Zam. annotavit, pag. 1. f. 22. a. an igitur e tot Rabinis nemo fuit, qui tam triste fatum libri miseratus,* שמות *schmos, id est sacra nomina pro remedio admurmuraret? ecce vanitatem vestri Magen David! quo nec ipsum corpus à flammis tutari potestis! namsi quæ verba eam vim haberent: utiq; codex Mosaicus, quo ad hoc artificium abutimini, præstaret id vel maximè. at nil juvit Rabinum, quem Imp. Hadrianus olim cremavit, quamvis eo totus involveretur. Afod. Zar. fol. 18. a.* Tantum de Judaica superstitione, qua non minor est Christianorum quorundam, quam probat amuletum primum Tab. VI. quod etiam Electrale, hoc est, ex omni metallo conflatum erat. In quo vero præter pudendum sanctissimorum nominum abusum nihil occurrit uberiori explicatione dignum.

58. Memorantur porro amuleta aliquot Planetarum. Sic ad memoriæ & ingenii præstantiam annulum ex auro puro fabricasse antiquos, in quo clausus esset adamas sub conjunctione Saturni & Jovis in ariete, ex Hermete refert Mizald. n. 19. Cent. 1. *Faciebant etiam*, inquit, Agrippa de occult. Philosoph. L. II. c. 38. *ex operibus Saturni simul atq; Mercurij imaginem ex metallo fusam, ad pulchri hominis formam, quam futura prædicere pollicebantur, faciebantq; eam die Mercurij, hora tertia scilicet Saturni, ascendente Geminorum sidere, Mercurij domicilio prophetas designante, Saturno & Mercurio conjunctis in Aquario nona cœli plaga, quæ & DEUS appellatur. Præterea Saturnus ex trino aspiciat ascendentem ac Luna similiter & Sol conjunctionis locum aspiciat. Venus angulum aliquem obtinens sit potens & occidentalis: Mars à Sole comburatur, sed non aspiciat Saturnum neque Mercurium: Dicebant enim, quod splendor potentiorum stellarum illarum diffundebatur super hanc imaginem, & loquebatur cum hominibus,*

dis morbis profuturam existimabant. Ad renum morbos similem faciebant, quando ☉ in corde Leonis cœlum medium obtineret, à Petro Aponensi comprobatam, & experientia confirmatam, sed hac conditione, ut Jupiter, aut Venus medium aspiciat cœlum: Planetæ vero noxij cadant, infortunatiq́ sint. Mizald. sent. 1. n. 3. memorabil. *Si in lamina auri purissimi figura Leonis sculpatur, Sole versante in Leone & Luna non aspiciente sextam domum, nec domino ascendentis Saturnum vel ♂tem, Lunaq́ ab illis recedente, valebit Sigillum huiuscemodi circa renes gestatum, ad sævissimos illorum dolores & cruciatus abolendos. Et si componantur trochisci ex pulvere selecti Olibani cum hircino sanguine, imprimanturq́ in dicta lamina, & siccati solvantur in vino albo, quod à jejuno bibatur, mirabilem effectum habebunt adversus calculos renumet vesicæ lapidem.* Idem cent. 2. num. 99. memorabil. *Cum volueris cervos alicuius nemoris congregare in unum locum, fac è cupro, ascendente prima facie Leonis, imaginem cervi, quasi coeuntis cum cerva. Et dum illam facis & formas, dic: Ligo & constringo omnes cervos, sunt, qui fuerint, in isto nemore N. per hanc imaginem, ut, ubi sepulta, ad eam omnes conveniant & non recedant. Deinde sepelias in medio nemoris & miraberis effectum.*

49. De Virginis signo hæc habet Mizald. Cent. 2. n. 44. memorabil. *Cum volueris cogere in unum locum multitudinem corvorum, fac imaginem dimidij corvi in panno, prima facie virginis ascendente, dicendo: Non remaneat corvus in hac tota regione, qui non veniat ad hanc imaginem, quocunq́ in loco sepulta fuerit. Deinde sepelias eam, ubi volueris; modo sit in loco & aere libero. Sed non est obliviscendum vel prætermittendum, quod dum formantur istæ imagines, & (ut volunt quidam) sepeliuntur, Luna debet esse in ascendente, adjuta bonis felicium planetarum aspectibus & procul à maleficorum contubernio, qui cadentes erunt, & dominus ascendentis fortunatæ stellæ conjunctus.*

50. Omnium famosissimum Scorpii signum est. Autor iste sigillorum Salomo pag. 40. *Scorpij imago in annulo aureo & lapide bezoar impressa, aut sculpta. Luna existente in Scorpione, sitq́ scorpius in uno ex cardinibus mundi, ad puncturam scorpionis valet.* Joseph. Scaliger Epist. pag. 485. Edit. Francofurtensis de Hali Aben Rodan refert, *quod hominem à scorpione læsum sanaverit figura scorpij grano thuris impressa, quodq́ in eum gemma annuli sui figuram*

ram ſcorpÿ habuerit inſculptam, obſervatis iis ceremoniis, quæ ad id requiruntur, id eſt, ſcorpio aſcendente, vel ut alÿ volunt, in medio Cœli exiſtente. Conſ. quæ ex eodem allata ſunt ſupra parag. 33. Marſ. Ficin. L. 3. c. 13. de vita cœlit. comp. ad locum Carpi ſupra pag. 11. citatum hæc annotavit: *Quod quidem Haly comprobat ibi dicens: Utilem ſerpentis imaginem affici poſſe, quando Luna ſerpentem cœleſtem ſubit, aut feliciter aſpicit. Similiter ſcorpionis effigiem efficacem, quando ſcorpÿ ſignum Luna ingreditur, ac ſignum hoc tenet angulum ex quatuor unum. Quod in Ægypto ſuis temporibus factum ait, ſeq; interfuiſſe, ubi ex ſigillo ſcorpionis in lapide Bezahar, ita facto, imprimebatur thuri figura, dabaturq; in potum ei, quem ſcorpius ipſe pupugerat, ac ſubito curabatur. Quod quidem utiliter effici Hahameth Phyſicus affirmat, confirmante Serapione.* Mizald. Cent. 6.num. 87. memorabil. *Refert,* inquit, *Alexan. Joviano Pontano auctore, ſe vidiſſe hominem graviter à ſcorpio percuſſum, qui ſtatim liberatus fuit, ebibito thure contrito, in quo calatum fuerat ſcorpÿ ſignum. Debet autem ſculpi in lapide annulari, aſcendente ſcorpio, dum Luna ibidem agit cardinaliter conſtituta: eodemq; ſigillo aromatica imprimi, hora, qua Luna in ſcorpio cardinalis invenietur, & quo dictum eſt modo exhiberi, ex aqua, vino albo aut alio aliquo liquore.* Hodie uſus obtinuit, ut imago ſcorpij Jaſpidi inſculpatur, Sole ejus ſignum ingrediente: quem vero errorem jam dudum refutavit Sennert. cap. 18. de Chym. cum Ariſtotel. & Galen. conſ. & diſſenſu, pag. 338. ſcribens: *Verum ſit ſane* (quod tamen nondum ab iis probatum) *Scorpiones inferiores ſubjici ſigno ſcorpÿ in cœlo: Sed quid hoc ad Scorpionem gemmæ inſculptum? Certe ſculptus vel pictus canis vel ſcorpius non eſt ſub eodem genere cum cane vel ſcorpione animali.* Et pag. 339. ſubjungit: *In his* (Characteribus) *figura nihil poteſt; gemmaq; ſi quas vires naturales habent, ſub quacunque figura illas exſerunt; ſcribitq; Galenus de Jaſpide, ſe ejus vim aquè expertum fuiſſe, ſine figura ſcorpÿ, ac cum ea.* Adjiciendum ſupereſt, quod idem Mizald. Cent. 1. n. 19. memorabil. ex Hermete narrat his verbis: *Ad ſanandos genitalium dolores, ad ſanguinem cohibendum, antiqui ſculpebant in lamina cupri figuram ſcorpÿ, hora Saturni, ſurgente tertia facie aquarÿ cum eodem Saturno.* Conſ. Ficin. L. 3. c. 18. Memorabil. pag. m. 153.

51. De Sagittario duo commentatur Mizaldus in memorabilibus suis, quorum primum extat Cent. 2. num. 8. ubi, *Cum volueris*, inquit, *fugare lupos ab aliqua villa aut nemore, ut nunquam ibi revertantur: Figura ascendente secunda facie Sagittarii imaginem lupi in cupro vel stanno, pedibus simul ligatis, & duos maximos canes quasi latrantes super eum. Et inter operandum dicas: Extermino per hanc imaginem omnes lupos, qui sunt in hac villa aut nemore (proprio nomine addito) ut non remaneat aliquis eorum in illo. Deinde sepeli imaginem in medio villæ aut nemoris, involutam canina pelle, & pedes lupi sursum vertas, ut sit supinus. Sic reddes regionem à lupis immunem.* Alterum, quod ex Ptolomæo tradit Cent. 5. n. 100. hoc est: *Cum volueris fortunatos reddere venatores, ut proficiant in venatione, tertia facie Sagittarij ascendente, & Luna in eadem versante, vel in ariete aut Leone, modo applicet Mercurio ex bono aspectu, cum receptione fac ex argento, cupro vel stanno imaginem viri, habentis in dextra manu arcum tensum, sagitta superposita, & inter fundendum vel sculpendum dicas: Per hanc imaginem ligo omnes feras silvestres, cervos, apros, lepores &c. ut nulla meam venationem subterfugiat, quin optatam portionem & prædam mihi semper relinquat. Postea tertio gradu Leonis ascendente, incipe sculpere in altera lamina ejusdem materiæ, tot genera ferarum, quot erunt venationi congrua in tua regione, ac inter operandum dicas: ligo omnes feras &c. ut supra. Deinde conjunge ambas imagines conversis vultibus inter se, easq; serico panno viridi involves, et sic deligas, ut non facile separari possint. Tandem ubi venatum exire voles, defer tecum, & rem miram experieris. Verumenimvero, cave aggredi venationem, nisi cum Luna fuerit in ariete, Leone vel Sagittario. Qui enim illam initiatur ea versante in Tauro, Geminis, Scorpione vel Capricorno, nihil prædæ, vel parum admodum refert, idq; maximo cum labore.*

52. De Capricorno sigillum Chaelis Judæi ultimum hoc est: *Capricorni signum sculptum in Corneolo, aut in alio lapide, in annulo argenteo liga, & tecum porta, nec enim personaliter, nec oraliter ab inimicis læderis, nec judex contra te injustam sententiam dicet, in negotiatione & honore abundabis, & amicitiam multorum acquires, & omnes fascinationes, quæ contra te factæ fuerunt, destruentur, in prælio quoq; nullus inimicus, quam etiam fortis fuerit, tibi resistere poterit.* Mizald. Cent. 1. n. 43. memorab. ex Ptolomæo hoc addit: *Cum volueris fugare mures de aliquo loco, insculpe stanno vel cupro, ascendente tertia*

facie

Capricorni imaginem cati habentis murem in ore suo. Et dum fi- eam, dicito: ligo omnes mures per hanc imaginem, ut nullus in loco, erit, manere possit. Deinde sepeli in medio loco involutam corio & mirum videbis experimentum.

53. Supersunt Aquarius & Pisces. De illo Hermes pag. 6. Aquarij figura si sculpta fuerit in viridi Jaspide, & quis secum por- rit, lucrum præbet in vendendis & emendis rebus, & ab eo mercato- consilium quærent, & in suum domicilium merces portabunt. Salo- aliquoties citatus pag. 40. hæc tradit: Imago aquarij prodest qui habent falsas imaginationes, ut sunt Melancholici, quartanarij, iaci, oportet autem ut fiat in die Solis & hora ejus, & non sit Jupiter bustus, neq; Sol sit Jove altior; neq; Saturnus sit in ascendente, neq; in gr. Arietis: 3. 15. 17. Tauri, 11. Geminorum. 3. 4. 12. 15. 19. Cancri. 19. Leonis 3. 13. 30. Virginis: 3. 5. 21. Virginis: 3. 5. 21. Libræ. 7. 0. 21. Scorpionis: 13. 20. Sagittarij: 12. 13. 14. Capricorni; 7. 18. Aquarii, 13. 29. Piscium: Ex Mizaldo hoc adjicimus: Cum eris, ut pisces multi congregentur in unum locum, fac imaginem piscis anno vel plumbo, ascendente prima facie Aquarij, (melius fortasse ium) & dum illam figuras, dic: Ligo & adjuro omnes pisces, qui in flumine (nominandum est) ad tractum balistæ, ut ad hanc imagi- veniant, quotiescunq; in ejus aqua posita fuerit. Et cum volueris piscatum, pone eam circa rete in olla nova, & miranda ac perju- a videbis. Hunc Mizaldi locum qui rectius ad ultimum sig- Piscium referendum putat, illi nequaquam refragabor.

54. Denique de Piscibus hoc profitetur Salomo in sigil- um suorum ultimo: Imago piscium, Sole existente in piscibus, in lomo & Luna in ascendente, dominoq; ascendentis, & domino domus e aspectu sextili aut trigono respicientibus ad invicē, aut saltem Luna ciente alterutrum, à Podagricis doloribus gestantem sub plantis pedum re exprimento dicitur. Conf. Mizald. Cent. 1. n. 19. memora- Clausulæ loco erit, quod habet idem Mizald. Cent. 3. num. memorabil. Cum volueris fugare muscas à quopiam loco, ut nulla mplius videatur, fac imaginem muscæ in lapide annuli, vel ut habet meus, figura in lamina æris, cupri aut stanni muscam, araneam & ntem, secunda facie Piscium ascendente. Et inter formandum di- Hæc est imago, quæ omnes muscas exterminat in æternum. Deinde

sepelias

ſepelias eam in media domo, vel ſuſpende ad aliquem locum illius. Si habueris adhuc quatuor ſimiles, & in quatuor angulis domus ſepeliveris, aut inter parietes ita occultaveris, ut à nullo poſſint auferri, longe melius erit. Sed hæc repoſitio debet fieri prima facie tauri aſcendente. Sic enim nulla muſca ingredietur, nec remanebit. Experimentum vidi, inquit Ptolemæus, in domo Adebari Regis ſapientiſſimi & in magia naturali exercitatiſſimi In cujus palatio nec muſca erat, nec vermis aliquis nocens, aut moleſtiam afferens. Quod ut explorarem, ait, produxi ibi muſcas vivas, quæ illico interierunt.

55. De Amuletis Decanorum vix quicquam ſupereſt inter monumenta antiquæ Gentilium ſuperſtitionis. Fabricabant autem inſuper amuleta eorum aſteriſmorum, qui ſunt extra Zodiacum, tam ſeptentrionalium quam meridionalium; imo ſingularum ſtellarum, quæ primæ magnitudinis cenſentur & regiæ dicuntur. Ordiamur à polo arctico, cui proximæ Urſæ, de quibus Salomo pag. m. 34. *Cæterum Urſi imaginem ſic formarunt veteres. Binas urſas inſculpunt circumvolutas a ſerpente, Major urſa in capite circumflexionis, minor in cauda continetur: quæ imago in aliquo lapide ſculpta, geſtantem ſcientem reddit, verſutum & potentem.* Raphael pag. 6. *Urſi imago cum in Amethyſto ſit, fugiendi dæmones virtutem habet, & hominem ab ebrietate defendendi & præſervandi.* Corn. Agrippa L. 2. cap. 37. circa finem: *Draco cum utraq; urſa reddunt hominem aſtutum, ingenioſum, fortem, diis & hominibus placentem.* Cap. ſeq. 47. *Sub cauda Urſæ majoris faciebant imaginem hominis cogitabundi. vel tauri, vel figuram vituli. Valet contra incantationes, & reddit geſtantem ſecurum in itineribus.*

De Dracone Raphael. in primo ſigillo aſſerit: *Draconis formoſi imago, ſi in Rubino, ſive in alio lapide ſimilis naturæ ſculpta fuerit, ſcias virtutem ejus eſſe in augendis bonis hujus ſeculi, geſtantemq; hilarem & ſanum efficere.*

Cephei figura, ſcribit Salomo pag. 34. *habentis præcinctum enſem cum brachiis & manibus expanſis in lapide ſculpta, cautum reddit, & ſcientem, & cum pulvinari dormientis ſupponatur, in ſomno res delectabiles facit apparere.*

Caſſiopeja, pergit Salomo l. cit. *mulieris imago eſt ſedentis in Cathedra habentis manus porrectas ad modum crucis, aliquando cum triangulo*

lo in capite, in signo autem tauri constituitur, & in septentrionali ', ejus natura est de Saturno & Venere, cum hæc sculpta fuerit in con-nti lapide, virtus ejus erit, hominibus sanitatem præbere, infirma & igata corpora restaurare, quietem & tranquillitatem post conceptum em gestantibus præbere, amœnum & suavem somnum præstare. ippa c. 37. l. 2. Occult. Philosophiæ: *Cassiopeja debilia corpo-litnit, & membra roborat. Andromeda puella* Salomoni pag. *mago est, habens crines sparsos, ac remissas manus, à tauro continetur tentrione, Venerisq; naturæ est: ejus virtus est, si in lapide sculpta rixas & jurgia inter virum & uxorem ortas conciliare, & stabilem em firmare: & à quam plurimis infirmitatibus custodire.* Agrippa *ndromacha* (leg. Andromeda) *conciliat amorem inter virum orem; ita quod dicitur etiam reconciliare adulteros.*

Perseus, inquit Salomo cit. l. *ensem in dextra manu, in sinistra Gorgonis habens, imago est, ac locatur in tauro, & in septentrionali , vim Saturni habet & Veneris, si in lapide sculpta fuerit, ab infor-gestantem avertit, & à fulgure, tempestate præservat, non solum tem, sed & loca, ubi continetur, fascinationes quoq; solvit.* Agrip-. *Perseus liberat ab invidia & maleficiis, & præservat à fulgure & state.* Idem cap. 47. *Sub capite Algol faciebant imaginem, cujus erat caput hominis cum longa barba, habens collum sanguinolentum. conferre eventus petitionum, reddere gestantem audacem, & ma-num: conservare membra corporis illæsa, conferre contra malefi-; reflectere conatus malos & incantationes malas in adversarium.*

Agitatoris seu Auriga, verba sunt Salomonis pag. 40. *imago ninis figura in curru tenentis hircum in humero sinistro: collocatur o Geminorum, & in septentrione, naturam habens Mercurij; hæc in lapide sculpta facit gestantem venatorem & fortunatum in capi-nimalibus. Sub Hirco,* inquit Agrippa c. 47. c. l. *faciebant ima-cujus figura erat tanquam homo volens lætari in instrumentis Mu-fficit gestantem gratiosum & honoratum & exaltatum coram regi-principibus, & confert contra dolorem dentium.*

Pegasi alati, scribit Salom. pag. 29. *qui Pegasus dicitur, , cum in aliquo lapide sculptam invenies, optima est mi-, & in campestri bello dat audaciam & alacritatem.* Pag. *gasus sive equus alatus, vel secundum aliquos, medietas e-*

 qui

qui cum alis: secundum alios totus equus cum alis: & sine freno, in signo arietis, & in septentrionali parte naturam habens Martis & Jovis: cum sculptus fuerit in lapide, gestanti in campestri bello victoriam præbet, & velocem, cautum, audacemq; reddit: cum vero equi collo suspendatur, aut in aqua ponatur, ubi bibat equus, à multis infirmitatibus eum liberabit. Agrippa cap. 37. *Pegasus valet contra morbos equorum & conservat equites in bello.*

Piscis sive Delphinus est imago gibbosi piscis: est in signo Aquarii & in septentrione, naturam habens Saturni & Martis, quod cum in lapide sculpta sit, artubusq; alligata fuerit, gestantem fortunatum efficit in piscando. Salom. pag. 37.

Vulturis imago si in Chrysolitho sit, virtus ejus erit dæmonas frenare & congregare, defendere locum, in quo ponitur à malis spiritibus, & ab eorum infestatione, gestantiq; dæmonas facit obedientes. Raphael. pag. 4. *Sub Vulture faciebant imaginem vulturis vel gallinæ vel hominis itinerantis. Efficit hominem magnanimum & superbum: dat posse super dæmones & bestias.* Agrippa c. 37.

Cygni sive gallinæ imago, expansis alis colloq; incurvato, figura gratum gestantem reddit populo, scientem, divitem, podagramq;, paralysin & quartanam pellit. Salom. pag. 35. *Cygnus liberat à paralysi & febre quartanâ.* Agrippa c. 37. *Aquila sive vultur cadens, est imago aquilæ volantis cum sagitta sub pedibus, in cancro, & septentrionali parte collocatur, de natura Jovis & Martis est, sed sagitta de natura Martis & Veneris: hæ constellationes cum in lapide sculptæ erunt, gestantis veteres bonorum gradus conservare & novos acquirere, adq; victoriam conferre dicuntur.* Salom. pag. 36. *Aquila largitur novos honores, veteresq; conservat.* Agrippa c. 37. *Herculis quoq; incurvati imago talis est: Vir ingenua prolapsus tenens in manu clavam interficiensq; Leonem: aliquando vir cum Leonina pelle in manu, talesq; figuræ in decente lapide sculptæ ad victoriam conferunt bellicam, maximè si in Achate gestetur.* Salom. p. 34. *Hercules victoriam largitur in bello.* Agrippa. c. 37.

Serpentarius est hominis figura habentis serpentem, tenentis in dextra caput, & sinistra caudam; est in signo Scorpionis, & in septentrione, naturam habet Saturni & Martis, Virtus ejus in lapide sculpta est valere contra venena, venenosorum animalium morsus curare, & si lotura ejus bibatur, facit venenum evomere sine læsione. Salom. p. 36. *Serpentarius fugat venena & curat morsus venenatorum.* Agrippa. c. 37.

Corona

Corona imago similitudinem coronæ Regiæ cum pluribus habet stellis, interdum in similitudine regis capite coronati figuratur, existitq; in septentrionali parte & signo Sagittarij, estq; de natura Veneris & Mercurij, cumq; hæc imago in lapide fuerit sculpta, dat gestantibus honores & scientiam, regiamq; gratiam. Salom. pag. 34.

56. Transeundum est ad asterismos meridionales, ex quibus *Cetus est figura magni piscis cum curvata cauda & magno ore, continetur à tauro, & in meridionali parte naturamq; obtinet Saturni: in lapide hæc figura sculpta cum supra dorsum habeat serpentem cristatam, in mari gestantem felicitat, eumq; prudentem & amabilem reddit, & ablata restaurat.* Salom. pag. 37. *Cetus reddit amabilem, prudentem, terra mariq; felicem, facitq; recuperare ablata.* Agrippa. c. 37.

Leporis ad similitudinem leporis imago est cum extensis auribus & pedibus, ac si in cursu esset, in signo geminorum collocatur, & in meridionali parte: natura ejus est Saturnia & Mercurialis: virtus hujus est phreneticos curare & contra dæmonum versutias valere, nec à maligno spiritu gestans poterit lædi. Salom. pag. 38. *Lepus valet contra deceptiones & insaniam.* Agrippa. cit. l.

Orionis armati hominis imago cum ense seu falce in manu collocatur in signo geminorum, & in parte meridionali, Jovis, Saturni & Martis naturam habet, hæc figura in lapide sculpta, gestantem reddit victoriosum, & de inimicis victoriam reportare facit. Salom. p. 38. *Orion confert Victoriam* Agrippa. cit. l.

De Sirio intelligenda puto hæc verba Salomonis pag. 38. *[C]anis imago est figura canis leporini cum cauda curvata, existit in signo [Ca]ncri, & meridionali parte naturam Veneris habens, si in lapide sculpta ipsam vim habere dicunt liberandi totaliter lunaticos, maniacos, Dæ[mo]niacos:* Agrippa c. 47. *Sub cane majore faciebant imaginem canis [...]rarij, vel puellæ virginis. Confert honorem & benevolentiam & gra[tiam] hominum & spirituum aereorum: & dat potestatem pacificandi & [conc]ordandi reges & principes & alios homines.* Canicula quoque [...]dero insculpta memoratur à Joseph. Scalig. pag. 391. Epist. [...] Francofurt. Si quidem per eam Sirium intelligat. Diver[sam] quippe hujus voculæ interpretationem videsis ap. Ricciol. [...]1. Amagest. L. 6. c. 5. pag. 409.

De Procyone vero accipio hoc Salomonis dictum. pag. 39. *Canis imago sedentis in Cancro, de natura Veneris est: cum in lapide sculpta fuerit, tecumq; portaveris, hydropem non timebis, & à peste, canisq; morsu liberaberis*: nec non Agrippæ c. 37. *Canis curat hydropisim, resistit pestilentia & tutum reddit à bestiis & feris*: qui distinctius cap. 47. ait: *Sub cane minori, faciebant imaginem galli, vel trium puellarum. Confert gratiam deorum, spirituum & hominum; dat posse contra maleficia & conservat sanitatem.*

Argo *navis imago est cum retorta prora & elevato velo, aliquando sine & cum remis, continetur à leone, & in meridionali parte, est naturæ Saturni & Martis, in lapide autem sculpta securum reddit gestantem in agendis rebus in mari, & aqua, nec ab aqua damnum capere permittit.* Salom. pag. 38. *Navis præstat securitatem in aquis* Agrippa. cap. 37. *Hydra seu serpentis imago est serpentis figura habentis supra se urnam circa caput, & corvum circa caudam, de natura Saturni & Veneris: virtus ejus est efficere gestantem ditissimum, astutum, cautum, prudentem & à nocivis rebus liberum, & resistit omni noxio calori.* Salom. pag. 39. *Hydra confert sapientiam & divitias & resistit venenis.* Agrippa cap. 37. *Sub ala Corvi*, cujus character extat cap. 52. *faciebant imaginem corvi vel colubri vel hominis nigri induti nigra veste. Efficit hominem iracundum, audacem, animosum, cogitabundum, maledicum: & efficit mala somnia. dat posse fugandi dæmones & congregandi. Proficit contra malitiam hominum & dæmonum & ventorum.* Idem cap. 47. *Centaurus est figura tauri usq; ad collum, reliqua hominis tenentis in sinistra manu hastam quiescentem supra sinistram spatulam cum appenso lepore: in dextra vero manu bestiolam resupinam cum lebete appenso: in libra & meridionali parte constituitur: estq; naturæ Iovis & Martis. Virtus hujus sculpturæ est reddere gestantem constantem, & sanum perpetua sanitate.* Salom. p. 38. 39. *Centurus confert sanitatem & longævam senectutem.* Agripp. c. 37. *Sacrarii seu thuribuli figura de natura Veneris & Mercurii, cum accenso igne, cum in lapide sculpta erit, habilem gestantem ad convocandos spiritus efficit, ac in eorum conversione esse, eosq; reddit obedientes; dicunt etiam gestantem reddere ornatum perpetua virginitate, cum castitatem inducat.* Salom. p. 39. *Ara conservat castitatem, redditq; gratum diis.* Agrippa cap. 37.

Coronæ australis figura, imperiali coronæ assimilatur, de natura Saturni

Saturni & Martis in augendis divitiis ejus virtus est, hominemq; hilarem & jucundum reddere. Salom. p. 40. Tantum de asterismis fixarum: de quibus quæ amuletarii delirant, eadem fere fingunt Astrologi de iis, in quorum horoscopo isti ascendunt. Quippe ex Astrologorum commentis, tanquam fundamentis artis suæ regulas deduxerunt amuletorum fabri.

57. A fixis descendendum est ad septem stellas erraticas, quas græci Planetas vocant. Horum sigilla sive amuleta sunt vel omnium simul, vel plurium, vel singulorum. Omnium simul sunt, sive Catholica, quæ flantur in conjunctione vel omnium Planetarum in eodem signo facta; vel binorum. Subjectum amuleti dicitur Electrum, quod est massa septem metallorum: auri, argenti, cupri, ferri, stanni, plumbi & argenti vivi, certa proportione, quam tradit Paracelsus lib. 5. Archidoxis Magicæ pag. 565. & 566. Edit. Argentorat. conflatorum. Conflantur autem metalla vel bina & bina, pro diversa conjunctione binorum planetarũ, modo, quem docet Israel Hiebner myster. sigillorum, herbarum & lapidum p. 157. vel omnia simul in conjunctione omnium planetarum, in eodem signo, qualis non ita dudum Anno æræ Christianæ M Ioc LXII. d. 1. 11. Decembris contigit. Quæ quidem synodus, si ad rigorem Astronomicum exigatur, nulla erit, vel saltem platica, id quod prolixe ostendit Clarissimus Gedanensium Mathematicus Fridericus Buttnerus in Ephemeride sua Astronomica dicti anni. Requiruntur quoq; metalla, prius defœcata, ad modum à Paracels. cit. loco præscriptum. Qui fore dubitant, ut termino vitæ suæ ejusmodi conjunctionẽ omnium planetarum in eodem signo attingant, methodũ Hiebnerianam eligent, cujus prolixa repetitio nobis crambe bis cocta videtur. Nos hoc loco proponemus amuletum Catholicum, dicto anno M DC LXII. confectum, cujus ectypum Amicorum quidam Augusta Vindelicorum miserat. Tab. III. n. 1. consignatum. In anteriore facie conspiciuntur tres Characterum Planetariorum series. Media vulgarium est; dextra ejusmodi fere exhibet, quales supra §. 39. exhibuimus; sinistra habet, quos autor libelli Arbatel de Magia veterum Basileæ 1575, excusi, delineavit. Triplici vero characterum serie usus est hujus amuleti artifex eodem forsitan consilio, quo autor amuleti §.

CXLIV. v. 10. הנותן תשועה עבדך מחרב רעה, *qui dat salutem regibus, qui liberat Davidem servum suum à gladio malo.* Obscuriora vero mihi omnia, quæ in posteriori facie extant: א שכוג ומאלחו בשאדי ובומלפ יבימי. Quantum autem præstent ejusmodi scuta Davidica, subjungit cit. loc. Schickard. pag. 55. hisce verbis: *Ipsis vero Judæis, ut redarguantur, experientia opponi potest, quæ illos non raro frustravit, ut cum Anno 1617. Lublini plus mille: aut Anno 1544. Thessalonicæ supra 5000. habitationes eorum, intra sextam horam in cineres redacta fuerunt. Imo ipse Talmud, liber gentis opinione sanctissimus, maximo numero passim per Italiam universam crematus est, ut R. Dav. in Zem. annotavit, pag. 1. f. 22. a. an igitur e tot Rabinis nemo fuit, qui tam triste fatum libri miseratus,* שמות *schmos, id est sacra nomina pro remedio admurmuraret? ecce vanitatem vestri Magen David! quo nec ipsum corpus à flammis tutari potestis! namsi quæ verba eam vim haberent: utiq; codex Mosaicus, quo ad hoc artificium abutimini, præstaret id vel maximè. at nil juvit Rabinum, quem Imp. Hadrianus olim cremavit, quamvis eo totus involveretur. Afod. Zar. fol. 18. a.* Tantum de Judaica superstitione, qua non minor est Christianorum quorundam, quam probat amuletum primum Tab. VI. quod etiam Electrale, hoc est, ex omni metallo conflatum erat. In quo vero præter pudendum sanctissimorum nominum abusum nihil occurrit uberiori explicatione dignum.

58. Memorantur porro amuleta aliquot Planetarum. Sic ad memoriæ & ingenii præstantiam annulum ex auro puro fabricasse antiquos, in quo clausus esset adamas sub conjunctione Saturni & Jovis in ariete, ex Hermete refert Mizald. n. 19. Cent. 1. *Faciebant etiam*, inquit, Agrippa de occult. Philosoph. L. II. c. 38. *ex operibus Saturni simul atq; Mercurij imaginem ex metallo fusam, ad pulchri hominis formam, quam futura prædicere pollicebantur, faciebantq; eam die Mercurij, hora tertia scilicet Saturni, ascendente Geminorum sidere, Mercurij domicilio prophetas designante, Saturno & Mercurio conjunctis in Aquario nona cœli plaga, quæ & DEUS appellatur. Præterea Saturnus ex trino aspiciat ascendentem ac Luna similiter & Sol conjunctionis locum aspiciat. Venus angulum aliquem obtinens sit potens & occidentalis: Mars à Sole comburatur, sed non aspiciat Saturnum neque Mercurium: Dicebant enim, quod splendor potentiorum stellarum illarum diffundebatur super hanc imaginem, & loquebatur cum hominibus,*

bus, & annunciabit eis utilia. De conjunctis Jove & Sole infra tradit lib. III. de vita cæl. comp. c. 18. his verbis: *Accepi à Mengo Physico præclaro ejusmodi imaginem factam Iove in corde Leonis cælum medium obtinente, conjuncto cum Sole, liberavisse Ioannem Marlianum, Mathematicum nostro seculo singularem, à pavore, quo sub tonitru affici consueverat.* Amuletum quoque plurium planetarum videtur, cujus ectypon Lutetia ex æde Genofevæ consecrata missum adjicere volui Tab. VIII. n. 1. Sed quia certi quid de eo tradendum non habeo, à planetis junctis ad singulos tendo, quibus omnibus propria quædam amuleta fabricare docent plures scriptores, utramque amuleti faciem signantes. Rarius una ex parte tantum signatum occurrit, quale est in Tab. IV. octavum. Et quidem anteriori parte imprimere consueverunt planetæ vel imaginem, qualem poetæ aut pictores fingunt, vel signum cœleste, quod Astrologi ipsi tribuunt, posteriori vero vel numeros quadrato inscriptos, vel characteres Planetarum & signorum cœlestium, tum Astrologicos, tum Magicos: adscriptis sæpius tum sacris textibus, cum nominib⁹ divinis. Imagines Planetarum sive Poeticas sive Astrologicas, quales Pictores quoq; figurant, describit Agripp. Phil. occult. L. II. c. 38. & seqq. quarum ratio ex Mythologicis interpretibus petenda. In eorum locum substituit Israel Hiebnerus figuras ipsorum siderum, quales nobis per arundinem opticum intuentibus apparent. Ex signis Zodaici quænam Planetis tribuantur, & quam bene, supra dictũ est thesi 39. Characteres siderum diximus vel Astrologicos qui notiores sunt usus potius Astrologici, vel Magicos varii generis, de quibus prolixe agit Kircher. Oedip. Ægypt. Tom. 2. part. 2. pag. 170. & seqq. Agripp. Philos. Occult. L. II. c. 52. De abusu sacrorum nominum & dictorum, legi merentur Geiger. de superstition. c. 3. n. 22. & Jo. Wier. de præstigiis dæm. Lib. V. c. 4. & seqq. Supersunt numeri, quos consignavit in suis mensularum areolis Agripp. Occult. Philos. L. II. c. 22. Operosus est in eruendo mensularum Planeticarum artificio Kirch. Oedip. Ægypt. Tom. II. part. 2. cap. 5. pag. 50. & seqq. Dudum vero artem peculiari scripto revelaverat Joh. Ludov. Remelinus, August. Vindel. Anno 1627. edito. Conf. Georg. Henisch. Arithmet. perfect. pag. 396. His vim aliquam inde inprimis conciliare

liare volunt, quod numeris harmonicis ipsâ animâ affici certum sit. Sed respondit ad hanc objectionem Delrius disquis. mag. Lib. I. c. 4. quæst. 2. Conf. Voet. Tom. III. disput. pag. 151.

59. Speciatim de Saturni amuleto hæc tradit Salomon suppostititius pag. 26. *Saturni figura insculpta lapidibus est ejusmodi. Vir senex falcem tenens in manu, habens barbam non multum pilosam: hac figura sculpta in lapide de natura Saturni gestantem reddit potentem cum continua potestatis augmentatione.* Ficinus lib. III. de vita cæl. comp. c. 18. *Saturni veteres imaginem ad vitæ longitudinem faciebant, in lapide Feyrizech, id est, sapphiro, hora Saturni, ipso ascendente atq; feliciter constituto. Forma erat: Homo senex in altiore Cathedra sedens vel dracone, caput tectus panno quodam lineo fusco, manus supra caput erigens, falcem manu tenens aut pisces, fusca indutus veste* Agrippa de occult. Philosoph. Lib. II. c. 38. *Faciebant*, inquit, *ex operibus Saturni, ipso ascendente, in lapide, qui Magnes dicitur, imaginem hominis, cervinum vultum & cameli pedes habentis, super cathedram vel draconem sedentis: in dextra falcem, in sinistra sagittam tenentis: quam quidem imaginem sperabant sibi ad vitæ longitudinem profuturam. Saturnum etiam ad vitæ longitudinem conferre probat Albumasar in libro Sadar, ubi etiam narrat quasdam Indiæ regiones Saturno subjectas, hominesq; ibi longævos valde fore, nec nisi extremo senio decedere. Item faciebant & aliam ad vitæ longitudinem Saturni imaginem, in sapphiro, hora Saturni, ipso ascendente vel feliciter constituto, cujus figura erat homo senex super altam cathedram sedens, habens manus supra caput erectas, & in eis piscem tenens vel falcem & infra pedes ejus racemum, caput tectum habens panno nigro vel fusco, & omnes vestes ejus nigræ sint vel fuscæ. Faciebant etiam eandem imaginem contra calculum & renum morbos, hora scilicet Saturni, ipso ascendente cum tertia facie Aquarij. Faciebant quoq; ex operibus Saturni imaginem ad potestatem crescendi, ascendente Saturno in Capricorno, cujus forma erat vir senex baculo innixus, habens in manu falcem decurvam, nigris indutus vestibus: faciebant quoq; imaginem ex ære fusam, Saturno ascendente in ortu suo, scilicet primo gradu arietis: vel, quod verius est, in primo gradu Capricorni: quam quidem imaginem humana voce loqui confirmant.* Scalig. Epist. Edit. Francof. pag. 500. commemorat talismam Saturni argenteam factam die Sa-

turni, in conjunctione Solis & Lunæ, horoscopante hydra; sed ut plurimum ex plumbo illam conformare docent artifices, & quidem optimo nec non prius purificando. Paracelsus Lib. VII. Archidox. Mag. pag. m. 571. plumbum Villacense commendat. Plumbi purificandi modum præscribit Hiebn. myst. Sigill. pag. 140. his verbis: Nimb zerstossen Bleyertz / lass es durch ein enges Sieb lauffen / wasche und drucke es dann/darnach setze es auf ein lind Kohlfeur/ zu einem part deß Ertzes / nimb 2. part Weinstein / salis communis ein halb part/ thue es in ein Tiegel/ schmeltze es mit zimlich starckem Feuer / so setzet sich der Saturnus zu boden/ diß lass kalt werden/und schmeltze den Saturnum wider/und in starcken Weinessig oder kalt Wasser gegossen / so ist er purgiret. Diese purgation muß geschehen in der influentz Saturni. Idem loco imaginis, qua vulgo Saturnum repræsentant, tricorporis Saturni phænomenon imprimere præcipit, Saturno secundum requisita Astrologica optime constituto; altera ex parte eosdem cum Paracelso & aliis in mensa in novem areolas secta characteres numerorum, quos Indicos vocant, ita disponit, ut sive sursum, sive deorsum, sive dextrorsum, sive sinistrorsum sive secundum diagonalem pergas, summa obviorum numerorum ubiq; sit 15. Agrippa cit. loc. L. II. c. 22. notas numerorum hebraicas quoq; inscripsit mensulæ, cujus in fronte præfigi vult Hiebn. cit. loc. ש literam initialem vocis שבתי, quæ Saturnum exprimunt Hebræi. Usum hujus tilsemæ largum promittunt in ædificiis struendis, in agricultura exercenda, in morborum saturninorum curatione, in partu promovendo, inque fodinis, si benignis Saturni radiis de collo suspensa fuerit nigro serico involuta. Contrarium minantur, si eadem confecta fuerit sub infeliciori sideris positu. Autor quidam manuscripti de sigillis septem Planetarum perhibet, structuram ædificii nunquam absolutum iri, si eadem tilsema, Saturno retrogrado inque inimico signo posito, & Luna decrescente, confecta sub recens fundata structura recondatur, & infinitas rixas & adversitates aboriri, si die & hora Saturni deponatur.

60. De sigillo Jovis hæc commentatur Salomo pag. 32. *Jovis imago est hominis sedentis in solio seu in quadrupede cathedra, virgam tenentis una, altera vero pilam, seu tenentis idolum Cancrum vel*

vel piscem, & ante pedes habentis aquilam: sed apud Magiæ Doctores aliter figuratur, hominis enim figuram sculpunt cum arietino capite, rugosis calcaneis, subtili pectore, quæ si lapidi, maxime Krabati insculpatur, gestantem reddit fortunatum, amabilem, religiosisq; gratum, extollitq; ad honores & dignitates. Marsil. Ficin. c. l. *ad longævam vitam, inquit, atq; felicem Iovis imaginem faciebant veteres in lapide claro vel albo. Erat homo sedens super aquilam vel draconem coronatus, hora Iovis, ipso in exaltatione sua feliciter ascendente, croceam induto vestem.* Agrippa cit. L. cap. 39 scribit: *ex operibus Iovis faciebant ad vitæ longitudinem imaginem hora Iovis, ipso in exaltatione sua feliciter ascendente, in lapide claro & albo, cujus figura erat homo coronatus croceis indutus vestibus, equitans super aquilam vel draconem, in dextra sagittam habens tanquam missurus eam in caput aquilæ vel draconis ejusdem: faciebant & aliam Iovis imaginem eadem opportunitate in lapide albo & claro, præcipue in crystallo: & erat homo nudus coronatus, elevatis & conjunctis manibus, tanquam deprecans, sedens in cathedra quadrupedali, quæ feratur à quatuor pueris alatis, quam quidem imaginem augere felicitatem, divitias, honorem, & conferre benevolentiam, & prosperitatem & ab inimicis liberare confirmant. Faciebant & aliam Iovis imaginem ad religiosam & gloriosam vitam atq; ad fortunæ dexteritatem: cujus figura erat homo habens caput Leonis vel arietis, & pedes aquilinos, croceis indutus vestibus, dicebaturq; Jovis filius.* Hodie tilsemam Jovis parant ex stanno, cujus exemplum extat in Tab. III. n. 2. Artificium parandi exponit Paracelsus c. l. & Hiebner. c. l. pag. 142. qui metallum prius purgari vult hoc modo: Zerschmeltze Bley (rectius Zinn) und wann es wol heiß ist / so wirff Dartz darauff jedesmahl ein wenig/6. oder 9. mahl/wenn es nun darauff verbrennet / so geuß in Rautensafft oder Rautenwasser / so ist es purgiret. Dieses muß in einer Influentz Jovis geschehen / etc. Loco imaginis usitatioris & supra descriptæ adhibet characterem sideris Astrologicum, circumscriptis quatuor satellitibus Jovis. In designatione mensulæ sedecim areolis distinctæ & in qua numeri utcunque secundum latera & diagonales collecti faciunt 34. à Paracelso & aliis non differt, nisi quod in fronte tabulæ ponat צ literam initialem vocis צדק qua stellam Jovis Hebræi notant. Agrippa cit. l. c. 22. præter characteres numerorũ vulga-

 res,

res, Hebraicas etiam proposuit. Monstrosioris amuleti Jovialis typum edidit Jo. Wierus L. V. de præstigiis dæmon. c. 10. in cujus fabrica plures detestandas ceremonias adhiberi narrat. Plurimas utilitates ei tribuunt in favore hominum conciliando, inprimis Ecclesiasticorum & Forensium, in curandis morbis Jovialibus, ut vocant, in pellendis dæmonibus & peste, si serico ceruleo involutum gestatur, ut mavult Hiebnerus.

61. Martis sigillum ita describit Salomon c. l. *Martis imago multipliciter in lapide figuratur, interdum cum vexillo in manu, interdum cum lancea, aut alio instrumento bellico, semper tamen armatus, & aliquando equester; hujus lapidis sic sculpti virtus gestantem reddit victoriosum, audacem, bellicosum, maximè vero si sculpatur in lapide virtutis consimilis.* Ficin. c. l. *contra timiditatem*, ait, *hora Martis imagines fabricant prima Scorpionis facie oriente, Martem armatum & coronatum.* Agrippa cit. loc. refert. *Ex operibus Martis faciebant imaginem hora Martis, ipso ascendente in secunda facie arietis, in lapide Martiali, pracipue in adamante, cujus forma erat homo armatus supra Leonem equitans, in dextra habens ensem nudum erectum, in sinistra caput hominis gestans. Ferunt hujusmodi imaginem reddere hominem potentem in bono & in malo, ita quod timebitur ab omnibus: & qui gestaret eam, tribuunt ei vim fascinandi, ita quod terrebit homines aspectu suo, quando irascitur, & liget in stuporem. Faciebant aliam Martis imaginem ad conferendam audaciam, animositatem & fortunam in bellis & rixis: cujus forma erat miles armatus & coronatus, cinctus gladio, in dextra longam gerens lanceam: faciebántq; eam hora Martis, prima scorpionis facie, cum ipso ascendente.* Ab hodiernis artificibus sigillum Martis ex ferro conficitur, cujus exemplum dedimus Tab. III. n. 3. Conficiendi amuleti artem docet Paracelsus c. l. & Hiebn. pag. 144. qui ferri purificationem & necessariam statuit & his verbis comunicavit: Wasche limaturam Martis wol sauber/leg sie in Menschen Harn und acetum vini destillatum, laß 9. oder 10. Stunden darinnen liegen/darnach außgenommen/und die dicke Haut abgewaschen / dieselbe limaturam lege ein Stund in aquam tartari, so wirds roth / wie Kupffer / dann wider gewaschen / so ist es recht. Diese purgation muß auch in einer Martialischen Influentz geschehen. Idem in locum viri armati, quo sigillum frequentius signare

re consueverunt, substituit figuram, qua indutus Mars per tubum opticum inspicientibus apparet. Eadem mensula ipsi ac reliquis sculptoribus in viginti quinque areolas distincta, cujus numeri inscripti, si modo prius dicto utcunque colligantur, 65. exhibent, ab Agrippa & vulgaribus & Hebraicis characteribus coñotati. Solus Hiebn. in fronte præfixit מ literam vocis מאדים quæ Hebræis Martem significat, initialem. Summum ejus usum prædicant in certaminibus & præliis & martialibus morbis tollendis, ex mente Hiebneri rubro serico involvendi sicque à collo suspendendi.

61. Huic sigillo subjungimus amuleta illa, quæ corpus contra omnem ictum sive gladii sive globi impervium reddere dicuntur. Horum tria exempla delineavimus citata Tab III. num. 5. 6. & 7. Cui verò professioni Magicæ quantum fidei tribuendum sit, audiamus solidius differentem, prolixius licet, Celeberrimum Dn. Berneggerum p. m. & ad quæstionem in Tacitum 39. *An amuletis militaribus aliqua contra vulnera vis insit?* ita respondentem: *Amuleta & remedia contra tela, vulnera & sanguinem sistendi, non tam veteribus præstantissimis heroibus ac viris, quam hodierno die plurimis semichristianis, in usu fuisse, & adhuc esse, historiæ contestantur. Adstipulatus huic superstitioni Nahoda beguca Princeps regionis Malacæ, teste Osorio Lib. VII. de rebus Ind. & As. qui in conflictu cum Malacensibus, multis vulneribus conscissus, ita cecidit, ut nullum sanguinem emitteret: cum vero illum nudassent & armillam ex auro factam, in qua lapis quidam erat inclusus, detraxissent: magna repente vis sanguinis ex illis vulneribus emanavit; qui lapis, teste eodem Osorio, ex bestiis quibusdam eruitur, quas Siamenses Cabrisias appellant. Qui lapis mirificam adsistendum sanguinem vim continere dicitur. Similis historia recensetur à Molano, affirmante Petro Mattheo, cum anno 1568. Princeps Auraicus numeroso exercitu in Brabantiam irrumpere tentaret, in agro Juliacensi, prope Trajectum ad Mosam fluvium, quendam Hispanum captivum milites arbori alligatum, sclopetis vel bombardis manuariis occidere conabantur: verum frustra suos in illum tormentorum globos emiserunt, nec ulla ratione creberrimis ictibus lædere poterant, quippe amuleto munitum: quo sublato, primo ictu bombardæ extinctus occubuit. Aliud exemplum narrat Salustius Pha-*

ramundus in Carolo Allobroge, sive historia de superventu Allobrogum in urbem Genevam A. C. 1602. Militum audaciam auxisse initio quædam incantamenta Carminum, quæ à Jesuitis Thononianis accepisse aiebant, quibus se munirent, contra hostium virtutem & vires. Videbantur (inquit) in illis cruces, principium Evangelij S. Johannis, nomina B. Mariæ, Jesu, Trinitatis, & haud scio qui ignoti characteres, subsignatis verbis istis lingua Francica: Quicunq; hanc schedulam portaverit, eo die non peribit, neq; terra, neq; aqua, neq; gladio. Nec mendax fuit, licet solenni suo usus sit, Satan. Nam postridie strangulati, in aere perierunt. Hæc ille. Cæterum unde vis talis amuletis insit, item an & quatenus iis uti sit licitum, si quæratur, nos sententiæ Joannis Georgij Godelmanni Consiliarij Electoris Saxonici præstantissimi adstipulamur. qui lib. I. cap. 8. de curatione morb. præstig. postquam naturales & rationales curationes admittit, ita scribit: quando res naturales, ut herbæ, in certa cœli constitutione collectæ, characteres, sigilla, carmina, Evangelium S. Johannis, quæ neq; qualitati elementari, nec occultis viribus agere possunt, collo aut cæteris corporis partibus appenduntur, aut ad fugandos Dæmones, aut ad avertendos globos bombardæ, ictus gladij vel hastæ; tum illa amuleta fiunt sacramenta Diaboli, etsi morbi per tales appensiones curentur, aut aliæ actiones, non viribus earum rerum fiunt, sed Diabolus ipse, ex pacto vel tacito vel manifesto per illas curat & agit, permittente DEO. Pergit idem & ait: naturalia sunt licita, & sunt res, quæ sua sive occulta qualitate divinitus in prima sua creatione indita, semper eodem modo agunt in corpora, quibus applicantur sive sua sympathia, sive antipathia, qualia esse creduntur, radix & semen pæoniæ collo appensæ: item viscus quercinus collo appensus, in præservandis & curandis liberis ab epilepsia: item quod Corallium rubeum orificio ventriculi appensum corroboret ventriculum. Sic annulum ex ungula Alcis, digitis vel manuum vel pedum gestatum, mederi convulsioni, non quidem sua qualitate, sed occulta virtute, ut Medici scribunt. hæc ille. Hanc veram sententiam confirmat Camerarius meditat. Historicarum Cent. III. cap. 30. dum ita inquit; Etenim hæc quoq; est idololatria, si vis curandi, herbis, plantis, animalibus, metallis tribuatur, nisi eadem opera, laus ad DEum referatur. Et Augustinus cum Chrysostomo statuit, meram esse idololatriam, si charta aut characteres collo appendantur, quicquid etiam

iam

iam illis inscribatur, si ignoranter fecerint; sortilegium vero, si istud illi commiserunt, qui norunt interdictum, nec eo minus fidem superstitionibus adhibent. Vide & Plin. L XXVIII. c. 2. Hist. nat. Huc pertinent, quæ recenset Boissard. de divin. p. 56. c. 6. Comes illustris Germanus, vir non malus, qui majorem vitæ partem impenderat in comitatu Caroli V. Rom. Imp. cujus amplum dominium cis Rhenum extenditur, schedulam exhibuit, me præsente cuidam viro Nobili, quem mittebat ad Joan. Gulielmum Ducem Vimariensem, equitatum Germanicum ad Carolum IX. Galliæ Regem ducentem, qui eo tempore hærebat Metis Mediomatricum urbe: cujus milites spoliaverant equis & vestimentis tres Comitis famulos in sylvis Austrasiis, inter Sarrapontum & Metas. Ut autem hic, cui schedula data erat, posset tutius ad Principem commeare, & insidias Saxonum equitum vitare, scriptum in membrana secundina commissum erat tale: In nomine DEI patris omnipotentis, patris majoris Circuli, qui me defendat ab omni gladio acuto, sagitta venenata, sclopeto ignito, verbere lethali, & mortifero vulnere: Amen, amen, amen. Membrana illa tribus circulis depicta erat, crebra crucis imagine & characteribus incognitis designata, in quam comes ille insusurrabat arcana quædam verba, & anhelitu capite in crucem rotato muniverat: Hac serico rubro involuta, & filo serico puniceo appensa è collo fultus vir ille missus est Metas, ad repetendos equos ab equitibus raptos, quos cum in portarum exitu non invenisset, (nam ad quartam milliaris partem ponte Mosellano prope Molinum abducti flumen trajecerant) jussus est exercitum sequi usq; Cathalaunum Campaniæ, ubi Matrona uno ponte superanda est: Juraverat Princeps Vimariensis, se morte puniturum raptores, si agnoscerentur: cujus iram formidantes prope Pagum Gravelatæ, non procul ab urbe Metensi, locis infractis & difficilibus equites Saxonici crebris sclopetorum ignitorum ictibus, & exertis gladiis infesto agmine obruerunt miserum hominem, & ex equo discusserunt eum cum sua scheda Magica: corruit ille quidem thorace plumbeis glandibus transfosso multis in locis, sed illæsa tamen cute. Cumq; parum fideret in cantationi magicæ, metu consternatus, converso itinere ad Dominum suum reversus est: illiq; ostendit pectus duobus in locis gravi contusione lividum, & vibices in brachiis crebras: quas necesse fuit sanari Chirurgorum ope, & scarificatione facta multum sanguinis purulenti inde eximere. Asseverabat comes

mes, id evenisse ex defectu fidei: tantamq; in schedam certitudinem inesse credenti, ut ea munitus posset plumbeos globos fragore ignito è tormentis emissos ore aperto sine ullo periculo excipere; & nudum pectus omnibus inimicorum gladiis exponere sine metu: imo & hoc addebat, si quis tormentū in eum exereret, possetq; tubi foramen intueri, antequam ignis intueretur, pronuntiatis aliquot verbis, neq; flām. i sulphureum pulverem corriperet, immotaq; tormenti rotula, globus ultra tubioram non posset exeri. Mirum est astu Dæmonis usq; adeo Christianorum judicium dementari, ut hæc flagitia nomine & prætextu fidei usurpent; asserantq;, quia nomen DEI in his magicis incantationibus invocetur, & signa crucis Characteribus monstrosis misceantur, Dæmones cogi ad ea, quæ jubentur, & ab eis extorqueri, licet invitis, quæ impii Magi exigunt. Sed & hic Comes ex professo habebat spiritum familiarem, quem asserebat esse ex cœlestibus Geniis, cujus consilio utebatur in omnibus, quæ domi forisque peragenda suscepisset. Novum non est hæc exerceri ab iis, qui militiam sequuntur. Omnes fere reges antiqui habuerunt in suo exercitu aliquos, qui arte Magica crediti sunt mala à militibus avertere, & damna hostibus inferre varia. Plurima exempla exhibet. cit. loco pag. 17. Conf. Hotting. Tom. 5. Hist. Eccles. pag. 653. & 654. Quibus nil addo monendum, nisi detestandum signi crucis abusum, de quo uberius tractat Geiger. de superstit. cap. 3. num. 26. Amuleta hæc Turcis quoque usitatiora sunt. Vid. Leunel. Hist. Musulm. pag. 35. & 36. Hotting. de Cippis Hebr. pag. 174. & 175.

62. Solis sigillum crebrius occurrit, cujus septem exempla aurea proposuimus accurate delineata Tab. IV. num. 1. 3. 4. 6. 7. 8. & 9. unicum dictæ Tab. num. 2. notatum plumbeum erat, haud dubie aurei prototypi ectypon. De hoc sigillo ita citatis locis Salomo: *Solis figura diversimode reperitur, interdum instar Solis cum radiis circum quaq;, aliquādo instar hominis sedentis in solio cum capillis sparsis & veste profusa, nec non in curru, ac si ab equis quadrigis veheretur, ita ut circum circa currum sint* XII. *Zodiaci signa: Virtus autem hujus figuræ in aliquo lapide sculptæ gestantem reddit imperantem, Magnatibusq; gratum.* Ficinus: *Ad morbos curandos fingebant Solis imaginem in auro, hora Solis, prima facie Leonis ascendente cum Sole, Regem in throno, crocea veste & corvum Solisq; formam.* Agrippa: *Ex operibus Solis faciebant imaginem hora*

ra Solis, prima facie Leonis cum Sole ascendente: cujus forma erat rex coronatus, in cathedra sedens, corvum habens in sinu, & sub pedibus globum crocea veste indutus. Ferunt hanc imaginem reddere hominem invictum & honoratum, & incepta deducere ad finem, ac somnia vana pellere, valere etiam contra febres & pestem: faciebantq; eandem in lapide balayo vel rubino, hora Solis, quando ipse in sua exaltatione feliciter ascendit. Faciebant aliam Solis imaginem in lapide adamante, hora solis, ipso in sua exaltatione ascendente: cujus figura erat mulier coronata cum gestu saltantis & ridentis, stans in curru quatuor equis tracto, habens in dextra speculum vel clypeum, in sinistra baculum super pectus innixum, flammam ignis gestans in capite. Ferunt imaginem hanc reddere hominem fortunatum & divitem & ab omnibus dilectum: faciebantq; eandem imaginem in lapide sardio hora Solis ipso ascendente in prima facie Leonis, contra passiones lunaticas, quæ proveniunt in combustione Lunæ. Hodie quoque construunt ex auro, quod prius purificare docet Hiebnerus hac ratione: Laß 3. theil Gold fliessen/und wann es im Fluß stehet/ so wirff 1. Theil Antimonium zu/ laß es mit einander ein achtentheil einer Stund im Feuer stehn/und wohl treiben/alsdenn in eine warme fette Gießpockel gegossen/klopffe daran / so fällt das Gold zu grunde / und scheydet sich alle Unreinigkeit ab / jedoch bleibet noch etwas wildes von dem antimonio beym Gold / dieses Gold giesse noch 3. mahl durch den antimonium, setz jhm alsdenn ein wenig deß besten Bleyes zu/und treibs auff einer Treibscherben durch / denn blaß davon / setze das abgetriebene Gold in einen neuen Tiegel mit ein wenig Borras, schmeltze es / so ist das Gold linde und zu diesem Werck gerecht. Signaturam quod attinet, una ex parte Paracelsus veteres imitatus regis in throno sedentis imaginem imprimi vult, Sole in Leone feliciter constituto; Hiebnerus vero Solis, qualem pictores figurant, maculis, quales Astronomi recentiores in hoc sidere observarunt, notatam: ab altera vero parte uterq; mensulam 36. areolis distinctam, in quibus sũma numerorum sive secundũ litera sive secundum diagonales aggregatorum, est 111. In fronte præfixit Hiebnerus literam ה vocis חמה quæ Solem significat, initialem. Sed ex præmissis exemplis nullum sive regem sive mensulam exhibet. Plurima Leonis referunt imaginem vel cum Charactere ejus, vel cum nomine Angeli, ex sententia Hebræo-

rum, signi Leonini præsidis, Verchiel. Quod signum partim tempus innuit, quo signandum sit amuletum, scilicet quando Sol in Leone, domicilio suo, feliciter constitutus est: opportunissime quando conjungitur Regulo sive Cordi Leonis, quod contingit sub initio Augusti. Ut autem reliquorum Zodiaci signorum cuiq; angelum quendam præsidem tribuerunt Hebræi, ita & Leonis præsidem finxerunt Verchiel, forte dictum à benedicendo: ברך enim Hebræis significat *benedixit, genua flexit*. Omnes istos angelos ordine recenset Agrippa occult. Philosoph. L. 3. c. 24. Pessime vero hoc signum cœleste à Magis & Amuletorum fabris traductum est in his operibus suis superstitiosissimis ad Leonem Juda. Occurrunt insuper in his præter abusum Evangelij Johannei, cujus initium solenne est Magis & incantatoribus, plures aliæ insidiæ Diabolicæ. Videantur non nemini primo sigillo inscripta vocabula corrupta hebraica, quæ significent: *Ubi surget ad faciem nostram unus DEUS omnipotens*, mihi certe sapiunt Gnosticorum & Basilidianorum hæreses & blasphemias. Nam JACO nil aliud est nisi JAω Gnosticorum usitatissimum. Vid. Kirch. Oedip. Tom. 2. part. 2. pag. 461. Effenon mihi corruptum videtur ex ωφιων, de quo vid. Kirch. cit. loc. pag. 451. & de Heloy. pag. 465. 466. Conf. ex gem̃is Basilidianis Chifletii vigesima octava & trigesima. Orig. p. m. 295. & in ipsum not. pag. 78. Serius ad manus meas pervenit sigillum Solis ex mente Paracelsi fabrefactum, qnod Tab. III. n 4. locavi. Duæ lamellæ erant aureæ gummi quodam conglutinatæ & serico flavo involutæ. Huc pertinet locus iste Thurneisseri supra thesi 22. citatus, quo non solum fabricam docet amuleti; verum etiam omnem vanæ superstitionis superstitionem declinare pro virili studet. *Cum hoc loco*, inquit, *mentionem fecerimus Sigilli Solis, haud inquè facturi videmur, si de modo ejusdem parandi (ut enim intelligant & Cynici quidam, ac cavillatores contumeliosi, qui ejusmodi imaginibus utentes, superstitiosos præstigiarum sectatores nominare non dubitarunt) paucis verba faciamus. Est itaq; ille, ut ex disciplina artis nostræ instituitur, talis fere. Primo eligitur aurum putum sive obryzum, quodq; in examine exquisitæ puritatis notas ostenderit, vel saltem (si tale non sit in promptu (ter per stibium fusum: quantitate ea, qua ad institutum sufficiat: id in*

ad in primo Solis in primum Leonis gradum ingressu liquatum, dum adhuc candet (aqua refrigeratoria omissa) quassando complanatur, vel malleo in laminam redigitur, donec amplitudinem sigillo faciendo expetitam acquirat. Hoc facto lamina inter duos malleos signatorios, quos ante simili tempore exsculptos oportet) interposita, vehementi collisu, ut effigiem eorum hic appictam recipiat, cuditur. Atq; hæc est tota series & methodus integra, omnium illarum incantationum, conjurationum & præstigiosarum superstitiorum rituumq; magicorum, quorum nos invidi quidam & mendaces omnium artium Physicarum contemptores, barbara & crassa quadam inscitia, ignorantia, atq; livore, suis se ipsum (ut quidam inquit) dentibus conficiente, contra omnem pietatem & honestatem insimulant & accusant. Ne vero iidem calumniatores & obtrectatores nostri ignorent, quarum rerum imagines, typi & characteres, & quo fine in hoc sigillo calentur, exsculpantur, cudantur aut imprimantur. Tenendum est: imagine altera repræsentari solem, altera sidus Leonis: non quod corpus illud rotundum & ex igne cœlesti incombustibili conflatum, hujus vel alterius sive hominis sive bruti faciem gerat: sive etiam signum alterum cœleste quod Sol (dum Zodiacum perlustrat) certo anni tempore ingreditur & peragrat, Tselem sive simulachrum Leonis revera habeat. Sed characteres hi tantum sunt indices & significatores ingressus Solis in signa. Cum enim ingressus ejus omnibus annis varient, & juxta horas diei naturalis viginti quatuor, hoc anno in hanc, altero in illam & sic consequenter omnibus annis in aliam atq; aliam incidant, ideo tempus & Character signi, id quod ingressus factus est, huc assignatur: idq; eo fine, ut usus sigilli rite institui possit. Subsequentia verba thes. 24. citata repetere nolo, quæ talis sequitur conclusio: *Quæ cum ita sint, tum Characteres hujusmodi, tum imagines, per se nullis viribus prædita sunt, sed solummodo virtutem in sigillo reconditam, tempusq; & locum atq; tractum efficaciæ ejus definitum significant.* Egregia utique superstitionis atque latentis Diabolicæ collusionis purgatio! Egregia probatio vis istius amuleto cœlitus influentis! Promittunt autem plurima & maxima de hoc sigillo, in primis Principum Magnatumque gratiam atque favorem, honores, potentiam & faustissima quæque, si flavo serico involutum gestetur. Contrarium vero minantur ex infelici Solis positu.

 63. Sigil-

63. Sigilli Veneris exemplum dedimus cupreum Tab. III. n. 5. De hoc Salomo pag. 33. *Veneris imagines similiter multæ sunt, lapidibus tamen sequens frequentius insculpitur: Mulier cum magna veste & stola, manuq; tenens laurum: hujus virtus est agilitatem dare in rebus agendis, omniaq; ad optatum finem deducere, timorem submersionis aquaticæ auferre, honores vero muliebres afferre.* Ficinus c. l. *Ad lætitiam roburq; corporis, fingebant Veneris imaginem puellarem, poma floresq; manu tenentem, croceis & albis indutam, hora Veneris prima facie libræ, vel Piscium, vel Tauri ascendente cum Venere.* Agrippa c. l. c. 42. *Ex operibus Veneris faciebant imaginem, quæ conveniebat ad gratiam & benevolentiam, hora veneris, ipsa ascendente in piscibus: cujus forma erat imago mulieris habens caput avis, & pedes aquilæ in manu sagittam tenens. Faciebant aliam Veneris imaginem ad amorem mulierum in lapide Lazuli hora Veneris ipsa ascendente in Tauro: cujus figura erat puella diffusis capillis, speculum habens in manu, & collo catenam alligatam, & juxta eam adolescens pulcher sinistra manu tenens eam per catenam: dextra vero ejus aptans capillos, sintque ambo amicabiliter se intuentes, & circa eos sit puer parvus alatus, ensem vel sagittam tenens. Faciebant aliam Veneris imaginem prima facie tauri vel libræ vel piscium cum Venere ascendente, cujus figura erat puella diffusis capillis, longis & albis induta vestibus, laurum vel pomum vel flores in dextra tenens: in sinistra pectinem. Fertur efficere hominem placidum, iucundum, robustum, alacrem & conferre pulchritudinem.* Usitatius hodie ad sigilla Veneris conficienda, ex metallis adhibetur cuprum, prius secundum Hiebnerum hoc modo purificandum: Laß Kupffer fliessen / und wirff gestossen Glaß darauff im fluß / laß es eine gute Stunde treiben / geuß in ein acetum destillatum, so granulirt sichs / soll geschehen / wenn eine gute Influenz-Zeit Veneris eintritt. Quidam tamen ex recentioribus, quorum non postremus Hiebnerus, stannum adhiberi malunt, cuprum tribuentes Jovi. Præter mensulam quadraginta novem areolarum, in quibus summa numerorum sive notis Indicis sive literis Hebraicis notatorum, secundum latera vel diagonales collecta efficit 175. reliqui scriptores nudatæ Veneris imaginem atque Cupidinis signare jubent: Hiebnerus sideris corniculati phænomenon, quale recentioribus Astronomis per tubum observantibus apparuit.

Qui

Qui & ſupra menſulam literam Hebræorum נ vocum נגה, ניגה, נתדא quæ Venerem denotant, initialem inſcribit. Ipſum ſignandi artificium deſcriptum prodidere præter alios Paracelſus & Hiebnerus cit. locis. Plura quoque de hoc ſigillo jactitant ſuperſtitioſi, in curandis morbis aliisque rebus patrandis, inprimis, quod ejus ope facile omnium hominum amorem ſibi quis conciliare poſſit, præſertim muliebrem: imo infenſiſſimum adverſarium ad priſtinum favorem revocare, ſi ipſi aqua pluviatilis, quæ injecti amuleti vim hauſit, propinetur. Inſuper ſecum geſtantes illud viridi ſerico involutum aptos reddere dicitur ad Muſicam diſcendam & exercendam.

64. Venerem ſequitur Mercurius, de cujus ſigillo audiamus primo Salomonem, qui citato loco hæc tradit: *Mercurij figura homo eſt gracilis pectoris, pulchram habens barbam cum talaribus, caduceam tenentis virgam cum gallo ante pedes, aut cum ſerpente ſub pedibus, virtus ejus eſt conferre ad ſcientiam & oratoriam comparandam, mercatoribus locupletandis quaq; maximum præſtat auxilium.* Secundo Marſilium, qui citato loco ſcriptum reliquit: *Imaginem Mercurij ad ingenium & memoriam prima facie Geminorum* (veteres faciebant.) *Item contra febres ſculpebant hanc in marmore, ſubinde materiæ cuipiam imprimebant languentibus aſſumendæ. Hinc omne genus febrium curari dicebant.* Forma Mercurij. *Homo ſedens in throno galeratus criſtatusq;, pedibus aquilinis, ſiniſtra gallum tenens aut ignem, alatus, aliquando ſuper pavonem, dextra tenens calamum, veſte varia.* Tertio Agrippam, qui cit. loc. cap. 43. ita commentatur; *Ex operibus Mercurij faciebant imaginem hora Mercurij ipſo aſcendente in Geminis, cujus forma erat adoleſcens pulcher, barbatus habens in ſiniſtra caduceum, videlicet virgam, in qua involutus ſit ſerpens, in dextra gerens ſagittam, pedes habens alatas. Ferunt imaginem hanc conferre ſcientiam, & facundiam, & ſolertiam in mercibus atq; lucrum: præterea conciliare pacem & concordiam & febres curare. Faciebant aliam Mercurij imaginem, ipſo aſcendente in virgine, ad benevolentiam, ingenium & memoriam, cujus forma erat homo ſedens ſupra cathedram, vel pavonem equitans, pedes habens aquilinos, & in capite criſtam, & in ſiniſtra gallum tenens vel ignem.*

 Hujus

Hujus amuleti exemplum attulimus Tab. IV. num. 10. fabrefacti secundum præcepta Paracelsi, quæ tradidit Arch. Magicæ lib. VII. pag. m. 573. Confici solet ex mercurio coagulato, quem prius purgandum docet Hiebnerus. cit. loc. pag. 150. hoc modo: Drucke den Mercurium zwantzig oder dreyssig mahl durch ein Leder/darnach reib oder wasche ihn mit aceto destillato, so ist er purgirt: Es geschicht aber solche purgation zu einer guten ankommenden Mercurialischen Influentz. Coagulatur deinceps, ut docet Paracelsus dicto loco, hoc artificio: Nimb fein Bley vier Loth/laß es kalt fliessen in einem Tiegel/und wann es wol fleußt/so nimbs von dem Feur/und laß ein wenig erkalten/und wenn es schier bestehen will / so schütte vier Loth Mercurii vivi darein. Loco hominis alati Hiebnerus adhibet figuram Mercurii corniculati, qualem recentiores Astronomorum observationes suppeditarunt, cum vulgari sideris Charactere. Altera ex parte mensula sexaginta octo distinguitur areolis, in quibus numeri sive Indicis characteribus plerumque expressi, sive hebraicis, quales Agrippa habet, modis supra commemoratis collecti efficiunt 260. Supra mensam locat Hiebnerus literam Hebræorum כ vocis כוכב, quæ Mercurij sidus notat, principem. Tempus insignioris influxus sideris & signaturæ operationem, his describit Paracelsus: Alsdann hab acht/wann Mercurius eines rechten und guten gangs ist / und an einem Mittwochen / so der Mond im Zwilling oder Scorpion eintritt im Puncten: Laß den Mercurium coagulatum kalt fliessen / und geuß in die Form / und rüttel die Form / damit es desto reiner fall / und laß in der Form wol erkalten. Die Form soll auch erstlich ob einem brennenden Liecht bereit werden / auf daß sich im giessen vom Mercurio in der Form nichts anhencke / und gern und glat herauß gang. So aber das Sigill nicht rein und scharff gnug gefallen wer im giessen/ so magstu es ein wenig nach deinem gefallen verschneiden lassen. Videtur autem commentis Astrologicis convenientius in hac re differere Autor de Veterum sophorum Sigillis anonymus his verbis: *Mercurij influxum si quis pro intellectu, ingenio memoriaq; acuenda conciliare sibi cupit, observet, quo tempore anni Mercurius in geminis vel Virgine, in quibus signis suum habet domicilium, sit fortis & fortunatus in oriente vel medio cæli: inventa hora hora-*

que

que minuto, fiat cœlestis figura una cum aspectuum delineatione diligens & artificiosa sculptura in argento puro, quæ postea serico albo inclusa reservatur, tiaraq; ea parte, qua præcise cerebellum contingit, additis moschi optimi aliquot granis, insuitur; quæ cipue autem de nocte, ac evidentius illa hora & tempore, quo sculptura & inchoata, & absoluta, operationem perficere, animadversum est. Hoc anno 1608. Mercurius fortis & fortunatus est circa 11. Maji, horamq; matutinam secundam: iterumq; fortißimus & fortunatißimus existet circa 14. & 15. diem mensis Septembr. Paulo ante & post horam matutinam 5. quo tempore solem in orientali cardine antecedit in proprio domicilio, exaltatione, & felici Jovis triquetro. Amuletum hoc purpureo serico involutum gestantibus promittunt præter morborum quorundam curam, tuta itinera & miram quasvis artes discendi aptitudinem, aquam virtute injecti sigilli tinctam potantibus memoriam firmissimam omniaque pro lubitu per quietem appariturа super hoc sigillo capiti subjecto dormientibus.

65. Superest Luna, de cujus sigillo hoc memoriæ prodidit Salomo: *Lunæ Imagines variæ sunt, aliquando enim figuratur in propria Lunæ figura, cum cornibus, interdum in curru, ut puella cum canibus & pharetra, cum canibus sequentibus cervum: hujus imaginis virtus est præbere expeditionem in legionibus, ex his bona & honores, inq; omnibus rebus agendis præstare celeritatem & facilitatem, adq; optatum finem omnia deducere. Verum caute observandum, ut etiam supra monitum est, Planetam, cujus imaginem in annulo conveniente sculptam cupis optime debere esse dispositum, hoc est, non combustum, retrogradum, malorumq; radiis oppressum aut tactum, sed in bono cœli loco, oriente vel medio cœli, cum Jove vel Venere, in dignitatibusq; essentialibus, alias imago vana existet, nullinsq; momenti.* Ficinus: *Imaginem Luna ascendente prima facie cancri ad augmentum* (veteres faciebant) *Ad confirmandam sanitatem & veneficia devitanda, imaginem ex argento fingebant hora Veneris, Luna angulos obtinente ac Venerem feliciter intuente, dummodo dominus sextæ domus Venerem aspiciat, aut Jovem trino quodam intuitu vel opposito. Mercurius autem non sit infelix. Agebant hac hora diei Solis ultima, ita ut dominus horæ decimam teneret cœli plagam.* Agrippa c.l.p. 44. hæc habet: *Ex operibus Lunæ faciebant imaginē pro itinerantibus contra laßitudinē, hora Lunæ, ipsa in exaltatione sua ascendente, cujus figura*

figura erat homo super baculum incumbens, habens in capite avem, & ante se arborem floridam. Aliam faciebant Lunæ imaginem pro augmento terra nascentium, & contra venena, atq; infirmitates puerorum, hora Lunæ, ipsa ascendente in prima facie cancri: cujus figura erat mulier cornuta, equitans supra taurum, vel draconem septicipitem, vel cancrum, habeatq; in dextra sagittam, in sinistra speculum, vestibus induta albis, vel viridibus: habensq; in capite duos serpentes cornibus circumvolutos: & cuilibet brachio unum habens serpentem circumvolutum: & cuilibet pedi unum similiter. Et hæc de figuris planetarum dicta sufficiant. Fabricantur hodie amuletum Lunæ ex argento, quod prius ex sententententia Hiebneri sic defæcandum est: Theil das Silber gantz und gar auf dem teste mit Bley/ und wan du vermeinst/ daß es von andern Metall gar rein ist/ so thue es in ein Tiegel und schmeltze es wider/ und wens beginnt zu glänzen und leuchten im Tiegel wie ein Wasser oder wie ein Spiegel/ so wirff 10. oder 12. mahl tartarum drein. Diese purgation muß geschehen in einer Lunarischen Influentz-zeit. Luna in cœlo secundum requisita astrologica optime constituta una ex parte Paracelsus cum plurimis aliis figuram muliebrem imprimi vult dextra tenentem lunã corniculatam eidemq; insistentem, circumscripto Lunæ vocabulo. At Hiebnerus figuram Lunæ maculis conspersæ imprimi mavult. Altera ex parte mensula insignitur 81. areolis distincta, in quib⁹ numeri sive secundum latera sine secundum diagonales collecti efficiant 369. Supra hanc scribi præcipit Hiebnerus ל, literam vocis לבנה, quæ Lunam significat, primam. Multum hujus amuleti usum prædicant, si albo serico involutum gestetur, in curandis morbis, in itineribus citra periculum, inprimis maritimis obeundis, in exercendis piscationibus, & quæ plures ejusmodi farinæ pollicitationes fuerint. Non solum vero ipsius Lunæ amuletum faciebant Veteres, sed etiam nodorum Lunæ & singularum hujus mansionum. Nimis autem *prolixum foret dictu*, verbis utor Marsi. Ficin. L. III. c. 18. de vita cœlit⁹ compar. *quas per qualibet signa facies antiqui, & quas Lunæ stationes, tanquam necessarias in exprimendis imaginibus observabant. Nam in statione Lunæ à gradu Virginis decimo septimo ad finem ejus faciebant imagines contra morbos & odia & ad iter felix. In statione à principio Capricorni ad gradum duodecimum, contra morbos & discordias*

cordias atq; captivitates. In statione a gradu duodecimo Capricorni ad gradum vigesimum quintum, adversus languorem & carcerem. In statione à gradu quarto piscium, ad gradum ejusdem decimum septimum, ad curandos morbos, ad lucrum, societatem, ad angendas messes. Et in aliis similiter alias vana sapius curiositate machinabantur. Qui reliquas omnes nosse cupit, legat Agripp. occult. Philosoph. L. II. c. 45. & 46.

66. Hactenus de amuletis significantioris influentiæ. Obscurioris supersint aliquot, plurimaque occurrunt tum apud rerum magicarum scriptores, tum in museis harum rerum curiosorum, quæ ad alia qnidem patranda quoq; adhibentur, potissimum vero ad tollendos morbos. Quæ dum scribo, in mentem incidit locus Plinii, Lib. XXX. c. 1. obvius, ubi ait: *Natam primum è medicina (Magiam) nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse velut altiorem sanctioremq;, quam medicinam.* Quod quidem Plinii dictum Joh. Filesac. de Idololatria Magica pag. 26. b. ita corrigit: *Verius dixisset Plinius Magiam ex curiosa res abditas cognoscendi vel habendi cupiditate enatam. Neq; tamen negaverim, Magiam maximum, Medicinæ prætextu, incrementum accepisse, & Magos plurimos medicinæ faciendæ specie istam infamiæ labem huic arti affricuisse.* Hujusmodi remedia amuletica plura compilavit & proposuit Paracelsus Archidoxis Mag. libro primo. De quo viro hanc ob rem ita judicavit Kirch. Oedip. Tom. 2. part. 2. cap. 6. *inter cæteros,* (amuleta) *ab inferis resuscitata, summo studio coluit Paracelsus impostor, qui fuse ea in suis Archidoxis describit, ut proinde attonitus hæream, qua ratione tandem fieri potuerit, ut homo philosophus animum suum tam insanis, indignis, stolidis, & nullum in natura fundamentum habentibus commentis adducere potuerit & voluerit.* Nec minus ego miror Sebastianum Wirdigium, qui in nova sua Medicina Spiritum ad Regiam societatem Londinensem scripta, remedia etiam petit ex Talismanicis amuletis, ut satis apparet ex Lib. I. c. 26. n. 13. & Lib. II. c. 28 num. 5. Cæterum de hujusmodi remediis Talismanicis generatim hæc docet Petrus Aponensis apud Ficin. de vita cœlitus comparanda, Lib. III. c. 18. *Medicus in imagine fabricanda observet, ut anguli ascendentis, medii cœli, occidentis sint fortunati, & ascendentis dominus, & eadem ratione secunda, sed sexta & domi-*

nus ejus infelix. Ait etiam sanitatem fore firmiorem vitamq; longiorem, quam ab initio fuerat instituta, si nativitate perfecta fiat imago, in qua hac fortunata ponatur, scilicet illius significator vitæ. Item vitæ datores, tum signa, tum domini, præsertim ascendens ejusq; dominus. Item cœli medium, locus Solis, pars fortunæ, dominus conjunctionis vel præventionis ante nativitatem facta. Mali quinetiam infortunati cadant.

67. Præter varios characteres his amuletis præsertim inscripta apparent nomina divina, Angelorum, nec non vocabula obscuriora, ne à Magis quidem cognita. Ex characteribus frequens est sigillum Salomonis, à Mahumetanis & à Christianis multis sic dictum, quod supra Thesi 57. à Judæis scutum Davidis nuncupari diximus. Qua occasione obiter memorandum, quod Salomonem Magiæ incantatricis insimilent cum Judæi tum Mahumetani, quorum plura testimonia collegit Schickard. Tarch. p. 57. & seqq. Quibus ex Boissard. de divinatione cap. 7. pag. 59. hoc unicum addo: *Nicetas lib. 4. mentionem facit Claviculæ Salomonis, quam vocat librum Salomonium. Hunc Aaron Magus apud Manuelem Comnenum Imperatorem Constantinopolitanum legens, Dæmonum legiones adducebat subinde interrogantium, cur accersiti essent: offerentes sese, ut alacriter jussa exequerentur.* Quanquam minime negandum, multum Salomoni tribui, quæ alieni operis sunt. Sic amuleta supra copiose citata Salomoni falso tribui, quis non consentiat? Frequens quoque abusus est in amuletis signi crucis, de quo supra. Hujus insigne documentum est amuletum argenteum in Tab. VI. numero secundum, in quo corrupti & Magici vocabuli ANANISAPTA derivatio non neminem frustra exercuit. Sachsius Gammarolog. pag. 871. ex Freitag. noct. Med. cap. 39. pag. 193. docet, quod contra lethales morbos usurpent versum: *Ananisapta ferit mortem, qui lædere quærit.* Forte igitur amuletum hoc iis appendendum, qui quocunq; lethali morbo decumbunt. Reliquos characteres quod attinet, probe distinguendum est inter characteres Cabalisticos & Magicos. Illorum specimen occurrit in amuleto cupreo, quod in Tab. V. tertio loco positum est. In hujus limbo extat nomen Bezalael; in medio leguntur Arielis & Gabrielis, Angelorum

gelorum nomina, quorum illud quoque ex literis scripturæ cœlestis, hoc arte quadam Cabalistica, quæ Notaricon vocatur, coalitum ibidem extat. Sed Magici videntur mihi, qui in amuletis tertio & quarto Tabulæ sextæ, tertioque Tabulæ octavæ ducti cernuntur.

68. Inscripta nomina partim sunt divina, qualia inprimis occurrunt in Tabulæ septimæ amuleto primo argenteo inaurato: partim angelorum, quæ occurrunt in amuleto secundo Tab. V. tertio & quarto Tabulæ VI. partim verè magica, qualia sunt amuleti tertii Tabulæ octavæ, cujus ectypon Lutetia missum erat. Ad quam classem merito referuntur cancrina, qualia in amuleto primo argenteo & secundo Tabulæ septimæ ferreo apparent. Quæ quidem licet puerilia videantur, accedente tamen superstitione, Magiæ latentis suspicionem & censuram incurrunt atque merentur. Ferreum autem una ex parte omnino fere attritum erat, sed haud dubie nominibus divinis vel angelorum insignitum. Diu hæseram, quid mensula literis Hebraicis distincta significaret, donec tandem comparatione facta, duo ista ejusdem Tabulæ amuleta, metallo quidem disparia & literis, significatione tamen convenire deprehenderim. Postulet hic forte curiosus lector, prolixiorem & clariorem ejusmodi obscurorum magicorum characterum atque vocabulorum explicationem: cui respondeo: *ne quid nimis*. Sufficiat moderato harum rerum indagatori, hanc ipsam obscuritatem Magicæ indicè cognovisse. Nam hæc barbara vocabula *magni faciunt Magi*, inquit, Ficinus de vit. cœl. comp. Lib. III. c. 21. Sic *Zoroaster vetat barbara verba mutare. Jamblichus quoq; similiter.* Uti autem magos vocabulis barbaris, ut in admirationem & stuporem audientes adducant, existimat Joh. Filesacc. dissert. de Idololatria magica cap. 7. pag. m. 54. testimonio adductus Eusebii lib. IV. Præpar. Evang. Procli libro de anima & dæmone: denique ipsorum magorum apud Hieronymum in Epist. ad Ephesios. c. 6. ex quibus Simonem Magum quoque multa vocabula barbara excogitasse testatur Nicetas post B. Epiphanium Thesauri lib. IV. c. 1. Proinde ut primus autor hujus doctrinæ amuletorum Diabolus pater mendacii; ita etiam, qui hanc artem profitentur, nescio quæ quantaque mentiuntur credulo-

rum larga præmia aucupantes. Itaque talia *nemo intelligit, nisi qui facienda curavit, & frustra illis interpretandis opera datur. Quot enim verisimilia dici possunt, quorum nullum mentem eorum aperuerit?* censente Scalig. Epist. Edit. Francof. pag. 391. Confer. pag. 488. Petav. in Epiphan. hæref. 34. à Chiflet. ad Macar. pag. 44. citatus appellat vocum prodigia, in quibus conflictari neque otium neque operæ pretium sit. Confer. præced. pag. 45. Imo inter ipsos Magos nondum constat, utrum barbara ista vocabula aliquid significent nec ne. Nam ut Filesacc. c. l. testatur, Porphyrius vocabula ista barbara nihil significare dixit, Jamblicus contra, apud Deos aliquid significare contendit. Sic & *Characteres*, secundum Agrippam lib. III. c. 29. *aliam radicem non habent, præter arbitrium & autoritatem instituentis.*

69. Unicum addo Mizaldi monitum Memorab. Cent. VI. num. 44. quod scilicet *insculpant quoq; imagines sine consideratione cœli. Sic Alexander Trallianus asserit imaginem Herculis Leonem suffocantis annulo inclusam, colicis mederi.* Nec cum ullo, qui ex iis, quorum exempla proposuimus, quædam ita confecta esse affirmet, acrius contendam, quanquam, ut ex thesi secunda constat, de iis tantummodo quædam in medium proferre constituerim, quæ ad certum cœli positum fieri solent, vel facta creduntur. Quicquid vero effectus præstant amuleta, sive ad certas constellationes sive citra cœli considerationem facta, omne id superstitioni, amuletorum formæ specificæ, tribuendum est; cujus rei exemplum subjungam fide dignum. Artificiose confecerat in regni Granatensis oppido Antiquera, pro mercatore quodam Hamburgensi Augustanæ Confessionis, at in Pontificiam tum inclinanti, ex ære inaurato simulacrum Christi cruce affixi Aurifaber quidam, qui nunc nostratis Reipub. Senator adhuc vivit & olim juvenis plures in Hispania annos triverat, arte sua celebris. Anno elapso ad mercatorem artifex redux factus offendit opus artis suæ adhiberi à superstitioso mercatore, qui interim Pontificius erat factus, ad curandam, quæ tum grassabatur, pestem, cujus felicioris curæ plurima ipsi narrabantur exempla. Sciscitanti, unde tanta efficacia interim operi suo accesserit, relatum erat, quosdam in ædibus mercatoris peste decumbentes simulacrum illud adorasse, & convaluisse. Quod quam primum

inno-

innotuisset, alios ægrotantes, permissione à mercatore facta, accessisse, idemque adorasse & pariter pristinæ sanitati restitutos esse; iis autem, qui accedere non valerent, partem cuculli Franciscani simulacro affrictam missam esse, hacq; appensa itidem convaluisse: sicq; trecentos circiter à peste liberatos esse. Plura ejusmodi exempla occurrũt in Harsdorfferi Schauplatzes jämerlicher Mordgeschicht part. 2. hist. 45. n. 3. Cont. part. III. hist. 70. n. 2. & Philandri von Sittewald/ Expert Rupert. p. 642. & seqq. Sed finimus, quibus Franciscus Placet Gallus suum tractatum finivit, Lutetiæ 1668. editũ, cujus inscriptio: la superstition du temps, reconnue aux Talismans, figures Astrales & statues fatales, contre un Livre Anonyme intitulé Les Talismans Justifiez. *Illiciuntur Dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed DEus condidit, delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis: quæ cujusq; delectationi congruunt per diversa genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Ut autem illiciantur ab hominibus, prius eas ipsi astutissima calliditate seducunt, vel inspirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitiis apparendo, eorumq; paucos discipulos suos faciunt, plurimorumq; doctores. Neq; enim potuit nisi primum ipsis docentibus disci quid quisq; illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur; unde magicæ artes earumque artifices extiterunt. Maximè autem possident corda mortalium, quâ potissimum possessione gloriantur; cum se transfigurant in Angelos lucis; Sunt ergo facta eorum plurima, quæ quanto magis mirabilia confitemur, tanto cautius vitare debemus.* Plurima quidem superessent de amuletis dicenda, de literis Ephesiis commeroratis à Clem. Alexand. Strom. L. I. p. 306. & L. V. p. 568. Kirch. Oedip. Tom. 2. part. 2. pag. 469. Junio in notis ad Nov. Test. Syriacum Act. 19. 19. pag. 257. Dilher. Eclog. S. pag. 354. & seqq. De Gnosticorum sive symbolis sive amuletis pertractatis à Macario, Chifletio & Kircher. cit. loco pag. 459. quorum etiam plura exempla hunc in finem mihi Lutetia missa fateor; sed quia potiora officii momenta me aliorsum trahunt, ea in aliam occasionem differo, DEumq; precor, ut hosce Dæmonum illices ab omnibus, quotquot Christiana monita admittunt, averruncet, & irretitos ab ejusmodi laqueis Satanæ liberet, & pristinæ libertati restituat. Id quod DEUS faxit!

Typographus Benevolo Lectori.
S. P. D.

Quoniam experientia mihi edocto omnino verendum erat, ne loca ex Germanicis scriptoribus in hoc tractatu passim citata prius nauseam moveant evolventibus, qui linguam Germanicam minus callent, quam perlegerint, ut huic malo medelam afferrem, omnia illa Germanice verterentur curavi, quæ sic se habent.

Pag. 1. Diß sind Zeichen/etc.

Periapteno, sunt signa, sigilla, dicta alias Ligaturæ seu Amuleta, ex variis rebus, metallis, lapidibus, radicibus & speciebus aliis, juxta siderum positus, ad varios casus morbosq; confecta, cujusmodi egregiam imaginem in succino expressam, Alexander Trallianus curandæ Cholicæ adhibuit.

p. 17. §. 20. Weil man die/etc.

Quoniam Planetæ in domibus propriis semper observari non possunt, dies horasque eorum præcisè notasse suffecerit.

p. 33. Dieses sind güldene/etc.

Sunt nummi aurei, densissiores compacti, rotundi, atque instar patellæ aliquantum concavi. Modo Guttæ Apollinis, modo spermata Solis & Iridis vocantur. Virtute Solis, (per operationem influentis cujusdam naturalis atque elementaris virtutis) cum Sol iridem illuminat, in ipso puncto conjunctionis radiorum Solis & Iridis subito creari, ita formari ac postea decidere creduntur. Mirandæ in iis figuræ atque imagines, quarum rarò duæ sibi similes judicantur sententiisque admodum adversantibus pronuntiantur. Appellantur etiam שמשתקין à Sole & occulta quadam spirituali præparatione, quemadmodum Græcum quoque ex σπασκευὴ & ἥλιος compositum descendit. Paracelsus hæc fuse tractat in libris de impressionibus cœlestibus lib. 4. c. 15.

p. 34. Es sagen etliche/etc.

Referunt variæ experientiæ homines, decidisse aliquando de cœlo in pluvia, quâ Iris quam clarissime exsplendescens fulgorem suum in pluviales guttulas injecerit, nummos, antiquis Romanorum, argento, forma ac specie, faciebus quoq; collotenus

mus impressis persimiles, nisi quod undique præacutis radiis instar stellarum cingerentur, unde stellarum jacula, *Asterisci, Guttæ Apollinis atq; Iridis flores* à nonnullis appellati.

Quanquam vero non nisi unus ejusmodi ad me pervenerit, qui mihi fictitius, humanis manibus ita fabricatus limatusque videbatur, tamen haud minus quam meteoron portentumve aliquod, quorum Plinius l. 2. mentionem facit, evenire res ista potuit. Siquidem ineffabilis Dei potentia mirificè operatur, tam in aere, lapidum, sanguinis, frumentique pluviis, quam terrâ, auri, argenti, cæterorumque metallorum proventu. Ita in lapidibus ærariis Mansfeldiæ pulchræ Imperatoris, Pontificis aliarumq; creaturarum icones nonnunquam reperiuntur, quales nec præstantissim⁹ pictor efformaverit depinxeritq; perfectius. Quemadmodum in terra quoque Sol propriam sui effigiem, faciem flammis circumdatam, lapidibus suo splendore imprimit; nec potentia Dei in aere terrâque solum, sed in vasto quoque mari miraculose se exerit, uti Petrus Bizarus libro de Motu Belgico scribit, anno 46. in Belgio è mari ad littus delatum cetum quendam, variis majorum minorumque navigiorum, velorum, malorum, sclopetorum, apparatusq; bellici classis integræ formis, bellum prœliumque navale referentibus, quæ in cute & carne ejus succreverant, jamque exolescebant, inauditum hominibus horrendumque portentum. Sic hoc quoque anno 87. in Dania captum miris literarum notis inscriptum piscem, proxime excepit insperatus pii Daniæ Regis obitus. Hoc modo quin portentosa quoque fuerit illa nummorum pluvia nihil obstat. p. 35. Und wird ihr Lager/etc.

Locusque castrorum, quo se contulere, describitur, mari propinquus, sive in faucibus jugi montium Hiroth fuisse, quo ab utroque latere claudebantur, objecto à fronte mari: cui in iis locis vicinum erat castellum Migdol, in uno montium istorum ad mare situm; Erat in eo excelsa specula, cum idolo, quod BaalZephon seu Dominum speculæ vocabant. Iste Baal sive Idolum tuendis finibus, &, ut Paulus Fagius aliique Hebræi tradunt, servis fugitivis in Ægyptum repellendis, ne quà illa regione excederent, præerat.

Pag. 79. Lass 3. Theil/etc.

Funde tres auri partes, auroque fuso injice partem unam

Antimo-

Antimonii, urge igne forti per octavam horæ partem; Quo facto effunde, in vas aliquod æneum calidum ac pinguedine illitum, illudque agita, sic aurum petet fundum, & omnis impuritas separabitur, nisi quod Antimonium barbari adhuc aliquid post se reliquat. Auro huic, ter adhuc per Antimonium fuso, adde non nihil plumbi purissimi, illudque in tegulâ fulminatoriâ urge, deinde diffla, & separatum aurum cum exiguâ Boracis quantitate novo crucibulo injice, colliquefiat, atque sic aurum ad hoc negotium erit paratum.

Pag. 82. Laß Kupffer fliessen/etc.

Cupro liquefacto injice vitrum in pulverem redactum, urge per integram horam igne forti, postea infunde illud aceto destillato, & redigatur cuprum in granula, id quod fiat tempore benignæ Veneris influentiæ.

p. 84. Drucke den Mercurium, &c.

Mercurium vicies aut tricies per corium trajectum ablue aceto destillato, eritq; depuratus. Depuratio autem hæc fiat sub bonâ Mercurii influentiâ.

p. eadem. Nimb fein Bley/etc.

Recipe plumbi optimi uncias duas, frigidum colliquefiat in crucibulo, sique probè fluat remove ab igne, ut aliquantisper refrigescat, & quando coagulari incipit, affunde Mercurii vivi uncias duas. p. ead. Alsdann hab acht/etc.

Observa, quando Mercurius probè fluat, die quodam Mercurii Lunâ Geminos aut Scorpium ingrediente. Mercurium coagulatum frigidum fluentem funde in formam, quam agita, ut eò exactius figuram exprimat, tunc permitte ut refrigescat. Forma quoque prius supra candelam ardentem paranda est, ut in fundendo nihil Mercurii adhæreat, & facillimè extrahi queat. Sine sigillum non admodum exactum & accuratum à fusione appareat, ad placitum tuum id corrigere & efformare poteris. p. 85. Theil das Silber/etc.

Argentum totum quantum in testa cum plumbo divide, & cum videris, ab aliis Metallis esse purum, crucibulo iterum liquandum injice, si splendorem emittere incipit in crucibulo, instar aquæ vel speculi decies aut duodecies tartarum injice.

Hæc purgatio sub Lunari influentiâ fieri debet.

FINIS.

Sphalmata Typographica.

Surrepſere feſtinantibus Sphalmata nec pauca nec levia, ex quibus quæ lectorem fallere poſſint, correcta exhibeo, reliqua minoris momenti, ut Zodaici pro Zodiaci, accentus & diſtinctiones ipſe Lector, ſpero, pro ſuo candore corrigendo operam noſtram ſupplebit.

Et quidem pag. 6. lin. 13. pro diſp. 1. leg. diſp. 2. & pro diſp. 3. l. diſp. 4. pag. 7. lin. 7. L. 1. leg. L. 14. lin. 11. pro quatuor partes l. quatuor cœli partes. l. 24. pro donec principium. l. donec in principium. p. 8. l. 32. pro hac l. hæc. l. 34. Ἰαλρεμαθημᾳτικῆς *l.* Ἰατρομαθηματικῆς. *l. 35.* δάςέρων *l.* ζάςέρων. *p. 9. l. 35. naturas elementorum l. naturas eorum elementares. p. 11. l. 13. pro monomæriorum. l. monomæriarum. p. 13. l. 2.* αἰγόκερων *l.* αἰγόκερως, *pro* ὑδρηχύν *l.* ὑδρηχόος, *l. 34.* ἀπολεσματικῶς *l.* ἀποτελεσματικῆς, *p. 14. l. 25. Gazalus l. Gazulus, l. 12. reprehenditur l. reprehenduntur, l. 32. æquator l. Ecliptica, l. 33. undecime? l. duodecima, vel 77. gr. 44. min. coincidat cum undecima circulo? p. 16. l. 34. accupatiori cæteris l. accuratiori cœleſtis, p. 17. l. 29. pro domini in eius l. domini eius, l. 35. pro lunæ l. luna. p. 19. lin. 16. pro ſeptimi l. ſeptimo. p. 20. lin. 33. pro referas l. referret, p. 22. lin. 30. pro adolendum l. autem dolendum. p. 23. lin. 7. poſt* μάντιοι *l.* ᾗ, *lin. 19. pro* φαυμακειῶν *l.* φαρμακειῶν. *p. 26. lin. 4. pro* ἰδικλύπωσον *l.* διαλύπωσον. *lin. 25. pro ipſius l. ipſos. p. 27. lin. 8. pro* ἐζήτησεν *l.* ἐζήτησεν, *lin. 16.* ὅτωσου *l.* ὅτῳ σου, *lin. 25. indulgentiam) l. indulgentiam intelligit) p. 29. lin. 17. argeretur l. argueretur. p. 30. lin. 23. Mirerva l. Minerva. p. 31. lin 6. Palladium, l. Palladij. p. 35. lin. 23. Zephor l. Zephon. p. 36. l. 16. animum l. animam. p. 37. lin. 22. Hiſtorico memorat l. Hiſtorico quatuor memorat. p. 38. lin. 18.* ἐξηγκασμένοι *l.* ἐξηγκωνισμένοι *l. 18.* ἐνδεδυμένοι καὶ *l.* ἐνδεδυμένοι δὲ. *l. 22.* καὶ *l.* δὲ. *l. 25.* πελειῶδης *l.* τελειῶδης. *l. 27. arcendis l. arcendos. pag. 40. l 11.* παρεσδύειν *l.* παρεισδύειν. *l. 22. geſtare, l. geſtare & urbem. p. 42. l. 5. montis l. mortis. p. 45. l. 18. Hic l. His. p. 46. linea penult. Jod tetragrammaton l. Jod Tetragrammato præfixum, Tetragrammaton. p. 51. l. 4. auctoris l. auctores, l. 17. certisq; l. cæterisq; l. 20. in duas l. inter duas. p. 54. l. 25. virilem l. viridem p. 57. l. 27. 24. l. 29. p. 58. lin. 5. ſent l. Cent. p. 61. l. 14. deleantur 3. 5. 21. Virginis. p. 62. l. 2. aut inter l. aut ſi-ſſ enderis, aut inter. p. 86 l. 13.* אל אים *l.* שרי יה *l. 20. intelligimus l. colligimus. p. 69. l. 4.* שכנה *l.* שכינ. *p. 70. l. 1. infra l. mira. l. 21. eorum l. earum, l. 23. opticum l. opticam. p. 71. l. 19. etiam l. enim. p. 74. l. 21. geſtaret l. geſtaverit. p. 80. l. 28. ſuperſtitionem l. ſuſpicionem. p. 83. l. 18. poſt Marſilium l. Ficinū, p. 87. l. 30. Spiritum l. Spirituum*



LIPSIÆ
Apud FRIDERICUM GROSCHUFFIUM
M DC LXXXXII.

Tabula II.



ECCE VICIT
MICHAEL
HANIEL
RAPHAEL
GABRIEL
ZAPHKIEL
ZADKIEL
CAMAEL
IVDARA
DIX DAVID
LEO DE TRIBV
EXVRGAT DEVS ET DISSIPENTVR INIMICI EIVS

Tabula III.


1
SI
GILL
UM
ELECT
RA
LE
16 62
2
3
14 10 1 22 18
20 11 7 3 24
21 17 13 9 5
2 23 19 15 6
8 4 25 16 12
4
SO
L
5
6
7
8

Tabula IIII.



1
VERCHIEL
2
HELO
SADAI
3
VEHIEL
4
5
6
7
EFFENON
8
EFFENON
9
VERBVM CARO FACTVM EST
10
MERCVRIVS
11
12
13
14
15

Tab.V.



Tab.VI.


1
SANCTVS SANCTVS SANCTVS SANCTVS DOMINVS DEVS SABAOT
A D O N A I
MICHAEL
VRIEL
GABRIEL
RAPHAEL
IHS
ELOHIM SCHADAI ZEBAOT IEHOVA EMANVEL
SEM HAM
TE TRA GRAM MA TON
PHO RAS
NO
YLE
2
TETRAGRAMMATON
I N R I
ANANISAPTA DEI
EMAN VEL
3
DE GA GABRIEL
PORS
MLCHIMDIEL
4

Tab. VII.

1



2



3



AMBROSII·ENVLI·FESIVI·ENVLI·VESTITVM

Tab. VIII.



I. N. I.

SCRUTINIUM AMULETORUM MEDICUM.

CAPUT I. SECTIO I.

Vocem *amuleti*, vel *amoleti*, ut alii rectius scribi autumant, ab amolior descendere constat; ut adeò causa efficiens vel finis indicetur, cui scilicet negotio destinatum sit *amuletum*. Hinc statim aliqualis descriptio ὀνοματώδης resultat: quod amoletum sit medicamentum, quô morbos vel mala conamur amoliri. Perpendens illam nominis originem *Vossius Etymolog. p. 27. & idem de Idololatria p. 1522* aliique plures autores malunt scribere *amoletum*. Verùm dictis iis frequentioribus scribendi rationibus non omnes contenti deprehenduntur; siquidem nonnulli *Amolitum* per *o* & *i*. exprimere satagunt. Partes horum tuetur apud *Janum Gruterum thesauro critico tom. I. Janus Parrhasius syllog. 4. Epistol. 37. p. 767.* Cujus verba ita habent: *Hermolaus*, inquit, deducit *amuletum*, ab *Amula*, cùm *Fl. Sosipater* hunc in modum præcipiat: Φυλακτήριον quod Græci appellant, *amolitum* Latinè dicimus. Nam & *Varro Divinarum 41.* dixit: sive amoliendo, id est infringendo vim mali, sive æmulatione. Notavit *Hermolaus* in eo falsam nominis rationem, sed non literaturam. Quippe non *Amuletum* per *u* & *e*,

A sed

ſed *Amolitum* per *o* & *i.* ſcribendum. Proinde rectius *mu* in illa voce longum in metris cenſendum eſt, veluti etiam *Rhenius* diſputat contra *Schmidium bello grammaticali.* Non erimus difficiles animadverſores in eos, quib⁹ utravis iſtorum vocabulorum ſcriptio magis arrideat; interim invaluit potiùs *amuleti* expreſſio per *u* & *e.* veluti *Amula* dictio eadem elementa quadantenus & originis rationem agnoſcit. Non deſunt inſimul, qui expreſſe vocem *amuleti* ab *amula* deducunt, quod vaſe hoc condebantur olim etiam illa, velut mens hæc eſt *Hermolai*, apud *Janum Parrhaſium l. c.* & aliorum plurium autorum. Videtur tamen hoc non ita probare *Anton. Sabellicus annot. in Plinii l. 24. c. 9.* Amula verò eſt vaſculum, quod olim religionis & expiationis gratia fuit geſtatum. ſicuti ex ſuccino ejusmodi vaſcula confecta infantibus affixerunt. Idem illud videtur hoc vas exiſtere, atque bulla priſcis uſitata, cui ἀλεξίκακον remedium adverſus invidiam & veneficia valentiſſimum æſtimatum incluſum fuit. Conſtat etiam, quod hujusmodi bullæ aureæ ad formam cordis ſubinde fabrefactæ & à pueris geſtatæ quondam fuerint, ut commemoratione harum corde præſtarent, uti vult *Pontanus Bellariis Attic. l. 1. ſyntagm. 4. §. 163. p. 174.* Conſulatur etiam in hanc rem *Joh. Nic. Wernerus corpuſculo philologico cap. 10 p. 92. c. ſ.* Deindè bullas ejusmodi olim hunc in finem etiam ſuſpenſas fuiſſe, quidam autores ediſſerunt, ut ſcilicet iisdem in animum illis revocarent, quòd aliorum conſiliô egerent; velut etiam à βουλῇ derivatam cenſent vocem bullæ: quamvis derivationem hanc inſaniæ plenam pronuntiet *Nic. Perottus cornu copiæ f. 211.* Prius illud verò de βουλῇ paulò aliter expoſitum, proſtat ex *Sexti Pompeji Feſti fragmentis* apud citatum *Perottum f. 1135.* quod bullæ illæ circa pectus, tanquam conſilii naturalem ſedem appenſæ fuerint. Veruntamen non improbabile videtur, quod bulla etiam amuleti loco, vel receptaculi continentis illud, olim non raro fuerit adhibita, de quo non nulla etiam proſtant apud *Joh. Smetium Antiquitat. Neomagenſibus p. 67. &c.* Clariùs ea mea conjectura pateſcit ex *Perotti l. a. f. 210.* Bulla, inquit inſigne

insigne aureum, vasculi forma, quod triumphantes ante pectus gerebant, inclusis in eo remediis, quæ adversus invidiam, & omnia veneficia putabant valentissima esse. Hoc genus remedii Græci ἀλεξίκακον à depellendis malis dicunt &c. Idem ibidem paulo post pergit: *Plinius*, inquit, infantibus alligatur succinum amuleti ratione formam vasculi habens. Atque iterum non longè post ea pergit: Bullam ergò amulam esse manifestum est, dictam à similitudine ejus bullæ. Quod bulla insimul sit insigne puerorum innuit etiam *Lubinus in Persium p. 791.* Plura similia de hac bulla, quòd scilicet cordis figuram ostenderit, & amuleta continuerit, quæ adversus invidiam inservirent triumphantibus, & pueris pro vario scopo conferrent, prostant in *Joh. Bapt. Casalii de veter. sacr. Christianor. ritibus c. 41 p. 265.* Sed ductu amulæ vel bullæ pene seductus ego nescio utrum suspicari hîc liceat, quod *Marcellus cap. 8.* rectè velit voce aurei, phenicii, id est punicei, intelligi ejusmodi vasculum, lupinum, tubulum vel canalem, in quo amuleta reservari ac gestari præcepit citatus autor *cap. 29.* Locum vero hunc priorem à librariis corruptum, & pro voce *aureum*, corium legendum esse censet, decus illud literatorum quondam apud Altenburgenses, *Reinesius Epist. 45. p. 381.* Cæterum vascula istiusmodi etiam olim Ebræas mulieres à collo ad ubera pendula gestasse, eaq; pretiosissima καρδιοφυλάκια dicta, & Ebræis domus pectoris בתי נפש appellata fuisse, docet *Mich. Dilherrus Cantic. Canticor. p. 36.* Sine dubio itaque sanitatis vel alius scopi salutaris ergò gestata fuerunt vascula illa, quæ pariter amuletorum vel amularum nomine tolerari possunt. *Cornel. à Lapide Commentar. ad Esaiæ c. 3. v. 20. p. 77.* exponit domus illas animæ per halitus vel olfactoriola, quod fuerint myrothecia, sivè pyxides perforatæ & ocellatæ, quæ odores & svaves halitus per foramina sua exspirarint. Amor evolutionis accuratioris vocis istius amulæ nos iterum quodammodo in diverticula amovit, admoniti itaque originatione *amuleti* revertimur ad illius indagationem uberiorem.

Matthias Martini Lexico videtur quadantenus ad Græcam originem collimare in vocis nostræ derivatione, dum ita scribit: Amuletum quod amoliatur venena & sic *Gloss. V.* amoletum φυλακτήριον. Aliter ducunt ab amula vase, etiam ab *amulatione*. Assonat etiam ἅμμα, quod alligari soleat. Amuletum est Græcis περίαμμα, περίαπτον, περιάρτημα. Affine est etiam ἀμύνω auxilior, propulso. Vix autem commercium habent cum amuletis ratione originis ἀμόλυντα φάρμακα, medicamenta duriuscula, quæ manus non inquinant attrectata. Etiamsi verò in propatulo videtur, quòd vocabulum amuleti ab amolior, & hoc à *mole*, juxta *Becmannum etiam de orig. p. m. 427.* & alios plures descendat, non tamen omnes in eodem acquiescunt, sed ludunt aliqui adhuc & luxuriant in dictæ vocis percontatione. Pleniùs experiemur paulò post, quod amuletum sæpè accipiatur pro eò phylacterio absolutè posito, quod contra pestem atque virus pestilens directum est: permotus ergo hoc ipso *Joh. Rosenbergius Animadvers. & Exercitat. Medic. p. 110.* vocem hanc, quasi *amovens* vel *amotum lethum*, dictam censet. Imo dictus autor arsenicale amuletum, quod in peste aliàs non infrequentis usus est, propter periculum (cum quo scilicet hujus usus conjunctus est) illud per quampiam allusionem, quasi *amans lethum* pronuntiat. Deinceps etiam *amolimentum* pro amuleto ponere videtur *Marcellus Donat. p. 823.* sicut hoc dilucidat *Gruterus Thesaur. crit.* *Amolimen* etiam habet *Melissus meletemat. piis l. 4. Ode 15. p. 121.*

Sequuntur jam alia nomina valorem aut significationem amuleti exprimentia, quæ appellationis suæ vel valoris originem præcipuè traxerunt à modo applicandi, ingredientium conditione, morbi vel partis curandæ respectu, vel forma externa, conficiendi norma, vel tandem operandi ratione, veluti sequentium vocabulorum series palam faciet. Æquivalet itaque amuleti vocabulo *Pentaculum*, vel juxta alios *pendaculum*, porrò Pensaculum, Appensum, Suspensorium, Suspensio, quæ vocabula sine dubio à pendendo deducta sunt. Congrua his sunt alligatoria, suballigaturæ, gestamina,

mina; servatoria, conservatoria & averruncatoria: veluti etiam Averrunci Dii noti sunt, de quibus nobis alius disserendi locus paulò inferiùs restabit. Græcis verò Deos istos ἀποτροπαίους, ἀποπομπαίους, ἀλεξικάκους, λυσίους, φυξίους dici deprehendimus apud *Andr. Beverum additamentis ad Seldenum de DIs Syris p. 129.* Reddunt præterea Latini interdum amuleta per *Prebia*, quod tutos eos præbere credantur ista, quibus appensa sunt, juxta Philologorum quorundam mentem non improbandam. Annotant quidem non nulli, quod voce præbiorum præcipuè illa indicentur pendacula, quæ à fascino oculorum munire putantur. Suspicor etiam hujusmodi præbia ἥβης vel ἡβώντων puberum præcipuè exstitisse amuleta; utpote qui fascino ab oculis malevolis metuendo præprimis obnoxii credebantur, de quo *Plinius l. 7. c. 2.* Prœbia verò à prohibendo derivari scribit *Vossius Etymolog. pag. 405. Festus* hanc vocem per *æ* exprimit, ut ita *præbia* legamus. Quod verò *Scaliger* hanc vocem acutè corrigere ac *Præbra* legi velit (quemadmodum inebras aves dixerint prohibentes, ne quid noceret) commentatur *Dalechampius ad Plinii lib. 25. cap. 9.* Alia vocabula Latina, quæ minùs frequenter occurrunt, uti & Græca, amuleti valorem denotantia, & meliùs exprimentia, supersedeo hoc loco recensere, cum in subsequentibus sparsim ea significentur. Adductis autem paulò ante vocibus respondent Græca labia, synonymorum ubertate haut destituta: dicuntur quippe amuleta ἀποτρόπαια ab ἀποτρέπειν amoliri, depellere, quod verbum frequens est *Plinio*, ceu verba habent *Claudii Minois commentario ad Andr. Alciati Emblem: 78. p. m. 318.* Merentur etiam huc transscribi plura verba ex eodem *Minoë*, scilicet *ex annotationibus ad emblem. 77. p. 313. etf.* ἀποτρόπαια, inquit, sunt appensa & alligata incantamenta magica, quæ venenorum propulsant insidias, aut certè inefficaces reddunt, in quo differunt à periammatibus & periaptis, quia hæc specialius quid significant, & quod suum effectum præbeant, ut hominibus instar miraculi sint. Illa verò significatum habent

generalem, suamque vim ex ratione medica videntur mutuare. Apud medicos amuleta sunt in differentia multiplici, ἀποτρόπαια, ἀλεξητήρια, ἀλεξιφάρμακα. Hæc bestiarum venenatarum medentur morsibus, teste Galeno, eoq; differre ἀπὸ τῶν ἀλεξιφαρμάκων quidam putant, quod tamen non probatur Galeno. Eruditi homines hôc differre putant: quòd τὸ ἀλεξιφάρμακον intrò sumatur, ἀλεξητήριον foris imponatur, nec modò veneni causa, sed & fascinationis depellendę appendi soleat collo. Ἀλεξητήριον simpliciter Hippocrati est medicamentum, seu remedium, nam ἀλέξασθαι est βοηθεῖν. Alexipharmacum dicitur medicamentum, quod deleteriis pharmacis medetur, non extrinsecus impositum corpori, ut quod ἀλεξητήριον dicitur, sed intrò sumtum. Sunt tamen qui hæc accipiant indifferenter; Ἀλέξειν enim est à veneni noxa vindicare, sicut & Latinis amuleta ab amoliendo: hactenus *Minos* fuit auditus. *Thomas Jordanus de pestis phaenom. tr. 3. c. 9.* videtur strictius quid indigitare velle, dum ἀλεξητήρια venenatis bestiis opposita, ἀλεξιφάρμακα verò pharmacis venenatis vel δηλητηρίοις adversantia pronunciat, quod non omninò vanum apparet. Eadem attingit ex *Galeno Julius Cæsar Claudinus de ingressu ad infirmos l. 2. c. 22. p. 281.* dicit insimul quod quidam alexipharmaci nomen velint accommodare iis, quæ in communi respiciunt venena, alexiterii autem illis, quæ certis tantummodo auxilio sunt. Illud verò quod alexipharmaca pro internis præcipuè reputentur, annotat etiam *Heurnius operum medic. tom. 1. Institut. med. l. 11. c. 2. p. 81.* Verùm quod etiam pro externis usurpentur ἀλεξητήρια, constat ex *Remb. Dodonæi histor. stirp. pemptad. 1. l. 1. p. 13.* De utroque vocabulo, quòd pro amuleto usurpetur, innotescit ex *Andr. Tiraquelli de nobilitat. tom. 1. cap. 31. p. 145.* Hactenus adducta elicuit nobis valor vel usus vocabulorum quorundam amuleti significationem exprimentium; frequentiores autem amuleti appellationes apud priscos denotant talia præcipuè, quæ venenis aut incantationibus opposita creduntur. Inter recentiores verò autores promiscuè pro amuletis, quibuscunque morbis

morbis dicatis, indicandis aliqua vocabula ponuntur: veluti hoc jam ante indicavimus, atque adhuc in ſubſequentibus de eodem acturi ſumus. Nota ſunt præterea *ἀλεξίκακα*, medicamenta defendentia à malis, vel depellentia venena. Sic Hercules Alexicacos vocitatus eſt ab eo, quod defenſor eſſet hominum, de quo *Nic. Perottus cornu copiæ f. 210* Quales Dii fuerint Averrunci, vel *ἀλεξίκακοι* ſuperiùs attigimus, de quibus quoq; ſi placet, *Cœlius lib. 1. cap. 32. & Budæus com. Gr. L.* conſuli poſſunt. *Ἀντιλοιμικὰ* etiam à quibusdam pro pentaculis in morbis venenatis & peſte præcipuè uſitatis uſurpantur. Porrò *Φυλακτήρια*, ſervatoria, conſervatoria, præſervatoria, præſidia, munimenta vel arma ſalutis crebrò pronunciari in medicina experimur. Atq; iſta vox Græca *Dioſcoridi* admodum familiaris eſt, dum amuleta indicare ipſi eſt animus; quantumvis olim vox hæc denotavit potiſſimùm magica, præcantatoria, & ſuperſtitioſa à patribus Eccleſiaſticis & ſanioribus doctoribus rejecta: veluti de voce illa videri poteſt *Baſil. Faber Theſauro erudit:* Qualia verò fuerint iſta Judæorum *Φυλακτήρια* nota, noſtrum non eſt hoc loco diſpicere, videatur interim de iis *Faber l. a.* & alii plures, religionem vel ritus Judæorum exponentes; imò diſſertationes academicæ de iiſdem editæ proſtant. Vulgatæ etiam pronuntiationis atque notitiæ ſunt *περίαμματα*, appenſa, vel alligata, quæ pariter olim arctiori ſignificatu incluſa fuerunt, ac hodie. Sic enim *Nazianzenus orat. οὐδὲν δεῖ σοι περιαμμάτων, καὶ ἐπασμάτων, οἷς τὸ πονηρὸς συνεισέρχεται, non oportet te vinculis & incantamentis uti, per quæ malignus ſpiritus ingrediatur.* Ab *Origene adverſus Celſum*, appellantur res iſtæ: *συμβολικαὶ δαιμόνων μορφαί.* Periammata verò ejusmodi olim conſtituerunt plantæ, gemmæ aliæque res magicæ, quarum paſſim *Plinius hiſtoria Naturali*, aliiq; autores mentionem faciunt. Citatus *Plinius lib. 25. cap. 17.* pervulgat quosdam volumen de magicis herbis *Pythagoræ* tribuiſſe, de quo etiam *Geſnerus de plantis lucentibus p. 27. etſ.* Magica verò talia amuleta ſunt, quæ certis verbis aut ceremoniis adhibitis colliguntur, præparantur, aut applicantur, &

quæ

quæ naturali proprietate vires suas sæpe non exserunt, sed adscititias istas possident, (superantes communem efficaciam, à natura sibi aliàs concessam) easque à Dæmone ut plurimum provenientes. Abstinebimus ab horum recensione in sequentibus, quantum poterimus, atque ista non, nisi refutationis gratia attingemus. Multa hujusmodi, severæ castigationis gratia, recenset ex *Plinio* aliisque pluribus *Joh. Rainolaus censura librorum Apocryphorum Vet. Testam. tom 1. prælect. 49. et s: p. 502. et s.* De viribus stupendis captumque rationis superantibus, quas Magi plantis istiusmodi tribuunt, locus quispiam etiam extat apud *Gerard. Joan. Vossium Theolog. Gentil. lib. 5. cap. 37. p. 143.* Referendæ sunt quadantenus ad ista modò dicta *Telesma*, vel κατὰ μαγείας τύποι, quorum meminit *Eusebius Parasc: Evangelic. 5. cap. 7.* Superstitiosum quoque videtur amuletum quodpiam δίζυθον dictum, de quo *Gabr. Naudæus de studio militar. l. 1. p. 423.* Dizythum autem minùs pro Zytho seu cerevisia, uti voluit Erasmus, sed pro amuleto quodam sumendum esse *Demetrius Chalcondylas*, rectè meâ opinione, docuit. Ad περιαμμάτων classem reducenda videntur quoque βασκάνια contra laudationem vel incantationem affixa, de quibus *Fungerus Lexico Philolog. sub voce Fascinũ p. 300.* Etiamsi βασκάνια subinde etiam denotent incantationes & fascini genera, quibus homines deturpantur; idem tamen etiam, uti dictum, valent ac remedia malis iis actionibus adversa vel opposita, ut sic eundem valorem obtineant atque ἀλεξίφθινα, ἀβάσκαντα, προβασκάνια &c. Similiter quod Græci ἀνθυπαθὲς vocent, quicquid adversus effascinationes, incantationes & amoris faciendi artes magicas potenter efficax sit, ex autoribus quibusdam dilucidat *Jo: de Laet. de gemmis & lapidibus l. 2. c. 30. p. 196.* Ex genere horum forsitan etiam sunt, quæ Romanis Præfiscines vel Fascinæ dicebantur, ac olim ipsis contra iniquas vel malevolas laudes erant in usu, & adhuc Hispanis dicuntur esse ex usu; quid Fescennina carmina sint, in subsequentibus indicabimus.

Atq; horum ductu invitamur ad considerationem Fascini, quam

nii quam exponemus verbis *Plinii lib. 24. cap. 4.* Fascinus, inquit, Imperatorum quoq;, non solùm infantium custos, qui Deus inter sacra Romana à Vestalibus colitur, & currus triumphantium, sub his pendens, defendit, Medicus invidiæ, jubetque eos recipere. Jungimus his, quæ habet *Adr. Turnebus Adversar. lib. 17. c. 10. p. 512.* Dii, inquit, avertentes ἀποτρόπαιοι à Græcis vocantur, qui avertunt prodigia & portenta. Dii depellentes etiam Averrunci nuncupantur &c. *Anton. Thysius & Iac. Oiselius commentar. ad Gellii noct. Attic. l. 4. c. 12. p. 339.* Indicat Deum ejusmodi etiam aurungum, auruncum vel aruncum à quibusdam autoribus dici. Plura de averrunci etymologia præbet *Ger. Joh. Vossius Etymologico f. 55. & 439.* De Fascino verò Deo Imperatorum custode existimato conferatur inter alios *Rosinus Antiquitat. Roman. cum Thom. Dempsteri notis libr. 10 c. 29. p. 1005. & 1045.* Fuit etiam olim inter Ethnicos Priapi Idolum majus, quod Mutinus vel Fascinus dictum fuit, huic nubentes virgines insidere, vel alias illicitas actiones cum eodem exercere tenebantur, de quo *Joh. Bapt. Casalius de profan. & sacris veteribus ritibus part. 2. c. 13. p. 82. ets.* Quod & cur Priapus, hujusque Idolum vel istiusmodi amuletum hortis quoque dicatum sit, alius nostri scrutinii locus indicabit. Fascini ejusmodi species Φαλλὸς quoque dicitur, & est penis ligneus vel coriaceus, sive lignum oblongum in summo habens penem ligneum aut coriaceum. Quidam exponunt ficulneum veretrum apud *Herodotum.* Plura de hoc Idolo Priapi vel Phallo, ejus forma externa ære expressa, & quod ex ligno ficulno extiterit, suppeditabunt allegata apud *Casalium l. a. cap. 12. p. 81.* Sic phallum ejusmodi olim etiam in Bacchanalibus collo appensum gestasse, propter consensum numinum duorum, scilicet Priapi & Bacchi, memorat idem *Casalius l. a. cap. 9. p. 77.* Ἰθύφαλλος seu penis erectus similiter ut phallus amuleti loco olim varium in scopum usurpatus fuit; de quibus jam dictis agit *Scapula Lexico.* Vox autem phalli, & Ityphalli quibusdam promiscuè pro veretro ejusmodi quocunque aut statua vel Idolo Priapi

sumitur. Hinc nota quoque vocabula Phallagogia, Phallophoria, Phallophori & Ithyphallica. Sed de hac turpicula re vel satyrico amuleto inferiùs inter amuleta infantibus, foecunditati, arboribus & hortis dicata fusiùs agetur. Interim de origine hujus turpis amuleti apud Ethnicos videatur, si placet, *Natal. Comes Mytholog. l. 5. c. 13. p. 498.* Denique de tutelaribus Diis Latinorum, quod Talismanicæ imagines, variæ formæ, nec solùm in domibus & navibus, sed etiam in agris aliisque in locis erecti fuerint, colligere licet ex *Jacobi Gaffarelli Curiositatib. inauditis Latinè redditis p. 109. seq.* Imò Idola vel icunculæ variæ Ethnicis olim promiscuè loco Deorum ac amuletorum in usu fuerunt. Annotamus hoc loco non immeritò etiam, quod hieroglyphicum sequens apud Ægyptios denotarit amuletum; sic autem *Jac. Masenius speculo imagin. veritat. occultæ c. 58. n. 9. a. p. 686.* Amuletum, ait, ac remedium contra adversa expressuri, maris caput domum inspiciens, & alterum feminæ prospiciens pingebant, ita enim omnem Dæmonem & discrimen arceri putabant.

Progredimur jam ad plura vocabula significationem amuleti exprimentia, veluti non ignotum est vocabulum περιάπτων annexorum, advinctorũ vel circumpendentium. Hæc periapta habentur à quibusdam pro iis medicamentis, quæ de collo suspenduntur, ut capitis dolorem demant, de quo valore & medicamentis coronæ capitis imponendis, evolvi potest *Galenus libr. de remed. part. fac. cap. 1.* Non raro itidem usurpatur nomen illud pro amuleto, quod veneficiis repugnare creditur. Hunc verò curandi modum per dicta periapta, solennem fuisse *Chironi*, eliciunt quidam ex verbis *Pindari Pyth. Od. 3. stroph. 3.* ἢ γυίοις περιάπτων πάντοθεν φάρμακα aut membris circumponens undique pharmaca. Quid autem Φαρμακεία denotet, non obscuræ est indagationis: videlicet indicantur illâ medicationes illicitæ & incantationes, characteribus aliisque similibus mediis institutæ; sicuti ipsius vocis mentio fit apud *Virgilium Eclog. 8. Aristotelem l. 9. de anim.* aliosque plures autores. Propterea etiam *Pharmaceutria* inscribitur *Idyllium*

secun-

secundum Theocriti. Verùm æquivalet periapti sensus etiam cuivis amuleto in Republica medica. Cui plura de ista specifica acceptione & Periammatis valore arrident, adeat *Andr. Tiraquellum de nobilitate c. 31. f. 152.* Præterea consveverunt quoque amuleta dici interdum ἀμυντήρια, tutamina, defensacula vel præsidia. Niceteria, νικητήρια, inter alia etiam juxta *Basil. Fabrum thesaur. schol. sub eadem voce* dicuntur fuisse olim remedia incantatoria, quæ gladiatores & agitatores suballigarint vel suspenderint, ut vincerent; cui rei & sacrificia magica fecerint: sine dubio superstitioso isti supellectili interfuerunt πάρεδροι seu spiritus familiares. Porro inter synonyma amuletorum referenda sunt ἀποπομπαῖα vel ἀποπομπαὶ profligationes aut depulsiones portentorum, λύσια solventia, φύξια fugantia, περιαρτήματα, ἀφαρτήματα, ἐξαρτήματα (de qua voce *Jac. Pancr. Bruno Lexico Castelli renovato p. 554.*) περιαρτώμενα appensa, appendentia, annexa &c. Comperimus deinceps amuleta quoque dici ἀποτρόπαια, ὑποτρόπαια, avertentia seu depellentia; qualem verò significationem specificam his quipiam attribuant, legi potest apud *Andr. Tiraquellum de nobilit. c. 31. fol. 146.* Præterea vocantur illa subinde ἀπομάγματα abstergentia, ἐγκόλπια quod intus foveantur, & quasi in sinu abscondantur, vel quod sanitatem insinuent & stabiliant, vel præservent à malis. Atque ipsamet iterum strictiori significatu accipi videntur pro iis, quæ circa uterum gestantur, propter varium expetitum uteri adjumentum aut præservationem, uti ferè colligere licet ex *Th. Reinesii variis lect. l. 3. c. 11 p. 515.* Aliàs à *Luciano* amuletum καταπαστὴς quoq; dicitur. Speciosas appellationes etiam interdum sortiuntur amuleta, dum imperscrutabiles, cœlestes & divinæ vires ipsis tribuuntur; veluti scimus, quòd illa quoque dicantur ἀποθεώματα, rem supra naturam vel divina facientia, imò incantamenta seu ἐπάσματα. Quemadmodum eò etiam collimare videntur appellationes hæ, dum significantur (& quidem in peste præcipuè usitata) per theriacam cœlestem, suffuff æthereum, mithridatium olympicum, æ-

 thereæ

thereæ virtutis medicamenta: quod benignô astrorum influxu perfusa, nec communi ratione, operentur. Non desunt insimul, qui ista in specie ad θεῶν χεῖρας referunt, quô titulô aliàs designantur juxta *Galenum* (*l. 6. de composit. medicam. c. 3.*) medicamenta à venenis vel malignis morbis præservantia, de cujus interpretatione conferatur *Bapt. Sylvaticus Histor. medic. 24. p. 92.* Deinde Φυσικὰ audiunt amuleta quibusdam, quæ judicio *Plinii Valeriani Medici* (*parabil. medicinæ l. 7.*) ideò dici existimantur, quasi sint probata & maximè salutaria, naturæq; consona, nec non, cui rationes certæ insint à ratione probatæ, minùs verò ab experientia petitæ. De voce Φυσικᾶ vel Φύσεως inferiùs occurrent plura. Interim sicuti magica medicamenta, ita etiam physica quibusdam malè audiunt, veluti ex *Augustino* hæc verba evulgat *Joh. Rainoldus censur. libr. Apocryphor. vet. Testam. tom. 2. prælect. 200. p.* sunt, inquit, magica *Augustino*, quæ Physica vocant Medici: à Dæmonibus verò sunt ista magica, ergò etiam à Dæmonibus ea, quæ mitiori vocabulo Medici physica dicunt. Illustrant hæc de physicis dicta, quæ mox sequentur: constat quippe quod non rarenter amuleta quævis, vel certa portio illorum *Ligaturæ physicæ*, additô epithetô physicæ vocentur; quandoq; etiam istæ *Ligaturæ*, *ligamenta*, *ligacula*, *alligaturæ & suballigaturæ* tantùm nuncupantur: & has voces quidam à ligando derivare volunt, quatenus collo vel aliis partibus alligantur vel appenduntur. Ast quia vox Physica, vel synonymum hujusmodi interdum ipsi est annexum, scilicet incantamentum &c: abundè claret eô ipsô, quæ dictionis illius intentio vel finis sit: scilicet, quòd *ligatura* nexu quopiam firmô, magicô, aut sympatheticô (fanaticô pene dixissem) astrales & aliunde advolantes operationes liget, figat & obstringat ad operationes. Sic etiam vox hæc Ligaturæ, seu Ligationis in minùs bona significatione nota est, quando incantatio indicatur peracta inter conjuges impotentes redditos à maleficio. Sic *Fascini* vox non absurdè forsitan à fascia, id est ligamine quopiam vel verbo fascio, ligo derivatur,

nisi

nisi à *βασκανία*, ἢ *βασκανίας* fascinatione vel *βασκαίνω* fascino descendat; & hæc vocabula vel à *βάσκω* dico, aut maledico deducantur; vel tandem dicatur *βάσκανον* quasi *φάεσι καίνων* oculis necans. Non est ignotum, quòd nefanda fascini negotia subinde ligulâ, vel ligamine peragi credantur, uti innotuit non rarò ex incantatorum actionibus & confessionibus. Patet illa malefica actio inter alios autores ex *Virgilii Eclog. 8.* ita canentis:

Necte tribus nodis trinos Amarylli colores,
Necte Amarylli modo, & Veneris dic vincula necto.

De qua actione etiam videre licet *Augustinum tract. 7. in Jovianum.* De novorum conjugum ligatione, vel nodis pro illorum sterilitate ab incantatoribus factis *Mich. Freudius* Gewissens-Fragen von der Zauberey *quæst. 185. p. 393.* aliique plures videri possunt. Taceo quòd pro suspicione mea, hactenus de ligaturæ vel fascini origine corroboranda solicita, faciat etiam hoc, dum Diabolus sæpe adjurando accersitur, atque obligatur, & alligatur quasi, ut vires indat rebus alioquin inefficacibus. Abeunt penè in meam sententiam verba de Magia prolata *Cornelii Agrippæ de vanitat. scientiar. cap. 42. p. m. 159.* Magia, inquit, inferiora superiorum dotibus, tanquam quasdam illecebras sic copulat per eorum mutuam applicationem ad invicem, ut exinde stupenda sæpe consurgant miracula, non tam arte, quàm natura, cui se ars ministram exhibet, hæc operanti. Illustrat hoc alia perversa intentio Magorum maliciosorum, & horum coryphæi inprimis; scilicet *Paracelsi*, qui pluries in suis scriptis docet, quomodo vires rebus inefficacibus comparari, & ex his extorqueri quasi possint per confidentiam firmamque imaginationem; quâ ratione etiam Dæmonem in auxilium provocari & obligari vel alligari posse scribit, ut pro voluntate ac desiderio teneatur inservire, & efficere petita vel mandata. Crebriùs à nobis inposterum citandus & laudandus *Gregor. Michaelis in suis industriè conscriptis notis ad Gaffaralli curiositates inauditas p. 395.* in hanc rem ita scribit:

ſcribit: Ligaturæ ideò dicuntur, quia nil certi dici ac pronuntiari poterit, niſi omnia ſortitione loca inter ſe concinnè combinentur, & velut ſeſe ligent, & complectantur. Quòd verò abſtruſi quidpiam inſit amuletis, innuunt illi, qui pentacula medicamenta vocant totâ eſſentiâ vel ſubſtantia agentia, quòd illorum operatio ſeu vis, non ad qualitates apertas, ſcilicet primas vel ſecundas, ſed ad occultas referri poſſit, & λόγ@ ϰσίας, formalis ſubſtantiæ cauſa ſit actionis non facilè explicabilis, uti de hujus appellationis ratione prolixè agit *Sennertus institut. medic. maj. cap. de facult. med. p. 913. cap. de Alexipharmac. p. 968. & cap. de totius ſubſtantiæ morbus p. 148.* Proinde *Dioſcorides* etiam ἄξιαπλα vocat ἀναιλιλόγητα, hoc eſt, quorum rationem perſpicere vel reddere non poſſimus, de quo plura exhibet *Joh. Ger. Voſſius de philoſophia & philoſoph. ſectis c. 8. §. 13. p. 64.* Partem equidem difficultatis de obſcuro ſenſu, ſcilicet totius ſubſtantiæ, ſed non illius demit omne punctum *Herm. Grubius de ſimplic. facult. medic. cognoſc. p. 1.* Non malè etiam ſubſtantiales & formales proprietates materialibus oppoſitas videtur explicare *Rud. Goclenius apud Sylv. Rattray theatro ſympat. p. 275. & 276.* Plura quoq; de his pateſient inferius, ubi de amuletorum operandi modo erimus ſoliciti. Ob peculiare æſtimium, quô pollent apud autores quoſpiam *amuleta*, eadem *arcana* dicuntur: & quidem ſecundum mentem *Paracelſi l. 5. Archidox. cap. de arcanis p. 803.* arcanum cenſetur eſſe res ſecreta incorporalis atque immortalis, quæ ab homine, juxta multorum effatum cognoſci non poſſit, niſi per experientiam. Atq; hujuſmodi arcani deſcriptio à multis etiam tribuitur amuletis. Imò eâ etiam ratione arcanorum claſſi reperies annumerari amuleta, quòd non nulli tanti faciant iſta, ut tanquam ſanctum quid non omnibus, præcipuè profanis, & quod majus eſt, nec filiis à Parentibus aperienda eſſe interdum ſtatuant.

Annumerantur porrò amuletorum claſſi, tanquam altius quid ſpirantes, σφραγίδες, ſeu ſphragitides, uti *Prudentius* vocat, ſigilla vel ſigna cuſa, tuſa, fuſa, aliisve modis

variis

variis elaborata & fabricata sub certo stellarum positu, ac sæpe signis vel figuris sideralibus notata. Materiem verò iis præbent simplicia varia ex tribus regnis, vel fontibus rerum medicinalium petita. Dicta isthæc pentacula *Chrysostomus* appellat πέταλα, bracteas vel laminas: fortè quia frequenter reperiuntur ejusmodi laminæ, quibus characteres & figuræ variæ insculptæ conspiciuntur. Nomine diversa, re verò eadem sunt illa sigilla, quæ Arabibus *Talisman, Talisma, Thalisma, Tilsema, Talismanica, vel Tilsemanicæ figuræ* efferuntur; *Telesmata* eadem etiam quidam nuncupant, quod aliis tamen displicet. A *Paracelso* itidem ejusmodi imagines & sculpturas dici *Gamaheu, Gamahea, Gamaheos vel Gamaheas* innotescit ex *Dan. Sennerti de consens. & diss. chymic. cum Aristotel. cap. 13. p. 218.* Vocabula illa verò ex Hebraica dictione inferiùs occurrente fortè educta sunt. A Græcis Tilsemæ illæ memoratæ στοιχεῖα dicuntur, quæ, sicut indicatum fuit, res sunt secundum Astrologica præcepta & certos siderum situs ac figuras in cœlo putatas fictæ vel factæ, ut sint velut ἀλεξητήριοι seu averrunci Dii. Differre interim hæc à *Teraphim*, ita ut hæc futuris prædicendis, illa verò malis arcendis destinata credantur, erudimur ex *Joh. Seldeni syntagmate de DIs Syris synt. 1. cap. 2. p. 103. & 116.* Quo in loco citato plura etiam de hoc, juxta ductum indicis illius libri, evolvi possunt. De Teraphim, cui hæc non sufficiunt, adeat commentatorem *Seldenii*, scilicet *Andream Beyerum addit amentis ad locum adductum Seldenii p. 187. etſ.* uti & in locis illic in indice significatis. De Teraphim similiter, cui volupe est, consulere potest *Franc. Moncajum Arone purgato c. 20. p. 198. & Eliam Schedium de DIs German. p. 109. etſ.* Verùm inter Talismas Arabum & Teraphim Judæorum nihil discriminis interesse, rationibus aliquot demonstrat *Hottingerius l. 1. hist. or. c. 8.* Præterea etiam ejusmodi cælatas res, vel imagines πανάκειας vocari memorat *Jac. Gaffarellus curiositat. inauditis p. 109. etſ.* Ἀποτελέσματα sive effectus stellarum quaque dici Tilsemas istas meminit *Greg. Michaëlis notis ad Gaffarell. curiosit. inaudit. p. 238.* Tilsemæ voci æquivalet etiam juxta significationem

vel

vel interpretationem vox Æthiopica Periapteno, de qua *Leonh. Thurneisserus Onomastico p. 172.* Non immorabor Tilſemis conſiderandis hoc loco diutiùs, cùm me ſublevarint in illarum expoſitione alii mox indicandi, qui prolixè vocis originem, compoſitionem, ac naturam earundem examinant: videlicet *autor anonym. Collegii curioſi Pariſienſis*, qui tractatus in Germanicam lingvam verſus evolvatur, & quidem *libro 1. colloqv. 21 p. 460.* Non minùs de iisdem legi meretur *Julius Reichelius de amuletis p. 1. etſ.* qui ſcriptor dicto in tractatu, in ſpecie de Tilſemarum, (nec medicorum amuletorum adeò) conditione doctè ac prolixe diſſerit. Non inops item eſt autorum argumentum idem tractantium *Andr. Beyerus l. a. p. 196.* Cui etiam adjungatur Tilſemarum inſignis patronus, *Jac. Gaffarellus l. a. p. 105. etſ. & p. 114. etſ.* Nec indignus eſt, qui à nobis iterum dilaudetur ob doctrinam Tilſemarum, quam chriſtianè atq; doctè ventilat, *Greg. Michaelis l. c. p. 257 etſ.* Idolorum & periamatum loco ſæpe etiam in uſu fuerunt icunculæ æneæ, aureæ vel argenteæ, quas propter materiam illarum vulgò *Medaglie* dictas eſſe, enarrat *Joh. Bapt. Caſalius de veter. ſacr. Chriſtianor. ritib. c. 48. p. 265.* Icunculas autem taliſmodi ſæpe Taliſmanicæ arti ſuam originem debere, non ignotum eſſe arbitramur. Tandem eadem eſſe ſcuta Davidica Judæorum, quales Talismanicæ res, non nulli adſtruunt autores. Deſeremus interea jam Tilſemarum materiam, usq; dum inferiùs major nobis anſa ſuborietur adhuc plura circa iſta monendi.

Reſtant præterea aliæ amuletorum appellationes quæpiam perluſtrandæ; & quidem non ultimo loco illud apud Paracelſi aſſeclas reponitur, licet ultimo fere à nobis in ſynonymorum claſſe attingatur, quod dicitur *Zenechdon.* Variam hujus vocis ſcriptionem quoque reperimus, ita ut quidam etiam vulgò *Zenexton, Zenechton, Senechton, imò Xenexton* ponant. Orta fuit fortè varia hæc ſcriptio, quod plurimi ignorarint, cui lingvæ originem Barbaræ hujus vocis tribuerent. *Helmontius tr. tumulo peſtis fol. m. 182.* Similiter Barbaram iſthanc vocem

vocem pronuntiat, atq; illi periammati peculiares dotes aſſignat, ſcilicet, quòd contagii ſit incapax; unde quoque inter Zenextorum claſſem gemmas, aliaque minùs venenata refert. Plurimi verò autores ſolùm pendaculis venenatis nomen Zenechti vendicant. *Ath. Kirchero ſcrutin. peſtis* familiaris eſt ſcriptio hæc: *Xenexeton*, cujus ſcriptionis rationem non hariolor. Qui *Xenechton*, aut *Xenechdon* ſcribunt, (inter quos eſt *Paracelſus, Porta & alii*) eam vocem forſitan Græcæ originis opinantur, dictamque illam cenſent, quaſi ξένυς ἔχων milites aut hoſtes externos habens, cum quibus maſculum virus, ſcilicet arſenicum, tanquam præcipuum Zenechti ingrediens, pugnare audeat, vel debeat. Vix locum etiam hîc habet cogitatio, quod vox illa deſcendat à *Xenico* pharmaco, mirâ ſcilicet corrumpendi celeritate prædito, quod juxta *Ariſtotelis* verba (*in ipſius mirabilibus*) apud Celtas creſcit; atque hoc cum Aconito, Tora & Limeo convenire ait *Conr. Geſnerus de Aconito p. 8.* Verùm ſuſpicor *Xenexti* ſcriptionis errorem inde forte ortum, quod Græcorum Ξ (xi) pro Z (zita vel zet) Latinorum, & χ (chi) Græcorum pro Xi vel Ix Latinorum acceptum, voceque ac ſcriptione poſtea expreſſum ſit. Sic amanuenſes aut ſcribæ imperiti, uti olim, ita etiamnum hodie multa vitia haud rarò libris inſerunt, unde tot ac tam variæ lectiones emergunt. Loco plurium illud unicum teſtimonium ſufficiens nobis præbeat vox קִיקָיוֹן planta illa Jonæ Prophetæ umbram gratam excitans; quam vocem Κίκαον vel Kikinon ſcripſerunt; cujus vocis initialem per R. & ſic integrum vocabulum *Ricinum* expreſſerunt, de quo *B. Rolfincius de purgant. vegetabilibus p. 131. et ſ.* Procul dubio verò Arabicæ originis rectiùs creditur eſſe illa vox, quæ ex venenatis conſiſtens amuletum exprimit, atque *Zenechton* appellatur; quam in rem applauſum meretur *Grülingius* aliique pauci. Hic laudatus verò *Grülingius Florileg. chymic. part. 24. c. 3 p. 478.* arbitratur arſenicum ab Arabibus dici Arſenec, Zenec & Zene, unde ne cuivis hoc DEI donum innoteſceret, uſu figuræ Rhetorum, nempe aphæreſeos, ſenium pro Arſenicum, Zenec pro

Arsenech, & sic *Zenechdon* pro Diazenech dictum esse. Atque sic utplurimum indigitantur hac voce periapta in peste usitata, & quæ arsenicum, aliave ingredientia venenata recipiunt; quamvis etiam sint pauci, qui posterius non ita attendant, sed etiam mitiora (nec adeò venenata solùm, aut in peste vel venenis domandis peculiariter commendata) promiscuè & in quibuscunque morbis usitata pro Zenechtis habent ac proclamant: Veluti *Rhumelius* aliique plures ejusmodi periapta insignita ita tradunt, quæ nihil veneni penitùs recipiunt. *Mart. Rulandus Lexic. Alchemiæ p. 468.* describit istud ita: Xenechtum est præservativum contra pestem collo appensum, ut argentum vivum avellanæ conclusum, & similia; alius prima virginis menstrua intelligit. Man henckts an Hals wider die Pest. Et iterum ille: Xenechdon Paracelso est tabella arsenici, seu arsenicum contra pestem, quamvis ista compositio non solùm habeat arsenicum, sed etiam rubetas, dictamnum, & alia. Mirum autem nobis non videtur, quòd autores quipiam vel ignari primæ originis, aut ingredientium Zenechti veri, vel usitatâ licentiâ quapiam utentes, quævis periapta, & in peste in specie, vel aliis quibuscunque in morbis usitata, & venenis quidem destituta, nomine istô significent: opiata quippe subinde quoque dicuntur medicamenta quædam, quæ opium non continent, si solùm priscorum opiatorum, vel alexipharmacorum electuariorum, aut opii ipsius externam formam quadantenus referant; quod de pulveribus & tincturis bezoarticis itidem constat, quæ medicamenta non adeò bezoar ingreditur, quàm similis efficacia bezoardica commendat. Latini reddunt Zenechta etiam per *tabulas, placentulas & sacculos arsenicales, cordiales, pestilentiales ac præservantes à peste.* Restant adhuc; quantum nobis innotuit, pauca vocabula alia, quæ pro periammatibus significandis subinde ponuntur, verbi gratia: *armillæ, epicarpia, monilia, scuta, sacculi, zonæ, annuli medici vel magici;* item interdum etiam *Homericæ curationes, Ephesiæ literæ* &c. hæc & similia, quia sparsim in subsequentibus attingimus, non opus esse arbitramur.

mur, ut jam illorum recensioni vel expositioni prolixius insistamus.

Orientalibus lingvis, & quidem Hebraicâ designatur amuletum voce קמיע juxta *Buxtorfium lexic. Talmud. f. 2057.* De voce hac sequentia debemus *Valent. Schindlero in Lexico: Pentaglotto f. 1624.* קמיע denotat ligationem, ligaturam, in qua ponuntur schedæ parvæ cum scriptura parva, scriptura, quæ collo alligatur sanitatis causâ; scheda parva, quæ constat literis capitalibus קמעה æquivalet chartæ experimentali, amuleto. Usitata etiam est Hebræis vox חומר & חומרתא velut his utitur inter Talmudicos *Rabbi-Salomo in Kiddusschin f. 23. col. 2.* De dicta voce *chomer* conferatur etiam *Buxtorfius l. c. f. 790.* Idem *Buxtorfius lexico Hebraico p. 395.* indicat pariter, quod amuleta denotent לחשים *Jes. 3. 20. AbenEsra* verò scribit esse characteres aurô vel argentô scriptos, formâ vel modô incantationis. Quidam inaures. *Cornel. à Lapide commentar. ad Esaia cap. 3. v. 20. p. 77.* Similiter illâ voce inaures denotari ait, quæ loco amuletorum contra incantationes prius usurpatæ fuerint, exinde verò in ornatum & delicias abierint. Descendit autem nomen illud à לחש mussitavit, incantavit, quod mussitando fieri solet. Benè autem incantatorum ac Dæmonis mancipiorum vel proxenetarum negotium hac ratione indicatur, in quo vocem inarticulatam, vel murmura isti adhibent, atq; sic sæpe suas actiones peragunt; vim autem singularem occœcati hi à Diabolo suis talismodi gestibus inesse credunt. De eadem & aliis adhuc circa vocabulum hoc annotatis videatur etiam *Joh. Fungerus lexico Philolog. sub voce fascini, p. 308.* Sic etiam illa vocabula, quæ *Ezechielis 13. v. 18.* reperiuntur, scilicet כסתות pulvillos, idem ac phylacteria, & מספחות cervicalia, idem ac periammata, quædam illicita ac magica esse statuunt quidam, de quo iterum *Cornelius à Lapide commentar. ad hunc locum p. 1027.* Dehinc vocem טוטפות *totaphoth*, quæ legitur *Exod. 13. 16. & Deuter. 6. 8.* à Rabbinis nomine Chaldaico vocari *tephilin* & Judæorum

rum etiamnum hodie usitatas illas tabulas, aut membranulas fronti vel brachio alligatas esse statuit *Th. Beza notis ad Matthei c. 23. 5. f. 102.* Dictas tabulas verò loco Phylacteriorum, vel amuletorum haberi innuit *idem l. c.* Quid Beth nepesch denotet Hebraicô idiomate, de eo paulò superius tradita huc itidem referri possunt. Imò Hebræâ voce חֲלִי significatur, ornamentum, seu monile, quasi amuletum ad depellendos morbos gestari solitum; derivatum autem illud nomen est ab חָלָה ægrotavit, velut hæc continentur apud *Joh. Mich. Dilherrum cantico canticor. p. 370.* Arabes amuletum nuncupant *Tamimaton* à radice Tamma perfectum esse, de quo *Jacob. Golii Lexicon Arabic. f. 393.* Est & aliud Arabibus usitatum, nimirum *Chirson*, à radice Charasa custodivit.

Germani non nimis copiosi sunt in amuletorum appellatione, à varia conditione vel applicandi ratione dicuntur verò: Gifft-Steine/ Säcklein und Schildlein/ Hertz-Schildlein und Säcklein/ Schröcksteingen/ Krampfringe/ Angehänge/ Artzney oder etwas äusserlich an den Leib/ Hals/ oder Brust zu hängen/ oder bey sich zu tragen. *Georg. Phædro* in der vollkommenen Heilung aller Schäden quæpiam periapta nuncupat Characterische Curen/ Constellirte Wörter.

Restat, ut etiam variam amuleti acceptionem adhuc tangamus breviter: Jam ante verò innuimus, quod vox amuleti, & alia synonyma subinde specificè magis sumantur pro iis, quæ veneficiis & malis depellendis opposita creduntur, veluti de hoc varia loca *Plinii* allegant *Andr. Tiraquellus de nobilitate tom. 1, cap. 31. p. 145. Claud. Mines comment. ad Andr. Alciati Emblem. 77 p. 313.* lexicographi & autores alii plures. Pentaculi vocem idem illud significare indicat *Mart. Rulandus Lexico Alchym. p. 360. Johnsonius lexico chymic. p. 185.* & alii non pauci. In præcedentibus, ubi dedimus etymologiæ expositionem, fecimus mentionem sententiæ *Rosenbergeri*, cui alii quoque adstipulantur, quòd amuletum præcipuè denotet externum medicamentum venena vel pestem everrens atque evertens. Porrò pro Talismate, seu pentaculo, characteribus vel figuris certis

dentis notato, strictiùs accipi vocabulum amuleti arbitratur *Jul. Reichelius de amuletis p. 2.* Verùm generale potius hodiè est nomen amuleti, omnes species pentaculorum sub se complectens, veluti autores moderni communiter, & in medicina illud accipiunt, quando externum ejusmodi medicamentum designandum est. Sicuti verò in præmissis memoravimus, quod alexiteria & alexipharmaca pro amuletis subinde ponantur: ita etiam propter aliqualem respectum vel notam à quibusdam amuleta dicuntur alexiteria illa, quæ interno usui destinata sunt; idq; ideò, quod quidam alexiteriorum æque, atque amuletorum operationes occultas ac minùs perscrutabiles existimaverint. Libertas verò hujusmodi Medicis non est infrequens, dum ob aliqualem rationem operationis, vel alius circumstantiæ congruæ nomen vel appellationem peregrinam, & minùs propriam, vel per omnia medicamentis quibusdam competentem assignant; uti paulò ante de bezoarticis & opiatis innotuit, & ex pluribus similibus pleniùs patefieri posset, si demonstratione opus foret. Quod verò alexipharmaca medicamenta interna voce amuleti notentur vel significentur, colligere licet ex *Abbatii de viperæ natura c. 7. p. 36. & 40.* Præterea *Joh. Bapt. Sylvaticus controvers. med. 43. p. 206.* demonstrat ex *Galeni lib. 2. de compos. med. sec. loc. ejusdem numeri cap. & libro de remed. facilè parabilib. c. 1.* quòd amuletum sit auxilium illud, quòd extrinsecus positum, vel interius assumtum nullam medicam habeat rationem, sed secundum mirabilem quandam proprietatem homini incognitam efficax sit. Eadem fuit sententia *Plinii lib. 25. cap. 25.* Sic opiatas, occultâ vi lui venereæ oppositas, frequenter amuleti nomine significatas reperies in *Palmarii tr. de morbis contagios. l. 1. c. 7. p. 29. ets.* Similiter cordis leporini pulverem interno usui destinatum in quartana designat amuletum *Petr. Monavius Epistola* (inter *Cratonis* communiter dictas *Epistolas & opera* reperienda & à *Laur. Scholtzio edita*) 229. *fol. 404.* Varia medicamenta vel arcana interna in Epilepsia dilaudata itidem nomine amuleti, apotropæi, lynterii, my-

sterii olympici, phylacterii &c. nomine significari legimus in *Magni G. Phadronis opusculis Iatro-Chemicis quatuor à Joh. Andr. Schenckio edit. p. 51. et s.* Sic passerculorum inter aviculas salacissimorum cerebella si edantur, tanquam amuletum quoddam venerem stimulare ait *Bald. Ronssens Epistol. 22. p. 66.* Ob scopum ejusmodi curationem pestis, vel tractatum suum de peste editum *Herm. Follinus* vocare videtur *Amuletum Antonianum seu luis pestiferæ fugam*, quia scilicet liber hic de curatione pestis agit, & dedicatione inscriptus est cuipiam, cui nomen *Antonii* fuit; non autem ideò, ac si dictus tractatus multa, vel in specie de amuletis contenta condat aut promat; veluti quidem *Lipenius in Bibliotheca medica* sentire videtur, quia sub amuleti titulum retulit istum tractatum. Intelligimus etiam à quibusdam amuleti vocem sumi pro omni medicamento morbos quosvis curante, veluti videre est ex *Joh. Ravis. Textoris officina scholastic. l. 4. c. 87. p. 485.* Pharmacopolæ, inquit, medicamentorum venditores & pharmacopolium amuletorum officinæ. Deinde salvatellæ sectionem (tanquam medelam occultè agentem) in febribus putridis ad amuleti actionem à quibusdam referri solere, innotescit ex *Sylvatico l. c.* Interdum quoque pro quavis rei ominosæ, ingratæ vel noxiæ amolitione, sine medicamentis instituta, usurpatur amuletum, quemadmodum exspuendi gestum per amolitionem explicat *Joan. Pierius hyerogl. lib. 33. c. 48. p. 342.* Dum scilicet veteres ad conspectum rei ingratæ usi sunt illô ritu, uti inter alios etiam *Theocritus* scribit: ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον. Laxa item & tropica subinde occurrit amuleti acceptio, dum illud pro refutatione, excusatione vel defensione ponitur, velut suum scriptum quoddam Amuletum ex *Psalmo 3. & 117. inscribit Libavius syntagmate arcanorum.* Sed non morantur nos amuleti multiplices allegati, vel latentes nos in præsenti sensus; inprimis verò nobis in hoc tractatu curæ erunt periapta licita, naturalia & medica externa in morbis variis aut malis commendata, veluti hæc in proximè sequenti capite mox etiam describenda seligemus, & separata eadem ab illicitis tractabimus.

SECTIO

SECTIO II.

De

Amuleti natura seu descriptione.

AMuletum est externum atque naturale medicamentum, vel res variis partibus corporis sensitivi contra ipsius morbos inprimis vel mala curationis atque præservationis gratia suspensa vel admota; sive etiam quæ aliis minùs sensitivis locis & rebus admovetur, pro variis illarum injuriis aut malis arcendis, ac bonis accersendis, & quæ res ut plurimum formâ siccâ, integra atque paucâ prædita est.

Reperiuntur equidem multæ aliæ descriptiones amuletorum, veluti hæc sequens *Plinio* aliisque multis usitata est; quâ volunt amuletum esse omne genus remedii adversùs cuncta mala medicamenta, & præsertim contra veneficia valentissimum. Verùm dicta hæc atque aliæ plures hujusmodi definitiones non omnes videntur adeò per omnia exhaurire naturam & adjuncta singula periammatum; proinde placuit nobis illa data, pro cujus meliori cognitione indaganda lubet nobis quædam necessaria adhuc monere. Diximus itaque amuleta esse medicamenta, ut ita excluderemus alia varia facilè intelligenda, ex rebus sex non naturalibus, aut præstigiatorum pera vel penu petita, quæ pro sanitate conservanda vel morbis arcendis itidem in usum licitum atque illicitum admittuntur. Videntur porrò etiam aliæ res, præter medicamenta, ad amuletorum classem trahendæ vel tolerandæ inter ista esse, uti in descriptione amuletorum innuimus, atque talismodi in catalogo nostro amuletorum innotescent: videlicet quæ corpora hominum pariter ac brutorum, imò etiam arbores, plantas, hortos, agros aut domus à varia bestiarum atq; insectorum noxiorum aut venenatorum insultu atq; damno tueri solent, aut saltem illud præstare credun-

creduntur. Talia licet non ſemper actu, exiſtere periammata videantur, attamen iſthæc, (modò licita ſint, nec naturæ repugnent,) non planè ex claſſe medicamentorum vel periaptorum ejicere valemus aut audemus. Licet etiam quis accuratiùs periapti vocem penſitans, talismodi nolit inter ea tolerare, communem tamen iſtorum uſum & nomen nemo facilè ipſis demet; ideoque etiam nos intellectis rebus in verbis nolumus eſſe difficiles. Quia modus applicandi amuleta vel analogus uſus cum veris amuletis coincidit; tametſi medicamenta iſtiusmodi externa brutis aut rebus minùs ſenſitivis externè appendantur, quis facilè iſta ideò à nomine, & valore amuletorum removebit. Non ignoro equidem, quosdam medicos ex foro medico, tanquam minùs idoneum ſubjectum, inſenſibilia & bruta proſcribere; verùm manet omninò medicus ejusmodi auſus, manet modus applicandi medicamenta, non mutatur finis, ſed intenditur ſanitatis conſervatio vel priſtini aut integri ſtatus reſtitutio; quantumvis ſubjectum & operantes vel adminiſtrantes ejusmodi medelam varient quadantenus; dum ſcilicet alii in rationalibus, & alii in irrationalibus & minùs nobilibus creaturis medicinam ejusmodi exercent. Utrum etiam verè & jure ſit dedecori medicinæ, quod imperium ipſius late ſit expanſum, quô creaturis omnimode bonis, omnisque conditionis à DEO conditis, & in hominum conſervandam integritatem atque uſum collimantibus, ope ſua proſpicere poteſt, ſpeculentur cordati medici, aliique quibus ſanæ mentis uſus atque rerum vera interpretatio eſt conceſſa. Unicè itaque ejusmodi ſiniſter conceptus in minùs fundata interpretatione requieſcit, quâ ſimulamus & diſſimulamus, fingimus aut palliata tradimus ea, quæ tamen rectiùs reputari aut accipi deberent ac poſſent. Adeò quidem invaluit communis opinio & uſus, ut tyrannidis inſtar ſæpe ſit, & ſicuti in aliis rebus multis, ita inprimis in Medicina, ac in ſpecie in dicto negotio dominetur ac toleretur. Quòd verò Medicus melioribus aut nobilioribus creaturis tractandis intentus, nolit, aut non

poſſit

possit, vel soleat commodè semper medicinam administrare ignobilioribus creaturis, id tamen non excludit medicam notitiam, potestatem, liberumque arbitrium exercendi medicinam, quæ vel hominibus congrua est, aut per analogiam aliis creaturis apta existit. Dubium quippe non est, quin per analogiam brutis & plantis medicamenta quæpiam applicari possint, quæ ipsas à vario malo, morbo, corruptione, marcore, putredine & interitu vindicant; de quo præter patrum familiàs, & hortulanorum experientiam, sana ratio in consilium vocari potest, si quis de dictis ambigit; sed hæc forsitan alio in loco commodiari perspicuitate majori prosequemur. Eadem verò videtur ratio si allium, mercurius currens, aliaque similia ab arboribus, domibus, brutis aliisque rebus aut locis insecta vel alia noxia, naturali ac licitô modô, abigunt, ac si corpori humano suspensa similem in scopum directa eadem essent. Non solùm autem opus videtur, ut proximè corpori humano, juxta frequentiorem usum, appendantur amuleta; cùm talia etiam dicantur eæ res, quæ in vestimentis gestantur, aut in certô locô ponuntur pro depellendis morbis, de quo ex *Vossii Etymolog. p.27.* aliisque autoribus constat. Notum quoque est de Tilsemis seu illicitis apotropæis & incantamentis variis, quòd multis in locis ædificiorum abscondantur vel suspendantur, veluti hoc experientia comprobat, & noster catalogus subsequens amuletorum indicabit. Sic *Plinius lib. 25. c. 9.* de cyclaminis radice loquens: nascitur, inquit, illa in umbrosis, à nostris tuber terræ nominatur, in omnibus serenda domibus; si verùm est, ubi sata sit, nihil nocere mala medicamenta. Opus itaque videtur inprimis in usu amuletorum, ut eadem iis corporibꝰ vel rebus, quibus medicâ suâ ope præesse debent, propiùs admoveantur; nec adeò per imaginationem aut variè tortam & fictam rationem in dissita loca agant & spargant suas operationes, uti multi de magicis actionibus scribunt, quibus sua arcana relinquo; cautam interim atque christianam philosofandi attentionem ipsis insimul amicè svadeo. Modus

applicandi amuleta frequentissime fit per actionem alligandi, suspendendi, vel affigendi, hinc etiam sua nomina sortiuntur: dum pentacula, alligamenta &c: dicuntur. Licet etiam collum præcipua pars sit, vel locus, cui amuleta plurima admoventur, non tamen aliæ insimul partes variæ excluduntur, quin pariter per modum affigendi vel alligandi suscipiant periapta, ut istæ efficaciæ medicæ eò citiùs propinquo isto in loco fiant participes. Quantumvis pendula etiam sunt ut plurimum amuleta in corporis extima parte, nihil tamen prohibet, quin firmiter etiam sint corpori alligata vel in marsupio, manu, ore, aliisque in locis angustis prope corporis habitum detenta; modò illa reliquis amuletorum circumstantiis vel attributis simul respondeant. Sic defossa etiam quædam amuleta possunt esse in terra, (uti paulò ante ex *Plinio* accepimus) item sub limitibus januarum, stabulorum, vel ædium, aut in earum conclavi quopiam suspensa possunt conspici, si modò non impingant in regulas licitorum pentaculorum, & eadem suam efficaciam vel effluvia emittant naturali modô.

Externè etiam corpori inprimis applicari periapta diximus; etiamsi pauci quidam autores quoque medicamenta interna, occultâ, & vi non facilè indagandâ operantia, amuletorum nomine dignentur; veluti de alexipharmacis, aut bezoardicis constat, aut quibus pro scopo isto medendi venenati quid admiscetur. Observamus etiam amuleta inprimis constare ex rebus vel medicamentis simplicibus, quamvis etiam composita dentur, partim ex integris iisdem nec adeò contritis ingredientibus, partim etiam ex contusis medicamentis facta & in placentulas, aut pastillos, cordis formam &c: redacta. Ultima hæc dicta inter periapta antepileptica, febrifuga, pestifuga, & sangvinem sistentia præprimis reperiemus inferius consignata. Composita ista utraque amuleta iterum formâ siccâ inprimis prædita deprehendimus, uti examen plurimorum periammatum non obscurè indicat. Scimus equidem pariter quòd

succidæ

succidæ plantæ, radices, aut vegetabilia alia, item viva animalia seu recens extincta subinde recipiantur pro negotio periaptorum; imò liquida videntur etiam amuleticam vim ferè de se sparsisse: veluti *Plinius l. 23. c. 1.* scribit quempiam ab aspide percussum, dum aceti utrem ferret, nihil doloris sensisse, simul ac verò deposuisset, dolore illum cruciatum esse. Verùm sicca forma in amuletis forte ideò obtinet communiter, ne ita corruptioni sint obnoxia, & ut promptiùs quovis tempore impetrari ac servari atque corpori admota sine corruptione, fœtore, & nausea commodiùs gestari possint. Proinde discrepant quadantenus amuleta, juxta dictas circumstantias ab aliis medicamentis externis, quæ glutinosâ, unctuosâ, humidâ, aliisque dotibus, in sensus magis incurrentibus, præ amuletis instructa sunt. Dum etiam periammata formâ siccâ, integrâ, atque paucâ prædita esse diximus, juxta datam descriptionem, differunt eadem à Topicis aliis, prolixis scilicet sacculis, fomentis, epithematibus, aliisque compositis atque contusis medicamentis, & iis quidem humidis, quæ aliàs cordi, fronti, pulsibus, aliisque pluribus partibus applicantur. Reliqua emplastra, dropaces, cataplasmata, contusæ herbæ, linimenta, mucilagines &c. quæ ob vim consolidantem, mundificantem, emollientem, calefacientem, refrigerantem, anodynam, maturantem, odoriferam, aliosve scopos adhibentur, non adeò conveniunt cum amuletis. Neutiquam interim his concessis sustinere appeto, quòd amuleta planè discrepent suâ operatione ab aliis medicamentis omnibus hactenus dictis, aut etiam internis, uti quidem opinio quorundam medicorum id subinnuit: qui totâ potius substantia, minùs scrutando modô, vi magneticâ, æthereâ, occultâ &c: crediderunt amuleta suas operationes exserere & sistere; sed, uti patebit ex subsequentibus, eô modô, quô reliqua medicamenta, operantur pentacula. Quia etiam periapta voluimus esse medicamenta naturalia, ideò pro spuriis declaramus, & ex communitate legitimorum præbiorum excludimus omnes nugas, deliria magica, chara-

cteres, diabolica symbola &c: utpote quæ non naturam atq; medicinam, tanquam genuinos parentes, agnoscunt. Veterum equidem amuleta plurima, & doctrina de iis occupata non omni malitiâ & culpâ caruerunt, dum incantamentis aut veneficiis proxima, si non ipsamet talia fuerunt; sicuti etiam contra incantationem aut mala medicamenta multa periapta statuerunt salutaria veteres. Abeant autem ex Christianorum medicina ad orcum damnata omnia pentacula, naturæ cursum communem, usus licitos & privilegia concessa alioquin a DEO transscendentia, quæ nos inposterum non nisi justæ indignationis & vituperii ergò attingemus. Licita verò nobis cumprimis curæ sunt amuleta, quibus etiam nos nec nimium, nec minimum tribuimus. Dantur quippe autores, qui nimium; dantur etiam qui parum, imò nihil ferè efficaciæ concedunt amolimentis; utriusque partis rationes in sequentibus perpendemus fusiùs. Licita insimul periapta subinde existunt, quibus illicita solum collectio, præparatio, aut applicatio affixa deprehenditur; ista itaque à scoriis vel recrementis suis indignis liberentur, & à Christianis ac prudentibus medicis suo nitori, valori, atq; usui legitimo restituantur: idque unicè in laudem DEI, incrementum Medicinæ, veritatis indagationem, hominumque commodum ac salutem. Quilibet Christianus porrò etiam attendat, ne licita periammata majoris æstimet, quàm par est, veluti quidam in his æquè ac aliis temporalibus auxiliis ac medicamentis majorem confidentiam ponunt, quàm in præpotentis DEI auxilio, ad quod post illa temporalia multi perperam, & vix sæpissimè respiciunt atque confugiunt. Risui magis etiam, quàm applausui se exponunt, qui cœlestia, divina, animorum venationes vel aucupia, sive potestatem in illos in amuletis sitam esse sibi aliisve persvadent, & varia similia alia incredibilia ex iisdem emanare arbitrantur: sensitivi corporis itaque affectibus inprimis destinata esse amuleta diximus. Præterea placuit nobis in definitione amuletorum attendere duplicem respectum Medicis.

cis aliàs familiarem circa medicamentorum applicationem, quatenus illa modò præservationis, modò curationis ergò in usum vocantur. Sic præservandi intentio locum invenit in sensitivis pariter ac minùs sensitivis creaturis aut rebus, à quibus postremis etiam certis apotropæis nituntur homines arcere insectorum aut animalium noxiorum &c. insultus vel damna. Curationis verò scopo plurima periapta æque ac medicamenta alia locum inveniunt in medicina. Deinde pentacula, sicuti medicamenta alia, ex tribus regnis materiæ medicæ desumuntur, ut scilicet pro illis regnum animale, vegetabile atque minerale conferat sua deposita vel concredita. Vellicat nobis hoc loco aures *Helmontius*, qui à dicta sententia nos revocare conatur, dum ab amuletorum republica metalla excludere satagit; In tractatu enim *potestas medicam: dicto §. 61.* raro, inquit, metalla sunt amuleta, nisi sint adhuc aperta aut ab externis exaltata. Verùm dictus autor *tr. in herbis verbis & lapidibus p.m. 255.* videtur metallis easdem, & majores tribuere ferè virtutes, quàm lapidibus, aliisque rebus. Idem ille *tr. natura contraria nescia* (nescius forte hoc loco, uti aliquoties in suis operibus, antea à se statutorum vel prolatorum) ab amuletis integris etiam vires promanare ostendit. Nihil nobis est commercii jam cum Tilsemarum cusoribus vel fusoribus, qui solùm metalla ferè admittunt pro suis næniis conficiendis. Taceo quod dicti artifices peculiari studio, præ mollioribus rebus, seligant metalla, gemmas & dura corpora, tanquam aptissima ad suum negotium, quod diutius efficaciam ab astris in isthæc derivatam retineant. Porrò isti etiam inter alios refragantur opinioni *Helmontii*, qui mercurialia, arsenicalia, antimoniata, hæmatiten, magnetem, gemmas, aliaque similia, tanquam præcipuam materiam suorum periaptorum eligunt atque constituunt; de quibus pluribus hactenus leviter attactis plenius nostrum scrutinium in subsequentibus actusum est.

CAPUT II. SECTIO I.

Catalogus amuletorum crebriùs occurrentium.

ALlubescit nobis in hac sectione commemorare frequentius occurrentia amuleta, idque ideo, ut subinde mentem nostram de tolerandis vel rejiciendis periaptis declaremus, operationes fide atque autoritate probatas commodè interseramus, applicandi modum ab autoribus injunctum attingamus, ne vero usui indicato vel observando aliquid decedat, quod fortè desiderari possit. Venia verò nobis in fronte hujus catalogi exoranda est, si fortè cujuspiam ad mentem deficere in recensione insufficienti quorundam periaptorum, aut si in aliorum amuletorum prolixa commemoratione luxuriari videbimur. Omnia verò hæc mox tradenda scopo nostro congrua ducimus; mite proinde speramus judicium, à benevolo lectore, cui etiam in catalogo hoc consignata periamata inter alias causas ideò sistimus, ut suam experientiam vel judicium etiam his addat, quo doctrina hæc obscura, multisque mendis adhuc referta inposterum melior atque verior nitescat & innotescat. Fatemur haut invitè, nos plurimorum periaptorum experientiâ destitutos, nec credulos nimiùm esse laudes ipsorum suspectas legentes; nolumus autem planè derogare vim omnem amuletis, sed potius iterum iterumque examini docto atque experientiæ iteratæ curiosorum medicorum hanc doctrinam committimus atque commendamus.

Abortum inhibentia, & fœtum vel embryonem conservantia ab imaturo partu.

REstim ducunt inter amuleta prægnantibus dicata; Ista ratione primæ literæ alphabeti, & æstimii inter mulieres, quia

quia alias amuletis adinveniendis vel augendis admodum inhiant fœminæ; unde etiam abortui opposita amuleta numero non facilè cedunt aliis in morbis variis laudatis periaptis. De ætitæ viribus, & vario applicandi modo, quâ ratione scilicet vindicet fœtum ab abortu, ex multis locis allegatis liquet apud *Joh. Laur. Bauschium de ætite p. 41.* De applicandi modo diverso, pro ipsius usu vel effectu diverso expectando à dicto lapide, agit *Zwolfferus Animadversion. ad Pharmac. August. p. 420.* & *Frideric. Hoffmannus clave Schröderi p. 171.* aliique pene autores innumeri, quos (æque ac illos autores de hæmatite vim amuleticam, exempli & confirmationis gratia pro amuletorum veritate & efficacia allegantes) propter illorum copiam aversamur annotare in hoc catalogo. Communi ferè autorum sententia in superioribus corporis partibus ætites gestatus pro retinendo fœtu dicitur inservire; in inferioribus verò partibus, scilicet infra uterum collocatus fœtum ex utero elicere idem creditur; quemadmodum etiam hic lapis sterilitati mederi, secundinas educere & lochia ciere dicitur, ceu patet ex testimoniis collectis à *Bauschio l. a.* Ex dictis his contraria operatio lapidi isti tributa innotescit, quæ, æquè ac in aliis amuletis annotata in subsequentibus, suspensos quosdam tenet, ne fidem similibus indifferenter impertiant. Interim operæ pretium esse ducimus, ut inquirant curiosi in hujus rei veritatem, ad quam aditum pandit liberè & rectè de hoc lapide & materia dicta philosophans *Exc. Paul. Ammanus de materia medic. p. 17.* Cæterùm vim promovendi partum minùs concedere videtur isti lapidi *Sanct. Sanctorius de vitand. erroribus l. 5. c. 11. f. 160.* Porrò lapis stellatus, vel stellaris auro inclusus ac gestatus ut carnem contingat, & ursina ungula pro arcendo abortu commendatur *à Lud. Bonaciolo de fœtus formatione c. 6. p. 276.* adhæret autem tractatus hic *Pinæi libro de notis virginitatis.* De lapide Sardonio ventri alligando ob scopum illum videri potest *Unzerus lib. 1. de Nephritide p. 9.* Idem testimonium de dicto, vel Carneolo lapide ventri deligato, quod partum confer-

servet, prostat apud *Frid. Hoffmannum clave Schroderi p. 158.* similiter constat ex *Hoffmanni c. l. p. 157.* quod smaragdus ventri gravidæ impositus fœtum retineat, coxæ verò alligatus partum acceleret; de quo agunt annotati in *Henrici Kippingii instit. Phys. l. 6. cap. 3. p. 237.* Præterea vim retinendi fœtum etiam tribuunt Samio lapidi *Staricius* im Helden-Schatz *part. 6. pag. 518.* Consentit cum illo *Pet. Andr. Mathiolus de simplic. Medic. facult. p. 213. Dioscorides l. 5. c. 173. & Plinius l. 36.* De gemmis quibusdam præservantibus ab abortu etiam agit *Casp. Bartholinus de lapide nephritic. c. 10. p. 27. & 35.* Audiamus de similibus *Joan. Varandeum de morb. mulier. l. 2. c. 5. p. m. 607.* Ea, inquit, quæ ex proprietate fœtum in utero continere dicuntur, non negligenda sunt: ut lapis ille ætitæ seu aquilæ dictus, ex collo suspensus, magnes umbilico admotus, Jaspides, Smaragdi, adamantes, lapides sardonii vel tapazii, ossa de corde cervi legitima sub axillis gestata. Conceptum quoque tegere jaspidem dictam, & partum juvare autor est *Chr. Encelius de re metallic. l. 3. c. 71. p. 265.* Similiter quod jaspis major non adulteratus ad protegendum fœtum, omnem fluorem sangvinis arcendum, hydropem pellendum, & partum juvandum plurimum conferat, scribit *Rein. Solenander sect. 1. consil. Med. 14. f. 62.* Quæ jam seqvuntur petita sunt ex *Levin. Fischeri corpore medic. imperial. l. 3. p. 190.* Pro abortu declinando, inquit, gravida jaspidem portet, & in digito annulum, in quo adamas lapis fixus sit: est enim de eis, quæ ab occulta proprietate prohibent abortum. Et idem faciunt lapis Ægyptiacus & Topacius. Conceptum in utero custodire dicitur lapis, qui in Samia terra invenitur tritus appositus: ut etiam de ætite lapide dicitur, qui & ipse ceu gravidus videtur. *Plinio* Samius lapis alligatus partum conservat *lib. 36.* Item lapis inventus in aliquo ligno, arbore cæsâ scilicet. *Hoeferus Hercul. Medic. l. 7. cap. 3. p. 321.* adstipulatur *Sennerto* (*l. 3. pract. p. 408.*) de paulò ante dicto magnete, quòd manu gestatus vel umbilico appositus abortum præcaveat jam imminentem, brachio vero alligatus, vel sub axilla portatus lapis aquilæ. Idem illud promit-

mittere corallium, Jaſpidem, ſmaragdum & adamantem indicatur loco allegato. *Sennerti* mentem de iisdem & aliis adhuc quibusdam colligere licet ex hujus *prax. l. 4. p. 400.* De lapide lazuli, quòd ſimiliter adverſetur dictis malis gravidarum, innoteſcit ex ſequentibus, ſcilicet *Bauſchio de lapide Lazuli p. 127. Mylio l. 4. Baſil. Chym. c. 14. Franciſco Rueo lib. 2. de gemmis c. 21. Boot. à Boot. l. 2. c. 121.* Geſtatum autem hunc lapidem à collo aufferendum eſſe partu imminente, ne fœtus ultra legitimum terminum retineatur monet *Olaus Wormius muſeo p 65.* Præterea prægnantibus & infantibus contra timores inſervire Lyngurium ex Poëta non nominato teſtatur *Beverovicius Epiſtolic. queſtion. p. 164.* Porrò malachites circa umbilicum gravidæ geſtatus dicitur fœtum corroborare, qui verò inſtante partu demendus & ex illo loco ad dextrum genu transferendus ac alligandus eſt, ne partus impediatur, injungente hoc *Mart. Schmuckio occulta magico-magnetica morbor: curatione p. 31.* Alii dilaudant pro abortu declinando radicem malvæ & parietariam ſi de collo ſuſpendantur, de quibus & ſmaragdo conſulatur *Beverovicius.* De malvæ & tormentillæ radicibus, item hyoſcyamo, aliisque paucis adhuc, quòd tueantur gravidas ab abortu, evolvi iterum poteſt *Caſp. Bartholinus l. 4. cap. 1. p. 22. §. 29.* Hyoſcyami radicis pro effectu dicto mentionem etiam facit *Mylius Antidotar. med. Chym. l. 1. c. 6. p. 62.* Non leve etiam emolumentum redundare in gravidas, ſi geſtent lignum meſpili, indicatur apud *Sylv. Rattray de ſympath. p. 21. Baricellum horto geniali p. 227. Guern. Rolfincium ord. & method. medic. ſpecial. l. 9. ſ. 6 c. 12. p. 847. & Ant. Grandium curioſo rerum abditar. perſcrutatore p. 316.* Deinceps dactylos & corallia pentaculi inſtar appenſa gravidis tempore peſtis idonea eſſe remedia, ſcribit *Tneodorus (vulgò Tabernæmontanus)* in der Hauß-Apotheke *p. 43.* De Eringii veri uſu gravidis ſalubri agit *Mullerus miracul. chymic. p. 174.* Porrò vermiculos ſub oleribus repertos colloque ſuſpenſos à timore vel periculo abortus liberare gravidas non nulli credunt; confer autem de hoc etiam *Plinium l. 30. c. 14.* Ex *Cardano* depromit ſequentia *Joh. Jac. Weckerus de ſe-*

cretis l. 5. c. 4. p. 176. Existimant, inquit, fœtus contineri, si vermis, qui in gramine invenitur vivus, & antequam terram tangat, collo suspendatur. Eundem effectum præbere dictos vermes sub radicibus graminis repertos, qui coloris rubicundi sint, si syndone illigati sub axilla gestentur, autor est *Grembsius arbore integr. & ruinos. hom. l. 2. c. 1. §. 127. n. 81.* Idem hoc reperitur apud *Joëlem practic. l. 8. sect. 3. p. 488.* His addatur *Jac. Ruff. lib. 5. de mulier. p. 389.* Ob scopum eundem obtinendum amphisbæna laudata prostat apud *Galenum de Theriaca ad Pisonem.* De dicto amuleto vero *Plinius l. 28. c. 8. p. 507.* Magi ait, partum contineri promittunt, si mulieri candida à pectore hyœna, caro & pili septem, atque genitale cervi illigentur Dorcoidis pelle, & collo suspendantur. *Zac. Lusitanus prax. admir. l. 2. obs. 152. p. 270.* scribit corium marini equi vel lupi etiam pro hac intentione usurpari. Corium istiusmodi cinguli formâ admotum corpori inter periapta contra abortum facientia refert *Maccasius Promptuar. med. post caput 33. p. 352.* Tradunt etiam cervas, cùm senserint se gravidas, lapillum devorare, quem in excrementis repertum, aut in vulva illius, (nam & ibi statuunt inveniri) adalligatum, partus custodire, volunt, de quo *Bonaciolus l. a.* Videantur etiam, quæ in hanc rem pariter scribunt, *Johannes Schroderus Pharmac: medic: Chymic. l. 5. p. 283. Hœferus Hercul. med. l. 7. c. 3. p. m. 321. & Sachsius Gammarolog. p. 179. & 299.* Ex *Sexto Platonico* idem illud de lapidibus ex cervæ natura vel ventriculo desumtis refert *Alex. Venturinus Medicina desumpta ab animalibus Italico idiomate conscripta.* De dicto lapide in vulva, ventriculo, & intestinis cervæ, item de osse in corde & vulva illius reperiendo, uti & de modo operandi annectantur paulò ante dictis annotata apud *Grabam de cervo c. 10. p. 240. & 241. c. 19. p. 246. 247.* De his etiam in suffragium vocentur *Hucherus*, & allegati apud *Agricolam tr. de cervo p. 30. 192. & 193. Idem autor p. 162.* agit de osse cordis cervi similiter proficuo in dictis malis gravidarum metuendis, de quo & lapide in ventriculo & intestinis cervæ reperto, conferatur etiam *Christ. Encelius de re metallic. l. 3. c 49. p. 236.*

p. 236. Idem autor l. a. cap. 50. p. 237. tophum in ventre secundo juvencæ repertum custodire partum & ægrè parturientibus summum esse remedium statuit. *In Frider. Hoffmanni methodo med. 365.* hæc leguntur: brachio sinistro alligati testiculi mustelæ, ungulæ ursinæ in collo gestatæ, sardonius lapis ventri alligatus, lepus marinus mas sale induratus, in brachialibus inclusus ac gestatus, faciunt contra abortum & syncopen prægnantium. Dehinc ossa in leporum inarticulatione cruris & tibiæ reperta (die Hasensprunge) atque in collo gestata prohibere abortum memorat *Joëlis pract. lib. 8. sect. 3. p. 488. Grembsius arb. integr. & ruinos. hom. l. 2. c. 1. §. 127. n. 81.* aliique plures. Sic lapidem ex capite lumacæ desumptum, colloque mulieris appensum efficere, ne in abortum incidat, patet ex *Baricelli horto genial. p. 112. & 113.* Non possum de lapide dicto hoc loco reticere duplicem, ac diversum simul alterum effectum à dicto priori, cujus meminit *Anton. le Grand curioso naturæ perscrutatore p. 102.* lapis ille, inquit, admirabilem habet in gravida muliere consensum: quippe suspensum si secum illa portaverit, in abortum minime incidet, sin autem tempore partus tritum cum vino capiet multa facilitate pariet: siquidem lapides hi meatus mire aperiunt, è quibus fœtui facilior datur transitus, & hæc ex *Isidoro* desumta esse fatetur autor citatus. Ad retinendum & roborandum fœtum in utero mulierculas quaspiam sibi ex panno chermesino seu scorlato facere cingulum, quod toto gestationis tempore juxta carnem ferendum sit, innotescit ex *Miscellan. natur. curios. dec. 1. Ann. 3. obs. 104. p. 170.* Nolumus denique & illud reticere, si quid veri fortè insit verbis *Gesneri* im Thierbuche *fol. 27.* quod gravida periclitetur de abortu, si transgrediatur castorem vel ipsius testiculos, ex quo id annotat *Mich.* Bapst im Artzney-Kunst- und Wunder-Buch / *part. 1. p. 361.* Interim vix tanta mala à Castario verentur indies pene gravidæ, quæ collo & naribus crebrò admovent illud in hysterica passione vel lipothymia. Nec minus posthæc attendi meretur, si ita est; quod habet *Ionstonus Thaumatograph. class. 5. c. 11.* quod cedrus apposita fœtum

viventem interimat & expellat mortuum, idque desumtum dicit ille ex *Theophrasti l. 5. c. 8.*

Alvum laxantia.

SEqvuntur jam quæ alvum solvere creduntur, idque lapis nephriticus gestatus efficere dicitur, veluti patescit ex *Unzero lib 1. de nephrit. cap. 24. & Bartholino de lap. nephrit. c 8. p. 15.* Constat etiam ex *Otton. Brunfelsii herbario Germanico cap 17.* citato à *Mich. Bapstio* im wunderbarl. Leib und Wund-Artzney-Buche *l. 1. p. 58.* quòd alvus cujuspiam expurgata sit, quoties per locum spatiatus fuerit, ubi esula crevit. Idem autor ex *Antonio Musa* suis iis allegatis annectit, quòd colocynthis solâ manu tractata, vel detenta, dictum effectum prolicuerit. Nihil memorabo de scammonio allisve similibus catharticis manibus solùm tractatis, aut extrinsecus pulsuum aut umbilici regioni illitis, vel impositis similem effectum excitantibus; quæ dicta, vel etiam venis in fusa purgantia, specifica medicamenta quadantenus confirmant.

Anginæ periamnata.

AGgredimur porro amuleta anginæ, in qua peculiaris vis exsiccato viperæ capiti, si collo appendatur, assignatur à *Mullero miraculis chym. p. 149.* Addantur huic in sententiam illius abeuntes *Joh. Hartmannus prax. chym. l. 2. c. de angina, Weckerus, Anton. Ludov. c. 21. de occultis proprietatibus, Marcellus cap. 15. de medicamentis*, qui caput illud synanchas nascentes maximè prohibere, & adnatas curare scribit. Laudant itidem hoc amuletum *Claudinus de ingressu ad infirmos appendice p. 456. Constantinus Africanus, Schroderus pharmacop. med. chym. l. 5. p 309. Alexander de Benedictis Veronensis l. 8. c. 5. Galenus l. 6. simpl. cap. de Paeonia, l. 3. c. 5. Paul. Ægineta in Anginæ curatione.* Attingit etiam hoc & alia plura periapta in angina usitata *Bartholinus de lap. nephrit: c. 8. p. 20. § 16.* De Indicæ serpentis capite, quæ teuthlaco cauhqui, sive domina serpentum dicatur, easdem vires, & simul in febribus à *Nirebergo* dilaudatas, deprehendimus.

an-

annotatas apud *Gerh. Joh. Vossium de Idololatria l. 4. c. 62. p. 1522.* Verùm vanitatem hujus medelæ falsè deludit, & excludit caput istud ex amuletorum efficacium classe *Franc. Redi epistola de viperis p. m. 19.* quæ epistola etiam adhæret *Miscellaneis natur. curios. Dec. 1. Anno 1.* Dehinc filum solùm, quô vipera fuit strangulata, contra colli dictos affectus valere dicitur, de quo *Camerarius memorab. medic. cent. 4. partic. 38. Rattray theatro sympath. p. 29. Staricius* im Heldenschatz *part. 6. p. 123. Bapt. Porta mag. natural. l. 4. c. 20. p. 180. Sennertus medic. practic. l. 2. p. 119. Georg. Hier. Velschius Hecatostea medic. 1. obs. 53. p. 70. Joh. Dan. Mylius Antidotar. med. chym. l. 1. c. 7. p. 94. Miscellan. nat. curios. Dec. 1. anno 3. obs. 104. p. 170. Joh. Ulric. Rumlerus obs. med. 87. p. 51.* Quo in loco ultimo exuviis viperinis eadem vis non denegatur.

Propter plura dicti fili commoda commendata non possumus, quin huc adducamus verba *Joh. Prævotii selectior. remedior. opere posthumo p. 99.* Qui, inquit, anginæ obnoxii sunt, aliisve colli, gutturis, ac faucium defluxionibus, non sanantur modò illicò, sed inposterum etiam certò præservantur suspensione à collo viperæ colli, qua parte circulus quidam, annuli instar, viperæ collum ambit. Hoc sibi fidissimum esse, plurimisque probatum experientiis prædicavit olim in convivio ornatissimus *Joh. Pona Veronensis* naturalium rerum studiosissimus observator, veluti hæc debemus *Prævotio.* De hactenus adductorum amuletorum operandi ratione, si placet, legantur speculationes *Th. Bartholini cent. 4. hist. anat. 73. ejusque Cista medica loc. 58. p. 607.* Deinceps quòd filum sericum purpureum in angina & inflammatione faucium faciat pro calore evocando, & sedanda inflammatione, cognoscimus ex *Miscellan. nat. curios. l. a.* De chermesini serici & exuviarum effectu eodem testis etiam existit *Rumlerus observ. med. 87. p. 51.* Utrum verò ejusmodi amuleta substantiæ proprietate agant, differentem, qui cupit, reperiet *Sennertum prax. medic. l. 2. p. 219.* Similiter *Cardanus* conferre credit squinantiæ filum, quô bufo vel rubeta suspensa interiit, referente id *Joh. Jac. Weckero de secretis l. 5. c. 4. p. 152.* Dehinc anginam & quasvis faucium in-

flammationes sistere radicem ostrutii in taleolos sectam & mediante filo collo circumdatam, à Medico Gallo *D. Glasero* compertum & confirmatum esse alicubi legi. Porrò quòd radix cynoglossi collo alligata lingvæ nigredinem deleat, indicat *Gab. Fontanus medic. Antihermetic. sect. 3. c. 4. p. 176.* De quo etiam *Joan Renodæus Instit. Pharmaceut. l. 1. c. 12. p. 15.* Mentio item fit amuleti illius sequenti modô apud *Joh. Dan. Mylium Antidotar. Medic. chym l. 1. c. 6. p. 62.* Radix cynoglossi circa collum alligata lingvæ nigredinem, quam vulgus imperitè cancrum nominat, delet: res enim parvæ molis solô attactu non nunquam maximas inducunt alterationes, ait *Galenus lib. 6. de loc. affect.* Præterea Lysimachia flore purpureô prædita, vesperi in die Jacobi collecta, arefacta atque in sacculo appensa collo, nec non post novem dies influmen abjecta, dicitur itidem anginam tollere, quod indicat. *Joh. Phar. Rhumelius Medic. Militar. dogmatic. Hermetic. Magica cap. 5. & 12.* Sic quòd *Naturalis* rostrum picæ collo portatum renuntiet optimum Parasynanches remedium, constat ex *Alex. Venturini medicina ab animal. desumta* sequentia nobis innotescunt pro angina *ex Bald. Roussei venat. medic. p. 66.*

Nec reticenda mihi est clamosi è pelle catelli
Zona ter in gyrum affecto circumdato collo.

Succinum etiam tonsillis & fauciũ vitiis resistere creditur; idcirco Paduanæ mulieres istud circa collum longô seculô gestaverunt, quod hodie Turcarũ equestres copiæ in equis suis observant, ceu docet *Erasm. Stel antiquitat. Boruss. p. 2. 1. 1.* Idem illud quod succinũ externè contra Anginam in usu sit, claret ex *Joh. Theod. Schenckii disp. Jenæ edita de succino c. 7. p. 24.* De cannulis sympathicis, seu Entalibus quibusdam dictis, maximè proficuis in angina, si extrinsecus appendantur, *vid. Misc. nat. curios. Dec. 1. Ann. 9. obs. 118. p. 185.* Similiter hirundinis lingva pro amuleto appensa, eaque excisa, Jove Mercurio junctô, præservativum anginæ est, scribente *Aug. Etzlerô Isagog. Physic. mag. medic. cap. 6. p. 138.* Denique, si placet, ea quæ inferiùs oris vitiis opposita traduntur, huc referri possunt.

Ani

Ani morbis medentia.

AD ani vitia tollenda plantaginis radicem pellicula vel panno phœniceo obvolutam lumbisque circumdatam laudat *Marcellus Empiricus c. 31.* De ani mariscis, ficubus aut hæmorrhoidibus paulò inferius suô locô noster catalogus amuletorum plura suppeditabit.

Anthraci vel Carbunculo opposita.

ANthraces & carbunculos arcere, atque natos extingvere applicatam sapphirum, legere est in *Casp. Bartholini de lap. nephrit. c. 10. p. 23. §. 4.* De sapphiro quomodo circa carbunculum affricando duci debeat, ut excidat virulentum hoc exanthema; item de aliis gemmis huic usui, vel pestis curationi dicatis, inter pestis amuleta inferiùs plura occurrent.

Aphthas curantia.

AD puerorum aphthas ranulam vivam ori puerorum admovendam, eaque postea mortuâ & defossâ, alteram ori imponendam, & rursus aliam si opus sit; idque Antwerpiæ ex vetulæ consilio præsidium salubre fuisse compertum, cùm multi infantes antea ex dictis aphthis mortui fuerint, quæ memorata ex *Foresto* depromit *Joh. Rud. Camerarius memorab. medic. cent. 8. partic. 87.* In auriculis Judæ etiam quidam ferè ejusmodi confidentiam ponunt, si potui immersæ sint eædem, aut collo appensæ.

Apoplexiæ repugnantia.

COntra apoplexiam pro egregio præservativo radix verbasci virginis reputatur (quæ rhevmatica etiam dicitur) ut legitur apud *Frid. Hoffmannum Meth. med. p. 294.* Gemmas in dicto affectu & caro commendatas congessit *Bartholinus de Lap. nephrit. cap. 10. p. 24.* Pellis humana quoque in apoplexia appensa locum & laudem invenit, de qua, illiusque operandi ratio-

ratione consule *Fernelium l. 5. c. 3. p. m. 76.* Nolumus à dictis his etiam abesse verba *Joh. Dolai Encyclop. medicinæ l. 1. c. 10. p. 158.* Capite gestet, inquit, æger capitium pelle lupinâ fultum, quo novimus plures Principes ad præservationem apoplexiæ usos fuisse, vano ne successu, an felici, me latet. Sicuti colligimus ex *Matthiolo in Dioscoridem lib. 4. c. 182. f. m. 890.* Radix floris solis vel helenii Indici maximi collo suspensa apoplexiam quoque arcet, auctore *Durante.* Præterea si corolla ex coralliis collo implicetur minùs irritum opus, sed optimum προφυλακτικόν fore credit *Joh. Heurnius de morb. capitis. cap. 24. f. m. 431.* Ab eodem malo etiam immunes tueri coronam viperarum eos, qui gestent hanc, innuit *Conr. Khunrathus medull. destillator. part. 2. tract. 27. p. 309.* Ex *Theophrasto Paracelso* notat *Georg. Pitschki Zenexto*, quod Mercurius coagulatus in annulos redactus ac gestatus, uti pro aliis morbis, ita pro arcenda apoplexia salubriter adhibeatur.

Aquæ pericula declinantia.

NOlumus etiam catalogo nostro amuletorum subducere ea, quæ à submersione tueri creduntur, veluti gemmas ejusmodi recenset *Bartholinus de lapid. nephrit. c. 10. p. 27. §. 42.* Si quoque uberior experientia sequentia confirmet, notari merentur, & ab iis præcipue, quos negotia sua ad mare, vel aquas ablegant aut invitant; navigantes autem secum gestare non debere castoreum; cum gestantes illud non solventur, si naufragia patiantur, sed plumbi instar fundum petant & suffocentur, veluti accipimus ex *Actis Danicis Medicis & Philosoph. Anni 1672. volum. 1. Obs. 49. p. 96.* Prætera de castareo & ligno juniperino illic indicatur, quod immania cete à navibus arceant, si in his ista contineantur. De vi castorei dicta confer etiam *Thomam Bartholinum histor. anat. cent. 2. hist. 17.* Quæ dicta attendi vel explorari utique merentur.

Arbo-

Arboribus, agris, arvis & hortis dicata.

ACcedimus jam ad ea, quæ arboribus, arvis, & hortis inservire putantur; hæc vero pro insectis ab istis locis, seu hominibus fugandis notari possunt, si rationi aut experientiæ tolerandæ consona videntur. Quæ vero his interposita superstitiosa apparebunt, epimetri loco curiosi lectoris judicio ad deliberandum magis, quam credendum vel imitandum proponuntur. Arbores itaque frugiferas reddi, si selenites illis adalligetur, legitur apud *Dioscoridem l. 5, c. 159.* sed rationi & experientiæ illud reluctari, scribit *Sanctorius de errorib. vitand. l. 8. c. 11. f. 162.* De coralliorum simili effectu, pro arborum dicto commodo, evolvatur *Khunrath l. 4. part. 1. p. 269* Sic de ætite referunt, quod arboribus affixus, pro continendis vel detrahendis pomis faciat, in dubium tamen hoc vocatum prostat apud *Bauschium de ætite p. 64.* De ficubus confestim ex arbore cadentibus, si ætites eidem arbori suppositus illam tangat, vide sis, si fide dignum censes, *Marc. Marci phil. vet. restit. part. 5. sect. 1. p. 476.* Pro erucis ex hortis vel agris exterminandis valere scillam hinc inde suspensam, vel cancros fluviatiles clavis affixos locis pluribus; vel si hi ramis arborum à cornibus suspendantur; item si menstruô laborans mulier ambiat loca aliquoties, de quibus & aliis variis rebus insecta noxia varia depellentibus ab hortis fusiùs *Ant. Mizaldus de secret. hortor. l. 1. c. 9. 13. p. 22. &c.* Alias ceremonias vanitatem ac superstitionem majorem olentes, & illius menstruatarum ambitui additas (quem erucas, vermes, scarabeos, cantharides &c. ab arvis & segete abigere volunt) annotatas reperies in *Lud. Bonaciali tr. de fœtus format. p. 181.* Posthæc dicuntur allia ramis arborum suspensa arcere aviculas ad deprædationem fructuum accedentes, uti hoc annotavit in *Græcor. Georgicis Democritus*, quæ allegat *Mylius hort. philos. p. 563.* Reperitur idem hoc apud *Wickerum de secret. lib. 8. c. 2. p. 350* Autor hic memorat etiam, quod idem fit, si arbor expurgetur falce alliô perlitâ. Alii comburi volunt per omne spatium horti

allium pro erucis fugandis, de quo *Ant. Mizaldus de secret. hortorum l. 2.* Hoc verò propter invisum odorem forsan fit, si veritati respondet illud modò dictum; sicuti etiam alias fœtor insignis, & ille præcipuè, qui à lasere exhalat, columbas è columbario fugare scribitur. Idem hoc post ejusmodi speculationes conceptas statuere comperi *Honorat. Fabrum de plant. tr. 15 lib. 2. p. 87.* Qui citatus *Faber* effectum istum de allio arboribus suspenso in strepitum aridorum alliorum conjicit, quem allisione suâ edant. Alii tamen vim specificam magis tribuunt allio, quâ resistat insectis: veluti etiam talpas ex hortis arcere creditur allium, si non nihil in illorum foramina vel cuniculos immittatur, recensente hoc *Gräflingero* in dem verständigen Gärtner / *in Germanicam verso p. 194.* Verùm in hortis minus deterrere porrum talpas à suis cuniculis & aggeribus extra terram ejiciendis, facili negotio comperimus. Cœterùm allii vires infestas istiusmodi insectis, vel brutis quibusdam, alia nostri scrutinii loca plura attingent, & nostra suo tempore edenda peculiaris *dissertatio de cepis & alliis.* De auxiliis & secretis adversus grandinem, fulmina, atq; tempestates, (flores, vel fructus arborum ac plantarum, & varia Cereris Bachive dona miserè aliàs perdentes) integrum propemodum caput expletum prostat apud *Mizaldum l. c, cap. 14. p. 38.* Idem autor docet *l. d. cap. 15.* amuleta non nulla, quæ tueantur à rubigine, pruina, carbunculatione & aliis cœlestibus injuriis, quæ mala aliàs arborum, frugum & vinearum flores ac fructus perdant & aboleant. *Palladius lib. 1. de re rustic. tit. 35.* contra grandinem multa dicuntur. Item omne horti spatium alba vite præcingitur: vel noctua pennis patentibus suffigitur. De similibus pluribus phylacteriis inferiùs inter apotropæa contra tonitruum & tempestatis injurias facientia agetur; quæ tamen plurima pro licitis ac veris amuletis nemini obtrudere conamur. Pensitet etiam Lector curiosus cujus sit æstimii sequens petitum ex *Mizaldi l. 5. cap. 7. & 9.* memorat quippe, quod horti floridi & semina à malis omnibus & hortensibus incommodis tuta serventur, veluti tradant

Græci

Græci Geoponici & poſt illos *Plinius & Palladius* : ſi ſcilicet equæ, aut aſinæ calvaria, ſed non virginis, intra hortum ponatur, vel in ejus medio affixa palo erigatur. Nam, pergit, quæcunque ſpectabit, ſuâ præſentiâ fœcundabit & illæſa cuſtodiet. Nihil commemorabo hoc loco de ſuperſtitioſis variis ſimilibus rebus, quæ pro arborum & hortorum tutela, atque fertilitate eorundem olim, & etiamnum, quod dolendum, inter Chriſtianos commendari experimur, & adhuc ſubinde admittuntur in uſum. In tranſitu adhuc id ſolum, adjicio de idolo Priapi vel *Phallo*, qui hortis illatus fuit pro dicto iſto ſcopo, & ut furibus ac avibus formidinem incuteret, de quo annotata legi merentur apud *Joh. Bapt. Caſalium de profan. & ſacris veter. ritibus part. 2. c. 12. p. 81.* Varia de illo Priapo vel Balpegor congeſſit *Joh. Nicolai commentatione de ritu antiquo & hodierno Bacchanaliorum cap. 13.* Inter alia de ejusmodi priapi idolo vel ithyphalo ita *Horatius ſermon. l. 1. Satyr. 8.*

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Quum faber incertus ſcamnum faceretve Priapum,
Maluit eſſe DEum. DEus inde ego, furum aviumque
Maxima formido, nam fures dextra coërcet,
Obſcœnoque ruber porrectus ab inguine palus:
Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis conſidere in hortis.

An itaque veſtes mobiles aliæque res vento facile parentes, ſtridentes vel crepitantes adhæſerint phallis iſtis, ut aves conterritæ aufugerint ab hortis, uti aſſerere non audeo, ita non planè ambigo. Suſpicio mea ex eo etiam augetur, quia falce inſtructus priapus iſte hortorum cuſtos fuit; de quo & mercurio vel ipſius ſtatuis fures arcentibus a foribus videatur noſter *Exc. Caſp. Sagittarius de Jannis veterum c. 34. p. 237. &c.* Noſtri hodie teſtas vel vitra collidentia ſonumque edentia pendula conſtituunt in hortis pro avibus & feris arcendis. Sic porrò varia ejusmodi ſtraminea monſtra centonibus amicta,

passim in arvis, hortis, vineis, aut arboribus Germania nostra sæpe ostendit per æstatem & autumnum, ne aves aut feræ iis facilè insidientur, insideant aut noceant. Similiter existimo à collisione lapidum lupos æquè ac alias feras à sono terrifico in fugam conjici, non autem ab occulta quapiam causa, uti quidem arbitratur *Joh. Ad. Weberus* Unterredungs-Kunst *part. 2. p. 594.* Cæterum olim priapum arboribus appenderunt etiam Gentiles, quia isti genitalem vim & efficaciam assignarunt atque ita istum insimul constituerunt præsidem hortorum; idque inprimis propter membrum ejusdem virile & potentiam generandi ac fertilitatis vel fœcunditatis notam eâ ratione indicatam, factum esse censet *Ludov. Bonaciolus de fœtus format. p. 166.* Deinde priapum istiusmodi à Propheta Baruch & *Horatio* irrisum esse ostendit *Lev. Lemnius de Herb. Bibl. c. 28. p. 75.* Deniq; plura insectis opposita paulò interiùs suo peculiari loco continentur.

Arthritidem lenientia.

ACcingimus jam nos ad indaganda arthritidis periamata, inter quæ continetur testudo mascula, (quæ cognoscitur ex levi incisura sub inferiori testa) alligata membro sanat arthritidem notante id *Sylv. Rattray Theatr. sympath. p. 20.* De viribus magnetis efficacibus in hoc affectu, si manu teneatur, habet non nulla *Bartholinus de lap. nephrit. c. 10. p. 27. §. 36.* Quod autem magnes manu detentus chiragricorum & podagricorum dolores levet, indicant etiam *Gabriel. Fontanus Medicin. Antihermetic. sect. 3. c. 4. p. 176. Godfr. Steghius Medicin. Pract. l. 7. p. 330. & Joh. Dan. Mylius Antidotar. Med. Chym. l. 1. c. 6. p. 63.* Sequentia medelam arthritidis itidem promittentia agnoscunt autorem *Reim. Solenandrum Consil. med. sect. 4. cons. 24. p. 405.* Compertum quoq;, inquit idem, est & rationi consentaneum, corollam ex succino collarem sub indusio ad cutem aliquot spiris circumdatam, gestatamque defluxus impedire: Excalfactô enim nostro calore atque motione, exspirat aliquid semper

ſemper, quod capiti latenter communicatum, illud ſiccat, roborátque, tum & viam deſcenſus humoris aliquo modo obvoluta collo intercipit. Quæ contra dolorem aliàs aut podagram commendantur, ex ſubſequentibus ſuis locis peculiaribus patebunt.

Atrophiæ dicata.

DEvolvitur porrò noſtra conſideratio ad ea, quæ atrophiæ curandæ convenire ſcribuntur: Radicem leviſtici autem effoſſam, cum ſol in arietem intrat; appendere quosdam in illo morbo ex *Felic. Wurtzio* excerpſit *Schroderus pharmac. med. chym. l. 4. p. 92.* Sic etiam contra ariduram & contracturam nervorum atque articulorum non nulli ex cute humana chirothecas conficiunt, easq; plurimum juvare geſtantes aſſerunt, de quo *Dan. Beckerus medicin. microcoſm. p. 174.* quod annotat quoque *Schroderus l. c. lib. 5. p. 297.* Similiter quod amuletum contra ariduras particulares paretur ac deſumatur ex particula loculi ſeu feretri, in quo depoſita fuit puerpera partus difficultate extincta, & quæ ſuper ſpinam dorſi collocata ac tumulata fuit, evulgat *Andr. Tenzelius medic. diaſtat. c. 27. p. 149. &c.* Verùm hoc ſuſpicione illiciti auſus & uſus laborat. Denique *Paul. de Sorbait Medicina univerſal. f. 326.* aliqui, inquit, radicem verbenæ & caryophyll: Lunâ exiſtente in tauro collectam collo tanquam ſpecificum amuletum appendunt: Alii lignum vulnerarium pure ſæpius inficiunt & mundant; alii transplantant.

Augurationem vel divinationem procurantia.

QVæ jam proponemus, non adeò plauſibilis notæ ſunt, etiamſi a medicis quibusdam non infimæ ſortis ſeriò proponantur: Selenites lapis quippe decreſcente lunâ ſub lingua portatus, primâ lunæ & decimâ exiſtente, conferre ad augu-

augurationem dicitur, quæ scilicet versatur circa fieri vel non fieri; si prius, cordi applicatus tenaciter affigitur; si posterius, cor resilit ab eo, atque hæc adducta leguntur apud *Grembsium arbor. integr. & ruinos. lib. 1. c. 7. §. 3. num. 41.* De eodem selenite, aliisque rebus pro divinatione futurorum venditatis, iisque ex *Cardano & Agrippa* transscriptis, agit *Joh. Jac. Weckerus de secretis lib. 15. c. 30. p. 754.* Similiter lapides corniformes, Hammonis cornua dictos, somnia divinantia comparare iis, qui gestant eos, credunt Ægypti, quod innuit die Gottorffische Kunst-Kammer *p. 33.* De eodem lapide, quod subjectus capiti, incubantibus prædivina somnia repræsentare dicatur, constat ex *Jac. Mockio de causis concret: & dissolutionis rerum p. 20.* De rubino gemma gestata hæc notantur *Frid. Hoffmanno in clave Schroderi p. 154.* Si, inquit, homini infortunia instent, ea mutatione coloris in obscuriorem significat, & pro majori vel minori infortunio, ad majorem vel minorem opacitatem inclinat. Sed de maculis gemmarum ab impuris hominibus facilè oriundis, alius nostri hujus scrutinii locus plura continet. Præterea de amethysto, chelonite, radice halicacabi, & lauri foliis (vario modo pro divinatione comparanda adhibendis) habet etiam nonnulla *Th. Iordanus de divino in morbis c. 9. p. 41.* Tandem citatus *Hoffmannus l. 4. p. 155.* scribit, quod Apollo sacrificii tempore olim citius dignatus fuerit illos, qui eum consuluerunt, si saphirum gemmam secum gestarint. Verùm hanc materiam inter alia nobis suspectam meritò reddunt hariolorum, & incantatorum crystalli, similesve gemmæ clandestina revelantes &c. de quibus sequentia mentionem ampliorem facient, ubi de gemmarum suspecto & infirmo usu acturi sumus. Rerum ejusmodi mentionem faciens (etiam apud *Plinium l. 37. c. 10. & lib. 30. c. 3.* reperiendarum) quæ Prophetiam vel divinationem procurare dicuntur, parvi momenti vel veritatis esse statuit *Paul. Zachias quæst. medic. legal. l. 4. tit. 1. quæst. 5.* Quæ somnia vel morborum prognosin suppeditare putantur, in illorum peculiaribus locis catalogus noster amuletorum inferius sistit.

Avibus grata vel proficua, aut ingrata.

CReduntur etiam res quæpiam amuleti quasi vires possidere, quatenus illæ aves allicere vel fugare, aliumve ipsis usum conferre dicuntur: Vespertilionis scilicet caput suspensum in columbarii cacumine columbas allicere scribitur, ne facilè avolent, ceu ex *Jonstano refert* die Gottorffische Kunst-Kammer/ *p. 24.* Sic quod columbæ frequenter advolent ad columbarium, si in illo cranium humanum suspensum sit, significat *Michael Bapstius* im Artzeney-Kunst- und Wunder-Buche *part. 1. p. 90.* Dehinc lupi caput, seu odore seu specie in columbario suspensum, creditur viverras & mustelas arcere, idque ex *Cardano & Agrippa* desumtum tradit *Weckerus de secret. l. 8. c. 3. p. 353.* Locum fortè illorum capitum supplet ossea pars equini capitis, quam non rarò in Germaniæ pagis observamus columbariis affixam. Circumferuntur adhuc alia similia, & talia non rarò de avium quasi amuletis, quæ minorem fidem merentur, quàm hactenus adducta; quæ Lectoris judicio submittam potius, quàm longo commentario prosequar. Sic volunt picum avem, si ei aditus ad nidum suum cuneo sit ab hominibus occlusus, ne pullis suis adesse possit, plantam quampiam inquirere illum & obdurato foramini admovere, unde aperiatur. Adstruunt etiam herbam dictam pro reserandis omnibus seris facere. Similiter prisci narrant, quod chelidoniâ herbâ admota deperditis hirundinum pullorum oculis à genitoribus restituatur illis visus integer, quæ verò hactenus recensita figmentis meritò accenset *Georg.* Rollenhagen in warhafftigen Lügen *p 204.* Ut revertamur parumper ad plantam istam seras referantem, cui recensioni non pauci apud priscos subscribunt, audiemus adhuc de illa ita scribentem *Andr. Laurentium operib. therapevtic. tr. de strumar. sanatione l. 1. c. 5. f. 13.* Democritus & *Theophrastus*, Æthiopidem herbam seras omnes solô contactu aperire narrant, & *Matthiolus* affirmat, furem Venetiis suspendiô damnatum, qui hâc arte fores aperiebat. Verùm à ratione alienũ hoc & similia esse non male statuit *Sanct. Sanctorius de vitandis erro-*

ribus l. 1. c. 11. f. 162. Cui sententiæ nos etiam non refragamur, si quis ab herba ista naturalem efficaciam expetat aut expectet; non latet quippe nos Dæmonem rebus multis inefficacibus stupendas vires sæpe indere, aut per easdem efficacem se exhibere. Diabolicam etiam statuit istiusmodi claustrorum apertionem *Mich. Freudius* Gewissensfragen von der Zauberey. *quæst. 131.* Plura de hac herba leguntur ap. *Joh. Ad. Osiand. de mag. p. 15. 88. & 318.* Quia in materiã hanc incidimus, perpendat etiam Lector curiosus sequentia, cujus sint æstimii, quæ sequentibus verbis sistit *Laurentius l. a. f. 11.* inquiens: refert *Albertus*, se in Germania vidisse gemellos, quorum alter dextri brachii solo contactu seras omnes aperiebat; alter brachio sinistro easdem claudebat; de quo itidem *Joh. Langius l. 1. Epist. medic. 35. p. 119.* aliique plures videri possunt. Sed regredimur ad amuleta, quæ aves instinctu naturæ sibi eligere dicuntur; quæ omnino admirationem & imitationem merentur, si veritatem, nec simplicitatem & credulitatem priscorum sapiunt. *Aug. Etzlerus Isagog. magic. medic. c. 7. p. 171.* ardea, inquit, quæ lunæ subjacet imperio, cum aquila, pico aliisque inimicitias gerit, tutam autem se ab illorum violentia reddit, portando in nidum suum cancrum Lunæ & Jovi (qui & Τυχία major secundæ sortis peculiarem vim suis indit creaturis) subjectus, & ita hostium violentiâ liberatur, quia planetæ præsidis spiritum fortunæ majori junctum pro amuleto habet. *Joan. Pierius hieroglyph. collectan. l. 4. p. 113.* ait: natura proprietatem hanc (uti habet Ælianus) hirundinibus largita, ut cum blattæ ipsarum ovis sint perniciosæ, matres apii folia ante pullos projiciant, atque hinc omnis accessus blattarum prohibetur; de quibus proprietatibus *Diodorus Siculus l. 2.* præclaram habet sententiam, ubi ait: Proba natura omnibus animantibus magistra est, non solùm ad sui conservationem, sed etiam ab illis procreatorum, idque ob innatum studium & amorem vitæ, successiones in perpetuum stabilitatis perducens circulum &c. Deinceps noctuarum insidias avertere platani folia notatum est *Meursio arboreto sacro c. 16. p. 65.* Quæ porrò jam seqvuntur debemus *Rattray theatr. symp. p. 17.* vespertilio,

tilio, ait, torpore corripitur à Platano, ideoque Ciconiæ folia hujus imponunt suis nidis, ut se defendant, & ova sua ab ejusdem insidiis; vespertilionem autem aliàs solô suo attactu ova ciconiæ sterilia reddere perhibet idem autor *l. a. p. 16.* Idem illud de platani foliis prostat quoque apud *Franzium histor. animal. tr. 2. c. 8. p. 386. & Ælianum l. 1. c. 37.* De platano vespertilionibus inimica inter brutorum amuleta plura occurrent; subjungimus etiam his illud ex *Rattray l. c.* qui inquit: vespertiliones eryngium aversantur, ita ciconiæ ejus usu à vespertilionibus se defendunt. Scimus præterea hæc per *Ælianum lib. 1. cap. 35.* Περὶ βασκανίας: Palumbi, inquit, ut audio, tanquam fascinationis amuletum laurinos ramulos tenues primum colligunt, deinde ad custodiam pullorum in nidos imponunt. Milvi autem rhamnum, circi cichorium sylvestre, turtures iridis fructum, corvi viticem, upupæ adiantum, quod & callitrichum aliqui vocant, cornix oristereona, ardeolæ cancrum, perdices harundinis comam legunt. Turdi ramo myrti, gramine alaudæ se tuentur: Aquilæ gentili suo lapide ætite: quem & mulieribus comodum esse & abortibus adversari prædicant &c. Atque isthæc dicta non adeò contra fascinum, quam alios animalium hostilium insultus colligi à dictis bestiis, idque iterum instinctu naturæ, arbitratur Exc. *Joh. Christian. Frommanus disp. de fascino p. 75.* A laudati autoris sententia non sunt dissona de fascini istiusmodi aversione verba, quæ adfert *Vossius lib. 3. Idolol. pl 585.* Magna, ait, est pavonis sagacitas, si lini radicem inquirit, ac sub ala gestat, ut fascini amuletum, quod *Æliano traditum lib. 10. de animal. c. 18.* Sed Græculum, pergit *Vossius*, est commeatum. Communi ferè priscorum consensu ætites seu lapis aquilæ ab aquila dicitur in nidum suum deportari, amuleti cujuspiam ut vices expleat, de quo collectanea evolvantur apud *Joh. Laurentium Bauschium Schediasmat. de ætite p. 10. &c.* Ibidem etiam hic autor innuit, quod velint quidam aves nidos suos defendere Achate vel Gagate in eos deportatô, ne serpentes aut alia venenata animalia iis appropinquent, ac pullos suos lædant.

Paulò ante laudatus *Frommanus l. c.* pergit his verbis: verbenacam supinam cornices nidis imponunt, ut blattas aliasque bestiolas ab iisdem abigant. Turtur nidis suis contra lupi incursus squillæ folia, quæ isti fugere consveverunt, imponunt. Hirundines blattas ovis infestas apiô fugant; quæ cum aliis pluribus è naturalium rerum scriptoribus constant. Denique volunt gallinas non posse quiescere, si milvi caput ipsis appendatur, velut annotat *Longinus trino magico p. 186.*

Auribus congruum.

GRamen trium nodorum decrescente lunâ evulsum atque collo circum-ligatum in auribus purulentis efficax dicit *Joh. Schroderus Pharmac. medic. chymic. l. 4. p. 77.* Quæ contra parotides aliàs salutaria renuntient autores, ex suo loco peculiari inferius adducendo innotescent; similiter quæ surditati creduntur resistere, in hujus scrinio vel titulo continentur in subsequentibus.

Brutis apta vel quæ concernunt ista præcipuè.

EQuos, tauros aliaque animalia præservare à morbis cornu cervi ipsis appensum, tradunt allegati apud *Agricolam de cervo p. 113.* Idem asserere dicitur *Asyrtus* allegatus apud *Joh. Jac. Weckerum. l. a. lib. 6. c. 1. p. 279.* Majorem scrophulariam brutis appensam contra vermes utilem collaudat *Zeilerus centur. 4. var. quæst. 98. p. 484.* Petita sunt sequentia ex *Joh. Langii l. 2. Epistol. 37.* Non parum, ait, debemus alyssi herbæ inventori, quæ contusa in cibo canibus oblata, illorum rabiem compescit; domi suspensa omne fascinationis genus ab hominibus & pecore omni amolitur: In punicea lacinia collo adalligata universos pecoris morbos arcet. *Langii* verò hic locus plurimum petitus est ex *Dioscor. l. 3. c. 105.* Fertur eadem alyssi planta ovillo & caprino pecori salutaris esse prope caulas

&

& septa eorum consita, hactenus Langius. Deinceps luporum dentes maximos equis adalligatos, infatigabilem cursum illis conciliare ex *Plinio* refert inter plures alios *Weckerus l. a. p. 272.* Annumeratur verò alias caput lupinum somnum procurantibus periaptis, atq; ita contraria quasi ipsius efficacia indicatur. Præterea equos à dictis dentibus lupi gestatis in cursu alacres reddi, docet *Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib- und Wundartzney-Buche *part. 1. p. 201.* Nihil hoc loco movebo de nequitia mangonum, vel equorum curatorum, qui varia desumunt ex rebus ad hominum supplicia usurpatis; videlicet ex catenis, laqueo, vel gladio, quo puniti vel enecati fuerunt ad mortem condemnati, quæ potiùs serio dissvademus cum citato *Bapstio* im Artzney- Kunst- und Wunder-Buche *part. 1. p. 362.* Interserimus his hanc in rem notam quampiam generalem, quam ex *Arnobio* citat, & ad magiam refert *Hier. Jordanus de divino in morbis c. 25. p. 98.* scilicet in curriculis equos debilitare, incitare, aut tardare, de quo artificio non nulli gloriantur. Istiusmodi verò arcana observamus evulgare *Rasen*, *Mizaldum* aliosque plures. Minus verò errare nos arbitramur, si hôc æquè, ac aliis in locis nostri scrutinii fecimus, ejusmodi res magicâ iniquitate contaminatas proscribamus cum *Tiraquello de nobilitate c. 20. t. 114. fol. 79.* Invehitur quippe ille in hos, qui se peritissimos rei magicæ existimantes ex carnibus, ossibus suspendiosorum, laqueis item, & catenis ad rem magicam pertinentia conficiunt, eaque in magicis veneficiis medicatissima existimant; De quo etiam *Mich. Freudius* Gewissens-Fragen von der Zauberey *qu. 190.* Aurigæ etiam nō optimi semper existunt viri, siquidem aliqui ex horum cœtu magnoperè superstitiosarum actionum ac remediorum apparatu in sua equorum cura atque tractatione instructi sunt: unde propemodum numero superstitiosorum hominum, illicitis medelis facilè alioquin indulgentium, annumerari possunt; veluti horum non nullos inferius recensebimus. De istiusmodi aurigis verò notat quæpiam *Gabr. Naudæus de studio militari l. 1. p. 377. &c.* Ad amuleta pecorum autem

tem ut redeamus patet ex *Rosini Antiquitat. Roman. l. 3. c. 8. p. 441.* quod *Tagis* præceptô caput asini præsepibus affigi sueverit ruri, ad arcenda incommoda &c. Porro buso sacculo inclusus, & equo suspensus eundem ab elephantia, venenum hoc in se trahendo, liberat, uti advertit *Digbæus orat. de pulv. sympath.* Præterea solanum sylvaticum collo boum appensum, eorum vertiginem curare perhibet *Rattray theatr. sympath. p. 23.* Scribunt etiam, quod equi & asini ficus & poma diu cum fatigatione portantes bulimo fiant obnoxii, spiritu scilicet istorum fructuum, quem plurimum exhalent, in poros se sufferciente. Atque hæc non prorsus se contemnere dicit *Fromondus meteorolog. l. 5. cap. 5. art. 4. p. 325.* Idem hoc testatur *Honor. Faber de plantis tr. 1. lib. 2. p. 88.* quod jumenta ficubus onusta citò defatigentur, æque ac muli croco onusti sopore oppressi cadant, atque id ex habitu utriusque deducit autor. Apud *Borellum cent. 4. obs 35.* notatum legimus: equos mictu sanguineo perire, si croci copiam ferant. De lunaria, seu ferro Cavallo asserit *Matthiolus*, quod soleas ferreas ab equis transeuntibus quasi extorqueat, allegante id *Bartholinô de lapid. nephritic. cap 8. p. 23.* videatur etiam *Kircherus mundo subterran. lib. 12. p. 412.* Sic Oenothora (autore Crateva) collo alligata, vel jugo suspensa prius vino aspersa, omnium animalium feritates domat teste *Joh. Wiero de præstig. Dæmon. l. 5. c. 30. p. 580.* De eodem & aliis variis hactenus adductis, quibus bruta utantur loco amuletorum, agit etiam *Andr. Laurentius opere therapevtic. tr. de strumar. sanat. l. 1. c. 5. f. 10.* Denique amuleta, quæ volunt quipiam brutis dicata contra fascinum in hujus scrinio inferius servantur. Affirmant non nulli, quod eryngium ab una capella comesum sistat totum gregem, idque ex *Plutarcho* adfert *Camerarius syllog. memorabil. cent. 6. partic. 81.* De quo etiam agunt *Baricellus hort. genial. p. 106. Joh. Adam. Weberus discurs. curios. & Mylius hort. philos. p. 603.* Nolumus hoc loco intacta prætermittere verba *Anton. Grandus in curios. natur. arcanor. perscrutatore p. 96.* reperienda si fortè veri quid his subsit, quod tamē experientia rara quibusdam mox adducendis dubium reddit, sic autem inquit ille: naturæ arcana semper homini-

minibus admirationem præstitere: ratio est, quia causas ignoramus proprias, & propterea in speculandis his cespitamus, nec aliud nobis restat, quam sola admiratio. Quis enim non admiratur, cur Hyenæ umbræ contactu canes obmutescant? cur Eryngium ore capræ sumtum totum gregem sistat? cur gallinæ appensô milvi capite nunquam quiescere valeant? Cur appenso allii sylvestris capite in ovis collo, quæ in grege omnes antecedat, lupi ovibus nocere nequeant? Profecto hæc mirabilia sunt, & in rerum sympathias, & antipathias, & naturæ arcana reducuntur. Hactenus *le Grand*. Errorem verò in paulò ante dictis de *Eryngio* latere, exponit *Casmannus Physicæ l. 2. p. 598.* si, inquit, capræ barbam, quam aruncum vocant, è grege manibus apprehenderis trahens, tota subsistitur grex pabulôque relicto obstupent omnes, nec prius admirari desinunt, quam rei gnarus ille reliquerit, ut *Aristoteles* ait: decepti multi de *Eryngio* herba hæc protulere; *aruncum* enim *ἠρύγγιον* Græci vocant, & vocabuli conformitas erroris causa fuit, cùm experientiæ non respondeat. Ansam suæ suspicionis fortitan sumsit *Casmannus ex Plinio l. 8. c. 50.* qui memorat aruncum dici barbam hirci, eoque apprehensô hircoque detento totum gregem non progredi. Caterùm plura de *Eryngii* dictis istis viribus à *Plutarcho* expositis, qui arbitretur *ἀπορροίας* ab hac radice profluere; & quod *Plinius* obticuerit illam radicem, efficaciam solùm memorans, prostant in *Joh. Langii lib. 2. Epist. 21. p. 645. & Epist. 36. p. 723.* Alioquin etiam stercus lupi ovibus alligatum singulariter iis offensum esse tradunt, de quo & similibus *Barcellus l. c.* Imò enarrant autores, quod si stercus lupi in ovili occultatum sit, prohibeat pecudes quiescere, verùm id experimento certo nondum demonstratum esse dicit *Voigtius deliciis physicis p. 170.* Nolo hac occasione etiam illud intactum præmittere, si lucem dictis his fortè impertiri valeamus, quod scimus, per *Joh. Adam. Weberum* in der Unterredungs-Kunst 2. Theil *p. 593.* Indicat autem quod equi consistant & nullo modo ad cursum adigi possint, si lupi vestigia calcent, aut loca ista, in quibus lupi cadaver defossum lateat.

Brutorum vel ferarum hoſtilium inſultus elidentia.

SEquuntur jam quæ brutorum inſultum vel noxam cohibere creduntur, atque hæc, niſi ſuſpecta ſint de notis illicitis ac rejiculis, experentiæ committi atque commendari poſſunt pro futuro promto uſu. Negandum autem non eſt, inſigni ſenſuum acumine prædita eſſe quæpiam animalia, adeò ut non impoſſibile videatur eadem fugari poſſe certis rebus; ſicuti allici iſta etiam à certis quibusdam rebus obſervamus, quibus nimioperè delectantur præ aliis. Non deſtituerent fortè nos hujus rei teſtimonia, ſi opus foret; interim verò ſequentia non omnia veritatis indubitatæ exiſtere contendemus. Dolemus autem etiamnum optimum iſtud & præſentisſimumamuletum contra omnium ferarum immanes auſus & noxam, jam olim à protoplaſtis noſtris heu! decoctum vel perditum, videlicet imaginem divinam, quam omnes (jam noxiæ apparentes) beſtiæ quondam verebantur ac venerabantur in iſtis. *Plinium* autem velle, quod cor vulturis portatum in ſuperiori corporis parte liberum conſtituat à ſerpentibus & feris, interpretatur *Alexander Venturinus Medicina deſumta ab Animal.* Non ſegnis itidem eſt doctor in dictis amuletis recenſendis *Kiranus Kiranidibus p. 84.* aſſerit quippe oculum lupi dextrum latenter geſtatum magnos actus facere ſolere: fugere enim à portante iſtum oculum omnia quadrupedia, ſylveſtria & domeſtica, eumque tranſiturum eſſe per medios hoſtes, neminemque tacturum eſſe illum; verùm hoc ultimum videtur nimis aperte *Kiranizare*, id eſt fabuloſis phyſicis ac medicis inhiare. Ex *Mizaldo* quoque recenſet *Mich. Bapſtius* im wunderbarl. Leib, und Wundartzney-Buche *parte 1. p. 201.* quod pedes leporis dextro brachio alligati, tueantur ab inſultu & latratu canum, quod alii etiam cordi leporis asſcribunt. *Pictorius cent. 1 queſt. Phyſ. 58.* de oculo canis nigri differit, quòd detentus

in-

in manu prohibeat, ne canes cuipiam allatrent. Illud vero de recentibus oculis citius admittit, & ob odores, quos percipiant canes, fieri dicit autor dictus. Annotatum idem hoc reperimus in *Goclenii mirabil. natur. p. 8. & Weckeri de secretis l. 6. c. 9. p. 297.* De oculi nigri effectu modo dicto etiam alii autores videri possunt consignati apud *Exc. Christ. Franc. Paullini cynographia curiosa p. 132.* quod assertum tamen hic autor plurium fabellam censet. Lubet nobis huc etiam trahere verba *Henrici Kornmanni templo naturæ p. 183* dicentis non allatrari quempiam a cane, si lingua canina in calceamento illius subdita sit pollici, præsertim si jungatur cum herba ejusdem nominis, scilicet cynoglossa. Idem fieri, si quis membranam ex secundis canum secum habeat. Fugere quoque canes eos, qui cor canum secum circumferant; & quod canis domesticus mercurialis sit, advertit citatus *Kornmannus*. Laudatus *Paullini, noster Dn. Collega & amicus suavissimus l. a. p. 134.* de corde canis, quod scilicet gestatum alios canes mutos reddat, à *Sperlingio* deriso, suam mentem quoque his exponit: id scilicet fictionem plebis nugarum artificis esse. Inter plures verò vim istam cordi canino tribuentes reperitur etiam *Weckerus de secr. p. 298.* & *Joh. Renodæus institut. pharmacevt. lib. 1. c. 12. p. 15.* Hactenus dicta verò amuleta ex canibus petita pro eorundem silentio procurando, vel insultu nocivo arcendo, minus respondere veritati opinor, nisi altioris & suspecti adjutorii rea ista sint: de qua materia indigans videatur *Mich. Freudius* Gewissens-Fragen von der Zäuberey *qv. 128. p. 280.* Norunt interim ii, qui sectionibus canum indulgent (anatomici studii & cognitionis gratia) quod canum latratus & persecutionem experiantur, præcipuè si quid de canibus resecti portent. Suspectus propemodum etiam videtur oculus nigri canis, atque eò magis, si de magia participat istius usus, atque si ater ac atrox Cerberus eidem operationes afflat. Annotarunt autem multi autores Dæmonem canis nigri sub forma subinde comparuisse, de quo *Hier. Jordanus de divino in morbis c. 43. p. 157.* Cui addatur *Exc. Christ. Franc. Paullini cynographia cu-*

rios. p. 121. Inter alia periapta à brutorum damnis præservantia etiam hoc prostat, dū ille, qui pedes & chelidas anteriores cancri gestat, aprorum incursus evitare dicitur, uti constat ex *Casp. Bartholini de lap. nephrit. c. 9. p. 23. §. 35.* Eadem pene ista verba leguntur etiam in *Jo. Dan. Mylii Antidotar. Medic. chym. l. 1. c. 6. p. 65.* Tangit etiam hoc amuletum *Weckerus l. a. cap. 12. p. 301.* qui id ex *Democriti Geoponic.* depromens, cum chelis istis etiam pedes anteriores cancri jubet recipi. Paulò ante citatus *Weckerus l. d. p. 298.* post verba de oculis canis nigri facta: violentius, inquit, operabuntur, & tutus deges, si oculis, vel luporum corde comitaberis. Sic quoque dicitur de hyænæ lingua, illam non solùm canes elingves, sed & gestantem ab eis incolumem reddere, atque hæc verba *Joh. Baptistæ Portæ* esse indicat *VVeckerus l. c.* Eandem efficaciam etiam oculo dextro lupi assignare *Naturalem*, si in manica ligatus gestetur, constat interprete *Alex. Venturino l. a.* Porrò ex *Agrippæ* mente refert *VVeckerus l. a. p. 289.* Similem virtutem inesse oculis hyænæ, quas si animal quodcunque lustraverit, illud ideò è vestigio hærere, stupescere, & movere se non posse; æqualis virtus est in oculis luporum quorundam, nisi quem prius viderint, stupescit & raucescit, adeò ut si clamare voluerit, non habeat vocis ministerium. Hienæ dentem & varias lupi partes contra pavorem in somno facere, sicuti etiam caudam contra eandem & luporum invasionem, indicatur inter amuleta *pavori* opposita. Idem *Weckerus l. c. cap. 15. p. 302.* dicit *Rhasen & Albertum* statuere, quod si lupi cauda in villa sepeliatur, prohibeat ab introitu ejus lupos. Similiter loco modo dicto ex *Alberto* depromtum hoc prostat, si cauda lupi supra præsepio vaccarum aut pecudum suspendatur, non appropinquet lupus, donec auferatur; Quod etiam ex Dioscoride petitum memorat *Alex. Venturinus l. c.* Paulò alius effectus lupinis partibus tribuitur ab aliis, veluti annotat *Wierus l. 3. de præstig. dæmon. c. 39. §. 1. l. 5. c. 41. §. 4. & lib. de lamiis cap. 19. §. 5.* quod agyrtæ studiô lupi stercus clam in præsepibus abscondant, quod olfactu animadvertentia pecora, voracemque hostem

hostem verita, ob antipathiam quandam, miro exagitentur furore, ut maleficiô ea torqueri firmissimè credant ignari, apud hujus artifices consilium inquirentes. Eadem ratione ferunt, caudam lupi in boum vel equorum præsepi suspensam, eos ab esu exterrere. Metu etenim ob odorem perculsi, obliviscuntur cibi esurientes: Quemadmodum hominibus quoque in magnis timoribus usu venire experimur. Venturinus modò adductus quoque *Alberti Magni* scribit hæc esse, quod scilicet oculus leonis sub axilla portatus faciat ut gestantem omnes bestiæ fugiant. Propter contrarium pene effectum, cui lubet in hanc rem, consulere potest *Bochardi Hierozoicum part.1. l.3. c.2. fol.729.* Nonnulli, inquit, veterum leonis rugitui vim tribuunt, prope dixerim magicam, quâ animalia sic detineat, ut eo semel audito obtorpescant, ut fugere haut quaquam possint. Præterea intelligimus ex *Io. Pierii hieroglyphic. lib. 25. p. 252.* si quis vespertilionem amoliri & arcere velit à suis ædibus, quod platani folia suspendere in iis debeat. *Africanus* enim, pergit ille, his, quæ de agricultura conscripsit, vespertilionem eò non ingredi tradit, ubi arboris hujus folia suspensa conspexerit. Pro corollario idem autor addere se scribit, occidi istos hederâ suffumigatâ: Nam eos, qui sustulisse se profiteri signô aliquô velit hieroglyphicô, vespertilionem faciet hederæ folio insidentem. Nam Alcithoë, Leucothoëque sorores apud *Ovidium* sprevisse Bacchi sacra finguntur, eâque de causâ in vespertiliones mutatæ dicuntur, unde suffitum hederæ ita exhorreant, ut eô etiam necentur. Alioquin hedera quoque temulentiam arcere vel curare dicitur, uti ex alio suo loco inferius de crapulæ periammatibus innotescet; hinc forsitan vespertilio (noctis opera & caliginem oculorum indigitans) æquè, ac Bacchus causa eorundem malorum, simili remediô arceantur: de quo nonnulla etiam *dissertatione nostrâ de literatorum potu c. 2. §. 8.* attigimus. De iisdem verò platani foliorum viribus, si scilicet suspendantur in viis publicis, quod vespertiliones non ingrediantur loca illa, *Africanum* agere pa-

riter comprobat *Jac. Weckerus l. a. lib. 8. c. 6. p. 354.* De hac Platani efficacia reperies etiam nonnulla, uti & de Hieroglyphicis à dicta operatione petitis in *Joh. Henric. Ursini arboreto Bibl. cap. 11. p. 184. &c.* Verum vanum hoc ex vulgi opinionibus prognatum esse, rationibus quibusdam persuasus proclamat *D. Const. Ziegra dissertat. Wittebergæ habita 1663. de sympathia & antipathia §. 47.* De platani istiusmodi efficacia facetam rationem vel causam reddit *Sambucus Emblemat:*

Est sterilis, quare semper contraria nocti,
Proli nocte operam quippe subinde damus.

Aliàs Platanum infrugiferam inducunt quidam autores. *Horatius l. 2. od. 15. illam cælibem, & Lucanus Ep. 58. viduam vocat* Confer etiam de hac materia *Barthii Adversaria, pag. 107 2.* Dehinc myrti Brabanticæ vel chamæleaogni frondes à venatoribus plicaturis retium substerni solere, ne à gliribus rodantur, cùm illius odorem minùs ferre posse dicantur, claret ex *Sim. Pauli quadripartit. Botan. p. 44.* Deinde ex *Joh. Ruellio* memorat *Mich. Bapst.* wunderbarl. Leib- und Wundartzney-Buche *part. 1. p. 58.* quod pisces marini moriantur, si per loca illa portentur ubi cardui albi crescunt. Hujus ductu devolvitur etiam nostra mentio ad antipathiam, quam quidam asseverant inter cancros fluviatiles & porcos intercedere, ab his quippe illi curru vecti perire dicuntur, si infra illum porcus perreptet; de quo *Helmontius de lithiasi c. 7. §. 33. Thom. Bartholinus cent. 4. Epistol. 16 p. 65.* Dictum hoc atque id, quod jam sequetur facili negotio indagari posset, utrum veritati vel fabulis accederet talismodi assertum. Ex *Matthiolo* autem adfert etiam *Anton. le Grand curioso rer. abditar. perscrutatore p. 226.* videlicet quod polypodium super cancrum vivum abjectum illius cortices pedum & ungues ejiciat. Plura de ejusmodi antipathiæ speciebus, quæ inter bruta obviæ creduntur, recensere supersedeo; cùm plurimæ istæ res sint admodum suspectæ fidei, adeò ut integer ferè liber de ejusmodi fabu-

fabulis physicis conscribi possit, de quibus fortè nos alia occasione occupati erimus. Tacemus quod sub hujusmodi rebus antea adductis, aut aliis similibus, silentio nostro jam tectis, magica & illicita sæpe lateat malitia.

Bubonibus resistentia.

NUllis bubonibus tentari illum, qui lappæ radices gestet, vult *Mich. Bapst* im Artzney-Kunst- und Wunder-Buche *part. 1. p. 199.* Scribit etiam ex *Mizaldo* (*de Secret. cent. 3. Aph. 86. & cent. 6. Aph. 34.*) *Schenckius Observ. lib. 6. p. 800.* quod qui hyoscyamum secum gestet à bubonibus pestilentialibus tutus sit, quemadmodum etiam alias planta illa propter anodynam, aliasque vires bubonibus imposita commendatur. *Mizaldus l. a. cent. 2. Aph. 29.* indicat, quod ostreæ vivæ testis adhuc inclusæ à loco suo dimoveant, vel attrahant alia in loca bubones pestilentes, illorumque virus; si scilicet ostrea brachio alligetur, ubi venæ apparent, sub cujus lateris axilla bubo deprehenditur. Similiter femori alligandam esse ostream, ubi sangvifera vasa apparent, si bubo inguinis latus eâ ratione tractandum occupet. Deinde Aster Atticus (bubonium etiam propter suum usum dictum) videtur juxta quorundam sententiam suspensum constituere amuletum in bubonibus sanandis, de quo *Leonh. Fuchsius paradox. med. l. 1. c. 32. f. 60. &c.* Aridum verò illud bubonium, si sinistra dolentis manu decerpatur, buboni adalligatum à dolore liberare ait *Remb. Dodonæus stirp. histor. pempt. 2. l. 3. c. 24. f. 266.* De his & similibus in sequentibus locus de Zenechtis vel amuletis pestis agens plura suppeditabit, quemadmodum etiam inter tumorum periapta huc fortè facientia quæri talia possunt.

Calculo & Nephritidi salutaria.

SIstunt ulterius nobis se, quæ in calculo & nephritide utilia censentur: dicitur a, lapillus vel calculus antea ejectus ac alli-

alligatus super pubem levare cæteros calculô affectos, annotante id *Lev. Fischero corp. medic. Imper. lib. 3. p. 169.* De lapide nephritico efficaci in hoc malo magnô agmine autorum testimonia nobis occurrunt: suadent autem nonnulli, ut dictus lapis gestetur in carpo sinistri brachii; alii malunt ut iste affigatur collo; alii valunt istum in viciniâ loci affecti gestari: verbi gratia in nephritico dolore, ne absit procul ab ejusdem loci regione, pro renum scilicet refrigerio, sabulique remotione; in ventriculi verò dolore itidem illum suasum circa hujus viciniam appendi præcipiunt, & ita quidem, ut nudam cutim attingat. Alii signô scorpionis, & certô tempore insignitum lapidem pronunciant efficaciorem. Imo alii imperant, ut quandoque deponatur à corpore, ne nimium suas operationes exserat; quemadmodum varia ejusmodi annotata ex autoribus leguntur de lapide illo *in plagula Germanica de hoc lapide expressa Augustæ Vindelicorum Anno 1636.* Quod lapis ille cavum cordis attingere debeat & gestari interruptis vicibus, inculcat *Grulingius tract. de calculo p. 35.* De viribus hujus lapidis agens *Frid. Hoffmannus clave Schroderi p. 153.* innuit simul, quod ille per varia corporis loca arenulas expellat, & quod alvus prius à saburra vitiosorum humorum liberata debeat esse, quàm lapis in usum admittatur, nisi quis plus noxæ, quàm commodi velit experiri. Prolixè etiam de hoc agit *Casp. Bartholinus peculiari tr. de lapid. nephrit. c. 6. p. 9. §. 9. &c. & cap. 7. p. 12.* Docet insimul illic autor, quod lapis hic contra calculos varios renum, vesicæ atque urinariorum ductuum obstructionem conferat. Plura etiam ibid. reperiuntur de illius præparatione atque modo applicandi, quibus scilicet partibus admovendus sit, pro earundem sanandarum conditione. Lapidem flavum & album verò viridi præstantiorem pronunciat *Velschius miscellan. nat. curios. Dec. 1. ann. 3. obs. 30. p. 46.* De lapidis illius efficacia, utrum melius promoveatur, si in metallo sit inclusus, vel si nudè gestetur, videatur disceptatio apud *Ol. Wormium mus. p. 95.* Laudatus hic autor *l. a. p. 96.* suadet, ne in balneum assumatur lapis iste, utpote in quo vi-

res aliquando deperditas esse recenset. Idem hoc, agens de viribus lapidis illius, innuit *Joh. Rhodius cent. 3. Obs. Medic. 30. p. 148. &c.* quod scilicet balneum aquæ dulcis omnem vim lapidi illi adimat. Interim varia de hujus amuleti efficacia dilaudata complectuntur *Unzerus florileg. de nephrit. l. 1. c. 24. p. 102. & l. 2. p. 171. Camerarius memorabil. medic. cent 8. partic. 34. quo* locò etiam lapidis istius soli natalis fit mentio. *Nicol. Manardes de med. simpl. ex occid. India delat. p. 51.* (ex quo forte sua) *Schroderus pharm. l 3: p. 329. Joh. Michaëlis colleg. MS: ad Rolfincii chymiam. Guern. Rolfincius method. consultator. l. 10. c. 1. p. 817. Consil 2. p. 827. Thom. Nicols* Edelgestein-Büchlein *à Joh. Langio in Latinam linguam translato cap. 30. p. 147. Jonstonus Thaumatographia class. 4. c. 23. p. 176. Weckerus Antidotar. special. l. 1: Sennert: Institut. l. 1. part. 1. c. 15: p. 552. Boot de lapid. & gemmis l. 2. c. 19. Mart.* Schmuck *occulto magic. magnet. morbor. Curat. p. 19. Joh. Walæus method. med. p. m. 71.* Veruntamen de lapidis hujus, & ligni nephritici viribus celebratis, si scilicet lumbis appendatur, ambigunt *Rolfincius* (*ord. & method. medic. special. l. 9. sect. 4. c. 6. p. 810.* inquiens: qui experimentis delectatur, facere potest periculum) & *Laurenbergius.* Neutiquam etiam elogiis de dicto lapide prolatis assentitur *Libavius tom. 2. Syntagm. Alch. Arcan.* cui jungatur etiam *Phil. Hochstetterus Decad. 3. obs. med. 2 p. 215.* De potenti vero amuleto in calculo gloriatur *Helmontius* hunc in modum: habemus, infit, lapidem *Dulech* dictum, qui brachio alligatus renum dolorem confestim sedat, & calculos arenulasve summa vi propellit. Verùm illa *Helmontium* contra rationem & experientiam adstruere, ratiocinio quopiam evincere conatur *dissertatio de calculo Schneideri & Fridelii Witteb. Anno 1665. habita cap. 13.* Deinceps exuvias anguium alligatas renibus & vesicæ prodesse illorum locorum affectibus, refert *Georgius Hornius arca Mosis p. 153.* Sequentia innotescunt nobis ex *Mars. Ficini de vita cœlitus comparanda lib. 33. c. 14. p. 232.* Arbitror, ait, marinum vitulum cœlestis Leonis cordi subesse, & hac ipsâ ratione corium ejus, quem cingit nudum fibula ejusdem osse confectâ, à renum dolore redimere. Nam contra dolorem

ejusmodi solent astrologi syderis illius influxibus uti. Præterea lapilli, quos paguri (graneolæ vel granciporæ juxta *Rondeletii* appellationem) in capite gerunt ex mente *Balth. Pisanelli*, renituntur doloribus renum, si illorum regioni alligantur, velut legimus hoc apud *Venturinum medicin: ab animal. desumpta.* Sic radix pæoniæ masculæ Majo, & crescente Lunâ collecta & pro amuleto suspensa, podagricos & calculosos juvare dicitur. Deinceps renum dolores etiam mitigare pelles caniculi vel leporis tenet *Bartholinus de lap. nephr. c. 9. p. 22. §. 25.* qui citatus autor videri quoque potest de lapidibus aliis calculum curantibus *l. a. cap. 10. p. 26. §. 36.* De chelonitidis viribus evolvatur, si placet, *Schwenckfeldius catalog. fossil. silesia.* Verum de talismodi gemmis vel lapidibus quibusdam (quod amuleta constituant) ambigens *sanct. Sanctorius de vitandis errorib. l. 8. c. 11. f. 161.* amplius quis, inquit, admitteret lapidem Judaicum in brachio gestatum expellere renalem calculum? Admitti fortasse potest hujus lapidis usus, quem *Dioscorides* approbat, quod videlicet pulverizatus subtilissime haustusque è renibus calculos pellat, sed gestatus nequaquam. Denique contra calculum legitur superstitiosum annotatum apud *Mizaldum memorab. cent. 1. aph. 31.* Verùm in sigillum & alia similia cùm in calculo, tum in aliis morbis usitata vana, invehuntur *in dissertatione de calculo renum & vesicæ D. Schneiderus & Fridelius Wittebergæ 1655. habita.*

Cancro & Lui venereæ opposita.

CIngulum mercuriale corpori cancroso, vel affecto lue venereâ salutare, sine dubio ægrorum pravis halitibus infectum indicat *Thom. Bartholinus dissertat. epistolic. de transplantatione morb. p. 20.* De Mercurio dicto ita loquitur *Joh. Dan. Mylius Antidotar. medic. chym. l. 1. cap. 6.* singulari artificio gestatur ille alligatus cum cingulo corpori, & omnis lues venerea, quæ intra gestantem est, apparet curabilis in illo loco, ubi est cingulum. De præparatione varia verò hujus cinguli

goll sapientiæ, (cujus autor vel propagator est *Martinus Rulandus* pater) atque applicandi modo & usu; item quod contra morbum Gallicum, fœdam scabiem, ulcera maligna & ad pediculos fugandos faciat, videatur *Ehrenfr: Hagendornius in secretis spagyricis Mart. Rulandi editis cap. 12. p. 50. &c.* Utrum verò sapientiæ cingulum ideò audiat hoc, mercuriale alias dictum, quod à capite seu sede sapientiæ, illam hominibus infensam, invisam, & propriam quadantenus insectorum speciem arceat; vel quod sapientes addicti chymiæ vel Alchymiæ hoc arcanum invenerint, hariolari nequeo. De annulo quopiam Regum Angliæ, cujus attactus elephantiasin & epilepsiam percuret, videatur *Theod: Hopingius de jure insign. c. 18. §. 7. f. 906.* Magni alioquin etiam æstimatur à quibusdam in lue venerea Mercurius coagulatus in annulos redactus ac gestatus, de quo *Georg. Pitschki in Zenexto.* Porrò in *Miscellan. natur. curios. German. Dec. 1. Ann. 9. & 10. obs. 118. p. 287.* mentio fit cannulæ testaceæ candidæ, quòd collo suspensa cancro medeatur. Sic cancrum reptilem vivum impositum commendat etiam *Sachsius gammarolog. p. 877.* Ubi laudatus autor benè monet, quòd carnes aliaque ejusmodi superstitione vacantia possint applicari. Denique ex *Andrea Baccio* cornua scarabi, manu arctè detenta, pro cancri remedio declarat *Alex: Venturinus medicina ab animalib. desumpta.*

Capitis dolorem sopientia.

SEquentur jam periammata contra capitis dolorem suppetias ferentia. Illi dolori verò à proprietate confert radix Plantaginis collo suspensa juxta *Mullerum in miracul. chymic. p. 160.* Gemina illis modo allegatis sunt, quæ leguntur apud *Hartmannum prax. chym. l. 2. c. 1. §. 22.* Dehinc ophites etiam adalligatus doloribus illis opitulari creditur, de quo *Matthiolus de simplic. Medicam. facultatibus p. m. 90.* quod adductum videtur depromptum ex *Dioscoride l. 5. c. 162.* Capiti verò admotum istum lapidem profuisse scribit *Porta Mag. nat. l. 8. c. 6. p. 343.*

De

De eodem & aliis gemmis contra cephalalgiam dilaudatis confer quoque *Bartholinum de lap. nephrit. cap. 10. p. 23. §. 5.* Lapillum vel ossiculum in limacum dorso reperiendum, & appensum capitis dolorem pariter sedare notat *Plinius l. 29. c. 6.* de quo vide etiam, quæ habet *Sebizius de aliment. facultat. l. 5. c. 8. p. 780.* Verba quæ jam adducemus, autorem agnoscunt *Ulyss. Aldrovandum Ornithologiæ tom. 2. l. 17. f. 301.* Doloribus capitis, inquit, caput hirundinis matutino pascentis præcisum, maximè lunâ plenâ, non nulli adalligant lineô pannô, sicut habemus apud *Plinium. Marcellus* dicit lapillos ex scisso ventriculo hierundinis demptos, maximè albos, si in manu singuli teneantur, aut circa caput linô nectantur, veterrimos & diuturnos capitis dolores eos mulcere, nisi contactu terræ lapillorum potentia minuatur. De viribus his recensitis & aliis adhuc chelidonii, in aliis affectibus proficuis, agit etiam *Gabelchoverus notis ad Andr. Baccii de gemmar. natura c. 32. p. 175.* Audiamus de alio amuleto disserentem *Francisc. Reds experimentis natural. p. 116. &c.* dicit quippe sibi commendatos à quopiam fuisse lapillos demptos ex ventriculis avium nigerrimarum, instar corvorum in montanis Malabar reperiendarum, qui plumbo inclusi, & circa frontis medium applicati omnem, ex qualicunque causa natum, dolorem capitis statim sanare putati sint; verùm laudatus Dominus *Reds* in hemicrania fronti applicans ejusmodi lapillum magis, quàm unquam antea malum suum hoc familiare observavit cursum perfecisse viginti horarum spatiô. Liceat mihi his addere, quod fortè effectus prior laudatus (si quis ex applicato lapillo, & quidem plumbo incluso, observatus fuit) citius fortè à plumbo profluxerit, quàm à lapillo; cum illius laminæ etiam aliis partibus dolore affectis applicari soleant. De sacchari saturni vel cerussæ effectu in doloribus compescendis nihil hoc loco monebo. Præterea ossa vulturis capitis, filiô purpureô ad cubitum suspensa, cephalalgiam & antiquum scotoma idoneè corrigere inculcat *Kiranus Kiranidibus p. 118.* De ossibus iisdem collo suspendendis pro scopo dicto confe-

conferantur etiam *Sextus Philosoph. Platonicus de medic. animal. part. 2. c. 2. p. 102.* & *Plinius lib. 29. c. 6.* Eorundem ossium commendationem ex *Plinio* & *Marcello* repetit *Mich. Bapst.* im wunderbarl. Leib- und Wundarzney-Buche *part. 1. p. 189.* Idem illud præstare caput aquilæ ex *Gesneri* Vogel-Buche *fol. 75.* ostendit *Bapstius l. c.* Sic etiam noctuæ ossa capiti admota, teste *Galeno*, cephalalgiam compescere refert *Aug. Etzlerus Isagog. physi. mag. med. c. 7. p. 161.* Citatus *Venturinus* ex *Cortes.* communicat, quod pennæ upupæ supra cranio portatæ, contra dictum malum præbeant præsidium. *Plinius* verò *l. 25. c. 10.* vult aristolochiam alligatam capitis minuere dolores. Magnes quoque capiti admotus, dolores & omnes querelas ejus obliterat, idque ex veterum commentariis se transtulisse scribit *Hollerius*, veluti hoc experimur à *Joh. Jac. Weckero de secret. l. 5. c. 4. p. 135.* & *Mich. Bapstio l. a. p. 198.* Deinde annulos vel laminas ex mercurio coagulato factos ac appensos corpori, videlicet circa cor, neutiquam verò in collo vel capite, hujus dolorem mirifice delere asseverat *Georg. Pitschkin Zenexto.* Porrò multorum consensu verbena recta instar amuleti adalligata restinguit doloris istius ferociam, de quo inter alios *Dioscorides in nothis p. 477.* De radicis hujus suspecto quodam colligendi atque appendendi modo, legesis *Hartmanni prax. chymiatr. l. 2. c. 1. §. 13.* Viridem autem verbenam collo appensam singulariter se commendare, ex observatione compe- rimus consignatum apud *Forestum lib. 9. obs. med. 52. p. 301.* & forte ex eodem autore apud *Anton. le Grand curioso natura arcanorum perscrutatore pag. 3.* Consulatur etiam de hoc periapto *Sennertus prax. l. 1. p. 81. 82.* & *94.* & *Sim. Pauli quadrip. Botanico p. 511.* qui postremus recentem pariter atque aridam herbam istam cum radicibus mitigare ac tollere capitis dolores scribit. De encomio simili, & quod medicus *Vincentius* usum dictæ herbæ experientiâ edoctus laudaverit, agit quoque *Mich. Bapst. l. c.* Non nulla etiam de verbena, aristolochia, hedera & anguium senecta, quod pariter depellant illud malum, habet *Bartholinus de lap. nephrit. cap. 8. p. 20.* Verùm nihil magnifici circa

verbenæ dictæ usum se observasse fatetur *Velschius p. 23. in mi-Hominatibus annexis Miscellaneis natur. curiosf. Germ Dec. I. Ann. 4. & 5.* Non multum fidei etiam eidem amuleto tribuit *Joh. Dan. Major tribus novis inventis medic. invent. 3.* veretur enim ne ista herba, uti reliqua amuleta multa, casu operentur. Eò magis illorum credulitas & superstitio erit deridenda, qui in festo S. Johannis & assumtionis Mariæ se verbenâ coronant & pingunt, putantes se eo anno a capitis & dorsi dolore liberos futuros, de quo *Martin. Lipenius histor. strenar. cap. 3. p. 130.* Dehinc *Petr. Forestus l. d. p. 302.* de aliis amuletis huc pertinentibus agens pergit: Sic *Archigenes* polygoni duos ramulos coronæ modô capiti imponebat, præsertim si ex ardore, seu ebrietate dolor capitis observatur, vel cichorii, coronæ instar. Sic & rosaceæ coronæ juvant *Galeni* autoritate. Philanthropô etiam, herbâ appellatâ, coronari caput *Archigenes* jubet: liberat item à capitis dolore verbena herba, tum coronæ modô circumposita, tum illita ex rosaceo & aceto. Testudinis quoque palustris sanguis syncipiti instillatus capitis dolorem juvat; herbæque plantaginis radix in collo suspensa, capitis dolorem mirificè tollit, ut capite de arnoglossa testatur *Apulejus Madaurensis.* Et paulò post *Forestus* iterum: annulus, inquit, in quo parum umbilici infantis nati recenter includitur gestatus in digito, ab omni dolore capitis hominem præservat, sed hoc superstitiosum esse videtur, quemadmodum & hoc, quod sequitur: caput muris in linea pecia involutum, & continuò super se portatum. Si os verticis aquilæ in corio cervi ligetur, & dextrum supra tempus dextrum dolens apponatur, vel sinistrum supra sinistrum, in continenti dolorem dicitur amovere &c. hæc ibidem *Forestus.* Similiter quod Aristolochia & iberis alligata, horâ, vel diutius κεφαλαλγίας remedium existat, adstruit quoque *Plinius l. 25. c. 11.* De cichorei & intibi viribus pariter ab Archigene commendatis non nulla etiam exhibet *Casparus Hoffmannus de medicam. officin. l. 2. c. 66. p. 172.* Rationem amuleti jam sequentis ex *Galeno* adducens *Bapt. Sylvaticus histor. medic. 1. 4. p. 46.* scribit de polygoni duobus ramulis

mulis coronæ modò capiti imponendis (cujus etiam *Arthigenem* paulò ante mentionem facientem induximus) quod successu bonô non careant: De polygono eadem videtur mens, licet verba non sint planè similia, *Sylvestris Rattray theatr. sympathet. p. 187.* graminis, ait, genus septem habens internodia, efficacissimè contra capitis dolores adalligatur. Alioquin variæ coronæ passim occurrunt, quæ in capitis dolore, præcipuè verò in heluco, seu languore à vino hesterno strenuè juvare dicuntur: verbi gratia, è pulegio, rosis, hedera, smilace, violis, & chamæpythi, de quibus prostant non nulla apud *Gerhard. Joh. Vossium physiolog. christiana l. 5. c. 19. p. 92.* &c. De corona ex olea parata & capiti filô alligata, quod victoribus olim data, & quod physicâ ratione cephalalgiam levet; item quod folio illi oleæ inscriptum fuerit vocabulum ἀθηνᾶ, cui vocabulo tribuerint falsâ superstitione istas vires, id liquet ex *Cassii Dionys. geop. l. 9.* In cephalalgia frigidâ sequens compositum commendat *Guern. Rolfincius meth. medic. special. p. 655.* Recipe visci querni ℥ij. radic. & semin. pæon. an. ℥iß, mucilag. tragacanth. in ▽ epileptic. Langii solut. f. pentacula Num. II. in forma cordis collo suspendenda. Postmodum etiam lapidem nephriticum capitis dolori reluctari pronunciat *Bartholinus de lapid. nephrit. p. 8.* Porrò naturam vulpis capiti circumdatam dolorem illius confestim tollere vult *Sext. Platonicus l. c. part. 1. cap. 3. p. 03.* de quo etiam *Plinius*. Similiter *Aëtium tom. 1. lib. 2. c. 195.* usum appositæ vivæ mortuæque Torpedinis ad capitis dolorem laudare indicat *Casp. Barthius ad Claudiani Epigram. 5. de torpedine p. 1008.* Dolores autem capitis à causa calida ortos feliciter sanari, si affricetur solùm capiti torpedo; item stuporem manui aliisque partibus induci scribunt, etiamsi quadantenus à corpore sit remotus ille piscis, de quo *Anton. le Grand. curios. naturæ arcan. perscrutatore p. 95.* Plura de postremo isto effectu inter amuleta torporem inducentia, & à nobis adhuc inferiùs memoranda occurrent. Valdè quoque in cephalalgia prodesse radix Rhodia ritè collecta dicitur. De variis hactenus recensitis periaptis

quæstionem sequentem movet & affirmando decidit *Petræus nosolog. dissertat. 1. quæst. 4. p. 22.* An, ait, radix plantaginis, ossa de capite vulturis, caput cochleæ mane pascentis arundine præcisum, collo appensa; pulegium super aurem, aut sub annulo gestatum, surculus ex nido milvi pulvino subditus nesciente ægro, aliquid virium ad abigendum capitis dolorem conferre possint? Affirmat hoc ipsum autor, uti dictum est, rationemque subdit: multas enim, inquit, esse ἀντιπαθείας, & occulta rerum effluvia, quorum ratio ignoretur, experientia tamen, altera Medicinæ columna, evincat. *Idem autor pagina dicta, quæstione 5.* sciscitatur? An coronæ veteribus usitatæ ex verbenaca, lauro, smilace, polygono, hippoglosso, pulegio, violis, rosis, adianto &c. aliquid juvamenti adferant, idque affirmat. De gagatis lapide, quod solô illô ad collum appensô hemicrania submoveatur, lapisque dictus semper majus acquirat pondus, postquam appensus fuit, idque ex vi tractoria illius fiat, ex *Mercurialis* mente explanat *Baricellus hort. genial. p. 133.* cui jungatur *le Grand l. c. p. 122.* De succini globulorum collo gestatorum iisdem viribus deprædicatis in molesto capitis dolore, experientia gemina præstat *in Actis Medicis & Philosophicis Danicis Ann. 1673. volum. 2. obs. 123. p. 313. &c.* Quo in loco etiã indicatur quod illud à *Baricello* annotetur, & homines nonnunquam coacti sint illud amuletum deponere, ob nimiam vim trahendi humores in illo deprehensam. Declarat quadantenus hunc effectum succini ipsius appellatio & synonymum, quo carabe dicitur; si quidẽ *Gabelchoverus in notis ad Baccium de gemmar. natur. c. 9. p. 84.* tradit, quod Persicâ dictione Carabe, hoc est paleas rapiens, vocetur succinum. Idem ferè hoc docet *Borrichius lingua Pharmacopœor.* addens insimul, quod *Avicennæ* Kahreba dicatur, & Græci illud videantur appellasse ita; quod καρηβαρίας, Hippocrati sic dictam, tollat. Idem hoc forsitan ad catarrhales capitis affectus applicari posset, scilicet ad oculorum vitia &c. quibus alias succinum pariter proficuum declaratur. Plura in hanc rem inferius patebunt, ubi de amuletorum operatione acturi sumus. Nostris his

inserimus etiam sequentia *Plinii lib. 28. c. 4.* laqueum scilicet suspendiosi circumdatum temporibus dolorem capitis sedare: Utrum hoc de superstitione participet, vel medicâ vi, aut aliâ ratione operetur, ponderabunt alii. Si verò huic negotio firma accedat ligatio circa frontem vel caput instituta, citius huic, quam aliæ causæ competet iste effectus: quia usitata quibusdam aliàs est capitis ligatio in cephalalgia. Cæteroquin inter superstitiosas curationes illam ligationem laqueô factam refert *Joh. Freitagius noctibus medicis c. 39. p. 192.* Denique claudimus hoc scrinium amuletis capiti dicatis refertum illô medelæ genere, quod legimus apud *Kiranum Kiranidibus*, quod scilicet pecten ex dextro cornu ovis dextræ parti admotus, & ex sinistro factus sinistræ parti capitis in hemicrania auxilietur. Forsitan alii eundem effectum cuicunque pectini non denegarent, cum capillorum ventilatio vel commotio alioquin ad mentem quorundam congrua reputetur in capitis dolore.

Cardialgiam compescentia.

DEvenimus ordine Alphabeti ad Cardialgiæ periammata, atque experimur ab *Alexandro Benedicto* notari, quod Smaragdus & corallium collo suspensum, ita ut pertingat cartilaginis Xiphoidis extremitatem, ex proprietate Cardialgiam infringat; hoc autem dispalescit testimoniô *Joh. Varandæi operum therapeut. c. 2. p. 163.* Sic dolores stomachi etiam delere dentes sinistræ maxillæ Hienæ, si involuti in pelle capræ vel alius pecoris gerantur, colligere licet ex *Alex. Venturini med. ab. animal. desumta.* Denique quòd dolorem ventriculi non timere debeat, qui secum gestet talum leporis ex *Marcello* recenset *Dav. Espsius* in Unterricht vom Speisen. *pag. 94.* Quæ ventriculo alioquin conveniant, peculiaris deteget locus.

Casus pericula avertentia.

SEquuntur jam alia, & quidem quæ contra casum ab alto mirificè prodesse statuuntur: ab oculis cancri verò expe-

ctandum esse, ne vena rumpatur, si scilicet illi loco amuleti admoveantur corpori, velut notabilem habet historiam *Burgravius Achille Panaplo*, cujus etiam meminit *Sachsius Gammarol. l. 1. p. 829.* Atque hoc in loco cit. præferuntur illi oculi vel lapides, quibus Torcoidis color inest, & quidem *pag. 830.* De laude horum etiam reperies agentem *Camerarium mem. med. cent. II. partic. 69.* Sæpius autẽ observabis oculos vel lapillos istos vivis cancris exemtos colore illô præditos, qui color coctione perit; quamvis alii colorem hunc cœruleum vel Turcosiæ æmulum certô tempore solùm deprehendi malint in dictis lapillis vel oculis. Noto circa hos lapillos etiam, quòd, si quæ vis iis inest, efficaciores sine dubiô sint habendi, si ex vivis cancris eximantur: quemadmodum longè efficaciores creduntur partes variæ, ex animalibus vivis, ad medicamentorum usum desumtæ, quàm quidem si mortua sint animalia, velut eadem mens quoque est *Portæ in magia nat. l. 1. c. 14. p. 33.* Atque hæc forsitan est ratio, quòd non pauca in catalogo hoc nostro observemus, juxta autorum præceptum, ex vivis animalibus itidem petita perimmata. Lapillos illos pariter vivis cancris eximendos esse, & quidem sole existente in cancro, eosque imminui gestando, innuit *Joh. Helfr. Junckenius chym. curiosa p. 876.* De lapidibus cancri etiam, quòd sint ejusdem cum Turcoide efficaciæ (de qua gemma brevi plura audiemus) si sub certa constellatione eximantur é cancris, ubi scilicet colorem antea dictum referunt Turcoidis, verba facit *Aug. Etzlerus Isagog. phys. mag. med. cap. 7. p. 166.* De eodem oculorum cancri effectu dicto, molochite & Torcoide, similem efficaciam conferente, loquitur etiam *Bartholinus de lap. Nephr. c. 10. p. 27. §. 40.* De Turquesia verò gemma, quod peculiariter præservet à noxa labentes, videri potest probabile assertum, exemplis penè confirmatum, in *Schoreri Medicina peregrinant: p. 173. &c.* Non omnem quoq; vim dictam videtur derogare eidem gemmæ malè aliàs credulus *Georg. Hier. Velschius Hecatoste a 1. obs. 74. p. 96.* De eadem Turchesia, quòd excipiat omnem ictum & in frusta frangatur, homo verò servetur, si ex equo cadat, juxta *Cardanum*

danum, videatur *Joh. Jac. Weckerus de Secret. lib. 11. c. 6. p. 599.* *Et Balth. Rousseus Epist. 22. p. 65.* qui gemmam illam energiam suam dictam à siderum influxu sortiri statuit; velut idem hoc etiam de aliis gemmis ille indicat. Experientiam suam non absimilem prioribus prætendit de Turcosia orientali *Martinus* Schmuck *de occulta magic. magnetic. morborum curatione p. 17. et s.* & *Helmontius tr. de virtut. magn. verb. & rer. p. m. 763.* Confer etiam, quæ in hanc rem proferunt *Ans. Boëtius de Boot de lap. & gemmis lib. 2. p. 267. Gabelchoverus in schol. ad cap. 3. libr. de gemmis Andr. Baccii* & alii plures. Non immeritò verò admiramur dictæ gemmæ vires, si non à πυρσὸς, aliave causa suspecta ortum ducunt. Quæ plura alioquin mulierculæ infantibus contra lapsus appendunt, facilè quivis colligere atque experiri potest. Num verò ejusmodi res innoxios reddant subinde tenellorum lapsus, utrum verò magis illud in singularem Angelorum sanctorum tutelam conferendum sit, aut in ossium illorum mollitiem, siquidem hanc ob rationem etiam ossa dicta fracturis non adeò videntur obnoxia, speculentur curiosi. Præterea cur pueri è morbis desperatis soleant evadere, legat, cui lubet, rationes in *Hippocratis text. 9 Epidemic.* de quibus nos alia occasione forsan plura daturi sumus.

Catarrhos sufflaminantia.

CAtarrhi etiam sua inveniunt amolimenta in medicorum scriptis: quemadmodum præsentissimum remedium in catarrho radicem verbasci virginis renunciat *Hartmannus prax. chym. l. 2. c. 21. & 81.* qui unà collectionis & præparationis modum prolixum ibidem communicat. Assentiuntur huic asserto etiam *Dodonæus*, & *Joh. Michaëlis MS. collegio ad Rolfincii chymiam c. de amuletis.* Ambigit verò de hac radice *Exc. Paul Ammannus*, quod suspendat catarrhos collo suspensa *in programmate invitatorio ad Botanicas demonstrationes Lipsiæ Anno 1671. edito.* Tutò quoque ex mercurio præparari periammata, in catarrho salutaria, ex dicto loco *Michaëlis* citati liquet. Ex *Keslero &*

Rulan-

Rulando idem illud adstruit *Georg.* Pitschki *in Zenechto*, quod mercurius coagulatus in annulum redactus, & prope varias corporis partes gestatus non vanâ intentione materiam catarrhorum vel fluxionum consumat in corpore. Sic etiam frustulum radicis ostrutii, seu imperatoriæ circa aures alligatum catarrhos exhaurire vel derivare ex corpore indicat *Obeimius* apud *Frid. Hoffmannum method. med. p. 294.* Radicem hanc verò vult effodi lunâ crescente, dorso appendi, atque postea in flumen projici *Pharam. Rhumelius Medic spagyr. p. 429.* Idem autor *l. a. p. 156.* Zenechton contra defluxiones & catarrhos utile pronunciat hoc: Rec. masticis, succini, radic: imperatoriæ & Catlinæ ana unciam semis, quæ in pulverem redacta oleô succini misceri, in trochiscos formari & umbroso in loco exsiccari jubet. Melanthium porrò antipatheticum esse catarrhis docet *Goclenius apud Rattray Theatr. symp. pag. 185.* Nec alienum censet lapidem nephriticum à recensitorum hactenus effectu ac laude *Bartholinus l. c. p. 8. & 16.* Sic omnes catarrhos compescere cor pulli vulturis, cuti nudæ appensum, legimus apud *Mich. Bapstium* in wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part. 1. p. 190.* Non est quoque silentiô prætereundum succinum, cujus notoriô usu, nimium quantum, delectantur passim homines, præcipuè mulierculæ, sibi suisque liberis prospicientes de externis medicamentis in catarrhis. Minus verò prohibendum esse succinum, ut pro amuleto collis puerorum appendatur; quanquam enim non faciat contra incantamenta & fascina, tamen illud exspiratu exsiccare humiditates cerebri, idque roborare, ne catarrhis, epilepsiâ & similibus malis facilè corripiatur; hæc dicta verò *Libavii* testimoniô innotescunt consignatô apud *Camerarium mem. med. cent. 4. part. 72.* Similiter, quod ex succino monilia & annuli parati mulieribus in deliciis sint, & eandem, quam gemmæ autoritatem obtineant juxta *Suidam & Plinium*, demonstrat *Kirchmannus de annulis p. 12. & 13. Cnoeffelius* in hanc rem loquitur ita: ex succino albo in Borussia conficiuntur pentacula, cordis formam habentia, item sphærulæ

& monilia circa collum & brachia, contra capitis frigidos affectus, & catarrhos, ubi præpediunt, ne destillationes in guttur ferantur, atque hæc dicta prostant in *appendice miscellan. nat. curios. Germ. Dec. I. Anni 6. & 7. p. 65.* Succini usum externum in genere ita exponit *Joh. Theod. Schenkius disput. de succino cap. 7. p. 24.* inquiens: usus hujus est, quatenus in catarrhis, oculorum fluxionibus, dentium doloribus & anginis, itemque ad pueros ab epilepsia præservandos (vel crudum, vel artifici manu formam globulorum, cordis, crucis, adeptum) collo, cordisque scrobulo appenditur. Tandem huc trahimus verba *Frid. Hoffmanni clav. Schroderi p. 383.* Globuli ex succino occipitio annexi oculorum medentur defluxionibus, & collo gestati impedimento sunt, ne catarrhi suffocativi oriantur.

Colicam mitigantia.

Accingimus nos ad Colicæ periammata perlustranda; coli verò cruciatus demulcet particula de umbilico infantis recenter nati, in argentea capsula vel annulo inclusa & ita gestata, ut carnem attingat, velut certissimè multorum experimentô se accepisse ait *Crollius de signat. p. 44.* Non displicet idem hoc *Bald. Ronsseo Epist. med. 17. p. 53. & Epist. 22. p. 65.* De quo etiam *Alb. Magnus & Cardanus*; illud attestante *Joh. Jac. Weckerô de secret. l. 5. c. 4. p. 160. & 161.* Annotatum etiam hoc comperies in *Thesauro pauperum cap. 12. Mich. Bapstii* Artzney-Kunst und Wunder-Buche *part. 1. p. 263. & Schröderi pharmacop. med. chym. l. 5. p. 288. Idem autor ibidem p. 294.* significat, quod etiam secundina humana à quibusdam dicatur pessundare illud malum. Litem verò movent huic asserto quidã, cum prægnantes non immunes reddantur à colicis doloribus, licet tota supellex secundinarum embryoni in utero adhuc adhæreat, atq; umbilicus unà gravidæ corpori insit, nec procul à sede ista affecta requiescat. Nondum omnes de umbilico agentes adduximus, cùm de eo etiam observaverimus agere *Joh.*

Phar. Rhumelium med. Spagyr. p. 415. & in medic. milit. dogmat. Hermet. mag. c. 16. Præcipit illic simul autor, ut umbilico illi imposito ventri operculum æneum calefactum imponatur. Laudant istum porrò *Joh. Dan. Mylius Antidotar. med. chym. l. 1. cap. 6. p. 91. Nymannus orat. de imaginatione, quæ adhæret Tandleri dissertationibus Physic. med. p. 227.* annuli illius umbilicum continentis rationem reddere conatur *Joh. Mich.* Schwimmer *curiosit. phys. p. 78* De viribus iis umbilici pariter laudatis, & variis ex lupo desumtis (mox plenius pertractandis) ex aliis autoribus vide collectanea apud *Bartholinum de lap. nephrit. c. 8. p. 21. §. 20.* Dehinc *Michaël Bapstius l. c. p. 93.* ex *Fallopii* Kunst-Buche *fol. 141.* refert, quòd os hominis demortui gestatum colicam vel tormina alvi & rosiones ventriculi debellet ac depellat. Videatur etiam ejusdē autoris wunderbarl. Leib- und Wund-Arzney-Buch *part. 1. p. 208. Forestus* de ejusmodi amuletis solicitus *observ. 15. scholio p. 331. &c.* prodidit hæc: Poterit, inquiens, etiam in colica ex *Galeni* sententia instar amuleti ægroti partibus vacuis, quas græci λαγόνας vocant, alligari, vinculô confectô ex lana ovina, quæ à lupo esset laniata. Quod si talis non adesset lana, ex pelle cervina lorum confici potest, quô stercus contineatur ac prædicta loca præcingantur. Modum autem alligandi reperies apud *Galenum 10. de simpl. med. facult.* Hoc quidem medicamentum alligatorium, certum ejus periculum faciens, *Trallianus* comprobavit: nempe stercus lupi ossa vorantis (modò inveniri posset) in canalem includebat, ac in dextro brachio, aut femore aut lumbis per accessionem gestandum dabat, cavens, ne dolente parte, neque terram, neque balneum attingat. Thraces (ut *Trallianus* refert) vivente adhuc alauda cor illi eximentes alligatorium faciunt ex eo, femori sinistro ipsum circumdantes. Aliud comprobatum: ex porci intestino cœco, id quod mammosum est, accipito, ac myrrhâ involutum, ligatumque in pelle lupina, aut canina dat gestandum *Trallianus*, lunâ abeunte à sole, ac miraberis; umbilici infantis nuper nati præcisi paululum in argentum aut aurum includito cum

cum medico sale. Qui gestat hoc alligatorium medicamentum, dolore prorsus non corripietur. Alios annulos, sed nimium superstitiosos gestandos, idem commemorat. Atque hæc allata hactenus *Foresti* scias verba fuisse. Ex *Galeno* amuletum paulò ante recensitum forsan alii etiam autores mutuati sunt. De eodem autem *Joh. Dan. Mylius antidotar. med. chym. l. 1. c. 8. p. 62.* scribit ita: stercus lupi ad ilia gestum, instar amuleti, inquit *Aëtius cap. 31. tetr. 3. ser. 4.* colicos dolores sedat: similis effectus tribuitur ipsius intestinis siccatis & ventri adhibitis. Annuli etiam colicæ sævitiam minuentis mentionem facit *Mizaldus memorab. med. cent. 6. nat. 44. p. 124.* Sed nondum absolvimus omnia periammata, quæ in præsenti affectu lupus suggerere dicitur. Illam verò *Foresti* sententiam paulò aliter exprimit. *Bapt. Porta mag. nat. p. 583.* jubet quippe ut stercus lupi ossa devorantis, quæ terram nondum attigerunt, abscondantur in pelle animalis similiter dilacerati, ventrique alligetur pro dolore illo exstirpando. Volunt quidam etiam stercus lupi appendendum esse filio ex lana ovis à lupo pariter laceratæ factô; quod tamen superstitiosum pronuntiat *Camerarius mem. med. cent. 8. part. 71.* De lupi stercore mediante filô dicto, aut pelle cervi brachiis, vel cruribus alligato similiter laudato agit etiam, *Joh. Ad. Weberus* in der Unterredungs-Kunst *part. 1. p. 825.* & *Bald Ronseus venat. medic. p. 38.* Albissimum stercus recipiendum esse monet *Joh. And. Schmitzius compend. medic. pract. p. m. 46.* De lupi intestinis, stercore & pelle pilosa, pro simili effectu applicanda, confer etiam *Schroderum pharmac. l. 5. p. 301.* & *Weckerum* (de iisdem *Cardani* autoritatem allegantem) *de secretis lib. 5. c. 4. p. 161.* De prioribus duobus à lupo provenientibus itidem laudatis confer *Gabr. Fontanum medic. antihermet. sect. 3. c. 5. p. 176.* Stercus istud etiam à *Gesnero* laudari inseruit libro suo *Mich. Bapstius*, cujus nomen fecit wunderbarl. Leib- und Wund-Arzney-Buch *part. 1. p. 199.* Majorem amuleti cujuspiam apparatum & circumstantias præcipit *Petr. Hispanus*, ceu refert *Mich. Bapstius loco citato p. 38.* Quod lana ovis laceratæ à lupo, manu sine

forcipis adminiculo dempta, & à gemellis puellis virginibus integris adhuc existentibus in fila atque vinculum redacta, ac postmodum corpori circumligata, contra tormina atque dolores intestinorum faciat. Sed superstitionis particeps videtur hoc remedium, propter circumstantias illas additas. Eligunt alii magis lorum seu cingulum ex corio cervi factum, illudque cum stercore illi insuto, ileis & ventri circumligari præcipiunt, velut hoc deprehendes consignatum apud *Joelem pract. l. 4. s. 3. p. 343.* de eodem pentaculo, ex dictis duobus ingredientibus constante, annotata evolve in *Agricolæ tractatu de cervo p. 238.* & *Schröderi pharmac. l. 5. p. 30.* Sed dicto stercori lupino appenso & ferè plurimis amuletis reliquis parum efficaciæ ac fidei videntur concedere *Thom. Erastus de occult. pharmac. proprietat. c. 45. p. 80. & 81.* & *Henric. Smetius miscellan. med. l. 2. c. 29. p. 96. & cap. 45. p. 112. &c.* Idem penè de stercore lupi concludit, quod non semper curet dolorem colicum (unde & colligit, quod experientia talismodi amuletorum non debeat esse unius rei vel actionis, sed iterata) *Joh. Walæus operibus posthumis ab Irvino editus l. 3. c. 1. p. 87.* Posthæc quod etiam pes lupi alligatus colicæ pariter medeatur, & prosit os hominis appensum in doloribus ventris, qui per circuitus redeant, notat *Andr. Laurentius operum therapeutic. tr. de strumarum sanatione l. 1. c. 5. f. 11.* De pluribus amuletis iis ex lupo petitis autores ac testes citatôs quoque reperies in *Joh. Saltzmanni dissert. de lupo c. 10. Argentorati habita Anno 1669.* Sic quod commoda etiam reportent, qui portant corium cervi solùm, docent allegati apud *Agricolam de cervo p. 238.* Quam sententiam itidem admittit *Schwenckfeldius Theriotropheo Siles. l. 2. f. 82.* Porrò cuti humanâ corpus cingi solere, pro colica profliganda, meminit *Daniëls Beckerus med. microcosm. p. 174.* De hujusmodi verò ligationibus circa abdomen institutis innuunt quidam, quod non adeò vis à materia vel effluvio medico, quàm firma ligatione cingulorum illorum resultet; quippe quâ flatus deorsum comprimantur; ut adeò facilius mole atque constrictione hac ad exclusio-

nem

nem vel soli flatus, vel unà cum excrementis iidem præparentur. *Casp. Jugelius* vom Maulwurffs-Fange *c. 8.* admodum in colica & hysterica passione commendat talpæ ex pellibus confectum thoracem, vel vestem interiori corporis parti admotam ac gestatam. De variorum animalium pellibus colicô morbo laboranti corpori appendendis, evolve quoq; citata apud *Remesium Epist. 45. p. 381.* Cui junge etiam de spoliis ejusmodi agentem *Velschium Hecatastea 1. obs. 87. p. 112.* Præterea etiam pellem oloris, plumis tenerrimis obsitam, juvare colicos ac stomachi vitô laborantes, liquet *ex Schroderi phar. mac. l. 5. p. 322.* Postmodum radix hyoscyami amuleti loco usurpata etiam colicam exterminare dicitur, juxta *Sylv. Rattray Theatr. symp. p. 21.* Affirmare idem hoc *Aristotelem* docet *Joh. Jac. Weckerus l. a. p. 160.* *Qui autor* etiam *p. 161. ex Mizaldo refert*, quod officulum hominis quodcunque appensum, ut carnem attingat, doloribus ventris, certâ periodô revertentibus, prosit. Sic corculum galeritæ (superius ex *Foresto* etiam commendatum) femori adalligatum summè proficuum esse adversus colicum cruciatum ex *Hispano* quodam adducit *Weckerus l. c. p. 161.* Ex quo forsan verba sua idem significantia depromsit *Mich Bapstius l. c. p. 189.* Cristatæ alaudæ verò cor recipiendum esse suadet *Joh. Schroder. pharm. med. chym. l. 5. p. 314.* Deinceps doloribus ventris sævientibus quoque, videlicet colicæ & similibus affectibus, talum leporis gestatum esse oppositum, declarant annotati scriptores apud *Walaungum lagographia p. 52.* Idem illud attingens, fulcit autoritate *Sexti Platonici, Alexander Venturinus medicina ab animal. desumta.* Illud & alia adhuc ex lepore petita periapta sequentibus verbis sistit *Bald. Ronsseus venat. medic. p. 6.*

Viventem obtulerit quoties fortuna lepusculum,
Extemplo niveos, qui sunt sub ventre, capillos,
Aut cauda evellas, simili quoque dexteritate,
Detrahe comprensum talum, vivumque remitte,
Hinc iterans varios nexus compone ligamen,
Ducere quo possis circum perizomate corpus,
Innexum talum subitoque dolore levabis:

Contuleritque magis, fuerit si quando repertus,
Casu aliquo talus leporis cum face lupina
Depastus leporem.

Præterea calculos in umbræ vel umbrinæ piscis capite repertos & argento inclusos ac gestatos amuleti loco, liberos reddere à colico insultu volunt *Bellon. l. 1. de aquatil. c. 10.* ex *Forerii lib. de piscibus f. 28.* & *Mich. Bapst pimelotheca p. 144.* quo in loco etiam secreti instar in hysterica passione lapides illi commendantur. Idem illud de colicæ periapto à lapidibus istis exspectando ex *Balth. Pisanello transscribit Alex. Venturinus l. a.* Junge sis huic de eodem tradita in *Miscellaneis nat. curios. Germ. Dec. 1. Anni 4. & 5. obs. 107. p. 110.* *Venturinus* modò citatus etiam *l. d.* allegat, ex incerto autore, quod patella cervi è genu illius desumta, atque superiꝰ gestata subito dolorem colicum levet. Præterea dolores intestinorum depellere lapidem corvinum, si carnem contingat, colligimus ex *Theoph. Boneti Medicin. septentrional. part. 2. f. 824.* Sic colicam etiam exturbare mercurium in avellanam immissum & appensum corpori ut ventrem tangat, annotatum leges apud *Jonstonum Thaumatogr. l. 1. p. 176.* Dicto huic amuleto tam in præservatione quàm curatione hujus morbi locum quoque tribuit *Camerarius mem. med. cent. 8. p. 71.* De eodem & ophite malum hoc infringente, similem sententiam vid. ap. *Bartholinum de lap. Nephrit. p. 26. §. 24.* Idem autor *l. a. p. 8.* etiam lapidem nephriticum non frustra adhiberi in hoc morbo statuit. De hisce nonnullis amuletis agens quoque *Sennertus prax. med. l. 3. p. 261.* quærit, an dentur revera medicamenta, quæ occultâ proprietate dolores colicos minuere, aut tollere possunt. De lapide quopiam colico dicto, qui cum jaspide viridi, aut smaragdo conveniat penè, quod itidem iste sedet dolores colicos, aut iliorum, si vel umbilico aut parti dolenti imponatur ille, habet quæpiam *Joh. de Laet de gemm. & lapid. l. 1. c. 24.* Restat ut nominetenus saltem attingamus superstitiosum istud, quod prostat apud *Trallianum l. c. lib. 1. c. 1. tit. ultimo*, istud hic tanquam rem sacram non nisi sacris vult apertam.

Concor-

Concordiam promoventia.

COncordiam conservare vel reconciliationem comparare gestatum adamantem multi volunt, contra quod assertum, quid *Cardano* moveat *Scaliger*, vide in hujus *exercitat. 116.* Hinc etiam plurimi autores de gemmis agentes, dictam gemmam reconciliationis vocant, quemadmodum de viribus illis etiam agit *Barthol. Anglic. de prop. Rer. l. 16. c. 26.* Plures idem hoc attingentes allegat *Henr. Kippingius instit. physic. l. 6. c. 3. p. 336.* Sed nostram sententiam de his alia loca nostri scrutinii detegunt. *Orpheus lib. de lapidibus* sponsum jubet cervinum cornu gestare, sic enim perpetuam ei cum sponsa futuram concordiam pollicetur; de quo nostras speculationes alius nostri scrutinii locus itidem attinget. Deinceps magnetem, si scilicet hunc duo viri secum ferant, atque lites forte ac controversiæ inter hos oriantur, dirimere eas atque concordiam fovere; imo gestatum illum supra pectus, populum lenire ac demulcere indicatur in *Dioscoridis nothis p. 476.* Qualem vero magnetem intelligendum suspicemur, subsequentia *nostri scrutinii* pariter indicabunt. Lysimachia herba quoque flore purpureô prædita, si Jove in piscibus existente colligatur & gestetur, hominem reddere amabilem dicitur; & si inter altercantes illa projiciatur, illico conciliari illos, affectib9 martialibus videlicet sedatis ab istius spiritu joviali, qui marti è diametro adversetur, horum autor verò existit *Aug. Etzler in Isag. phys. mag. med. c. 2. p. 66.* De Lysimachia purpurea pannonica *Dominic. Chabræus stirp. Sciagraph. f. 286.* prodit hæc, quod ista jumentorum discordantium jugo imposita, asperitatem cohibeat. Sed de his iterum nostra sententia ex alio loco nostri scrutinii patebit. Dehinc carduum benedictum, si sole novô, ubi luna fuerit in capricorno, evulsum ac deinde gestatum, omne malum à portante avertere, dicit *Apuleus Madaurensis histor. de virtut. herbar,* quod etiam allegat *Georg. Christoph. Petri de carduo sancto p. 239.* Sic quod cichorium collectum

in initio septembris, sole existente in signo virginis, atque cum dente lupi involutum lauri foliis ac gestatum verba maledica injurias ac malevolentiam arcere valcat, ex *Alberto* tradit *Mich. Bapst* im wunderbarl. Leib und Wund-Artzney Buche *part. 1. p. 45.*

Cordis affectus Juvantia.

SIstimus ulterius ea, quæ cordi de axiliis prospicere dicuntur: amuleti verò loco lapidem Lazuli commendat contra syncopen *Boët. de Boot l. 2. c. 121.* Còr motacillæ etiam cum successu appenditur in congelatione, ubi cor riget, juxta assertum *Crollii de signat. int. p. 44.* Porrò camphoram gestatam à cordis tremore & palpitatione redimere, constat ex relatione *Cunr. Kunrathi medulla. destillat.* Eandem tibiam inflat de camphoræ dictis viribus *Bartholinus de lap. Nephrit. c. 9. p. 21.* De gemmis cordialibus reperiuntur adhuc nonnulla in ejusdem autoris citati *l. a. c. 10. p. 26. §. 20.* De coralliis verò appensis, coloris scilicet sui adscititii ratione conditionem cordis arguentibus, inferiùs *capite 3.* nostrum hoc scrutinium ex *Peucero* quæpiam suppeditabit. Præterea tradit ex *Lemnio Joh. Adam. Weberus part. 2.* der Unterredungs-Kunst *p. 604.* quod crocus digito annulari manus sinistræ applicatus, vel internè usurpatus, ex singulari sympathia cordi succurrat, atque illud refocillet. De annulis in digito annulari propter cordis auxilia gestandis, autorum sententias, inferiùs perspiciemus. Cordis deinceps palpitationem etiam cedere sede jubet cornu cervi ustum, monente hoc *Agricolâ de cervo c. 4. p. 102.* Agnoscit eandem operationem in osse ex corde cervi desumpto autor citatus *ibidem p. 154.* Os istud in dicto pariter, ac aliis cordis malis tollendis, congruum esse placet eidem quoque autori adstruere *p. 157.* Ipsemet autor *p. 193. §. 6. & 7.* indicat etiam, quod dictum os modò in corde, modò in matrice cervæ repertum exserat vires illas deprædicatas. De pelle cervi, quod similes vires gestata largiatur idem ille autor affirmat *d. l. p. 237.* Den-

Dentitionem difficilem auferentia.

DIspiciemus jam circa dentitionem difficilem ejusque juvamina amuletica à nobis observata: Martagi verò radicem collo appensam peculiariter commendari audivi ab anicula pro mitiganda molesta dentitione. Pueris etiam, quibus difficulter nascuntur dentes, ii dentes, qui primum cadunt, alligati facilem dentitionem præstant, & efficaciùs quidem, si terram non attigere, secundum testimonium *Bonacioli l. c. p. 321.* quo in loco autor citatus fortè humanos dentes intelligit. De equinorum dentium eodem effectu, eadem penè verba leguntur apud *Plinium lib. 28. c. 19.* cui adstipulatur *Alexand. Venturinus l. c.* De dictis his dentibus *Sereni Sammonici cap. 58. versiculi ita sonant:*

Collo igitur molli dentes nectentur equini,
Qui primi fuerint pullo crescente caduci.

Non discrepant ab his verba reperienda in *Schroderi pharmac. l. 5. p. 286.* Præter illa etiam pellem ac dentem lupi adalligatum dentientis morbos placare perhibet *Bonaciolus l. c.* Dextrum verò dentem caninum lupi, mediante catena argentea infantibus appendendum esse, pro commodo illo expectando, sancit *Schnitzius comp. med. pract. p. 53.* Non dispar est huic adducto sententia *Macasii prompt. med. à Nestoro edito cap. 30. p. 679.* Idem hoc velle *Naturalem*, dilucet ex *Venturini l. a.* De lupi & equi dentibus dictis etiam agit *Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib-und Wundartzney-Buche *part 1. p. 192.* Placet hic nobis etiam allegare verba plura huc facientia & amuleta complectentia *Sennerti prax. med. lib. 2. p. 44. &c.* nonnulli, inquit, in difficili dentitione periapta quædam commendant: *Aëtius* radicem colocynthidos sylvestris laudat, si canali argenteo includatur & collo pueri appendatur: alii dentem viperæ masculæ appensum, jaspidem item viridem, & dentem

ctandum esse, ne vena rumpatur, si scilicet illi loco amuleti admoveantur corpori, velut notabilem habet historiam *Burggravius Achille Panaplo*, cujus etiam meminit *Sachsius Gammarol. l. 1. p. 829.* Atque hoc in loco cit. præferuntur illi oculi vel lapides, quibus Torcoidis color inest, & quidem *pag. 830.* De laude horum etiam reperies agentem *Camerarium mem. med. cent. II. partic. 69.* Sæpius autē observabis oculos vel lapillos istos vivis cancris exemtos colore illô præditos, qui color coctione perit; quamvis alii colorem hunc cœruleum vel Turcosiæ æmulum certô tempore solùm deprehendi malint indictis lapillis vel oculis. Noto circa hos lapillos etiam, quòd, si quæ vis iis inest, efficaciores sine dubiô sint habendi, si ex vivis cancris eximantur: quemadmodum longè efficaciores creduntur partes variæ, ex animalibus vivis, ad medicamentorum usum desumtæ, quàm quidem si mortua sint animalia, velut eadem mens quoque est *Portæ in magia nat. l. 1. c. 14. p. 33.* Atque hæc forsitan est ratio, quòd non pauca in catalogo hoc nostro observemus, juxta autorum præceptum, ex vivis animalibus itidem petita perimmata. Lapillos illos pariter vivis cancris eximendos esse, & quidem sole existente in cancro, eosque imminui gestando, innuit *Joh. Helfr. Junckenius chym. curiosa p. 876.* De lapidibus cancri etiam, quòd sint ejusdem cum Turcoide efficaciæ (de qua gemma brevi plura audiemus) si sub certa constellatione eximantur é cancris, ubi scilicet colorem antea dictum referunt Turcoidis, verba facit *Aug. Etzlerus Isagog. phys. mag. med. cap. 7. p. 166.* De eodem oculorum cancri effectu dicto, molochite & Torcoide, similem efficaciam conferente, loquitur etiam *Bartholinus de lap. Nephr. c. 10. p. 27. §. 40.* De Turquesia verò gemma, quod peculiariter præservet à noxa labentes, videri potest probabile assertum, exemplis penè confirmatum, in *Schoreri Medicina peregrinant. p. 173. &c.* Non omnem quoq; vim dictam videtur derogare eidem gemmæ malè aliàs credulus *Georg. Hier. Velschius Hecatostea 1. obs. 74. p. 96.* De eadem Turchesia, quòd excipiat omnem ictum & in frusta frangatur, homo verò servetur, si ex equo cadat, juxta *Cardanum*

danum, videatur *Joh. Jac. Weckerus de Secret. lib. 11. c. 6. p. 599. Et Balth. Rousseus Epist. 22. p. 65.* qui gemmam illam energiam suam dictam à siderum influxu sortiri statuit; velut idem hoc etiam de aliis gemmis ille indicat. Experientiam suam non absimilem prioribus prætendit de Turcosia orientali *Martinus* Schmuck *de occulta magic. magnetic. morborum curatione p. 17. ets. & Helmontius tr. de virtut. magn. verb. & rer. p. m. 763.* Confer etiam, quæ in hanc rem proferunt *Ans. Boëtius de Boot de lap. & gemmis lib. 2. p. 267. Gabelchoverus in schol. ad cap. 3. libr. de gemmis Andr. Baccii* & alii plures. Non immeritò verò admiramur dictæ gemmæ vires, si non à παρέδρῳ, aliave causa suspecta ortum ducunt. Quæ plura alioquin mulierculæ infantibus contra lapsus appendunt, facilè quivis colligere atque experiri potest. Num verò ejusmodi res innoxios reddant subinde tenellorum lapsus, utrum verò magis illud in singularem Angelorum sanctorum tutelam conferendum sit, aut in ossium illorum mollitiem, siquidem hanc ob rationem etiam ossa dicta fracturis non adeò videntur obnoxia, speculentur curiosi. Præterea cur pueri è morbis desperatis soleant evadere, legat, cui lubet, rationes in *Hippocratis text. 9 Epidemic.* de quibus nos alia occasione forsan plura daturi sumus.

Catarrhos sufflaminantia.

CAtarrhi etiam sua inveniunt amolimenta in medicorum scriptis: quemadmodum præsentissimum remedium in catarrho radicem verbasci virginis renunciat *Hartmannus prax. chym. l. 2. c. 21. & 81.* qui unà collectionis & præparationis modum prolixum ibidem communicat. Assentiuntur huic asserto etiam *Dodonæus*, & *Joh. Michaëlis MS. collegio ad Rolfincii chymiam c. de amuletis.* Ambigit verò de hac radice *Exc. Paul Ammannus*, quod suspendat catarrhos collo suspensa *in programmate invitatorio ad Botanicas demonstrationes Lipsiæ Anno 1671. edito.* Tutò quoque ex mercurio præparari periammata, in catarrho salutaria, ex dicto loco *Michaëlis* citati liquet. Ex *Keslero &*

Rulan-

Rulando idem illud adstruit *Georg.* Pitschki *in Zenechto*, quod mercurius coagulatus in annulum redactus, & prope varias corporis partes gestatus non vanâ intentione materiam catarrhorum vel fluxionum consumat in corpore. Sic etiam frustulum radicis ostrutii, seu imperatoriæ circa aures alligatum catarrhos exhaurire vel derivare ex corpore indicat *Oheimius* apud *Frid. Hoffmannum method. med p. 294.* Radicem hanc verò vult effodi lunâ crescente, dorso appendi, atque postea in flumen projici *Pharam. Rhumelius Medic spagyr. p. 429.* Idem autor *l. a. p. 156.* Zenechton contra defluxiones & catarrhos utile pronunciat hoc: Rec. masticis, succini, radic: imperatoriæ & Carlinæ ana unciam semis, quæ in pulverem redacta oleô succini misceri, in trochiscos formari & umbroso in loco exsiccari jubet. Melanthium porrò antipatheticum esse catarrhis docet *Goclenius apud Rattray Theatr. symp. pag. 185.* Nec alienum censet lapidem nephriticum à recensitorum hactenus effectu ac laude *Bartholinus l. c. p. 8. & 16.* Sic omnes catarrhos compescere cor pulli vulturis, cuti nudæ appensum, legimus apud *Mich. Bapstium* in wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part. 1. p. 190.* Non est quoque silentiô prætereundum succinum, cujus notoriô usu, nimium quantum, delectantur passim homines, præcipuè mulierculæ, sibi suisque liberis prospicientes de externis medicamentis in catarrhis. Minus verò prohibendum esse succinum, ut pro amuleto collis puerorum appendatur; quanquam enim non faciat contra incantamenta & fascina, tamen illud exspiratu exsiccare humiditates cerebri, idque roborare, ne catarrhis, epilepsiâ & similibus malis facilè corripiatur; hæc dicta verò *Libavii* testimoniô innotescunt consignatô apud *Camerarium mem. med. cent. 4. part. 72.* Similiter, quod ex succino monilia & annuli parati mulieribus in deliciis sint, & eandem, quam gemmæ autoritatem obtineant juxta *Suidam & Plinium*, demonstrat *Kirchmannus de annulis p 12. & 13. Cnoeffelius* in hanc rem loquitur ita: ex succino albo in Borussia conficiuntur pentacula, cordis formam habentia, item sphærulæ

&

& monilia circa collum & brachia, contra capitis frigidos affectus, & catarrhos, ubi præpediunt, ne destillationes in guttur ferantur, atque hæc dicta prostant in *appendice miscellan. nat. curiof. Germ. Dec. I. Anni 6. & 7. p. 65.* Succini usum externum in genere ita exponit *Joh. Theod. Schenkius disput. de succino cap. 7. p. 24.* inquiens: usus hujus est, quatenus in catarrhis, oculorum fluxionibus, dentium doloribus & anginis, itemque ad pueros ab epilepsia præservandos (vel crudum, vel artifici manu formam globulorum, cordis, crucis, adeptum) collo, cordisque scrobulo appenditur. Tandem huc trahimus verba *Frid. Hoffmanni clav. Schroderi p. 383.* Globuli ex succino occipitio annexi oculorum medentur defluxionibus, & collo gestati impedimento sunt, ne catarrhi suffocativi oriantur.

Colicam mitigantia.

ACcingimus nos ad Colicæ periammata perlustranda; coli verò cruciatus demulcet particula de umbilico infantis recenter nati, in argentea capsula vel annulo inclusa & ita gestata, ut carnem attingat, velut certissimè multorum experimentô se accepisse ait *Crollius de signat. p. 44.* Non displicet idem hoc *Bald. Ronsseo Epist. med. 17. p. 53. & Epist. 22. p. 65.* De quo etiam *Alb. Magnus* & *Cardanus*, illud attestante *Joh. Jac. Weckerô de secret. l. 5. c. 4. p. 160. & 161.* Annotatum etiam hoc comperies in *Thesauro pauperum cap. 12. Mich. Bapstii* Artzney-Kunst und Wunder-Buche *part. 1. p. 263.* & *Schröderi pharmacop. med. chym. l. 5. p. 288. Idem autor ibidem p. 294.* significat, quod etiam secundina humana à quibusdam dicatur pessundare illud malum. Litem verò movent huic asserto quidã, cum prægnantes non immunes reddantur à colicis doloribus, licet tota supellex secundinarum embryoni in utero adhuc adhæreat, atq; umbilicus unà gravidæ corpori insit, nec procul à sede ista affecta requiescat. Nondum omnes de umbilico agentes adduximus, cùm de eo etiam observaverimus agere *Joh.*

Phar. Rhumelium med. Spagyr. p. 415. & in medic. milit. dogmat. Herm. mag. c. 16. Præcipit illic simul autor, ut umbilico illi imposito ventri operculum æneum calefactum imponatur. Laudant istum porrò *Joh. Dan. Mylius Antitodar. med. chym. l. 1. cap. 6. p. 91. Nymannus orat. de imaginatione, quæ adhæret Tandleri dissertationibus Physic. med. p. 227.* annuli illius umbilicum continentis rationem reddere conatur *Joh. Mich.* Schwimmer *curiosit. phys. p. 78.* De viribus iis umbilici pariter laudatis, & variis ex lupo desumtis (mox plenius pertractandis) ex aliis autoribus vide collectanea apud *Bartholinum de lap. nephrit. c. 8. p. 21. §. 20.* Dehinc *Michaël Bapstius l. c. p. 93.* ex *Fallopii* Kunst-Buche *fol. 141.* refert, quòd os hominis demortui gestatum colicam vel tormina alvi & rosiones ventriculi debellet ac depellat. Videatur etiam ejusdē autoris wunderbarl. Leib- und Wund-Arzney-Buch *part. 1. p. 208. Forestus* de ejusmodi amuletis solicitus *observ. 15. scholio p. 331. &c.* prodidit hæc: Poterit, inquiens, etiam in colica ex *Galeni* sententia instar amuleti ægroti partibus vacuis, quas græci λαγόνας vocant, alligari, vinculô confectô ex lana ovina, quæ à lupo esset laniata. Quod si talis non adesset lana, ex pelle cervina lorum confici potest, quô stercus contineatur ac prædicta loca præcingantur. Modum autem alligandi reperies apud *Galenum 10. de simpl. med. facult.* Hoc quidem medicamentum alligatorium, certum ejus periculum faciens, *Trallianus* comprobavit: nempe stercus lupi ossa vorantis (modò inveniri posset) in canalem includebat, ac in dextro brachio, aut femore aut lumbis per accessionem gestandum dabat, cavens, ne dolente parte, neque terram, neque balneum attingat. Thraces (ut *Trallianus* refert) vivente adhuc alauda cor illi eximentes alligatorium faciunt ex eo, femori sinistro ipsum circumdantes. Aliud comprobatum: ex porci intestino cœco, id quod mammosum est, accipito, ac myrrhâ involutum, ligatumque in pelle lupina, aut canina dat gestandum *Trallianus*, lunâ abeunte à sole, ac miraberis; umbilici infantis nuper nati præcisi paululum in argentum aut aurum includito

cum

cum modico sale. Qui gestat hoc alligatorium medicamentum, dolore prorsus non corripietur. Alios annulos, sed nimium superstitiosos gestandos, idem commemorat. Atque hæc allata hactenus *Foresti* scias verba fuisse. Ex *Galeno* amuletum paulò ante recensitum forsan alii etiam autores mutuati sunt. De eodem autem *Joh. Dan. Mylius antidotar. med. chym. l. 1. c. 6. p. 62.* scribit ita: stercus lupi ad ilia gestum, instar amuleti, inquit *Aëtius cap. 31. tetr. 3. ser. 4.* colicos dolores sedat: similis effectus tribuitur ipsius intestinis siccatis & ventri adhibitis. Annuli etiam colicæ sævitiam minuentis mentionem facit *Mizaldus memorab. med. cent. 6. not. 44. p. 124.* Sed nondum absolvimus omnia periammata, quæ in præsenti affectu lupus suggerere dicitur. Illam verò *Foresti* sententiam paulò aliter exprimit. *Bapt. Porta mag. nat. p. 583.* jubet quippe ut stercus lupi ossa devorantis, quæ terram nondum attigerunt, abscondantur in pelle animalis similiter dilacerati, ventrique alligetur pro dolore illo exstirpando. Volunt quidam etiam stercus lupi appendendum esse filio ex lana ovis à lupo pariter laceratæ factô; quod tamen superstitiosum pronuntiat *Camerarius mem. med. cent. 8. part. 71.* De lupi stercore mediante filô dicto, aut pelle cervi brachiis, vel cruribus alligato similiter laudato agit etiam, *Joh. Ad. Weberus* in der Unterredungs-Kunst *part. 1. p. 825. & Bald Ronseus venat. medic. p. 38.* Albissimum stercus recipiendum esse monet *Joh. And. Schmitzius compend. medic. pract. p. m. 46.* De lupi intestinis, stercore & pelle pilosa, pro simili effectu applicanda, confer etiam *Schroderum pharmac. l. 5. p. 301.* & *Weckerum* (de iisdem *Cardani* autoritatem allegantem) *de secretis lib. 5. c. 4. p. 161.* De prioribus duobus à lupo provenientibus itidem laudatis confer *Gabr. Fontanum medic. antihermet. sect. 3. c. 5. p. 176.* Stercus istud etiam à *Gesnero* laudari inseruit libro suo *Mich. Bapstius, cujus* nomen fecit wunderbarl. Leib- und Wund-Arzney-Buch *part. 1. p. 199.* Majorem amuleti cujuspiam apparatum & circumstantias præcipit *Petr. Hispanus*, ceu refert *Mich. Bapstius loco citato p. 58.* Quod lana ovis laceratæ à lupo, manu sine forci-

forcipis adminiculo dempta, & à gemellis puellis virginibus integris adhuc existentibus in fila atque vinculum redacta, ac postmodum corpori circumligata, contra tormina atque dolores intestinorum faciat. Sed superstitionis particeps videtur hoc remedium, propter circumstantias illas additas. Eligunt alii magis lorum seu cingulum ex corio cervi factum, illudque cum stercore illi insuto, ileis & ventri circumligari præcipiunt, velut hoc deprehendes consignatum apud *Joelem pract. l. 4. s. 3. p. 343.* de eodem pentaculo, ex dictis duobus ingredientibus constante, annotata evolve in *Agricolæ tractatu de cervo p. 238.* & *Schröderi pharmac. l. 5. p. 30.* Sed dicto stercori lupino appenso & ferè plurimis amuletis reliquis parum efficaciæ ac fidei videntur concedere *Thom. Erastus de occult. pharmac. proprietat. c. 45. p. 80. & 81.* & *Henric. Smetius miscellan. med. l. 2. c. 29. p. 96. & cap. 45. p. 112. &c.* Idem penè de stercore lupi concludit, quod non semper curet dolorem colicum (unde & colligit, quod experientia talismodi amuletorum non debeat esse unius rei vel actionis, sed iterata) *Joh. Walæus operibus posthumis ab Irvino editis l. 3. c. 1. p. 87.* Posthæc quod etiam pes lupi alligatus colicæ pariter medeatur, & prosit os hominis appensum in doloribus ventris, qui per circuitus redeant, notat *Andr. Laurentius operum therapevtic. tr. de strumarum sanatione l. 1. c. 5. f. 11.* De pluribus amuletis iis ex lupo petitis autores ac testes citatos quoque reperies in *Joh. Saltzmanni dissert. de lupo c. 10. Argentorati habita Anno 1669.* Sic quod commoda etiam reportent, qui portant corium cervi solùm, docent allegati apud *Agricolam de cervo p. 238.* Quam sententiam itidem admittit *Schwenckfeldius Theriotropheo Siles. l. 2. f. 82.* Porro cuti humanâ corpus cingi solere, pro colica profliganda, meminit *Danielis Beckerus med. microcosm. p. 174.* De hujusmodi verò ligationibus circa abdomen institutis innuunt quidam, quod non adeò vis à materia vel effluvio medico, quàm firma ligatione cingulorum illorum resultet; quippe quâ flatus deorsum comprimantur; ut adeò facilius mole atque constrictione hac ad exclusio-

nem

nem vel soli flatus, vel unà cum excrementis iidem præparentur. *Casp. Jügelius* vom Maulwurffs-Fange *c. 8.* admodum in colica & hysterica passione commendat talpæ ex pellibus confectum thoracem, vel vestem interiori corporis parti admotam ac gestatam. De variorum animalium pellibus colicô morbo laboranti corpori appendendis, evolve quoq; citata apud *Reinesium Epist. 45. p. 381.* Cui junge etiam de spoliis ejusmodi agentem *Velschium Hecatastea 1. obs. 87. p. 112.* Præterea etiam pellem oloris, plumis tenerrimis obsitam, juvare colicos ac stomachi vitô laborantes, liquet *ex Schroderi phar. mac. l. 5. p. 322.* Postmodum radix hyoscyami amuleti loco usurpata etiam colicam exterminare dicitur, juxta *Sylv. Rattray Theatr. symp. p. 21.* Affirmare idem hoc *Aristotelem* docet *Joh. Jac. Weckerus l. a. p. 160.* *Qui autor* etiam *p. 161. ex Mizaldo refert*, quod ossiculum hominis quodcunque appensum, ut carnem attingat, doloribus ventris, certâ periodô revertentibus, prosit. Sic corculum galeritæ (superius ex *Foresto* etiam commendatum) femori adalligatum summè proficuum esse adversus colicum cruciatum ex *Hispano* quodam adducit *Weckerus l. c. p. 161.* Ex quo forsan verba sua idem significantia depromsit *Mich. Bapstius l. c. p. 189.* Cristatæ alaudæ verò cor recipiendum esse suadet *Joh. Schroder. pharm. med. chym. l. 5. p. 314.* Deinceps doloribus ventris sævientibus quoque, videlicet colicæ & similibus affectibus, talum leporis gestatum esse oppositum, declarant annotati scriptores apud *Waldungum lagographia p. 82.* Idem illud attingens, fulcit autoritate *Sexti Platonici*, *Alexander Venturinus medicina ab animal. desumta.* Illud & alia adhuc ex lepore petita periapta sequentibus verbis sistit *Bald. Ronsseus venat. medic. p. 66.*

Viventem obtulerit quoties fortuna lepusculum,
Extemplo niveos, qui sunt sub ventre, capillos,
Aut cauda evellas, simili quoque dexteritate,
Detrahe comprensum talum, vivumque remitte,
Hinc iterans varios nexus compone ligamen,
Ducere quo possis circum perizomate corpus,
Innexum talum subitoque dolore levabis:

Contuleritque magis, fuerit si quando repertus,
Casu aliquo talus leporis cum face lupina
Depasti leporem.

Præterea calculos in umbræ vel umbrinæ piscis capite repertos & argento inclusos ac gestatos amuleti loco, liberos reddere à colico insultu volunt *Bellon. l.1. de aquatil. c.10.* ex *Fererii lib. de piscibus f.28.* & *Mich. Bapst pimelotheca p.144.* quo in loco etiam secreti instar in hysterica passione lapides illi commendantur. Idem illud de colicæ periapto à lapidibus istis exspectando ex *Balth. Pisanello transscribit Alex. Venturinus l. a.* Junge sis huic de eodem tradita in *Miscellaneis nat. curios. Germ. Dec. 1. Anni 4. & 5. obs. 107. p.110.* *Venturinus* modò citatus etiam *Ld.* allegat, ex incerto autore, quod patella cervi è genu illius desumta, atque superiꝰ gestata subito dolorem colicum levet. Præterea dolores intestinorum depellere lapidem corvinum, si carnem contingat, colligimus ex *Theoph. Boneti Medicin. septentrional. part. 2. f. 824.* Sic colicam etiam exturbare mercurium in avellanam immissum & appensum corpori ut ventrem tangat, annotatum leges apud *Jonstonum Thaumatogr. l.1. p.176.* Dicto huic amuleto tam in præservatione quàm curatione hujus morbi locum quoque tribuit *Camerarius mem. med. cent. 8. p.71.* De eodem & ophite malum hoc infringente, similem sententiam vid. ap. *Bartholinum de lap. Nephrit. p. 26. §. 24.* Idem autor *l. a. p. 8.* etiam lapidem nephriticum non frustra adhiberi in hoc morbo statuit. De hisce nonnullis amuletis agens quoque *Sennertus prax. med. l. 3. p. 261.* quærit, an dentur revera medicamenta, quæ occultâ proprietate dolores colicos minuere, aut tollere possint. De lapide quopiam colico dicto, qui cum jaspide viridi, aut smaragdo conveniat penè, quod itidem iste sedet dolores colicos, aut iliorum, si vel umbilico aut parti dolenti imponatur ille, habet quæpiam *Joh. de Laet de gemm. & lapid. l. 1. c. 24.* Restat ut nominetenus saltem attingamus superstitiosum istud, quod prostat apud *Trallianum l. c. lib. 1. c. 1. tit. ultimo*, istud hic tanquam rem sacram non nisi sacris vult apertam.

Concor-

Concordiam promoventia.

Concordiam conservare vel reconciliationem comparare gestatum adamantem multi volunt, contra quod assertum, quid *Cardano* moveat *Scaliger*, vide in hujus *exercitat. 116.* Hinc etiam plurimi autores de gemmis agentes, dictam gemmam reconciliationis vocant, quemadmodum de viribus illis etiam agit *Barthol. Anglic. de prop. Rer. l. 16. c. 26.* Plures idem hoc attingentes allegat *Henr. Kippingius instit. physic. l. 6. c. 3. p. 236.* Sed nostram sententiam de his alia loca nostri scrutini detegunt. *Orpheus lib. de lapidibus* sponsum jubet cervinum cornu gestare, sic enim perpetuam ei cum sponsa futuram concordiam pollicetur; de quo nostras speculationes alius nostri scrutinii locus itidem attinget. Deinceps magnetem, si scilicet hunc duo viri secum ferant, atque lites fortè ac controversiæ inter hos oriantur, dirimere eas atque concordiam fovere; imo gestatum illum supra pectus, populum lenire ac demulcere indicatur in *Dioscoridis nothis p. 476.* Qualem vero magnetem intelligendum suspicemur, subsequentia *nostri scrutinii* pariter indicabunt. Lysimachia herba quoque flore purpureô prædita, si Jove in piscibus existente colligatur & gestetur, hominem reddere amabilem dicitur; & si inter altercantes illa projiciatur, illico conciliari illos, affectibus martialibus videlicet sedatis ab istius spiritu joviali, qui marti è diametro adversetur, horum autor verò existit *Aug. Etzlerus Isag. phys. mag. med. c. 2. p. 66.* De Lysimachia purpurea pannonica *Dominic. Chabræus stirp. Sciagraph. f. 286.* prodit hæc, quod ista jumentorum discordantium jugo imposita, asperitatem cohibeat. Sed de his iterum nostra sententia ex alio loco nostri scrutinii patebit. Dehinc carduum benedictum, si sole novô, ubi luna fuerit in capricorno, evulsum ac deinde gestatum, omne malum à portante avertere, dicit *Apuleius Madaurensis histor. de virtut. herbar.* quod etiam allegat *Georg. Christoph. Petri de carduo sancto p. 239.* Sic quod cichorium collectum

in

Dentitionem difficilem auferentia.

DIspiciemus jam circa dentitionem difficilem ejusque juvamina amuletica à nobis observata: Martagi verò radicem collo appensam peculiariter commendari audivi ab anicula pro mitiganda molesta dentitione. Pueris etiam, quibus difficulter nascuntur dentes, ii dentes, qui primum cadunt, alligati facilem dentitionem præstant, & efficaciùs quidem, si terram non attigere, secundum testimonium *Bonacioli l. c. p. 321.* quo in loco autor citatus fortè humanos dentes intelligit. De equinorum dentium eodem effectu, eadem penè verba leguntur apud *Plinium lib. 28. c. 19.* cui adstipulatur *Alexand. Venturinus l. c.* De dictis his dentibus *Sereni Sammonici cap. 58. versiculi ita sonant:*

Collo igitur molli dentes nectentur equini,
Qui primi fuerint pullo crescente caduci.

Non discrepant ab his verba reperienda in *Schroderi pharmac. l. 5. p. 286.* Præter illa etiam pellem ac dentem lupi adalligatum dentientis morbos placare perhibet *Bonaciolus l. c.* Dextrum verò dentem caninum lupi, mediante catena argentea infantibus appendendum esse, pro commodo illo expectando, sancit *Schmitzius comp. med. pract. p. 53.* Non dispar est huic adducto sententia *Macasii prompt. med. à Nestoro edito cap. 30. p. 679.* Idem hoc velle *Naturalem*, dilucet ex *Venturini l. a.* De lupi & equi dentibus dictis etiam agit *Mich. Bapstius* im neuen Herbarl. Leib- und Wundartzney-Buche *part 1. p. 192.* Placet hic nobis etiam allegare verba plura huc facientia & amuleta complectentia *Sennerti prax. med. lib. 2. p. 44 &c.* nonnulli, inquit, in difficili dentitione periapta quædam commendant: *Aëtius* radicem colocynthidos sylvestris laudat, si canali argenteo includatur & collo pueri appendatur: alii dentem viperæ masculæ appensum, jaspidem item viridem, & dentem

lupi dextrum, de quo *Plinius lib. 11. c. 37.* Dens dexter caninus lupi in magnis habetur operibus. Citatus *Sennertus* etiam rarefieri gingivas ab attritu potiùs, quam à ſpecifica quapiam vi elici dentes arbitratur. Hactenus *Sennertus*: Arbitror verò infantes non nunquã dente ejusmodi, aliisve rebus in os immiſſis fallere tempus, premere dolorifica loca, ſalivam elicere, atque ſic quadantenus lenimen iſtos perſentiſcere, ut adeò reliquus expectatus effectus vix ab iis, extrinſecus ſolùm appenſis, emanet. Ex *Bartholom. Anglico* dentes vulpinos, & ex *Raſe* dentem leonis collo infantum appenſos accelerare dentitionem exponit idem *Venturinus* ibidem. Meminit quoque ille ex *Bartholomæo*, quod ſimilem effectum edat dens urſi collo appenſus: Nec minùs efficacem ex *Sexto Platonico* delphinis, & ex *Raſe* variolarum vel truttarum piſcium dentem applicatum deprædicat allegatus *Venturinus l. d.* qui autor teſtatur etiam illic, quod dentes canis collo infantis ſuſpenſi facilitent dentium exitum, ac procurent, ut ſine dolore iſti naſcantur, idque ex *Raſe* iterum depromtum indicat. Catelli atque pulli equini dentes deciduos, ſi nunquam terram attigerint, pariter commendat *Bald. Ranſeus venat. med. p. 60.* In cochlearum corniculis arenaceæ durities inveniuntur, quæ ad alligatæ moleſtiam dentientium declinare dicuntur ex aſſerto *Bonacioli l. c.* Perſpectum hoc etiam eſt *Lemnio*, velut illud exponit *Camerarius mem. med. cent. 4. part. 36.* *Sextum Platonicum* etiam gnarum hujus extitiſſe, qui tamen ex capite cochlearum effoſſum velit lapidem, narrat *Alex. Venturinus l. a.* De lapide eodem, ſi placet, etiam jungatur *Ranſeus l. a.* Levationem etiam procurare creduntur Amiæ marini piſcis dentes geſtati, idque juxta *Gesnerum fol. 60.* commemorat *Mich. Bapſtius Pinelotheca p. 112.* Atque idem ille repetit iſtud im wunderbarl. Leib- und Wundartzney-Buche *p. 1. p. 192.* &c. quo in loco etiam mentionem facit dentium carchariæ, (quos gloſſopetras quidam exiſtimant) dentis item Delphinis, quod appenſi hi dictis viribus polleant. Inſidet opinio *Plini. l. 30. c. 15.* quod lapillus ille, vel oſſiculum in dorſo limacum

macum reperiatur, quod itidem mirificè dentitioni prodesse commonet. Non abludit ab his *Sebitzius de Alim. facult. l. 3. c. 8. p. 780.* De dente lupi, apri & cortice cochleæ collo suspendendo, contra inquietantem dentitionem confer *disput. med. Basiliens. decad. 1. disp. 10. §. 9.* *Fabius Columna tract. de purpura appendice de glossopetris* recenset ex *Rondeletio*, quod dentes serpentis (glossopetras autem intelligere illum arbitratur Columna) ab aurificis argento includantur, & è collo puerorum suspendantur à mulieribus, ut dentitionem juvent & pavores arceant. *Fridericus Hoffmannus clave Schröderi p. 131.* idem illud referens (ex *Rondeletii lib. 32. c. 10.*) paulò aliis circumstantiis agit de amuleto dicto: Melitæ, inquit, glossopetra ex terra eruta antiqua, cui plumbeus circulus annexus indicium præbebat, vel auribus olim vel collo appensa fuit. De melitensibus his dentibus lapideis, & oculis serpentum, uti & aliis rebus lapideis partes varias serpentum mentientibus, eoque in loco dicto reperiendis, plura suggerent *Miscell. med. phys. Acad. natur. curios. Dec. I. anno 9. & 10. obs. 119. p. 287.* Corpora illa verò carchariæ esse dentes, adstruit inter alios etiam *Steno myolog. p. m. 136.* & cum *Fabio Columna Conringius de statu antiquissimo Helmstadii p. 35.* Porrò cerebrum viperæ pelliculæ illigatum, uti & serpentum grandissimi dentes ad tristificum illud negotium valere, cognoscimus iterum ex *Bonacioli l. c.* quod autor fortè ex *Plinii l. 11. c. 32.* mutuatus est. Penes allegatum *Bonaciolum* etiam hæc scripta deprehendes: Bovis capiti lapillum inesse produnt, quem ab eo exspui dicunt, si necem timeat: inopinantis tamen illius ex capite præciso exemtum adalligatumq; dentitioni mirè prodesse; similiter ejusdem cerebrum ad eundem usum alligari jubent. Denique oculos cancri de collo suspensos pro facili dentium proventu conferre, ex variis autoribus unà additis ostendit *Camerarius mem. med. cent. 6. part. 43.* Ubi idem autor varia etiam alia congessit eandem medelam concernentia periapta. Plura de dictis oculis cancri hauries ex ejusdem loci autoris *cent. 4. partic. 33.* Hæc dicta sint de iis, quorum cognito nobis innotuit; ecquis verò omnia

compilare satagat in hoc terrifico morbo usitata, & præcipuè muliercularum arcana, quæ caseum & panem, & nescio, quas alias nugas ac suspecta suspendunt infantibus dentientibus. Concludimus tandem de his amuletis cum *Platero de læs. funct. part. 2. p. 541.* quòd multa illorum non viribus, ipsis adscriptis, sed apprehensione hominum & frictione adhibita operentur.

Dentium affectus concernentia.

SEquuntur plures dentium affectus cum suis periaptis considerandi; & primò quidem, quæpiam dentes planè exstirpare creduntur. *Helmontius tumulo pestis c. 6. p. 263.* inquit: si cadaveri exemeris dentem, & viventi denti applicaveris, statim is excidet; quibus non sunt dissimilia, quæ prostant apud *Grembsium arb. integr. & ruin. p. 169. §. 12. 13. & 14.* & *Daniel. Beckerum med. microcosm. l. 2. c. 6. p. 26.* Atque hoc remedium mutuò desumtum videtur ex *Rase*, apud *Omn. Ferrarium de art. med. f. 183.* Asserit autē à proprietate dentium dolorē leniri, si dentem hominis mortui in colli infantis suspenderis, visurumque te tunc rem admiratione dignam, uti hæc exhibet *Hæferus Hercule medico l. 1. c. 11. p. 68.* Illis insimul verbis autor hic statim annectit: Ego verò, inquiens, ut sunt Arabes & Ægypti superstitione pleni, superstitiosum credo esse remedium, nisi subsit singularis quædam antipathia, soli experientiæ cognita *Andr. Laurentius in operum therapevt. tr. de strumar. sanatione l. 1. c. 5. f. 9.* Radices asparagi, inquit, super dentes ligatæ, eos sine dolore excutiunt. Deinde in dolore dentium quidam dentem humanum ex collo etiam pendent, veluti hunc dilaudat ideò *Goclenius de mirab. nat. p. 63.* Fautor hujus sententiæ est etiam *Heurnius de morb. dent. c. 11. p. 86.* Ex *Pellicano* verò scribit *Mich. Bapstius* in Gifft-jagenden Kunst- und Hauß-Buch *part. 1. p. 104.* quod dolor dentis cesset, si dente hominis mortui attingatur vel fricetur. Talpæ quoque dens appensus dolores dentium restringuere dicitur apud

apud. *Casp. Jngelium* im Maulwurffs-Fange *p. 56. Corn. Agrippa* de eodem scribit ita: dente talpæ vivæ exemtô, illâ verò iterum dimissâ, sanari dentium dolores; allegata verò hæc exponit *Joh. Jac. Weckerus de secr. l. 5. c. 4. p. 151.* Atque hoc forsitan petitum est ex *Plinii lib. 30. c. 3.* Ex eodem etiam recenset *Alex. Venturinus l. c.* quòd si dente hyenæ dolentes dentes tangantur, vel idem in superiori corporis parte gestetur, dolores illi auferantur. Porro dens leporis collo suspensus felicem successum in hac calamitate spondere dicitur in *Macasii prompt. med. aucto à Nestero p. 955.* Dentem lupi vires illas pariter possidere exponit modo citatus *Maccasius l. c. c. 34. p. 305.* Ex *Sexto Platonico cap. 16. de Medicina animalium* habemus: quod dentis dolentis remedium existat, si dentes equi, qui primum nati fuerint dentem ipsum, qui dolet, tetigerint. Solertissimus rerum naturalium indagator *Francisc. Redi experiment. nat. p. 113*, memorat *autorem historiæ naturalis & moralis Antillarum* tradere, dentes majores crocodili attactu sanare dolorem dentium, eosque integros à corruptione servare; sed laudatus *Redi* ibidem renuit fidem dictis adhibere, vetante id experientiâ firmâ. Idem autor *ibidem p. 90.* enarrat, in America meridionali araneas, vel malo arantio majores, reperiri, quarum ungues duri ac fusci eâ creduntur virtute dotati, ut auro vel argento ligati, solo tactu, & quasi miraculose qualemcunque dolorem dentium statim sedent; hæc *Zacutum Lusitanum* etiam confirmare scribit allegatus autor; verùm ungues illos eum in finem adhibitos, sibi nullum unquam illius miraculosæ virtutis indicium dedisse, asseverat sæpius citatus Dominus *Redi.* Sic idem illic parum fidei impertitur Rhinocerotis denti, qui similiter dolenti denti applicatus mali remissionem procurare dicitur. *Gesnerus* im Fisch-Buche *f. 25.* de sargi piscis dentibus prodit, quod appensi omnem dolorem dentium aufferant. Idem autor *fol. 60.* Dracunculi marini spinas etiam vult efficaces, in dicto dolore, si iis gingivæ tangantur vel fricentur. Indicat quoque ex aliis *Anton. Grandius curioso rerum abditar. scrutatore p. 332.*

quod dentium dolores mitigentur, si radiô Pastinacæ marinæ, qui in piscis cauda enascitur, tangantur dentes & gingivæ scarificentur. Alia plura, quæ radio eidem tribuantur, ex eodem loco petantur. *Cardanus* quoque docet dentium dolori prodesse plerumque, si illi ossibus coxarum bufonum tangantur, idque per antipathiam fieri ex eodem annotavit *Joh. Jac. Weckerus l. c. lib. 5. c. 4 p. 142.* Idem illud de tibiis bufonis, seu ranæ terrestris à carnibus mundæ, si super dentes condolentes fricentur, ex *Fioravante* deducit *Anton. le Grand curioso naturæ arcanorum perscrutatore p. 151.* Eandem medelam quoque commendarunt *Heurnius*, *Helmontius* & alii plures. Nolumus de hoc præterire *Em. Konigium regno animal. p. 139.* ita scribentem: *Ettmullerus* certô experimento se nosse refert, ossiculum certum bufonis (brachii scilicet os dum mense Julio capitur & cum terrore, ac conjuncto aliquantisper furore moritur) nudò contactu mederi odontalgiæ teste insuper *Cardilucio prax. Chym. Hartm. p. m 250.* Verùm illum paulò ante à nobis citatum locum *Fiorovanti* (*lib. 2. cap. 62.*) allegans, rarò eventum respondere ait, *Gv. Rolfincius ord. & method. medic. special. commentat. l. 7, c. 9. p. 675.* Quid de festuca vel bacillo ex salice detracto ad dentis vel gingivæ dolentis frictionem admisso, & per transplantationem postmodum adornato communiter tradant Magicis curationibus inhiantes, ex *Beckeri microcosm. medic. c. 14. p. 75.* aliisque pluribus constat. Præterea prunellæ aridæ dictô modô affrictæ efficacia laudatur à *Sim. Pauli quadrip. botanico class. 2. p. 32.* Obiter hactenus dictis annecto opinionem meam de quibusdam ex illorum classe; si scilicet asperis istiusmodi rebus frictio profunda vel vulneratio gingivarum dolentium instituatur, huic citius negotio, quam vi delitescenti medicæ in dicta re vulnerante, aut, huic ad transplantationem postea adhibitæ, efficaciã vendicarem. Notum quippe est, quod dum pus fit, vel inflammata pars inaperta relinquitur, dolor sæviat; iis autem obstaculis amotis, dolor sæpè cessat, hinc glaucomatis loco habeo illam curationem transplantationi assignatam. Eadem proinde

pro-

procul dubio est dentiscalpii ratio ex patibuli cujuspiam ligno vel tigno petiti, quod vulgò à quibusdam magni æstimatur, cujus etiam præ aliis rebus major eminentia tribuitur. Pari irrisione digni etiam sunt ii, qui dentiscalpia illa singularis notæ constituunt pro dicto effectu, quæ ex sella, sponda vel limine ligneo domus petita sunt, in qua nostræ religionis orthodoxæ restaurator, in comitatu Mansfeldiæ olim habitavit, aut usus illis crebro est, quibus dentiscalpiis, propter experientiam commendatam, vel persuasionem suggestam, etiam pontificios quospiam usos novimus. Fraude itaque hujusmodi dentiscalpia primitus sine dubio commendata & communicata sunt à versutis hominibus; quò major confidentia & lucrum ex illis contraheretur. Forsan etiam casu, aut sicuti paulò ante speculati fuimus, secuta est subinde odontalgiæ remissio, quando variis rebus, quæ ad manus fuerunt hominibus, instituta fuit frictio, & sanguinis eductio; hinc postea nolenti volenti illi rei vis specifica aut peculiaris asscripta fuit; quæ ad nos posteà veste amuleticâ induta devenit. Confer in hanc meam sententiam detectam *Simonem Pauli quadripart. Botanic. p. 151.* Refero huc non male forte clavum illum rubiginosum, à faceto quopiam homine ex pariete sumtum, quô (certis ceremoniis fallacibus præmissis) dens dolens mulieris credulæ tactus & liberatus fuit à dolore; velut hoc allegans (ex *Deusingii de pulv. symp. p. 63.*) naturalem operationis rationẽ non agnoscit cum Deusingio *Laur. Straussius palæstr. med. part. 1. gymnasm. 23. p. 368. 369.* Pari ratione vis quæpiam contra morsus rabidi canis falsò tribuitur clavo ignito templi divi *Bellini*, qui pariter fortè non adeò propter templi, quàm ignis potentiam vires suas exserit in partem læsam, si quid veri, (nec Pontificiorum traditionem) sapit ista relatio annotata à *Gockelio de venenis p. 94.* Sed hæc nobis elicuerunt illæ res, quæ in amuletorum classem perperam, & ob dictam vel aliam rationem referuntur. Plura alia verò potiori jure huc accersenda restant, siquidem *Camerarius* pro dentium dolore molybdenam, quam *Plinius* plumbaginam

esse

esse dicit, si carpis alligetur, commendat. *Petrus Hispanus* pro eodem dolore duas alliorum doses contusas supra brachium prope manum appositas totum dolorē ad se trahere ait: Hæc autem verba sunt *Reiesii in campo Elys. qv. 83. §. 4.* Ex *Mesue* scribit *Ambr. Paræus l.16. chir. c. 25. f. 477.* quod allium meatui auditorio immissum, tritumve manu dextra aut sinistra, prout dextri aut sinistri dentes doluerint, gestatum dolores sedet. Allium etiam causticâ vi æque prodesse, atque cantharides in adontalgia, annotat *Exc. Schrockius scholio ad miscellan. nat. curios. Dec. 2. Ann. 5. obs. 166. p. 333.* Sic Raphanum aceto mistum brachio interiori imponunt mulierculæ quædam in doloribus dentium non sine levamine; velut indicatur in *Actis medic. & Philos. Danicis Anni 1674. etc. volum. 4. obs. 39. p. 130.* Innotuit mihi etiam ranunculi nemorosi herba, quàm crebrò salubriter impositam observavi brachio illius lateris, quo doluerunt dentes; præcipuè etiam commendavit se hæc herba in odontalgia gravidarum. De hac etiā aliquando asseverabat plebejus, nunquam reversurum esse dentium dolorem ad illos, qui usi sint hâc herbâ. Occultabat autem dictus homo admodum hoc suum arcanum, quod tamen aliquali indagatione adhibitâ percontatus sum. De eo verò, quod nunquam regrediatur malum, semel eô remediô sublatum, ambigo quenquam gvarandam vel fidejussionem sistere posse. Interim suadeo ut herba illa recens paulum contusa, quovis anno recens collecta, vel arida discissa, & modico aquæ vel vini madefacta in loco carnoso brachii imponatur, ne aliis partibus caustica sua vi (si quam exserat evidentem) noceat. Citiùs autem credo lenimen expectatum iri, si vesicas proliciat illa herba. Atque hoc modô forsitan illa paulò ante adducta carpis imposita suam etiam efficaciam citiùs exserent. Restant adhuc alia, quæ sævienti illi dentium malo metam ponere creduntur: Stercus quippe corvinum appositum, sicut & rostrum collo appensum verissimè ὀδονταλγίας compescit teste *Etzlero Isag. phys. mag. med. p. 35.* Controversiam verò quampiam illo dæmo, (qui etiam in

lana

in lana alligatus dicitur statim dolorem dentium abigere) quod pro voce corvi, cortri legat *Barthius*, annotat *Reinesius var. lect. p. 185.* De rostri illius etiam viribus agit *Plinius.* Similiter quod rostrum pici ad collum appensum eosdem dolores adimat, *Porta* opinio est. De lepidii radice collo suspensa, atque odontalgiæ medente, *Dioscoridem* agere dicit *Bartholinus de lap. nephrit. c. 9. p. 20. §. 14.* Gramen trium nodorum decrescente lunâ evulsum atque collo circumligatum, in odontalgia congruum scribit *Joh. Schrøderus pharmac. l. 4. p. 77.* Eadem planta & colocynthidis radix inter amolimina contra dictum affectum tristem refertur à *Macasio l. c. p. 677.* Nolumus ab his etiam abesse verba experientiâ nitentia *Joh. Heurnii de affect. capit. c. 24. f. m. 431.* constat, inquit, mihi dentium dolores à catarrho ortos averti corollâ ex corallo collo appensa.

Diabolum & spectra profligantia.

ANnectimus hactenus dictis etiam ea, quæ spectra nocturna, phantasmata & Dæmonem ipsum profligare putantur, de quibus tamẽ mentem nostram exponemus alio loco nostri scrutinii. Artemisiam autem fugare dæmonem, si in pedibus feratur, legimus in *nothis Dioscorid p. 477.* De coralliis eum in finem pariter commendatis videatur *Kunrathus medulla destillatoria l. 1. p. 209.* De verbenæ & hyperici usu eodem & adhuc alio, sed eluso, agit *Grubius de simplic. med. fac. p. 102.* Lubet nobis etiam huc transscribere de Hyperico verba *Joh. Dan. Mylii Antidotario med. chym. l. 1. c. 6. p. 69.* nomen Græcum, inquit, denotat, quod ὑπὲρ εἰκόνας super imagines, & spectra dominium habeat, fuga Dæmonum vocatur: Ideo fumigatio seminis ejus, ut dicit expertissimus philosophus *Lullius*, fugat omnem Dæmonem à proprietate corporis, vel à domo. *Portus Neapolitanus* affirmat obsessos nec odorem ipsius, nec supra se plantã ferre valere &c. De radice eryngii, quod peculiariter contra Dæmonis insidias gestata

faciat juxta quorundam ſententiam, ſcribit *Reies l. c. qv. 97. §. 13.* Sic quod radix bryoniæ collo appenſa Dæmones fuget, aſſerti hujus autorem quidam ſtatuunt *Rhodium.* Quantô encomio evehat in maleficiis, periculis, & pro averſione malorum viſuum Betonicam *Ant. Muſa*, inferius inter amuleta multis malis reſiſtentia exponemus. Ne & hoc intactum linquamus, licet parvi faciamus, etiam à veſpertilionibus integris præſentibus vel aſſervatis in locis variis non metuendam eſſe incantationem ſcribunt. Verùm addimus ex ſæpius à nobis allegato autore (variis & ſuperſtitioſis rebus magnopere indulgente) ſcilicet *Auguſt. Etzlero, qui in Iſag. phyſ. mag. med. c. 6. p. 139.* tradit, quod locus ſpectris inquietetur, in quem illatus ac repoſitus ſit lien veſpertilionis, ſed autor citatus inſimul præmiſit ibi, quod veneficæ linguam & ſplenem eximant illi, atq; iſtis infortunia concilient hominibus: Quid mirum ergò, ſi ſagarum vel Dæmonis ope rebus alioquin inefficacibus efficacia malefica temporanea, vel glaucomatibus obducta indatur. De laudata fuga dæmonum ſeu Hyperico plura proſtant autorum teſtimonia, quorum inferiùs inter faſcini periapta fiet mentio, quibus jam præmittimus teſtimonium petitum ex *Scip. Mercur. lib. obſtr. part. 2 c. 38. p. 351.* Adamas aliàs etiam amuleti inſtar eſſe cenſetur contra faſcinationes, incantamenta, ſuccubos & quasvis dæmonum præſtigias, ſed hæc *Joh. Bodinus lib. 2. theatro naturæ p. 231.* ſuperſtitionem atque ineptias meritò vocat; de quibus fuſius *Henr. Kippingius in Inſtit phyſ. l. 6. c. 3. p. 236.* Verùm quòd varia ejusmodi contra veneficia & dæmonem aliàs commendata, (ex quibus inferius quædam recenſebimus inter faſcini periapta,) in dæmoniaca muliere multis modis applicata ſint, ſed irrito auſu, docet *Joh. Matthias Neſterus in biga obſervationum medic. Meccaſii promptuario aucto ab eodem annexa p. 972. et ſ.* Fuerunt autem illa Thapſia, Adianthum aureum, Antirrhinum, Hypericum, Ruta, verbena, radix victorialis, ſcylla, allium & aſa fœtida. Porrò Baaras radix admota ab ægrotantibus Dæmonia pellere, & è terra illa erui non poſſe dicitur, niſi radix iſta de manu pen-

pendeat, quod annotat *Gesnerus de plantis lucentibus p. 21.* Proh! simplicitatem; quomodo verò, rogo, primus illam destitutus aliâ simili nact9 est eandem. Plura de superstitiosa radicis hujus collectione & usu docent mox memorandi; autor interim hujus relationis inprimis habetur *Joseph9 de bello Judaico l. 7. c. 23.* Cæterùm de eadem radice conferatur etiam *Wierus de præstig. Dem. lib. 5. c. 22. Mich. Freudius* Gewissens-Fragen von der Zauberey *qv. 54. n. 2. Joh. Henricus Ursinus Acerra philolog. p. 78.* & alii autores plures. Radicem autem illam pæoniæ maris speciem esse *Dodonæus* statuit. Consulatur etiam de hoc *Th. Bartholinus de luce animalium lib. 1.* Ab aliis autoribus aliàs quoque dicta radix pæoniæ gestata spiritus malignos arcere, divinationes & gratiam superiorum conciliare, & suspensa in locis ab iisdem tempestatem avertere dicitur, de quo *Plinius, Apuleus, Weckerus, Dioscorides in nothis p. m. 478.* & alii mentionem injiciunt. Multa de ejusmodi rebus contra spectra, incantationem & Dæmonem, uti & de radice Baaras occurrunt apud *Majolum tom. 2. colloq. 3. p. 272.* & *Wierum l. c.* Laurum præterea etiam contra Dæmonem conferre ex aliis docet *Mart. Lipenius de strenis c. 3. p. 133.* De non nullis amuletis, an scilicet contra Dæmonem faciant, (ubi simul illis citius efficaciam tribuit, si more pontificiorum consecrata sint,) videatur *Delriò disquis. mag. tom. 1. l. 2. qv. 30. sect. 3. p. 272. etſ.* Quæstionem hanc, an scilicet odore, fumo, herbis, lapidibus, aliisque rebus sensibilibus spectra pellantur, ventilat inter alios *Schottus physs. curios. l. 2. c. 40. p. 355. etſ.* De variis quoque rebus Pontificatum sapientibus evolvi potest idem autor *l. a. c. 41. p. 361.* & *Joh. Wierus l. c. cap. 21. etſ.* Similia istiusmodi spectra fugantia rejicit item & disuadet *Lud. Lavaterus de spectris part. 3. c. 10.* Plura de hac materia, cujus scilicet sint census, suppeditabit nostri hujus *Scrutinii cap. 4. sect. 1.*

Divitias procurantia.

TRadimus jam modum ditescendi, non credulitate adeò, quàm commiseratione erga doctores hujusmodi

modi periaptorum ducti, quibus tamen communiter est res angusta domi, & æquè quidem, ac iis est ficulnea vita, vel sanitas, qui longævitatem suis panaceis crepant ac pollicentur aliis, de quo *nostra dissertatio de panaceis* plura inposterum continebit. De lapide Lazuli autem, quod gestantes divites, blandos atque fortunatos reddat, credat & colligat, qui vult, ex *Weckeri antidotario special. l. 1. s. 3.* atque ex *Renodæi de mat. med. l. 2. s. 2. c. 8.* uti & *Mylii basilic. chym. l. 4. c. 14.* In *Miscellan. nat. cur. Dec. 2. Ann. 6. obs. 3. p. 5.* mentio fit Comchitæ-Aëtitoidis, quem vetula quædam reputavit Draconis volantis lapidem Alfftstein; hunc domui, in qua præsens sit, certò de divitiis, & puerulis de quiete, si nimirum in cunis eorũ capitibus supponatur, prospicere asseveravit anicula. Sic de usu illicito & impio mandragoræ, quæ dicitur gestata hominum amorem ac divitias contrahere, videantur non nulla ventilata apud ingeniosum *Harsdorfferum* im Schau-Platz jämmerlicher Mord-Geschichte *num. 45. p. 150.* & in *Casp. Reies campo Elys. quæst. 44. §. 14.* Plura de dicta radice alius locus *nostri Scrutinii* tradet. De modo congerendi opes non magico vid. *Wierus de præstig. Dæmon. l. 3. c. 16. §. 7. 8.* De veneficarum divitiis, quas vario modô ipsis Dæmon fraudulentus pollicetur, legi meretur *Mich. Freudius* Gewissens-Fragen von der Zauberey *qu. 149. p. 324.*

Dolores sedantia.

DEinde quinquefolium collectum, dum augescit Luna, oriente sole, si quis circa carpum gestet, nullo dolore afficietur, si fidem meretur *in nothis Dioscorides p. 477.* Sic humeros hienæ in superiori corporis parte gestatos profligare dolores humerorum & musculorum, istaq; innotescere iterum ex *Dioscoride*, meminit *Alex. Venturinus medic. ab animal. desumpta. Idem ibidem* etiam consignat autoritate *Plinii*, quod talus leporis portatus expugnet & expungat omnes dolores in corpore præsentes. Hujusmodi alia, præter recensita, con-

contra podagram laudata atque usitata, sistit quæpiam *Bartholinus de lap. nephrit. c. 9. p. 22. §. 50.* Vestes variis partibus aptas è pellibus talpæ confectas ac gestatas tum in podagra, tùm in aliis doloribus peculiariter commendat *Casp. Jugelius* von Maulwurffs-Fange *c. 8.* Interea hæc nos non latent, quod in variis doloribus, experientiâ docente, commendentur animalia tùm viva, tùm mortua, ipsorumque exuviæ vel pelles partibus variis impositæ; Imò animalia sæpe in se dolores derivasse, atque sic liberasse affectas partes à tristi sua sensatione, fidem illius afferunt autores, & ii præcipuè, quorum favor & studium circa morborum transplantationem occupatur. De quibus omnibus, uti non est dubium, ita arbitror tamen, minùs absolutum esse illud paulò ante prolatum medendi genus, omnique exceptione majus, quô transplantatio indubitanter demonstrari possit: Novimus quippe, quod propter contagium animalia viva uno in lecto concumbentia cum epileptico, paralytico, podagrico, arthritico, aliove morbo dolorifico affecto, idem illud malum contrahere possint; verùm utrum semper ideò liberentur homines à suo malo, id difficulter mihi persuadeo. Interim casu vel calore tandem animalium, æque ac alio fotu, minui potest dolor. De calore animalium efficaci alioquin in morbis, quibus dolor conjunctus est, videatur *Grubius de transplantatione morborum p. 37. & 38.* Sed de isthac materia adferemus forsitan plura suo tempore, ubi nobis licebit *de contagio* aliquando quædam tradere, uti quidem hoc animo insidet. Cautelæ loco non possum hac occasione prætermittere intactum illud ab *Olao Borrichio* observatum de quoquiam, qui arthritidem vel dolorem brachiorum contraxit, quia marmoreæ mensæ illa incubuerunt; hinc cubicula Asarotis Glandicis, aliisve marmoreis rebus instructa disvadet sanitatis conservandæ ergo, de quibus loquuntur *Acta Medic. & Philos. Danica anni 1684. etc. Volum. 4. obs. 65. p. 169.* Arbitrarer autem frigus marmoris præcipuâ culpâ in dicto excitato malo laborasse; si tamen peculiarem vim dolorificam frequentior experientia in illo

lapide indicaret, non temnenda cautela magnatibus hinc exsurgeret, utpote qui ejusmodi mensis subinde delectantur. Cœterùm de periaptis Podagræ, Arthritidi, aliisque dolorificis malis oppositis, alia peculiaria loca *nostri scrutinii* agunt.

Dysenteriæ reluctantia.

DEvenimus nunc ad Dysenteriæ periapta, quemadmodum Acori aquatici lutei radix in Majo effossa & collecta, nec non appensa regioni ventriculi, vim insignem largiri dicitur pro morbo illo propulsando, de quo sequentium autorum suffragia conspirant, videlicet *Crollii de signat. p. 49. Staricii* im Helden-Schatz *l. 6. p. 515. Schroderi pharm. med. chym. l. 4. p. 8. Martini* Schmucks *Occult. Mag magn. morb. curat. p. 26. Joh. Dan. Mylii Antidotar. med. chym. l. 1. c. 6. p. 73. Maccasii promptuario Medico à Nestero edito p. 780. Joh. Phar Rhumelii medic. Spagyr. p. 419.* & idem *medic. milit. dogmat. Hermet. mag. c. 17.* Porrò quod profluvium hoc spatiô viginti quatuor horarum compescatur, si plantis pedum anserina vel potentilla applicetur, expertus testatur *Borellus c. 1. obs. 13.* Non abnuunt in hoc *Bartholinus de lapide nephrit. c. 8. p. 22. Joh. Phar. Rhumeleus l. a. c. 5.* qui addit, quod justô tempore planta illa collecta esse debeat. Evolvatur etiam *Jerem. Martius. obs. med. 34. p. 20.* Cui loco adddantur etiam *notæ à Velschio annexæ ibidem p. 21.* De eodem videre quoque licet *Maccasium Promptuario allegato p. 708.* Atque illic simul herba hæc anitergii loco adhibita commendatur. De eodem dicto, ac hederæ terrestris simili usu, & quod post illum plantæ dictæ in fumario suspensæ probè à fumo aliquandiu tangi debeant, videatur *Lud.* von Hornig *de postarum jure.* Pro simili quoque usu apud citatum *Maccasium l. a.* lagopus herba, & persicaria pulsibus applicata, nec non ossi sacro & umbilico imposita laudatur, Item si tithymali parelii duo aut tres surculi in calceamentis ponantur, & sic æger deambulet. Contrarium verò esulæ effectum inferius dabimus

mus ex *Brunfelsio*. Præterea os hominis contra diarrhœam gestandum esse, suadet ex *Mizaldo Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib- und Wund-Arzney-Buche *part. 1. p. 200.* De annulo quopiam lapideo, mustellini coloris à natura ita formato, quod in dysenteria pro certo remedio habeatur, illeq; asservetur in techno-mato-phylacio & Gazophylacio Pragensi, testimonium reperies apud *Casp. Theoph. Bierlingium adversar. curios. med cent. 1. obs. 100. p. 251.* Sic de Smaragdo, quod pariter cohibeat Dysenteriam, colligimus ex *Sennerti paralipom. p. 130* Effert quoque illius vires, experientiâ suâ nixus, *Avenzoar*, qui tamen ventri imposuit istum Aliorum testimonia de eodem videantur in *Schroders Pharmacop. l. 3. p. p. 331.* quibus tandem appone *Bartholinum l. c. cap. 10. p. 26.* Demum de annulo, cui selenites inclusus fuit, teste *Fernelio* (*de abdit. rer. caus. l. 2. c. 17. p. 526.*) innotescit, & quidem quod tertio digito inditus, (minori, quàm equinoctialis horæ curriculo,) dysenterica alvi profluvia cohibuerit.

Ebrietatem præcaventia vel dissipantia.

ARcana quoque jam depromemus bibacibus, si verum est, inservientia: in vulgus verò notum est, quod Amethystus gestatus contra ebrietatem faciat, atque hanc efficaciam quidã coloris parilitati, quæ inter hunc & vinum intercedit, adscribunt. Quid si verò ex aliter colorato vino vel potu alio inebriante emergat crapula, utrum huic etiam discutiendæ par sit gemma illa, ignoro. Vario colore verò præditum etiam esse Amethystum innuunt autores de gemmis agentes; eligant itaque, qui in hac gemma confidentiam ponunt, vel experientiã facere volunt, similiter coloratam illam, ac potus vel vinum inebrians apparet. *Aristoteles* vires illius explicat eô, quod trahat ad se vini vaporem, discutiat insimul, ac proinde ebrietatem demat. O! bellum tricongiorum & asotorum remedium, modò non fallat malè sobrios. De illa verò Amethysti vi dicta testimonia plura reperies apud *Rattray l. c. p. 21.*

Bartho-

Bartholinum de lap. nephrit. c. 10. p. 24. §. 6. Mizaldum cent. 3. Aph. 36. Bartholom. Anglic. lib. 16. c. 10. Bootium de gemmis l. 2. c. 34. Baptist. Portam mag. nat. l. 4. c. 22. Maccasium promptuar. mat. med. à Neslero edito p. 594. & allegatos apud *Andr. Tiraquellum de nobilit. c. 31. fol. 145.* ac de ſchola atque Eccleſ. Chriſti optimè meritum *Georg. Cranſerum phosphoro part. 1. p. 1040.* Sed abſona hæc eſt ſententia atque diſplicet *Exc. Paulo Ammanno de materia med. p. 25.* Non aſſentitur pariter obviis his traditionibus de gemmis Amethyſti *Plinius l. 37. c. 9.* inquit enim: magorum vanitas reſiſtere ebrietati eas promittit & inde appellatas: *Joan. Laet. de gemmis & lapid. l. 1. c. 6.* in locum illum *Plinii* ita commentatur: Putatur hæc gemma geſtata ebrietatem prohibere, quod ut magicam vanitatem ridet *Plinius.* Addunt recenſitis iis etiam alias virtutes autores recentiores: quæ omnia cùm teſte *Pliniô*, non ſine contemtu & irriſu generis humani, à magis prodita videantur, mirum eſt quodà Chriſtianis toties ſint repoſita. Porrò *Laur. Ioubertus Iſagog. therapeut. tr. de cephalal p. m. 149.* de laudatis Amethyſti viribus à *Plinio* collectis agens, tandem ſubnectit: hæc ex *Galeno* quoque deſumta *περίαπτα* (hoc eſt circumappenſa & geſtata, quæ Latini Amuleta vocant) prorſus negligi non debent, quæ ſaltem medicam rationem habent. Ejusmodi ſunt coronæ ex ramulis polygoni, aut cichorii, aut adianthi, floribus roſarum & ſimilibus capiti appoſitæ. De his plura elegantiſſimè ſcribit *Plutarchus in ſympoſ.* Præterea chamepitin, braſſicam & folia perſici non permittere, ut homines inebrientur, colligere licet ex *Rattray l. c. p. 21.* De aliis hujusmodi & coronis ex hedera, ſimilibusque rebus paratis plura invenies in *Pontani Bellar. Atticis l. 1. ſyntagm. 4. ℱ. 148. p. 170.* Myrti, hederæ, ac roſæ illum uſum & efficaciam contra ebrietatem etiam dilucidat *Sim. Paulli comment. de abuſu Tabaci & herbæ Theæ p. 25. &c.* Obiter his inſero id, quod de roſis annotat *Thadd. Hagecius de cerevíſia c. 12. p. 45.* videlicet quod cerevíſia triticea facilè corrumpatur & aceſcat, ſi quoquô modô roſæ ad eandem propius admoveantur vel apportentur. De ſertis autem ſeu coronis ex variis ejusmodi vegeta-

getabilibus contra ebrietatem adhibitis agit etiam *Francisc. Scachius de potu salubri c. 20. p. 217. &c.* De apii & myrti corona similem effectum comparante videsis *Plinium l. 15.* Coronas autem ex ejusmodi herbis & floribus connexas, & capiti, collo, vel brachiis aptandas, pro ebrietate aut capitis dolore prohibendo convivis datas esse, docet *Joh. Bapt. Casalius de profan. & sacr. veteribus ritibus part. 2. c. 25. p. 135. Justus Lipsius Antiqu. Lection. l. 3. c. 1. p. 119. etf. Cæl. Rhodiginus Lect. Antiq. l. 27. c. 26. p. 1530. &c. Alex. ab Alexandro Genial. dier. lib. 5. c. 21. p. m. 288. & 291.* atque in hunc locum *Tiraquelli* notæ, aliique scriptores de conviviis agentes. *Henr. Salmuthius l. a. p. 252. &c.* inter alia de dictis rebus ebrietati resistentibus agens statuit, quod veteres in maximis capitis doloribus nullum magis præsentaneum remedium experti sint, quàm si arctis vinculis tempora ligarint. Pergit autem autor *l. c.* in hunc modum: Ligamina verò illa primò ex rudi & vili materia fuere confecta, utpote linô, lanâve, non tincta, coloria à *Festo* appellata: quorum utilitas cotidiè major apparens, stimulavit homines, ut quod commoditatis, dicam etiam necessitatis, causa excogitarant, ei etiam ornatum adderent, coronas inveniendo: postea verò & jucunditatem aliquam vellent annexam. Sic evenit, ut repudiatis laneis, lineisque involucris, coronas ex hedera, myrto, rosis, meliloto, aliisque fragrantibus herbis texere aggressi sint, quæ & odore coloreque sensus oblectarent, ac simul vi refrigeratoriâ incendium vini & ciborum levarent. Hactenus autor citatus. Nolo prolixius hanc materiam jam prosequi, utrum ligatio capitis hederâ instituta conferat magis, quàm nuda illius & aliarum plantarum applicatio; non ignota autem aliàs est in dolore capitis hujus ligatio. Sed restant adhuc quæpiam de hedera prioribus addenda; cùm usum quoque ipsius comendatum pro fine illo legamus apud *Bartholinum l. c. c. 9. p. 20.* De encomiis iisdem hæderæ, quod variô modo resistat ebrietati, si scilicet corollæ ex ista paratæ, vel frondes capiti admoveantur, aut vinum ex ejusdem ligno factis poculis hauriatur, agit

itidem *Henr. Salmuthus.* Effectus hic vero illic deducitur ex frigiditate hederæ, quæ singulariter ebrietatis causam discutere dicitur. Indicatur etiam ibidem, quod poculum ejusmodi prodat vinum lymphatum infusũ, dum melior vini pars per poros poculi resudet ac effluat; aqua verò vel crassior illius pars in poculo remaneat. Plura de antipathia inter hederam, vitem & vinum tradunt autores, qui de antipathia agunt; Paucula de eodem etiam prostant in *Wobers* Unterredungs-Kunst *part. 2. p. 599.* Miram illam inter hederam atque vinum intercedentem discordiam docet etiam *Baricellus hort. genial. p. 288.* Adeò magnam quoque hederæ tribuunt in ebrietate compescenda potestatem, ut circa *Pythagoræ* curam, (qui sonô vel musicâ ebrietatem sustulisse dicitur) suspicetur *Porta in mag. nat. l. 20. c. 7. p. 660.* quod hederaceô vel amygdalinô lignô vel instrumento præcipuè verò sylvestri, id effectũ fuerit datũ. Si verò musicæ dictus ille effectus tribuendus esset, eò magis descenderem in hanc sententiam, si jungeretur illi saltatio aliquandiu continuata, ob rationem non obscuram, sc. motum dissipantẽ ebrietatis materiã; unde non adeò ligno, quàm postremo huic adminiculo debetur effect9. De gummi Lakeka in Orientalis Indiæ regione Martavã enato, si monilis vice illud in brachio gestetur filo transfixum, ita ut carnem tangat, quod nativâ quadam & occultâ proprietate temulentiam arceat, & quod ii populi minùs à vinô ex dactylis confecto, etiamsi largiter potato, concutiantur ebrietate, testatur *Zacutus Lusitanus prax. admirand. lib. 3. obs. 127. p. 135.*

Epilepsiæ præsidia spondentia.

SEquuntur jam, quæ Herculeo morbo comuniter opponuntur, hæc si non omnia Tyranno isti morborum clavam tremendam excutere possunt, non eâ intentione illa etiã à nobis hoc in loco tanquã infallibilia significari, præmonemus. Sunt verò, qui verbasci nigri radicem gestatam Comitialibus prodesse

desse rentur, præsertim illius herbæ, quæ nondum flores fecit, & quæ collecta fuit, sole Virginis dodecatimorion, lunâ verò arietis peragrante, quod tamen superstitione non caret; de hoc vid. *Dodonæus in stirp. hist. pemptad. 1. l. 5. c. 27.* Si radix solani in linteo collo alligetur, aut batrachion, sive ranunculus cervici lunatici vel Epileptici ex filo rubro affigatur lunâ decrescente, in prima parte tauri vel scorpionis, maximum ac insperatum inde redundare levamen *Mizaldus* affirmat, aut repentè lunaticum sanari *Bald. Ronsseus* propalat. Nuchæ alligandam esse hanc herbam, annotat *Mich. Bapst* in wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part. 1. pag. 191.* Quo in loco etiam ex *Galberto, Rostergo & Lemnio* proficuam declarat radicem Pyrethri collo infantum appensam. Idem autor illic *p. 195.* Participem etiam dictæ efficaciæ pronunciat Aristolochiæ radicem, viscum quernum, & ex mente Pythagoræ semen anisi. Pyrethrum brevi abhinc attactum, tanquam amuletum describit his verbis *Æmil. Macer.*

Suspensum collo pueris prodesse caducis
Dicitur, & solo succurrere fertur odore.

Dictam etiam radicem solani applicatam, & asini frontem in corio alligatam atque gestatam ab excellentissimis viris laudari, autor est *Manardus l. 13. epist. med. 6 p. 361.* Epilepticos insultus etiam amoliri creditur linteum ex nave confracta jam attritum inveteratumque, & quidē dextro brachio ad septem hebdomatas alligatum, juxta *Alexandr. Trallianum l. 1. c. 15. art. med.* qui alioquin in doctrina amuletorum non semper videtur omni exceptione major autor. Verba illa de atbrachio ex *Mizaldo* etiam descripta reperies *in Joh. Jac. Weckeri de secretis l. 5. c. 4. p. 138.* Dehinc ranam parvam viridem & juglandem arborem, magneticâ vi, & planetis id approbantibus, ex divina revelatione amuleti loco adhibitam Epilepsiam sustulisse meminit *Aug. Etzlerus Isagoge phys. mag. med. cap. 6. p. 132.* Præterea radicem Ostrutii, Imperatoriæ vel magistrantiæ, & quidem recenter dissectæ ac pollicibus manuum atque pedum alligatam

viribus magnis pollere contra Epilepsiam, patet ex *Miscellan. nat. curios. Dec. 1. Anno 4. & 5. obs. 42. p. 38.* Caput cuculi etiam collo suspensum, aut circa caput detentum, obstare epilepsiæ ex *Arculano* notum fuisse legimus. Sic carbonem sub artemisia repertum, & quidem sacro Joh. Baptistæ die effossum, suspensumque de collo ad epilepsiam avertendam laudari, colliges ex *Schroderi pharmac. med. chym. l. 4. p. 21.* sed superstitiosum hoc esse periapton propter collectionis modum vel tempus injunctum, rectè pronunciant *Casp. Hoffmannus de med. officin. l. 2. c. 22. p. 109. Tragus Herbario l. 1. c. 113. & Jac. Pancratius Bruno dogm. med. p. 742.* & alii plures. De aliis quibusdam circa carbonem hunc annotatis, & quod solùm ab infantibus & virginibus integris ille reperiatur, vid. *Mich. Bapst* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney Buche *part. 1. p. 203.* De carbonibus iisdem varia item collegit Exc. *Christ. Helvigius consil. med. de peste p. 139. & seqq.* Verùm vereor ne ii carbonem pro thesauro inveniant, qui in eodem sanitatis præservationis, vel curationis variorum morborum magnum thesaurum quærunt. Inter hujusmodi periammata non postremum locum etiam tenet Chelidonius Ruffus in corio vitulino gestatus ad mentem *Grembsii in arb. integr. & ruinos. l. 1. c. 7. §. 3. 21.* Lapidem rubrum etiam ex ventriculo hirundinum extractum ac portatum in hoc morbo utilem pronunciat ex *Lapidario Alexander Venturinus medicin. ab animalibus desumta. Idem autor ibidem* subdit ex *Mich. Mercato*, quod lapis chelidonius in hirundinum nidis repertus, linteoque involutus & sub axilla sinistra absconditus etiam lunaticis subsidio sit. Indulgere adhuc aliquantisper huic amuleto considerando tenemur, cùm autorum sententiæ non parum varient de lapidum horum ortu, vel loco ubi reperiantur, vel modò etiam, quo isti corpori applicari debeant; quemadmodum etiam de hirundinibus peculiaria monita inculcant autores. *Joh. Bapt. Porta in Magia natural. l. 4. c. 20. p. 180.* alligandos esse vult lapillos ex primogenitorum pullorum hirundinum ventre desum-

desumptos, illosque duos esse meminit, alterum album, alterum verò variô colore notatum; eligit insimul hirundines, quæ terram nondum attigerunt; & isti quidem lapides in corio juvencæ vel cervi junioris involuti vel consuti juxta dicti autoris sententiam, affigi debent. Iisdem ferè verbis comunicat dictum illud pentaculum *Mizaldus* sibique ab Italo pro experto communicatum esse indicat, de quo apud *Joh. Jac. Weckerum de secretis l. 5. c. 4. p. 139.* Ut verò in pelle cervi consuatur ac gestetur collo vel brachio sinistro chelidonius, placet *Agricolæ de cervo p. 236.* Similiter lapidem album vel rubrum in ventre pulli hirundinum inventum, & brachio alligatum physicè morbum hunc curare, excellentissimorum Medicorum suffragiô comprobat *Manardes lib. 13. Epist. 6. p. 361.* De lapillis istis, eorumque applicandi modo uti & de aliis gemmis in epilepsia usitatis conferatur quoque *Casp. Bartholinus de lapid. nephritic. c. 10 p. 24.* & *Sanctus Sanctorius de vitandis erroribus l. 8. c. 11. f. 160. &c.* Non omittendus nobis videtur hoc loco certis quibusdam circumstantiis lapillos istos ad amuletorum classem admittens *Shroderus pharmac. l. 5. p. 320.* Lapillus, ait, in pullorum non nullorum ventriculo, raro licet, invenitur, chelidonius dictus, grani lentis vel pisi magnitudine, hunc Epilepsiæ puerorum convenire volunt, brachio alligatum vel collo suspensum. Ferunt, pergit, crescente lunâ hunc potissimum inveniri, atque in pullo primogenito. In mense Augusto circa plenilunium lapidem hunc chelidonium exemptum vult atque alligatum brachio *Joh. Ionstonus syntagmate univers. medic. p. 74.* De variis itidem lapillis in hirundinum ventriculo & hepate repertis agit *Georg. Hieron. Velschius Hecatostea 1. obs. 55. p. 74.* Si posterius hoc pluries observatum fuit, videlicet quòd lapis ejusmodi in hepate fuerit repertus, citius illum pro genuino chelidonio reputarem, illique tribuerem effectus, si qui à chelidonio aliàs expectandi forent. Interim variæ conchiliorum particulæ & lapilli ab adultis hirundinibus cum muscis vel insectis degluti & collecti in littoribus aliisque in locis, non possunt non

N 3 postea

postea pullis pro pabulo ingesti conspici in illorum ventriculo perlustrato. Non alienum ab hac sententia, post illas meas speculationes, deprehendi *Th. Bartholinum cent. 2. Epist. 11. p. 438.* fabulari insimul varia de chelidoniorum virtutibus autores idem autor illic subdit. Præterea ex nido hirundinum ejusmodi lapillus petitus confestim existimatur recreare comitiales, qui allegatus etiam illos perpetuò tueri dicitur; potissimè si sanguini vel cordi hirundinum fuerit involutus, ceu ex Corn. Agrippa refert *Joh. Jac. Weckerus l. c. p. 141.* *Serenus* usum modumque applicandi lapidis dicti metro sequenti includit:

Aut lapis ex nido, vaga quem congessit hirundo,
Vellitur, & nexu fovet, attollitque jacentem.

De chelidonio differens *Velschius l. c.* facit mentionem opali vel pseudopali, quem quidam pro vero chelidonio habeant, unde potius pseudochelidonium vocant eum. Non omittenda hoc loco etiam censemus verba *Joh. Rudolphi Camerarii memorabil. medic. cent. 4. partic. 32. p. 233.* agit quippe dicto loco autor ex mente *Plateri* de chelidonio, quomodo non solùm contra epilepsiam, sed etiam alios morbos corpori applicandus sit, & quod non desumtus sit ex hirundinibus, sed potiùs genus marmoris existat, & sub terra reperiatur. Videtur idem pene *Frid. Hoffmannus clave Schroderi p. 695.* indigitare, dum occupatus est de lapidis dicti historia, ortu scilicet, descriptione, effectu, & applicandi modo: capiti verò vel auribus imponi quoque solere illum innuit autor adductus. Subnectit etiam ibidem autor discursum de lapillis ex Melitensi insula advectis, qui oculi serpentum petrificati reputantur à quibusdam, quia cum descriptis illis lapidibus conveniunt. Benè etiam de lapidis chelidonii nominibus variis, figura externa (& quos alios lapillos illius nomine autores nuncupent) agit *Ulyss. Aldrovandus ornithologia tom. 2. lib. 17. f. 303.* Cui placet, evolvat etiam *Ans. Boet. de Boot. gemmar. histor. lib. 2. c. 170. & 171. p. m. 344.* ubi de chelidonii varie colorati viribus variis, si di-

si diversis partibus ille appendatur, agit. Iunge sis de dictis pariter occupatum *Andr. Baccium cum notis Gabelchovers de gemm. natura c.32, p.174. &c.* De miris horum lapidum virtutibus, cui placet, adire & audire potest ex *Lemnio loquentem, Baricellum hort. genial p. 266. & 267. Sennertum prax. medic l. 1. p 632. Dioscoridem l. 2. c. 47. & allegatos apud Henr. Kippingium institut. Phys. lib. 6. c. 4. p. 24*. nec non alios quosdam consignatos apud *Exc. Georg. Francum disput. medic. de lapicidina microcosmi §. 10.* uti & allegatos de eodem, & vario illo hirundinum lapide, apud *Mich. Bapstium* im wunderb. Leib und Wund-Artzney-Buche *part. 1. p. 188. &c.* Verùm *Francisc. Redi* (*experiment. naturalib. p. 117.*) videtur parum fidei tribuere, uti aliis aliàs, ita etiam his commendatis amuletis vel lapillis chelidoniæ, qui secundum *Dioscoridem & Apollonium* (apud *Alexandrum Trallianum*,) & secundum ea, quæ *autor libri de incantatione Galeno tributi* refert, in ventriculis pullorum hirundinum inveniuntur. Juxta lapidem illum dictum chelidonium etiam hirundo Epilepsiæ occultâ vi resistere statuitur, de quo *Camerarius syllog. memorabil. cent. 7. part. 72.* Succurere quoque Epilepsiæ cineres hirundinum, Pæoniam marem, viscum quernum, ungulam alces, & jecur capræ; idque non manifestis, sed occultis proprietatibus fieri vult *Stegghius lib. 7. pract. medic. cap. 3.*

Elocuti sumus in verbis his adductis etiã alia pentacula nõ minus celebria atq; frequentia, pro morbo comitiali domando: nimirũ pæoniæ radicem, quæ vel sola, vel cum granis aut seminibus illius, extrinsecus collo suspendùntur pro affectu illo arcendo, velut enarrat *Schroderus pharm. l. 4. p. 127. & 128* Idem pronuntiant collecti autores apud *Job. Schenkium observat. l. 1. p. m 118. Michaël. Doringium de Medic. & Medicina p 107 Gregor. Horstium operum tom. 3. p. 276.* Accedunt his etiam *Ang. Erzlerus introduct. physic. mag. medic. cap. 7. p. 157. Joh. Quercetanus operibus à Schrodero editis tom. 3. p. 124. 195 &c. Joh. Bapt. Porta mag. natur. l. 4. c. 20. & Th. Bartholinus histor. anat. 69. cent. 4.* qui autor de radicis ac seminis usu junctim agit. Radicem autem cum semine concisam & bombace interjectâ, syndone cooperit, inter

suit

fuit,& cum rubro filo serico ad os vētriculi suspendit, insimulque dilaudat jaspidem, chrysolithum, smaragdum, lapillos hirundinum, asini frontem & caput cuculi *Trallianus l.1.c.15.* Quòd verò semen vel grana pæoniæ concernit, *Cnoffelius* colligenda esse vult in plenilunio, quæ à Polonis mulierculis de collo,& circa manus suspendi ait pro avertenda epilepsia. Esse etiam quosdam dicit, qui loco illorum sibi pisum Americanum coccineum eligant; de quibus dictis mentio fit in *Miscell. natur. curios. Dec.1. ann.6. & 7. p.63* Si placet de pæoniæ semine & floribus, unde scilicet specificam istiusmodi vim subsumat, videatur *Rolfincius Epitome curand. corp. affect. l.1. part.1. c.16. p.64.* Radicem pæoniæ verò solam innumeros pene reperies declarare appropriatum pentaculum in lunatico morbo; Imò omni exceptione majus ac verius existit hoc apotropæum & satis priscum; cùm plurimi autores prisci doctrinam amuletorum defendentes radicem illam exempli loco sistant vel constituant. Restim ducit inter illos, qui commendant hanc, *Galenus l.6. de simpl. medic. facult.* Hujus vestigia legunt Piso, *Montagnana, Hieron. Tragus, Altimarus, Brassavola, Langius, Mizaldus, Rondeletius, Sylvius, Petr. Hispanus, Crato, Aëtius tetr. 2. serm. 2. c.17. Quercetanus tetr. cap.18. p.239. & cap.13. p.157. & 158. Schenckius obs. libr.1. p.118. Mich. Bapstius* im wunderb. Leib = und Wund = Artzney = Buche *part.1. p.173. Thom. Willisius pathol. cerebri p.m.31. Joh. Dan. Mylius Antidotar. medic. chymic. reformat. l.1. c.6. p.62.* Circa radicem illam eligendam verò diversas in sententias abeunt autores, proinde recensendis iisdem paulisper adhuc immorabimur, ne fortè necessarium quid omisisse cuipiam videamur, atque ideo accusemur. Apud *Andr. Laurentium operibus therapevt. tr. de strumarum sanatione l.1. c.5. f.9.* legimus utriusque pæoniæ radicem collo appensam credi sanare epilepsiam. Plurimi verò autores masculam radicem inprimis eligendam esse svadent; veluti etiam monēt quidam ex paulò ante allegatis, & *Fernelius l.2. c.17. p.526. de abdit. rerum causis*; Idem hoc sentit *Herm. Grubius de transplantat morb. p.74.* qui autor simul dotem decantatam radicis à sulphure ipsius pro-

proprio arbitratur oriri. Similiter propter effluvia sua epilepsiæ mederi radicem pæoniæ collo appensam, æquè ac sambuci ramulum, dentem apri, oculum lupæ, ætiten & alia, informat nos *Thom. Bartholinus Epistol. de transplantatione morborum p. 5.* Pæoniæ quoque maris radicem & anagallidem rubro flore præditam contra epilepsiæ minas commodè suspendi ex *Wiero* memorat *Joh. Jacobus Weckerus l. a. lib. 5. c. 4. p. 141.* Commendatam pariter radicem hanc comperimus apud *Hier. Montuum lib. 1. c. 8. halosees febr. Possidonium* item, *Manardum l. 13. Epist. med. 6. p. 361. Mich. Babstium* im wunderbarl. Leib- und Wundartzney Buche *part. 1. p. 92. &c. Forestum l. 10. obs. 59. Menabenum de alce cap. 7. Ieremiam Martium obs. medic. 59. p. 31. Joh. Tappium dissert. de sens. internor. function. læsis p. 254. §. 224. & p. 270. §. 147. & Gabr. Fontanum Medicin. Antihermetic. sect. 3. c. 4. p. 176.* qui ibidem simul pro amuletorum defensione, æque ac alii autores plures, dilaudat viscum quernum, ungulam alces & onagri. Masculam radicem itidem eligunt *Rulandus de morb. ungarico p. 685.* & magnus olim inter vivos, nec jam inter beatè defunctos minimus *Joh. Michaëlis collegio MS. ad Rolfincii chymiam,* Cæterùm, pro radice illa mascula seu alba, dictamni seu fraxinellæ radicem intelligendam esse arbitratur *Joh. Langius lib. 1. Epistol. 74. p. 449.* qui hanc radicem *Galenum, Thadeum* aliosque priscos medicos amuleti loco suasisse ait, & addit superstitiosam ac deliram colligendi rationem à magis injunctam. Cui non est dividiæ, plura de Pæonia mare & fœmina, quales scilicet plantæ illæ putentur esse, inquirere potest apud *Gesnerum de herbis lucentibus p. 55.* qui tractatus etiam adhæret *Bartholini de luce animalium.* Plura de radice eadem mare, quæ scilicet vera illa sit, jungantur prioribus ex *Jacob. August. Hunerwolffii anatom. pæoniæ c. 3. & 4.* Dehinc albæ Pæoniæ radicem certò tempore & circumstantiis colligendam esse vult *Jatrion Wirtenbergicum.* Nullum autem candidum florem, sive plenum sive simplicem, se videre ullibi potuisse *Camerarius dicit in horto,* veluti hoc allegat *Schenckius observat. l. 1. de epilepsia obs. 19. §. 118.* Verùm si non olim *Camerarius,* fortassis ho-

die citius album vel carneum florem in hortis cultis reperiret. Porrò radicem illam masculam effossam luna decrescente, in mense Julio, eligit *Hornius arca Mosis p. 158.* Prolixus est de modo colligendi *Sim. Bergerus tr. de Paonia.* Varia etiam de modo colligendi annotata offendes apud *Riverium observat. communicat. 7. p. 299. Zacutum Lusitanum l. 1. de medic. princip. histor. p. 38.* De tempore collectionis & operatione à Planeta præside concessa, repetatur allegatus locus *apud Etzlerum.* Solam itidem illam radicem de collo gestatam epilepsiam abigere, quæ inclinante lunâ in ariete existente effossa sit, docet cum *D. Desgrands prez, Joh. Hiskias Cardilucius officina sanitatis, seu commentario ad prax. chym. Hartmanni lib. 2. cap. 7. p. 114.* Sic *Joh. Jonstonus syntagm. univers. medic. p. 746.* præfert radicem illam majorem maris seu nigræ pæoniæ, lunâ in ariete existente vel in decremento lunæ, in Julio, die Dominicô, in ipsâ solis horâ, seu in meridie collectam, colloque & brachiis circumdatam. Paria ferè verba reperies apud *Hartmannum prax. chym. l. 2. c. 7.* Collectam autem ille vult hanc radicem sole existente in Leone. Non procul ab horum sententia recedit *Cnæffelius,* siquidem huic arridet, ut radix illa colligatur mense Aprili, Sole existente in Ariete & Luna in sagittario, mane ante Solis exortum, velut innuit ille in appendice affixa *Miscellaneis nat. curios. Dec. I. ann. 6. & 7. p. 62.* Alii colligunt eam sole (uti quadantenus indicavimus) vel Lunâ in signo Leonis commorante, quod tamen superstitiosum esse negotium, & magicam præ se ferre impressionem aliquam virtutis, judicat *Jac. Pancr. Bruno dogmat. med. p. 742.* Si fortè hæc nondum videntur exhaurire omnem præparandi modum, tempusque legitimum collectionis, supplebunt defectum hunc, quæ hanc in rem legenda prostant apud *Camerarium sylog. memorabil. cent. 7. partic. 93.* Autor ille etiam multa communicat de radicis hujus operandi ratione, à similitudine, vi siccandi, & experientia deducta *l. d. cent. 3. part. 30. & 33.* Quod vero hæc radix ob phœbeam vel solarem virtutem contra caducum morbum spiritus armet, vapore scilicet ad eos intus infusô, indicat *Mars. Ficinus de vita cœlit. compar. l. 3. c. 12. p. 219.*

De

De ejusdem radicis operandi ratione, & collectionis termino, plura colliges etiam ex *Jac. Augusl. Hunerwolffii Anatom. Paonia c. 4. & 8. p. 41.* Multa quoque non temnenda de collectione & utendi modo ventilata prostant apud *Bapt. Silvaticum histor. Medic. 14. p. 42. Reies camp. Elys. quaest. 23. §. 14. p. 256. Martinum* Schmuck *de occulta mag. magn. morb. curat. p. 8. Frid. Hoffmannum meth. med. p. 281. Sennertum de cons. & dissens. chym. p. 348.* & alios plures. Sed laudes hæ à tot autoribus deprædicatæ, non sufficiunt, ut omnium assensum promereantur; Siquidem antagonistas contra dictæ radicis effectus insurgentes sese sistunt *Primerosius de erroribus vulgi in medic. l. 4. c. 27. th. 10. & Erastus de occult. pharmac. proprietat. c. 33. p. 61.* quo in loco autor concludit radicem hanc vel perperam prodesse, vel non nisi corpore ritè evacuatô. Non multum ab hac sententia recedit *Henr. Smetius miscell. med. l. 2. c. 31.* De ejusdem radicis & aliorum remediorum epilepticorum efficacia in dubium pariter vocata, videri possunt etiam consignata in *Hornungi Cista medica Epist. 204. & 205.* Huic itidem radici & semini ipsius parum efficaciæ videtur impertiri *Franc. Sylvius operibus medic. p. 427. §. 129.* Hactenus, inquit, nihil grandis ab ipsis, sæpissimè à me in epilepsia usurpatis, vidi præstitum. Atque hæc verba forte de interno usu intelligenda sunt; quæ de externo non pronuntiasset! cùm nulla penè attingat amuleta in suis operibus, diffidens sine dubio illis, eorumque encomiis communiter deprædicatis. *Mercurialis l. 2. de affect. capit. c. 26.* eundem pene in sensum loquitur ita: infinitos vidi hoc morbô miserrimè correptos, quos pæonia nec collo suspensa, nec devorata, nec aliis medicamentis permixta juvare potuit. *Zacutus Lusit. l. 1. de medic. princip. histor. 38.* quærit etiam vel miratur, quod vis excellens hujus radicis apud veteres tantopere celebrata, tempestate nostra fuerit amissa? Potiori jure verò suspecta declaranda est scrupulosa collectio radicis hujus à quibusdam injuncta, de qua exhibet quædam *Casp. Hoffmannus de medic. officinal. l. 2. c. 167. p. 415.* Quo in loco concludit de dictis suum discursum his: Diabolus, ait,

in multis aut juvat naturam, aut impedit. Attingit quoq; autorum disceptationem de dubia vel suspecta quandoque efficacia radicis, mirificè ab aliis dilaudatæ. *Pauli quadripartito Botanic. class. 2. p. 106.* Admittit tamen *ibidem autor p. 107.* quod effectus dictus à radice illa sperari possit; quemadmodum etiam armillas ex granis pæoniæ perforatis factas in epilepsia periodica usitatas esse illic pronunciat. Verum oppositam partem tenent ac tuentur alii, pristinum æstimium atque vires illi radici restituentes, idque fide suâ & experientiâ singulari corroborantes: inter quos audiendus est *Fuchsius instit. botanicis.* Addictum quoque huic sententiæ deprehendimus *Schenckium lib. 1. de epilepsia obs. 19. p. 118.* Constat, inquit, *Montanum, Puteanum, Matthiolum, Erastum,* & alios nonnullos, (qui nobilem hanc vim in tam difficili morbo pæoniæ derogant) fœminâ verius, non mare, aut si mare, saltem extra nativum suum solum cœlum transplantatâ, vel etiam illegitimo tempore, citra certam syderum observationem collectâ, usos; quam nonnulli Sole leonem occupante, die & hora solaribus, decrescente etiam Lunâ eruendam præcipiunt. Non igitur mirum, si speratis effectibus non subinde responderit, hactenus *Schenckius*; eodem loco etiam aliorum verba allegantur; qui radicis illius vires indubitatas defendere conantur. Prolixè itidem, contra *Mercurialem* aliosque, radicis hujus encomium defendit *Joannes Gallego de la Serna operibus phys. medic. Ethicis tr. 3. c. 28. p. 314. &c.* Ventilat idem autor citatus etiam quæstionem, utrum amuletorum usus sit conveniens curationi epilepsiæ *l. a. cap. 25. p. 306. &c.* Varia præterea fundamenta, pro albæ vel masculæ pæoniæ semine ac radicibus usu probatis, in morbo comitiali militantia, collegit *Rudolph. Goclenius de peste p. 80. 81. &c.* Reperiuntur quoque testimonia quædam autorum à parte postremorum patronorum stantia in *Jac. Augustin. Hunerwolffii Anat. pæoniæ c. 8. p. 38. &c.* Hæc de simplici radice & semine pæoniæ dicta sunto; alii compositis etiam delectantur pentaculis in morbo sontico, inter quæ pæoniæ illa radix, tanquam præcipuum ingrediens recipi solet:

lett. Paucas has formulas allegasse sufficiat, quæ reperiuntur apud mox memorandos autores; & quidem primò prostat hæc apud *Joh. Jonstonum Syntagm. Univ. Medic. p. 746.* Rec: rad. morf. diab. & pæon. an. drachmas sex, Gran. pœon. drachmas duas ac dimidiam, conquassata ista redigantur in nodulum collo injiciendum. Idem l. c. etiam epileptico, in sacculo, appendi solere dicit semina cerasi racemosi, quæ quibusdam Palus dicantur. Sequens formula prostat apud *Willisium de morb. convulsiv. c. 3. p. 49.* Rec: Rad. & sem. pæon. ana drachmas duas, ungulæ alces, cranii humani præp. an. drachmam unam, visci querni drachm. dimidiam; hæc in pulverem contusa insuantur in sericum rubrum, & sacculus inde factus collo suspendatur. Sequentis compositi medicamenti autorem scias *Schmitzium compend. medic. pract. p. 66.* v. g. Rec: rad. pæon. unciam semis, seminis pæoniæ drachmam unam ac semissem, item rad. bryoniæ. Adductis illis penè respondet formula hæc *Cnæffelii*: Rec: rad. pæoniæ constellatæ, visci quercini, suô tempore collecti, granorum pæoniæ certô tempore collectorum, ungulæ alcis veræ, cranii humani raspati (triquetri) coralliorum rubrorum, ana uncias duas, lap. Smaragdi drachmas sex, vitrioli cypr. succini pulveris. ana unciam unam. Omnia priùs separatim pulverisata commisceantur in mortario terreo vitreato, & cum gummi cerasorum nigrorum in aqua pæoniæ seu liquore arboris tiliæ dissoluti q. s. fiat massa tenax, ex qua postea formentur duo poma, manibus tenenda, ante accessum paroxysmi. Ex hac massa fiunt & amuleta, in forma cordis, item globuli, seu corallia variis formis, quæ collo appensa, & circa manus alligata præsidium sunt optimum ad præservationem ab epilepsia. Atque hæc verba innotescunt ex *Miscellan. Acad. nat. curios. dec. 1.* & quidem ex *appendice addita ad annum 6. & 7. p. 62. &c.* Alia similia composita, inque coralliorum formam redigenda, prostant quoque *l. c. p. 66. &c.* Denique etiam hoc compositum periaptum legitur apud *Petr. Forestum l. 10. obs. 60. p. m. 391.* Rec: macropiperis, crinis nigerrimi canis an. ℥ß utrius-

que coralli, feminis finapi albi ℈ß. femin. pæoniæ & radic: ejusdemque ana ʒß. fiat pulv. crasſô modô contuſus, & ſacculo lineo imponatur, & filo appenſo collo alligetur, ut ſub camiſia furculam ſtomachi contingat.

Non minus celebrè à medicis quibusdàm æſtimatum periapton jam nobis ſe offert, quod conſiſtit in ramo ſambuci, naſcentis in ſalice antiqua, teſtantibus id *Hartmannô prax. chym. l. 1. c. 10. §. 12. & 13.* (circumſtantiæ ibidem injunctæ cujus ſint æſtimii, judicent alii) *Thom. Williſio pathol. cerebri p. m. 31. Sennerto l. 1. prax. med. part. 2. cap. 31. p. 632. Jonſtono l. c. p. 744. Gabelchovero cent. 4. cur. 60. p. 130. Sachſio Gammarologia p. 660. Martino* Schmuck *de occult mag. magn. morbor. curat. p. 9.* De colligendi & applicandi ratione junge etiam his *Th. Bartholinum cent. 4. hiſtor. 69.* ubi autor ſingulariter hoc amuletum experientiâ iteratâ confirmatum approbat; mihi verò non omnia iſta ad palatum ſunt. Adde paulò ante dictis locis *Acta. med. Phil. Danica vol. 5. obſ. 18. p. 74.* Præterea de hoc periammate, non occulta planè ratione operante atque utili, & cruce è ſambuco & ſalice ſeſe mutuò amplexante, itidem loco amuleti alliganda, agit etiam *Henricus Petraeus noſolog. harmon. tom. 1. diſſert. 6. §. 54. p. 113.* Quo in loco autor unà plurimorum amoliminum in epilepſia uſitatorum mentionem facit, licet nomen hoc non expreſſe iis impertiat. Cùm etiam ſequentia non ubivis proſtent, ea ſubjicere nobis his adductis lubet, ſi fortè conferre quid valeant ad meliorem indagationem & certitudinem amuleti modò recenſiti. Jubent verò autores recipi modò ramulos, modò etiam radicem ſambuci in hoc morbo. De mente autem *Hartmanni* & *Petræi*, quod olim hi communicarint mox tradenda, ex MS quopiam collecta, invidere nolo curioſo lectori, quæ tamen mihi non omnimodè placent. Nimirum ex virgultis ſambuci ſupra ſalicem progerminantis à die 15. Auguſti ad 18. Semptembris unica, ante novilunii ingruentiam, die, intra 11. aut 12. pomeridianam ſambuci, ſalici inſidentis, radix chalybeatô aut ferreô inſtrumento inveſtigetur, dehinc in illa parte, ubi extremitas radicis

cis sambuci residet, salix transfodiatur, ut extremitas radicis perforatum salicis locum transire possit; statim atque verò eadem inferius emicat, indatur annulo aureo, (qui usitatum aliàs est instrumentum superstitionis) arrhabonis loco in festivitatibus nuptiarum acquisito, annulumque pertranet, quô factô radix in aliquod partes divelli poterit, atque ad usus reservari. Tempore paroxysmi associetur collo epileptici, ut orificium ventriculi attingat. Dicitur autem epilepticos indubitato amoliri insultus, ni aliàs morbus sit fatalis. Nonnulli intra 15. Augusti & 8. Septembris, die veneris ante exortum solis eruunt, & quidem non radices, sed ramulos, præsertim ea parte, quà fratrisant, sive bina coaluere ramuli, aut ubi frutex sambuci virgultum profundit; aut etiam ubi virgulta sambuci & salicis sese mutuo circumeunt amplexu, ad usum disponunt & adaptant. *Clarissimus Hoffmannus* cum *Petræo*, mense Octobri, paulò ante plenilunium colligi volunt: ejusque amuleti rationem non planè occultam dijudicant; cùm sambucus & grana ejus huic morbo prosint; aliis inde derivare effectum allubescit, videlicet quod passeres ad epilepsiam aliàs proclives salicibus plerumque incumbant, ac ubi mutuis confligunt rostris, epilepsia correpti stercus excernant, unde postea sambucus illa eò lætiori scaturiat propagine. Hactenus adducta ex manuscripto quopiam transscribere huc volui. Radicem illius sambuci. & quidem mense Octobri, paulò ante plenilunium collectam, qui laudent, & qui sambucum ex passeris epileptici cadavere crescere autument, congessit *Camerarius memorab. med. cent. 16. partic. 45. p. m. 1321.* Nemo tamen satis certus forte est de passere omnis istiusmodi sambuci, dictum in modum, propagatore; ex stercore equidem passeris aliusve avis æquè deglutitum semen sambuci, ac aliarum plantarum vel fructuum similes plantæ possunt in arboribus vel mœnibus propagari, aut illuc deportari; quemadmodum fusius de hoc in *querceto nostro*, ubi de visco à turdo sibi ipsi malum cacante, vel propagante, & *dissertatione de Zizania vel sponte provenientibus plantis* acturi sumus. Modum verò quendam colligendi

gendi inque usum convertendi hujus præbii ex sambuco petiti describit etiam *Finckius Enchiridio dogmat. Hermet. c. 5. p. 30.* Sed numerus qui ibidem præcipitur circa illud observandus, suspectum quadantenus nobis reddit istud, reliquus verò usus suâ gaudeat libertate & privilegiis. *Everh. Gockelius consil. med. p. 135.* tria frustula illius sambuci collo appendenda esse vult. Alii æqualem, si non majorem efficaciam tribuunt sambuco, quæ in tiliis crescit, de quo *Martinus Blochwitius de sambuco p. m 69. &c.* Quo in loco etiam citatus autor respondet iis, qui dicto amolimento vires dubias reddere conantur; concludit quippe, quod huic non ideo vires ac laudes suæ derogandæ sint, quia non illô omnes æquè à caduco morbo liberantur; id enim æque non semper ab hoc, quam aliis medicamentis in reliquis morbis usitatis expectandum esse censet, ob varia impedimenta.

In catalogo nostro pentaculorum aut epilepticorum prodit ulterius ungula alces, quæ (à leviter pariter ac profundiùs medicinæ dogmatibus imbutis) miranda præstare communiter creditur in morbo illo. Testimonia si quis expetit de hoc, conferat se ad *Apollonium Menabenum de alce, Olaum Wormium museo c. 24. Dominicum Ponarolam observ. med. pentec. 3. obs. 33. p. 90. Joh. Jonstonum, Conrad. Gesnerum, Ulyss. Aldrovandum & alios plures, historiam animalium tradentes.* Conferatur etiam *Joach. Camerarius symbolor. & Emblemat. cent. 2. Embl. 46. p. 92. &c.* Quo in loco postremo etiam cornu illud alces ab eadem vi medica non excluditur. Sequentia verò debemus sæpius citato *Weckero*: si, inquit, *Mizaldi (memorab. cent. 6. Aph. 79.)* verba locum hic inveniunt, ungula alcis magna vi pollet, adversos comitialem morbum. Nam ejus particula annulo inclusa & digito, qui proximus est minimo, ita commissa, ut in palmam convertatur, collapsos in paroxysmo plurimum recreat, & confestim excitat. Idem efficit portiuncula ejusdem nuda, & manui, in pugnum complicatæ, inserta: repente enim morbum expellit, & prostratos erigit. Quod uno & altero experimento se probasse tradit *Lemnius*. Nos

portiun-

portiunculâ ejusd. inquit ille, in aurem sinistram missâ, & aliquandiu velut scalpēdo motâ, ad ipsum morbum feliciter experti sumus in verè epileptico: idq; miraculi loco habitum est. Plura alia testimonia de ungulæ hujus efficacia observata, deq; locis & modis, quibus applicari eadem debeat, merentur legi *apud Lemn. de occult. nat. mirac. l. 2. c. 3. p. m. 149. Mizaldi* paulò ante adducta verba, & quadantenus jam à *Lemnii* loco allegato interrupta porrò habent ita: *Joh. Agric. Ammonius* idem effici tradit, suspensâ vel gestatâ particula ejusdem ungulæ, modò cutim attingat. Quod etiam amuletum ad præcautionem morbi plurimum valeat, se certum esse scribit *Mizaldus*. Audio etiam ille, pergit, ramenta vel scobem adversus eand. noxam in Polonia propinari. Cœterum eligenda est ungula dextri pedis posterioris, & cavendum ab impostoribus, qui bubulas pro alcinis vendunt. Atque illa *Mizaldi* verba usque ad hæc, exhibet *Joh. Jac. Weckerus de secretis l. 5. c. 4. p. 140. & 141.* & ex utrisque *Joh. Adam. Weberus in discursib. curios. & fructuos. p. 270. &c.* Si quid verò proficui à dicta ungula sperandum est, simile monitum, atque brevi abhinc adductum fuit, addo vel repeto circa illas ungulas, ut scilicet vera, & non aliorum quadrupedum, ungula eligatur pro scopo illo. Obtruduntur enim substitutæ, vel minùs veræ non rarò, veluti memini ante aliquot annos agyrtam, in Thuringia coemisse à venatoribus ungulas cervorum, qui hyemis sævitia, pabulique penuriâ perierunt; istas verò vulgo persuadere conabatur ille circumforaneus (quia sanguine adhuc madebant) se ex peregrinis locis modò attulisse, verasque esse ungulas alcis asseverabat. Hôc glaucomate & oratoriâ circumforaneâ suâ annulos largiter vendebat, quos ex alces ungula verè tornatos plebeji neutiquam dubitabant; licet horum materiam citiùs quadrupedantia jugo subdita, vel molendinis inservientia procul dubio suppeditarint, quod leve pretium annulorum, aliorumque medicamentorum simul venditorum, subindicabat. Monet hoc idem *Joh. Agricola Ammonius*, quod ab impostoribus cavendum sit, qui bubulas ungu-

las pro alcinis vendant, quod monitum fortassis à paulò ante citato *Mizaldo* repetitum etiam fuit. De simili pene cautione injuncta videri quoque potest *Rob. Boyle de specific. medicamentis. p. 95.* Varias insimul circumstantias circa dictam ungulam ejusque applicationem observandas, autores quipiam injungunt; si itaque in his fortè quid resideat congrui aut notandi ad epilepsiam curandam, nolumus delinquere in iis occultandis. Pollére verò facultate antepileptica masculi animalis, non fœminei ungulam, nec pulli, sed adulti; & quidem iterum collectam illam debere esse tempore eo, quo in venerem ferri incipiat hoc animal, nempe inter festum assumtionis Mariæ & Nativitatis ejusdem; majorem etiam virtutem ungulis posterioribus, quàm anterioribus adscribi ab auctoribus, & à quibusdam iterum pedi dextro, ab aliis verò sinistro magis; alios etiam porro asserere omnes ungulas hac vi præditas esse, nec sine ratione; esse etiam autores, qui velint, has ungulas ab animali adhuc vivente præscindendas esse dicto tempore; hæc singula consignat & communicat *Cnoeffelius* cum non nullis allegatis autoribus, de ungula dicta pariter agentibus, in appendice affixa *Miscellaneis Acad. nat. curios. dec. 1. ann. 5. & 7. p. 63. &c.* Eligit etiam alces posteriorum pedum dextram ungulam *Crollius de signaturis intern. p. m. 44. Johan. Dan. Mylius antidotar. med. chym. l. 1. c. 7. p. 92.* & alii plures. Dissentiunt itaque autores, uti ex dictis apparet, circa ungulam eligendam: aliis enim, uti antea quoque innui, dextra, aliis sinistra, ex posteriorum pedum ungulis, commodior apparet. Ut ergo curiosis majorem ansam præbeam indagandi hanc potentiam antepilepticam in dictis ungulis, consuli potest propter simile argumentum *Franciscus Redi experim. natural. p. 142.* qui superstitiosam arbitratur opinionem, quâ dextrum cornu alces contra epilepsiam efficax, sinistrum verò minus tale existimatur. Partes quoque, quibus dictam ungulam admoveri volunt autores variant, uti jam indicatum est, & ostendent penitius mox jam dicenda: sic ungulam illam manu detinendam esse

doce-

docetur in *Jerem. Martii obs. med. 59. p. 32.* Cor tornatile ex ungula alcis factum collo appendi jubet *Hier. Reusnerus obs. med. 158. p. 84.* De ungula eadem pariter non negligenda, si brachiis vel pedibus alligetur, videantur allegata testimonia in *Jacobi Tappii dissert. de sens. intern. functionibus læsis p. 270. §. 146.* Plures istiusmodi applicandi modos his verbis complectitur *Eberh. Gockelius consil. med. p. 135.* externè includitur particula annulo, gestaturque digito, qui minimo proximus est, ut palmam respiciat. Inditur itidem pugno, applicatur pulsui, immittitur in aurem sinistram, suspenditurq; de collo, ut cutem attingat. Dos. ℈ß. & ultra ℈j. Quæ monita respondent ferè menti *Lemnii* paulò superius allegati; ex quo loco videntur plures alii autores sua de hac ungula depromsisse. De ungulæ hujus viribus, si annulus ex illa paratus gestetur, affixus annulari digito sinistræ manus, vel si frustulum illius ungulæ teneatur eadem manu compressâ, vel si fricetur ea ungulâ sinistræ auris concava pars, annotata quædam itidem leguntur in der Gottorfischen Kunst-Kammer *p. 12.* Ubi simul suspicio intercurrit propter medelam illam, quâ alce dicitur epilepsiâ laborare, sibiq; ipsi, more notô, scilicet ungulâ suâ, mederi. De hac sententia nullus ferè ex veteribus dubitare audet; in qua tamen an autoritas cana præcellat, vel experientia sana, dubium adhuc restat! veluti hoc, de morbo comitiali (quo laborare dicitur alce) impugnat inter alios *Severinus Gœbelius historia de Alce.* De eadem ungula & annulis ex ea factis perlustrari etiam possunt, quæ habet *Bartholinus de unicornu cap. 21. p. 173.* De eodem effectu ungulæ, si hæc annulo inclusa gestetur legere quoque est apud *Joh. Dan Mylium Antidot. med. chym. lib. 1. c. 6. p. 62.* Plurimi quoque inclinant eò, ut annuli tornati ex dicta ungula digitis affigantur: quemadmodum contra convulsiones Epilepticas ejusmodi annulum, & qui ex dente equi Marini confectus est, commendat insignis Lipsiensium quondam Medicus *Joh. Michaëlis colleg. ad Hartmanni prax. chym cap. 29.* uti & *in Collegio citato ad Rolfincii chymiam.* Hic olim

medicinæ atque eloquentiæ laude eminens vir, scil. *Guern. Rolfincius* similiter non despicit annulum ungulæ alces, si digito annulari applicetur; velut de hoc loquitur ipsius *ordo & method. med. specialis consultat. p. 210.* Asserto huic subscribit etiam, *Lemnii* autoritate munitus, *Alex. Venturinus, medic. ina ab animal. desumta.* Prævalere aliis illum annulum ex ungula postrema sinistri pedis desumtum, dicit experientiâ suâ edoctus *J. B. Besardus Antro Philosoph. p. 27. & 28.* Placet etiam annulus ex albis ungulis alces factus ac gestatus, ut carnem nudam attingat, *Gabelchovero cent. 4. obs. med. 60. in annotatis p. 130.* Cui adjungendi sunt allegati apud *Mich. Döringium de medico & medicina p. 107.* De ejusmodi annulo megalo-dactilico (sed constellato sub signo piscium & planetarum aspectu singulari ex ungula alcis fabricato) argento intergerino, ex luna, ut vocant, antepileptica quasi confasciato, quod scilicet hunc annulum in caduco aliisque cerebri affectibus percurandis magni æstimarit celebris quispiam Medicus, loquitur (illum tamen minus approbans) *Georg. Hieronym. Velschius Hecatostea med. 1. obs. 15. p. 24. &c.* Atque ideo quidem id laudatus hic autor arbitratur, quod in artis medicæ dedecus, & naturæ quodam abusu minimè laudabili, ejusmodi constellationes excogitatæ, nec sine vanitatis nota in usum venire possint. Alius quoque annuli antispasmici mixo-metallici autor idem facit mentionem, quem pariter non magni facit *l. c. p. 25.* Cæterùm quàm insignes effectus præstet ungula illa alces pro frænando morbo sontico, patet partim ex allatis, partim ex his, quæ restant jam recensenda: experientiâ verò probatam esse dictam ungulam in morbo non semel indicato ulterius percrebrescit ex *Joh. Schenckii observat. l. 1. de Epileps. obs. 20. p. 119.* & ex *Rattray theatr. sympathet. p. 274.* Qui autor proximus etiam aliorum pentaculorum similium mentionem injicit in loco designato. Non repugnant itidem memorato illi encomio *Agricola l. 2. medic. herb. Henric. Kornmannus templo naturæ p. m. 178. Jos. Quercetanus operibus à Schrödero editis tom. 3. p. 124. & 195.* In priori loco autor hic sibi ratam, vel nullam experien-

tiam

tiam innotuisse, fidem tamen philosophis priscis id adstruentibus non planè denegandam esse statuit. Porrò de efficacia hujus ungulæ agit *Nicolaus Caussinus de symbolic. Ægyptior. sapientia p. 307* qui simul illam hystericis malis mederi vult. Suffragantur quoque laudi prolatæ *Joh. Pierius Hieroglyphicis collectan. lib. 1. p. 8. Greg. Hornius histor. nat. lib. 4. c. 6. p. 287.* Annotati in *Joh. Georgii* Schils *Bibliotheca* enucleata, titulo alces, & in *Mich. Bapsti* wunderbarl. Leib- und Wundartzney-Buche *parte. 1. p. 35. 190.* Cordi verò hic autor præcipuè applicari vult hanc ungulam *l. c. p. 36.* Cæterum de variis partibus, quibus dictam ungulam alii nondum memorati quidam appendi vel admoveri velint, & quæ plura de illâ autores non nulli indicent ac injungant, allegata plura legi possunt *in Jacob. Tappii dissert. de sens. intern. function. læsione cap. 8. §. 110. p. 247. &c. & §. 146.* Jungatur autoribus dictis etiam *Schottus phys. curios. l. 8. §. 5. p. 905.* qui alias etiam partes alcis illius laudis & efficaciæ participes esse renuntiat. Quæ vulgus plura alioquin circa hujus amuleti præparationem, applicationem atque ablationem præcipiat observanda, docet item *Rolfincius l. a. p. 209. & 216.* De legitimo collectionis tempore, aliisque circa ungulam hanc occurrentibus evolvatur etiam *Guil. Johnsoni Lexicon chymic. p. 1. & 2.* Denique annotat *Helmontius tr. de magnet. vulner. curat. §. 35.* quod ungula hæc effœta reddatur, & amittat facultatem, quam impresserit, si aliquandiu ad epilepticos insultus arcendos fuerit adhibita. Quod, si applausum meretur, notari posset, ne nimis antiqua ista, vel pluries antea in usum illum admissa eadem ungula eligeretur. Deinde si verum etiam est, quod animal illud epilepsiâ laboret, eadem forsitan suspicio noxii usus cuipiam oriri posset, ac de capris paulò inferiùs indicabitur; nisi experientia hoc diluat iterum & magis dilucidet, dum alce ungulâ suâ sibi mederi dicitur. Tandem circa eandem ungulam adhuc addo, quod a iis quipiam pariter exiguam vim antepilepticam ipsi tribuant; quemadmodum de hoc videri potest *Quercetanus* paulò ante allegatus, *Franc. Redi. l. c. p. 141.* & *Jacobus Primirosius de*

vulgi erroribus l. 4. c. 57. §. 10. p. 155. &c. qui postremus varias traditiones recensitas de alce in dubium vocans, æquè ungulam hanc atque alia Epilepsiæ periapta, scilicet ungulam vel calvariam asini, pæoniam &c. suâ & aliorum experientiâ edoctus vana pronuntiat & meræ fabulæ annumerat; parvi insimul idem ille facit alia epilepsiæ medicamenta interna; vel saltem eadem non proprietate occultâ vel specifica, sed aliâ magis apertâ agere confirmat. E contrario verò *Andr. Baccius de alce* vires dictas ungulæ tueri vel defendere conatur, & sub epilepsiæ nomine insimul contineri dicit non solùm omnimodam actionum vitalium privationem, sed etiam stuporem quemvis, vertiginem, morbum attonitum, suffocationem uteri, & alios cordis defectus.

Non patitur præterea se excludi ab ordine præcipuorum pentaculorum antepilepticorum viscum quernum, quod similiter enixè creditur resistere malo epileptico, fidem hujus affero ex *Baricelli horto genial. p. 338. Casp. Schwenckfeldii catalog. stirp. & fossil. Silesiæ l. 1. p. 220. Adriani Tollii commentat. ad Joan. Stockeri praxin auream lib. 1. c. 1. p. 8. & Mizaldi memorab. cent. 3. aphorismo 20.* qui autor ultimus innuit, ut viscum illud in orbiculos scindatur, hique filô transfixi collo appendantur; reperies etiam ibidem alia periapta ab epilepsia vindicantia. De visco isto autem non nulla, & quod loco ligni crucis (aliàs *ab Avicenna* commendati) habeatur, verba facit *Reies campo Elys. qu. 23 §. 14. p. 256.* Cur lignum crucis verò appelletur viscum, rationem reddit *Jul. Cæs. Claudinus de ingressu ad infirmos, appendice p. m 396. &c.* Viscum autem hoc colligendum esse jove sub cancri signo versante, ex autorum sententia recenset *Heurnius method. ad prax. l. 3. c. 28. p. 399. Cnœffelius* de hoc ita viscum quercinum inquit, ut & coryli, nec non pyri arboris, item tiliæ, & sambuci (quæ omnia hanc mirificam virtutem habent repellendi epilepsiam, collo solùm subnexa) colligitur lunâ decrescente intèr duo Mariæ festa, hoc est à die 15. Augusti usque ad 8. Septembris. Volunt autem illud, quod terram non attigerit, nobiliorque habetur illa pars, quæ quercui

cui propior resecta est. Testes sunt *Matthiolus commentar. in lib. 3. Dioscoridis, Levin. Lemnius lib. 2. occult. nat. miracul. c. 3. Lonicerus herbar. cap. de visco.* Unde & *Jodocus Harchius* de eo sic canit:

Quod legis è quercu, morbum curare caducum
Viribus occultis creditur esse potens.

Adductorum horum verò autor est paulò ante dictus *Cnœffelius in miscellan. nat. curios. dec. 1. ann. 6. & 7. p. 62.* De eodem visco querno, ungula alcis & radice pæoniæ commendatis agunt etiam *Godfr. Steeghius medic. pract. l. 7. c. 3. p. 322.* & *Jos. Quercetanus tetra: c. 15. p. 156.* Denique notari meretur id de efficacia visci laudati, si experientia iterata inposterum idem hoc velit approbare: innotescit enim ex *Miscell. Acad. natur. curios. dec. 2. Ann. 2. obs. 89.* quod persona quæpiam integro in corpore convulsiones patiens, solum integram & immunem ab iis ostenderit partem (cum aliis signis peculiaribus) cui adhæsit rosarium ex memorato visco confectum. Verùm si forte inter Pontificios efficax illud dicitur deprehensum, altius & divinum quid, sive magicum accessit, aut planè indiget illud accuratiori indagatione vel probatione. Cæterùm visco isti querno in epilepsia parum tribuit efficaciæ aut fidei, eodemque in pretio exiguo habet istud, ac priapum, (qui olim adeò frequens constituit periamma,) *Casp. Hoffmannus med. offic. lib. 2. c. 153. p. 355.* Addit ibidem etiam autor non malè, quòd originem istius prioris periapti Druidibus Gallis, qui ex quercubus vaticinati sint, tribuant; de quo suo tempore in *Querceto nostro medico* plura monebimus. Tandem ex *Boyleo* recenset *Joh. Bapt. du Hamel operum philos. tom. 2. p. 189. &c.* quòd pulvis illius visci, quantum denarium tegere potest epilepsiam curarit. Alius autem viri testimoniô comprobat *idem ibidem* frustraneam fuisse expectationem de ejusdem visci usu in epilepsia, felicius interdum tamen istud in quartana adhiberi simul innuit hic autor.

Non-

Nondum absolvimus omnia periammata epilepsiam consopientia: juglandem enim arborem & ranam parvam viridem, magneticâ vi, & planetis id approbantibus, ex divina revelatione amuleti loco adhibitam epilepsiam sustulisse meminit *August. Etzlerus Isag. phys. mag. med. c. 6. p. 145.* Quod porro adversus convulsionem & crampam faciat radix gladioli vel iridis Florentinæ exsiccata & gestata, communicat *Lindenius colleg. MS. ad Hartmanni prax. chym. l. 2. c. 19.* Præterea inter hujusmodi apotropæa numerat unguem lyncis, & quidem pedis dextri gestatum *Maccasius prompt. mater. med. l. 2. c. 22. p. 292.* De ungue eodem, auro vel argento incluso, videre licet *Joh. Jonstoni syntagma univ. medic. p. 746.* Accenset his, tanquam non minus efficax periapton, pedem dextrum talpæ dentibus decerptum ac gestatum *Casp. Jugelius* von Maulwurffsfange *p. 55.* Et muris caput appensum epilepsiam sanare, elucet ex allegatis autoribus in notis *Velschii ad Hier. Reimneri observat. med. 152, p. 82.* Item canis merè albi pedem appensum collo Epileptici, eum sanare refert, experientiâ in partem vocatâ, *Alex: Venturinus medic. ab animal. desumpt.* Idem autor loco dicto pilos ab ejusmodi cane, nulla macula nigra signato, desumtos, colloque epileptici appensos malo illi mederi meminit ex *Constantino.* De eodem, & quod alii potius pilos à penitus nigro cane sumant, loquitur *Mich. Bapst* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney-Buche *parte 1. p. 190.* Innuit idem ibidem, quod *Forestus* ad compositum amuletum antepilepticum pilos hos recipiat. Fatetur idem id à *Venturino* relatum *Dominicus Leo arte medicin. s. 1. l. 2. c. 14* A quibusdam aliis etiam pili agni albi, canis item albi, nigroque colore non notati, vel juxta *Lemn.* & *Mizaldum,* canis ex toto nigri, vel secundum *Forestum* nigerrimi, pro amuletis è collo epilepticorum suspenduntur. Singulariter itidem alicubi audivi commendari felis nigri genitalia membra collo appensa; quod tamen non videtur ab omni superstitione liberum, ob nigrum colorem strictè observandum. Sic quoque passim deprædicata leguntur remedia alia ex nigris animalibus desumta,

sumta, quæ tam epilepsiæ, quàm aliis morbis adjumento esse vulgò creduntur; sed vereor, ne suspecta sint subinde ista: Sacerrimus enim & acerrimus tenebrarum pater Satan sæpe sub molossi, felis, hirci aliorumque ejusmodi animalium nigrorum forma comparere solet, uti plura de hoc alius locus nostri scrutinii habet. Sunt, qui arbitrantur (piis aut bonis speculationibus & rationibus vel opinionibus moti) quod Dæmon non adeò columbæ aut agni formâ compareat, de quo *Hier. Jordanus de divino in morbis c. 27. p. 102. &c.* Verùm cum Satanas longè sanctiores personas ac ceremonias æmuletur, uti nostrum scrutinium evulgat, diffidimus de hoc, etiamsi certi quid de eodem eloqui non valeamus. Nisi autem in dictis nigris bestiis placeat alicui peculiarem vim medicam ex pilorum colore subindicatam eruere (cujus opinionis patroni me quoque non fugiunt) frustra erit in electione alia suspecta industria. De epilepsia paulò ante citatus *Dominicus Leo* innuit quoque particulam testiculi Castoris cordi super impositam in pueris, miro modô tollere motum epilepticum. *Alexander Venturinus l. d.* juxta *Alberti Magni* assertum indicat quoque ungulam interiorem asini portatam non admittere paroxysmum epilepticum. *Venturinus* iterum l. c. à *Pitag.* commendari scribit annulum ex asini ungula confectum, ac digito admotum, quem ille velit cum admiratione epilepsiæ resistere. Similiter *Venturinus ex Plinio* proponit, quod annulus ex crure asinino factus à caduco morbo illum liberet, qui hunc portet. Epilepsiam etiam non pati sub sistere annulum ex albis asini ungulis factum atque inditum, accipimus ex *Cæsar. Longini Trino Magico.* Sic *Weckerus de secret. l. 5. c. 4. p 143.* significat *Albertum* præcipere annulum ex albis ungulis asini paratum. Constat idem hoc ex assertione *Valesci de Taranta, Tralliani l. 5. c. 15.* & *Schotti Phys. Curios. l. 8. c. 8 p. 927.* Porrò chorda ex corio asini capitis non præparato, ac spatiô annuô circa caput gestata laudatur à quibusdam, quod non permittat aliquē labi, vel affligi insultib⁹ epilepticis. Epilepsiæ amuleta hæc ex asino petita his verbis exponit *Bald. Ronssens Venat. Med. p. 54.*

 Huic

Huic poterit varias asinus præstare medelas:
Apponunt alii variis prophylactica membris,
Annellos siquidem tornant ex crure, vel ungue,
Quos gestare jubent digitis, si invaserit antè
Morbus, at observant ne qua nigredine corpus
Sit tinctum. Multis laudatur de cute frontis
Fascia, constringunt qua nodos articulorum.
Atque alii faciunt hirto de tergore Zonam;

De annulo ex ungula asini dextra confecto, corio ex fronte ejusdem animalis petito, item ungula muli, & camelina utili renuntiata in caduco morbo, videantur allegatorum autorum loca apud *Hier. Velschium Hecatostea Med. I. Obs. 15. p. 25.* Quales verò sint annuli, quibus Reges Angliæ epilepticos & spasticos sanare dicuntur, quorum ex *Polydoro Virgilio* aliisque meminit *Joh. Limnæus (in juris publici tomo 4. p. 180.)* pensitent curiosi, & quibus licuit illos videre, si fortè adhuc penes dictos Reges asservantur. Post hæc concepta incidi in *Th. Bartholini de morb. Biblicis no. 19. p. 85.* qui annuli illius S. Eduardi (*à Kirchmanno de Annal. c. 21. etiam annotati*) mentionem faciens hæc depromit verba: suspicio esse potest, ex ungula alcis confectum, vel aliis, quæ singulari virtute epilepsiam curant. Plura de annulo dicto in Elephantiasi simul proficuo, atque unde vis illi indita ipsi credatur, prostant apud *Theodor. Höpingium meditat. histor. de notis natural. genitiv. & Gentilit. §. 7. p. 28. &c.* Præterea *Mizaldus* pronuntiat etiam umbilici infantis portiunculam gestatam præsidio esse epilepticis, quod pariter ex *Joh. Jac. Weckeri l. 1. Ant. Spec. c. 21. repetit Michl.* Bapst im Artzney Kunst und Wunder Buche *part. I. p. 263.* Dehinc cingulum ex pelle humana gestatum epilepsiæ mederi animadvertit *Rattray l. c. p. 16. & Th. Barthol. cent. 3. histor. anat. 87.* Similiter convulsiones epilepticas atque particulares istas, quæ certos artus invadunt, inhibere cutim illam, circa collum vel corpus aliasve partes affectas ligatam, testimonia

nia consignata declarant apud *Daniel. Beckerum microcosmo med. l. 2. c. 1. p. 174.* Alloquin cattus vetustus ventri impositus contra comitialem morbum laudatus est *Sachsio Gammar. p. 876.* Præter recensita hactenus, lupi salitæ carnis frustulum gestatum, mulierem ab epilepsia liberasse, ex *Riverii (Cent. 2, obs. 31.)* autoritate animadvertit *Rolfincius meth. med. spec. p. 195.* De oculo sinistro lupæ in aëre exsiccato, & ad stomachi regionem de collo appenso vid. *Jerem. Martius obs. med 59. p. 32.* quas *obs. Velschius* edidit, doctasque notas illi loco de eodem pentaculo addidit. Porrò *Petraus nosolog. l. 5. Diss. 6. p. 54.* Cingulum lupi etiam in usu esse meminit; de quo idem est testimonium *Bayri in vademecum l. 2. c. 16.* Corium lupi ea parte demtum, qua spinæ adhæret, duorum digitorum, in cinguli forma extra corpus gestatum, agnoscit etiam pro periapto dicti morbi *Jonstonus l. c. p. 745.* Paulò prolixius exponit hoc amuletum *Crato Consil. 38.* inquiens: lupi corium ea parte desumtum, qua spinæ adhæret, latitudine duorum digitorum in cinguli formam effingendum, & semper gestandum, ut corium attingat cutim, pilis exterius positis. Corrigia pellis lupi, aut arietis, sicut Zona, ad carnem gestata, vel capiti & fronti circumvoluta laudatur *Fumanello.* Cingulum etiam de corio lupi, præsertim ex capite, & cauda mutuatum, quam diu portaverit ægrotus, non isto malo, commiseratione digno, affligetur. Fel lupi cum moscho, in fine & principio mensis naribus inditum, & cor lupi suspensum ad collum *Valescus de Taranta* effert. Non minùs iis adductis annumeratur, tanquam compar illis quoad vires, dens lupi caninus. Sic dentes lupi caninos in superioribus corporis partibus gestatos, lunaticorum paroxysmo remederi, ex *Dioscoride Alexander Venturinus l. c.* indicat. *Idem autor l. a.* caput viperinum amuletis contra epilepsiam directis annumerat, tanquam experientiâ probatum, idque collo alligari præcipit. De ossium viperarum usu laudato quædam etiam occurrent inter periammata pesti dicata. Post hæc, justo tempore transfossi corvi oculum dextrum arefactum colloque appensum illi, qui primâ

Huic poterit varias asinus præstare medelas:
Apponunt alii variis prophylactica membris,
Annellôs siquidem tornant ex crure, vel ungue,
Quos gestare jubent digitis, si invaserit antè
Morbus, at observant ne qua nigredine corpus
Sit tinctum. Multis laudatur de cute frontis
Fascia, constringunt qua nodos articulorum,
Atque alii faciunt hirto de tergore Zonam;

De annulo ex ungula asini dextra confecto, corio ex fronte ejusdem animalis petito, item ungula muli, & camelina utili renuntiata in caduco morbo, videantur allegatorum autorum loca apud *Hier. Velschium Hecatostea Med. I. Obs. 15. p. 25.* Quales verò sint annuli, quibus Reges Angliæ epilepticos & spasticos sanare dicuntur, quorum ex *Polydoro Virgilio* aliisque meminit *Joh. Limneus (in juris publici tomo 4. p. 180.)* pensitent curiosi, & quibus licuit illos videre, si fortè adhuc penes dictos Reges asservantur. Post hæc concepta incidi in *Th. Bartholini de morb. Biblicis no. 19. p. 85.* qui annuli illius S. Eduardi (*à Kirchmanno de Annul. c. 21. etiam annotati*) mentionem faciens hæc depromit verba: suspicio esse potest, ex ungula alcis confectum, vel aliis, quæ singulari virtute epilepsiam curant. Plura de annulo dicto in Elephantiasi simul proficuo, atque unde vis illi indita ipsi credatur, prostant apud *Theodor. Höpingium meditat. histor. de notis natural. genitiv. & Gentilit. §. 7. p. 28. &c.* Præterea *Mizaldus* pronuntiat etiam umbilici infantis portiunculam gestatam præsidio esse epilepticis, quod pariter ex *Joh. Jac. Weckeri l. 1. Ant. Spec. c. 21. repetit Michl.* Bapst im Artzney Kunst und Wunder Buche *part. I. p. 263.* Dehinc cingulum ex pelle humana gestatum epilepsiæ mederi animadvertit *Rattray l. c. p. 16. & Th. Barthol. cent. 3. histor. anat. 87.* Similiter convulsiones epilepticas atque particulares istas, quæ certos artus invadunt; inhibere cutim illam, circa collum vel corpus aliasve partes affectas ligatam, testimo-

nis

nia consignata declarant apud *Daniel. Beckerum microcosmo med. l. 2. c. 1. p. 174.* Alioquin cattus vetustus ventri impositus contra comitialem morbum laudatus est *Sachsio Gammar. p. 876.* Præter recensita hactenus, lupi salitæ carnis frustulum gestatum, mulierem ab epilepsia liberasse, ex *Riverii (Cent. 2. obs. 31.)* autoritate animadvertit *Rolfincius meth. med. spec. p. 195.* De oculo sinistro lupæ in aëre exsiccato, & ad stomachi regionem de collo appenso vid. *Jerem. Martius obs. med. 59. p. 32.* quas *obs. Velschius* edidit, doctasque notas illi loco de eodem pentaculo addidit. Porrò *Petræus nosolog. l. 5. Diss. 6. p. 54.* Cingulum lupi etiam in usu esse meminit; de quo idem est testimonium *Bayri in vademecum l. 2. c. 16.* Corium lupi ea parte demtum, qua spinæ adhæret, duorum digitorum, in cinguli forma extra corpus gestatum, agnoscit etiam pro periapto dicti morbi *Jonstonus l. c. p. 745.* Paulò prolixius exponit hoc amuletum *Crato Consil. 38.* inquiens: lupi corium ea parte desumtum, qua spinæ adhæret, latitudine duorum digitorum in cinguli formam effingendum, & semper gestandum, ut corium attingat cutim, pilis exterius positis. Corrigia pellis lupi, aut arietis, sicut Zona, ad carnem gestata, vel capiti & fronti circumvoluta laudatur *Fumanello.* Cingulum etiam de corio lupi, præsertim ex capite, & cauda mutuatum, quam diu portaverit ægrotus, non isto malo, commiseratione digno, affligetur. Fel lupi cum moscho, in fine & principio mensis naribus inditum, & cor lupi suspensum ad collum *Valescus de Taranta* effert. Non minùs iis adductis annumeratur, tanquam compar illis quoad vires, dens lupi caninus. Sic dentes lupi caninos in superioribus corporis partibus gestatos, lunaticorum paroxysmo remederi, ex *Dioscoride Alexander Venturinus l. c.* indicat. *Idem autor l. a.* caput viperinum amuletis contra epilepsiam directis annumerat, tanquam experientiâ probatum, idque collo alligari præcipit. De ossium viperarum usu laudato quædam etiam occurrent inter periammata pesti dicata. Post hæc, justo tempore transfossi corvi oculum dextrum arefactum colloque appensum illi, qui primâ

vice tentatus fuit epilepsiâ, immunem eum ab ulteriori insultu postidea præservare volunt citati ap. *Agricolam de cervo p. 136.* De ossis ex corde cervi tracti viribus, & amuleti loco applicati, revolvatur idem autor *l. d. p. 156.* Lapis selenites à mulieribus etiam alligatur pro expellenda epilepsia, teste *Dioscoride l. 5. c. 159.* Ætiten quoque brachio sinistro alligatum Herculeum prosternere morbum, constat ex *Achill. Gasseri Obs. med. 2. p. 6.* de quo non steriles etiam deprehendes notas, loco illi additas, à multæ lectionis atque eruditionis *Georg. Hier. Velschio.* Eadem laus lapidis hujus prostat etiam ap. *Mich. Bapstium* im wunderbarl. Leib und Wund-Arzney Buche *parte I. p. 188.* Ejusdem lapidis vires experientiâ confirmatas esse, si scilicet ille in superioribus corporis partibus applicetur, recitat *Alex. Venturinus l. c.* Sic lapides in corvorum ventriculis repertos ad epilepsiam prodesse suspensos, plebeji credunt, uti indicant *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. dec. 1. anni 4. & 5. Obs. 107. p. 110.* Congruum quoque morbo huic pronuntiat cor vulturis pulli gestatum *Gesnerus* im Vogel-Buche *fol. 76.* Minimè caducam esse quoque, in caduco morbo, vim smaragdi, si extus loco amuleti gestetur in annulo, tradit *Frid. Hoffmannus clave Schröderi p. 158.* Smaragdum item collo annexum, cum epilepsia, tanquam hoste certare, patet ex *Paracelsi l. 3. & libro de signis Zodiaci, statim post præfationem.* Ditioribus inquit *VVolffg. Gabelchoverus (cent. 4. curat. 60. annotation. p. 130.)* smaragdus collo suspensus ad epilepsiam benè facit. Pariter caput cuculi collo suspensum ab epilepsia præservare creditur: ipsam enim ad se trahit, sicut magnes ferrum. De eadem facultate Smaragdi confer sis *Gabelchoverum citatum in notis ad Baccium de gemmis c. 5.* Non multùm recedunt à paulò ante citatis verbis *Gabelchoveri*, (ex ipsius observationibus petitis,) sequentia *And. Laurentii Oper. Therapeut. tr. de strumar. sanat. l. 1. c. 5. f. 10.* Smaragdus, inquit, *Aristoteli* & *Alberto*, collo adalligatus ab epileptico insultu liberat, propterea nobiles puerorum collo hunc lapidem appendere solent. De iisdem smaragdi viribus itidem suffra-

gia

gia quædam autorum prostant in *Jac. Tappii dissert. de sens. intern. function. læs. c. 8. §. 149. p. 271.* De eodem smaragdo & succino laudibus evecto in caduco morbo inspiciantur verba *Cnoffelii in appendice sepius citatorum Miscellan. Acad. Leopoldino-Cesar. Curios. dec. 1. anni 6. & 7. p. 65.* Et jaspidem viridem circa ensiformem cartilaginem per diem ac noctem non frustra gestari, innotescit *ex Jonstoni l. c. p. 746.* Qui ibidem etiam smaragdo & coralliis collo gestatis easdem vires non derogat. De viribus his jaspidis dilaudatis autorum testimonia quædam iterum continentur in *Jac. Tappii l. c. §. 150. & Jac. Pontani Bellar. Attic. p. 327.* Cum *Jonstoni* verbis allegatis concordant ferè notæ *Gabelchoveri ad Baccium de nat. gemmar. c. 8. p. 76.* claudit etiam autor ibi caput his verbis: Quòd si jaspis argento claudatur, ejus virtus plurimùm juvatur, quoniam majorem virtutem habet jaspis in argento, quàm auro. Lubet nobis hoc loco etiam allegare *Joan. Manardum l. 4. Epistol. medicinal. 30. f. 361.* occurrunt inquit nõ nulla à Græcis περίαπτα, à Latinis amuleta vocata, quæ cùm physicè hunc morbum curare ab excellentibus quibusdam medicis scripta sint, quamvis à me parum sint credita, non penitus sunt relinquenda. Lapillus albus vel ruber in ventre pulli hirundinis inventus, brachio alligatus. Lapis Jaspis capnostes, hoc est, fumalis nuncupatus, in collo gestatus. Jaspis alius calamo similis in annulo ligatus. Idem facit chrysolithos, corallium, pæoniæ & solani radix in linteo colligata. Asini frons in corio alligata. *Quercetanus in operibus à Schrödero editis tom. 3. p. 124. & 195.* itidem memorat Corallium & Jaspidem accessionem epilepticam inhibere. Adversus epilepsiam quoque fulcire Jaspidem & Smaragdum, si infantum collo suspendantur, reperire est apud *Joh. Smetium Antiquitat. Neomagensibus p. 74.* De iisdem gemmis, præter recensita testimonia etiam te erudient *Bayrus, Mizaldus, Rosa Anglica, Valescus de Taranta, Alex. Trallianus, Hollerius, Matthiolus, Sylvius, Bald. Ronssens, Mercurialis, Montagnanus, Arculanus, Crato, Cardanus, Franc. Rueus, Piso, Forestus, Bootius de Boot & alii plures.* Deinde

quod Torchosius in añulo gestatus, certô experimentô cadentem à læsione præservet, ex *Andr. Laurentii Oper. Therapevt. tr. de strumar. sanatione l. 1. c. 5 f. 10.* & aliis autoribus constat. Ulterius præsidium adversus epilepsiam præbere existimant corallia rubra, crystallos & grana succini albi à collo suspensa, de quibus *Frideric. Hoffmannus method. med. l. 1. c. 19. p. 281.* De iisdem gagatis viribus ex *Apul. vid. Hornii histor. nat. l. 2. c. 9. p. 103.* Ungulam alces & succinum opportuna periammata quoque declarat *Rein. Solenander sect. 3. consil. med. 25. p. m. 291.* De succini laude, inter amuleta catarrho opposita, dictum fuit, quam multi etiam illi volunt propriam in Epilepsia consopienda. De corallii verò viribus celebratis ab aliquot autoribus, perlustretur locus apud *Jacob. Tappium dissert. de sens. intern. function. p. 271. §. 148. Pansam de proroganda vita l. 4. pract. spec. c. 56.* De corallii, Bezoar & Smaragdi encomio prostant etiam quædam apud *Mich. Bapstium* wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney-Buche *parte 1. p. 188.* Similiter de coralliorum vi dicta præservatoria in epilepsia & aliis variis morbis, cum nonnullorum autorum locis allegatis, de iis pariter agentibus, recurrat, qui vult ad *Cnæffelium in appendice ad miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. l. c. p. 64.* In loco hoc major etiam efficacia putatur inesse illi corallio, quod cranio humano annatum deprehenditur, ceu ejusmodi cranium Pisis in Italia conspici dicitur. Adjungendus etiam allegatis autoribus videtur *Sennertus l. 1. prax. med. p. 976. & 977.* qui laudat radicem pœoniæ linguæ subjectam, lapidem carpionum in ore detentum, radicem melanthii collo suspensam, item folia urticæ majoris, umbilicum marinum, Jaspidem, sardam, carneolum, corallium, usneam humanam, & radicem cyani, si corpori appendantur; quo in loco etiam ex recensitis compositum prostat. De aliis adhuc agit idem autor *l. a. p. 632.* De his, & pluribus non memoratis consule etiam *Reiesii campum Elys. l. c. & Claudinum de ingressu ad infirmos p. 459.* Sublevat nos recensione aliorum vel plurium amuletorum catalogus pentaculorum, quem collegit *Casp. Barthol-*

Bartholinus de lapide neph. c. 8. p. 19. De usnea paulò ante dicta, quod in demortui hominis cranio nata, epilepticis mirum in modum solô attactu suô prosit, ferri ait *Ath. Kircherus magnetic. regno natur. sect. 4. c. 4. p. 195.* Porrò *Matthiolus & Crato* non dubitant amuletis hactenus dictis annumerare vermes è cerebro caprarum sternutatione rejectos & appensos, ut est in *Oraculo Democriti Atheniensis*, comitiali à Pythia responsi loco, metricè ita suggesto:

Quos madidis cerebri latebris procreare capella
Dicitur humores, vermem de vertice longum.

Vel modo sequenti:

De grege sume capræ majores ruris alumnæ
Ex cerebro vermes, & ovis dato tergora circum
Multiplici vermi pecoris de fronte revulso.

Theognostus Democratius illud ita enodat: Caprarum caput, quoniam naturaliter multis vermibus, juxta cerebri basin, est infarctum, ac sternutamentis animali obortis, multi vermes in nares capræ insiliunt, veste substrata, ne terram attingant; vermium unus vel tres excipiendi, & pelli nigræ ovis involuti collo alligandi sunt; qua de re fusius *Alexander Trallianus lib. 1. art. med. cap. 15.* Amuletum verò hoc, quia à Dæmone profectum est, missum faciendum esse indicat *Jos. Quercetanus l. c. p. 126.* Variant autē sententiæ autorum circa medicamenta, quæ capræ suppeditant; quidam enim noxia quæpiam, alii salubria illa pronuntiant, imò alii conciliare has opiniones allaborant. *Sylv. Rattray Theatr Sympath. p. 11.* inquit, capræ pellis gestata vel odorata epilepsiam reducit, & illud animal insultibus epilepticis maximè tentatur. Nunquam non etiam capras febre laborare, itaque etiam in emptione capras sanas, sanum neminem promittere, notatum est *Varroni.* Locus etiam prostat de variis capræ partibus noxiis, propter epilepsiam ab iisdem metuendam, etiamsi pellis tegumenti vel vestis loco modò admittatur, apud *Jac. Tappium l. a. §. 87. p. 229.* De eo, quòd capræ & oves Epilepsiæ ob-

obnoxiæ ſint, teſtatur quoque *Hippocrates lib. de morbo ſacro.* De capris idem hoc affirmare *Plutarchum* ſcribit *Ant. le Grand curioſo arcanorum naturæ perſcrutatore p. 110.* de quo etiam idem illud ſentit *Trallianus, aliique* plures. Hinc carnes caprinas & hircinas minus etiam comedendas eſſe ab epilepticis; & licet *Avicenna* commendet illas, non tamen, niſi juvenum caprarum carnes, minùs verò adultarum intelligendas eſſe cenſent. De eodem vide, quæ exhibet *Baricellus horto genial. p. 129. & 130.* Similiter *Henr. Petreus Noſolog. Harmonica tom. 1. diſſert 6. qu. 2. p. 118.* præmittens quædam ex *Solino* & *Plutarcho*, quòd capræ morbô epilepticô tententur, ſuam etiam ſententiam de eodem ſubjungit. Interim tamen non diffitetur, quòd ex capra remedia ad hanc luem peti poſſint, idque non nullos etiam de paſſeribus & columbis affirmare indicat. Caprinam verò pellem odore tetrô ſolùm noxiam eſſe capiti; non autem ſpeciali aliâ privatâ ratione, cum *Cælio Aureliano* (*lib. 1. Chron. c. 4.*) ſuſpicatur *Th. Bartholinus diſſertat. Epiſtol. de transplantat. morborum p. 10.* Liceat mihi etiam his ſubjungere conjecturam, quòd fortè non omnes capræ, ſed ſolùm fœtentes hirci illorumque partes lædant pronos in epilepſiam; veluti alia etiam fœtida non omnibus, ac præcipuè epilepſiæ obnoxiis conducunt; licet horum varia encomia in medicina contra epilepſiam aliosque morbos decantata proſtent; ſicuti aliô tempore id uberius dilucidans *de fœtore vel fœtidis* cum Deo acturus ſum. Non poſſum, quin hîc recenſeam historiam mihi relatam: videlicet quòd Martisburgi ante aliquot annos nobilis puerulus aliquando vehementi epilepſiæ paroxiſmô, uti crebrò aliàs, correptus hæduli deſiderati & adducti cornu firmiter apprehenderit, hic verò dimiſſus paulò poſt in ſimilem epilepſiam lapſus brevi interierit, puerulus dictus verò à ſuô malô penitus liberatus fuerit; quamvis poſtea debilis ipſius corporis conſtitutio permanſerit. Utrum ergò naturali ratione morbus iſte in animal derivatus ſit, aut an caſu in puero ceſſarit hoc malum, & cœperit in hædulo, decernere nequeo, nec audeo. Ut etiam hoc circa

amuleta

amuleta hactenus dicta inseram, metum quibusdam ortum, ex usu plumarum anatum Islandicarum (quod nimirum insultus epilepticos causentur, si istæ pro culcitris admittantur) diluit *Bartholinus de medic. Danorum diss. 3. p. 65.* Denique non est ignotum illud superstitiosum atque vitandum sequens, quod auribus inclamatum, vel chartæ inscriptum ac gestatum contra Herculeum morbum *Arculanus* tradere dicitur:

Caspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum,
Hæc tria qui secum { *portârit munera regum,* / *portabit nomina regum,* }
Solvitur à morbo Christi pietate caduco.

Videatur verò de hoc *Bartholinus cent. 2. histor. anat. 78.* Sed hujusmodi ridicula rectè deridet *Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis, c. 16. p. 520.* Taxant hoc item *Christ. Matthiæ Prolegom. Log. p. 39. in axiomate: quantitatis nulla est efficacia. Joh. Petr. Lotichius in Petron. lib. 1. comment. c. 15. Joh. Freitagius noct. med. c. 39. p. 192. Joh. VVierus de præstig. Dæm. l. 5. c. 8. p. 523.* & alii plures. Utrum verò varia illa lectio versus medii non procul ab hinc adducti indicet, quòd ingredientia illa vera subministrent pendacula (quæ fortè reliquorum verborum additio, recensio, sive etiam illorum scriptorum gestatio, aut acclamatio deturpat atque corrumpit) num inquam illa simpliciter pentaculorum loco commendata sint à quopiam, perpendat curiosus lector. Præterea de filo illo, quô chartæ lusoriæ vinctæ vel colligatæ fuerunt, quòd aliàs collo infantis appensum epilepsiam etiam abegisse fuerit observatum, videatur *Camerarius memorab. med. cent. 16. part. 46.* De sigillo quopiam Theophrasti, quod capiti impositum epilepticis profuerit, medicum quempiam illius testem allegat *Joh. Prætorius Coscinomantia p. F. 3.* Alia superstitiosa plura verò jam non attingam, cui scire interim placet ejusmodi, refutata simul, quædam reperiet in *Mich. Bapstii* wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney Buche *parte 1. p. 45. & 203. &c.*

Eryſipelatis pentacula.

Contra eryſipelata amuletum commendatur ex ſambuco, ſole nunquam irradiatâ: ſi ſcilicet de virgulto ſpatium, quod eſt inter duo internodia, de collo laborantis ſuſpendatur. Quidam itidem in taleolos aliquot diſſectam illam in nodulo, ex induſio virili (quod tamen videtur fermè anile & ſuperſtitioſum) inſutam magis laudant. De induſuo ejusmodi verò, in quo in locis quibusdám, pro domeſtica curatione, pueruli ægrotantes involvi ſolent, *in diſſertatione de transſpiratione inſenſibili* plura communicabimus. De ſambuco dicta experimenti certitudinem Lipſiæ ex amico quodam primum ſe cognoviſſe ſcribit *Blochvvitzius*; allegat autem hæc *Grulingius Florileg. chym. part. 28. c. 17. p. 567.* Porrò pro ſympathetico ligno in eryſipelate commendatur à quibusdam ceraſus, menſe Octobris die Sancti Galli cæſa, de quo & aliis lignis ſympatheticis agit *VVolffg. Ambr. Fabricius de ſignaturis plantar. epimetro 1.* Deinde acorum paluſtrem de collo geſtatum in hoc morbo itidem laudat *Joh. Dan. Mylius Antidotar. med. chym. l. 1. c. 6. p. 73.* Alii in hoc morbo etiam levamen ſibi promittunt ex pelle & cauda lepori vivo detracta, & amuleti loco adhibita, de quo *Miſcellan. Acad. Leopoldino-Cæſar. curioſ. dec. 1. anni 3. obſ. 104. p. 170.* De commendata pelle eadem leporis vivi caudæ detracta, eoque animali iterum dimiſsô vivô, videatur *Phar. Rhumelius med. ſpagyr. p. 431.* Idem autor hoc quoq; annotat *medicina militar. dogmat. Hermet. magic. c. 22.* quo in loco indicatur colligendum illud amuletum eſſe in martio, colloq; appendendum, & ſalubriter ab igne ambuſtis partibus eſſe imponendum. Linteum cruore leporis tinctum & exſiccatum etiam laudat *Helmontius p. m. 114. §. 17.* De uſu Zenith virginum in hoc aliisque ſimilibus malis ab inflammatione oriundis, varia habet *Ludov. Bonaciolus de fœt. format. p. 180.* Apud *Schroderum pharm. l. 4. p. 44.* juxta vulgi ſententiam commendatur filum chermeſinum ſericũ circumligatum parti affectæ eryſipelate. Ab eryſipelate etiam præcavet umbilicus marinus, annotante id *Bartholinô*

rtholino de lap. nephrit. c, 10. p. 27. §. 38. Idem hoc annotatum etiam prostat *in Appendice Pharmacorum omissorum ad Joh. Schröderi pharmac. med. chym. p. 19.* Demum inflammationem & contusionem sanare applicatum sapphirum & carneolum, tradit *Bartholinus l. a. §. 39. & 40.*

Fascinationem infringentia.

AGgredimur jam ea, quæ fascinationem infringere statuuntur: Velut eum in finem succinum & corallia collo appensa vehementer laudari dicit *Jonstonus idea medic. pract. l. 12. tit. 3. §. 13. p. m 695.* Corallium etiam, inquit *Cnœffelius*, est celebre amuletum contra manes, dæmoniacas illusiones, insomnia falsa, incubos, incantationes, venena, epilepsiam fulgura, fulmina, marinasque tempestates & quævis pericula; quæ verba legenda prostant *appendic Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. dec. 1. anni 6. & 7. p 64.* Corallia his verbis effert *Jo. Vincent. Finckius in Enchirid. dogmat. Hermet.* inquiens: corallia rutilantia collo manibusque gestata contra phantasmata, spectra, phantasiam & melancholiam, *Paracelsô* teste, excellentis sunt virtutis. In dictis aliisque malis plurimis corallia laudari à *Paracelso* indicat etiam *Schroderus pharmac. med. chym l. 3. p. 333.* Corallium quoque in domo invidiam omnem amoliri, & scyllam arescentem in limine vestibuli suspensam maleficiorum introitum depellere *Plinius*, præter alia multa similia, refert; hæc verba verò debemus *Dodonæo histor. stirp. pempt. 1. l. 1. p. 13.* Scillam itidem in limine januæ suspensam mali medicamenti noxam auferre, colligere licet ex *Dioscoride l. 2. c. 202.* De corallio nigro, juxta quosdam, tanquam peculiari medicamento contra veneficia existimato, adeò, ut illud singulariter etiam ἀντιπαθὲς dicatur, quô nomine aliàs quodvis ejusmodi medicamentum designetur, innotescit ex *Ans. Boët de Boot. histor. gemm. l. 2. c. 303. & Jo. de Laët. de Gemm. l. 2. c. 30. p. 190* De eo quod ex gagate solet parari & appendi pueris contra fascinationem videatur *Castro medico polit. l. 4. c. 1. p. 207.* Habetur etiam apud *Plinium l. 36. c. 19.* quod Jagates contra nocturna terricula-

menta, ephialten, dæmonumq; vexationes ac præstigias gestatus plurimum conducat. Ex hoc loco forsitan petita sunt, quæ de gagatis variis, & adductis etiam viribus, tradit ligato sermone *Morbodeus in Dactylotheca cap. 28.* De succino attracto indicat quoq; *Ans. Boet. de Boot histor gemm. l. 2. c. 160.* quod forinsecus gestatum pueros contra fascinationes, nocturnaq; terriculamenta tueri perhibeatur. *Rattray theatr. symp. p. 26.* ait: electrum minerale arcet maleficia sagarum, si gestetur; de quo & aliis, scil. ruta, verbena, hyperico, adianto, coralliis &c. ex Helmontio nonnulla itidem tradit *Joh. Georg. Waltherus Sylva med. p. 587.* Confer etiam ideò alios autores, qui in specie de succino agunt. Porrò contra fascinum non carere effectu corium asini in fronte alligatum, frontem hyænæ, dentes hominis mortui, & rostrum lupi innuit *Maccasius prompt. med. lib. post. c 5. p. 201.* Amuleta nonnulla fascino opposita sequentibus versibus complectitur *Ronsseus. venat. medic. p. 102. &c.*

- - - - - - magni rector Olympi
Antidotos homines docuit: nam frontis hyænæ
Noctivagæ pellem perhibent arcere verenda:
Fascina, si gestet quisquam tacitusve reservet:
Stercora quæ rejicit violentâ & morte perempta,
Ossaque creduntur magicas depellere fraudes.
Et confert catuli nigri tinxisse cruore
Interiora domus, murosque obducere rubrô
Incrustamentò; vel fel suspendere tignis.
Lichenes tumidos celeris dromadæ & resecare
Convenit, & siccos servare cubilibus amplis,
Quod strygibus fraudes adimant, & fascina pellant.
Atque oculus dexter mustelæ includitur auro,
Post teneris digitis aptatus reddere tutos
Dicitur à diris lamiis, strygibusq; ligatos.
Creditur à multis torvi servata leonis

Pars

Pars caudæ prodesse viris, quos fascina vexant:
Fertur quod simili vi polleat ungula pardi.

Quia periapti ex asino petiti feci etiam non procul ab his mentionem, nolo quoq; hæc omittere, si forsitan veri aliquid ex iis eluceat, quæ communicat cit. *Bald. Ronsseus Epistol. 22. p. 66.* Asinus, ait, cùm animal alioquin iners sit, & (ut verbis *sancti Hildegardis* utar,) ad actiones pigrum, prorsus tamen luxuriosum est, & ferè cœcum, de superfluitate naturæ, quam in libidine habet, soleas aut ungulas profert, ex quibus si annulus fiat, qui gestatur, fascinationem averruncare perhibetur, eamque non quamvis, sed quâ viri veluti ligati ad venerem inutiles redditi sunt: Verisimile enim est animi indolem in ungulas quodammodo demigrasse, unde gestanti στοργὰς & veneris stimulos illæ excitare creduntur &c. De aliis rebus ab asino provenientibus, & contra sterilitatem laudatis videat, qui vult, inter periapta contra sterilitatem inferius adducenda & inde repetat. Non minores vires imputat *Kiranus in Kiranidibus p. 89.* annulo ex ferreo fræno asini, sine ignis adminiculo confecto, atque gestato; illum enim dæmones fugare ait; quod itidem præstare statuit autor dictus annulum ex asini dextro pede paratum. Subjungit etiam ille ipse *ibidem* hæc: si quis dormierit, vel quieverit super corium asini, nulla dæmonia timebit, nec etiam Gelo nec Gillu, id est striges, vel nocturnos occursus. Similem quoque efficaciam citatus autor *p. 91.* inesse vult cornu rhinocerotis, & lapidi in ejus naribus gestato; dicit quippe dæmonia isthæc ejicere. Cùm brevi ab his mentio inciderit annulorum, obiter etiam iis annectimus annulum illum Eleazari Judæi, quô in exercitu Vespasiani in nares obsessorum immissô, &c. Dæmonium emunxit; ista & plura de annulis à Judæis in naribus gestatis prostant apud *Th. Bartholinum de morb. Bibl. no. 19. p. 83.* &c. Confer quoq; *Mich. Freudium* in gewissen Fragen von der Zauberey *qu. 208. p. 423.* Refert præterea *Plinius l. 28. c. 10.* quòd lupi rostrum inveteratum veneficiis resistat, atque ideo villarũ portis præfigi soleat à rusticis. De quo & aliis lupi partibus, uti & plurib⁹ rebus

ab animalibus desumtis, atque contra fascinum commendatis annotati versus loquuntur in *Balduin. Ronsæi venatione med. p. 31. &c.* Qui idem *Epist. 22.* etiam de ungula onagri seu domestici asini nulla nigredine tincti, maleficia restringente agit. Locum illum *Plinii* de rostro vel capite lupi allegans *Joh. Langius l. 2. Epist. 38.* subdit tandem hoc: scilicet id venatores nostris quoq; temporibus observare, sed in quem usum, nescire. Addimus his, quòd non raro in Germaniæ pagis inprimis, equorum ossea capitis portio columbariis præfigatur, cujus rationis forte non omnes gnari sunt; contenti enim simplices sunt traditione ejusmodi à majoribus impetratâ, eamq; continuant & hanc de similibus rebus reddunt rationem: Es sey gut. De adipe lupina etiam videatur idem *Plinius l. 28. c. 9.* quod novæ nuptæ olim postes inungere solitæ sint, ne quid mali medicamenti inferretur. Sic vespertilio circumlatus vivus, & super fenestram, vel in hyperthyro, aut ipsis valvis inversô capite affixus, maleficiorum amuletum creditur, *Plinio* id itidem tradente, quod pariter adhæc usq; tempora plerisq; locis factitari dicitur, hæc autem habet *Joh. Pierius Hieroglyphicorum lib. 25. pag. 252.* Cum hactenus mentionem fecerimus brutorum quorundam, januis loco amuleti appensorum, constat quod ejusmodi spoliis vel feris captis vel affixis indicarint non semper amuleta, sed quòd illic habitarent venatores; item quod Dianæ pro felici venatione invocatæ partem prædæ voverent; unde etiam arborum ramis appensæ sint in lucis, ubi captæ sint feræ. Porrò quòd etiam pro domo expianda infaustæ nocturnæq; aves foribus affigantur, meminit *And. Schottus observat. human. l. 1. c. 12. p. 16. &c.* De qua materia etiam *Arndius de superstition. c. 3. §. 63. (ex Casauboni notis, p. 206. 207. Apulejus miles 3.) & Casp. Sagittarius de januis veterum cap. 29. p. 202. &c.* Cæterùm olim etiam consuevisse quosdam capita hostium ex prælio deportata condire cedrinâ, vel odoribus, & in arcibus asservare, aut postibus affigere, ut spectaculo essent hospitibus, iisq; ostendi possent, docet *El. Schedius de Diis Germ. syngram. 2. c. 31.*

c.31. p.381. Addatur eidem autori de hac materia itidem agens *Al. ab Alexandro Genial. dier. l.5. c. 24. p. m. 331.* & in hunc locum *notæ Tiraquelli*, *& Jac. Pontanus in Bellariis Atticis syntagm. 2. §. 112. p. 439.* & laudatus *Sagittarius l. a.* Porro Dracontheam herbam circumaptatam omnes servare immunes abs fascinatione, indicat *Kiranus Kiranidibus p. 20.* Veneficia etiam arcere hypericon pileô inclusum, vel pulvinari suppositum noctu; si sit certô tempore collectum, docet *Paracelsus*, & *Crollius de Signat. p. 36.* Hypericon obsessos neq; odorare nec ferre valere, si colligatur sole jovi junctô, die & horâ solis, sique simul hæc conjunctio fiat in decima sphæra microcosmica; asserit cum *Porta* (*lib. 3. phytognomon. c. 13.*) *Aug. Etzlerus isagog. phys. mag. med. c. 4. p. 96. Excell. Gothofr. Welschius de Obstetric. c. 38. p. 551.* Hyperici encomia alia non pauca in autoribus reperimus, de quo & simul de origano atq; erica Dæmonibus adversantibus videri potest *Mylius hort. Philos. p. 611.* De amuleto idem ex Hyperico, Lunaria, Erica alba & origano, quod præsentissimum sagarum terriculum sit, si collo appendantur, idq; ex *Ronsseo* petitum esse, docet *Fischerus corp. med. imperial. l. 3. tit. 12. p. 224.* Anagallis phœniceô flore in vestibuli limine contra maleficiorum introitum valere olim credebatur, allegante *Rolfincio Epit. meth. cognosc. & cur. affect. corp. p. 80.* De Alysso, Hyperico, moly; aliisq; pariter innocuum reddentibus fascinum *Plinius l. 25. c. 9.* De eadem efficacia vegetabilium illorum vid. quoq; *Joh. Langius lib. 1. Epist. 34.* Quòd de dictis tribus prioribus plantis etiam *Dioscorides* agat; memorat, *Mich. Bapst* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buch/ *part. 1. p. 201.* Ut accuratius verò constet de quorundam amuletorum enumeratorum autoritate; non possumus non huc trahere verba *Exc. Joh. Christ. Frommanni disp. de fascino p. 56 §. 66.* Indicat autem, quòd *Dioscorides lib. 3. c. 89.* Alyssum (de quo addatur *Aëtius l. 6.* & *Joh. Langius l. 2. Epist. 36. 37.* *Aristoteles sect. 20. probl. 34.* Rutam *Plinius l. 26. c. 10.* radicem satyrii, seu orchidis, & *lib. 28. c. 8.* corium frontis hyænæ commendat. Allegat etiam autor citatus illic eos, qui pellem melis, talpæ pedem

pedem, lupi caudam gagatem & fasciolas rubras fascino oppositas censeant in modum amuleti adhibitas utiles. *Natal. Comes mytholog. l. 6. c. 6. p. 572.* inquit: veneficiorum remedia credita sunt moly, stella piscis marinus, lapillus jaspis, rhamnus, salix, pulicaria aliaque multa plantarum animaliumque genera. Herbam paulò ante attactam, scilicet moly alias etiam contra veneficia & magicas artes commendat *Mercurius Ulyssi apud Homerum Odyss. 10.* Etiamsi isthæc de tota actione Ulyssis intelligenda quidam velint mythologicè, sine dubio tamen planta illa etiam olim usitata fuit ad veneficia magicasque actiones non ignotas. Verum nullam contra malignos spiritus antipathiam inesse moly vel hypericoni (etiamsi fuga dæmonum à superstitiosè credulis nuncupetur) adstruit *Joh. Wierus de præstig. Dæmon. l. 1. c. 20. p. 511.* De moly iterum, bacchare, arthemisia, rhamno, hyperico & ruta sylvestri capiti circumvallata, quòd à fascino defendant, docet *Andr. Laurentius oper. therapevt. tr. de sanat. strumar. l. 1. c. 5. f. 10.* Ibidem autor etiam florem gariophylum animos hominum & corpora tueri à maleficiis dicit. *Ibidem f. 11.* refert autor hienæ etiam corium fascino resistere, & Chameleontis hepar tostum collo appensum necromantica pellere. De alysso quoque, rhamno & phu in domo contra fascinum suspendendis; carbunculô verô, hyacintho, saphiro, orchyde & ruta collo appendendis; item de annulis gestandis ex onagri & asini domestici ungulis paratis, agit *Joh. Bapt. Porta mag. nat. lib. 2. cap. 28.* Eandem illam, vel efficaciam alysso tributam, plurimi forsitan collegerunt ex *Dioscoridis l. 3. c. 105.* qui herbam illam in domibus suspensam, tum hominibus, tùm animalibus fascini amuletum existere, & pannô puniceô circumligatam pecorum morbos abigere ait. Verùm verbis consignatis parum fidei tribuit *Sanctorius de vitand. error. lib. 8. c. 11. f. 161. Ibi* similiter, quod ruta conspersa aquâ suspendatur de collo contra fascinationes in papatu, docent autores. Rutam & Alyssum qui scriptores plures aliàs dilaudent, videantur allegati in *Hornii histor. nat. l. 3. c. 13. p. 184.* De ruta aliisque

aliisq; plantis ac rebus apud Pontificios similiter conservatis, ac sanctis ceremoniis adornatis pro fascino domando atque curando, confer sis allegata in *Hier. Jordani de divino in morbis c. 65. p. 221.* Quorundam hactenus adductorum remediorum fascino resistentium, scilicet satyrii, orchidis, ossiculorum palmarum lunatorum, dente (religione quadam) politorum, corii frontis hyenæ, gagatis, ac rutæ (ex *Plinio* ut plurimum) mentionem etiam facit *Franc.Vallesius phil sacr c.68. p. 425.* &c. Tandem autor hic in hunc modum de illorum efficacia vel operandi ratione scribit: Certè ruta commendatur adversus dæmones & fascinationes, ac deniq; adversus omnes passiones, quæ censentur etiam sacræ, ut adversus terribilia insomnia, phantasmata, & nocturnos timores; hujus verò causa est, quod absumit flatus, & siccat, extinguitq; redundantiam. Pleraq; verò eorum, quæ in Dæmones vulgus refert, nascuntur ex dictis causis, ut facilè disces ex *Hippocrate libello de flatibus, & de morbis virginum.* Hoc idem dicimus de radice orchidis, præterquam quod ea radix semen expellit potius, quàm absumit. Gagates lapis fortasse comparavit eam authoritatem, quia recreat vulvæ strangulationes. Jam verò ossicula palmarum lunata, superstitiosum remedium esse, ut *ab errore conceptum potius quam verum malum,* constat vel ex ipsis *Plinii* verbis. Ipse enim dicit, religione quadam politum. Illa verò religio superstitio est, multò magis superstitiosum est, expulsione repellere fascinationem, atq; hoc ipso remedio testari videntur homines, fascinationem non esse ullam à naturalibus causis illatam noxam, sed ad veneficia & dæmones pertinere. Ast illa testimonia autorum, qui pariter sententiæ illi adstipulantur, quod scilicet non omnes morbi à fascino vel cacodæmone proficiscantur, etiamsi tales communiter putentur, in subsequentibus patebunt. Verùm his dictis & aliis, quæ veneficiis resistere dicuntur, fidem non esse derogandam, quod ratione innitantur, statuit *Goclenius de magnet. vuln. curat. expressa apud Rattray theatr. symp. p. 185. & p. 188.* Sed quid ad *Goclenii* sententiam respondeant non pauci, legi potest

apud citatum *Rattray*. Videri etiam poteſt, quid de ſuſpectis ejusmodi rebus plurimis rectè ſentiat ex *Godelmanno Camerarius horis ſucciſ. cent. 3. cap. 30. p. 104.* Nondum abſolvimus omnia periammata veneficiis oppoſita: Celebre quippe porrò eſt inter illa Antirrhinum, quod alligatum malis medicamentis ac veneficiis adverſari dicit *Dioſcorides l. 4. c. 133.* De quo etiam *Crollius de ſignat. p. 37.* Hujus & vincæpervincæ commendatæ mentio etiam fit apud *Rattray l. c. p. 21.* De Antirrhino verba quoque facit pluries à nobis laudatus *Velſchius notis ad Reuſneri obſervat. med. 7. p. 8.* Plura teſtimonia de iſta planta, βουκράνιον etiam dicta, & quòd *Theſſali* ſolam ipſius iconem equis ſuis nobilioribus, pro faſcino arcendo, inuſſerint, proſtant apud *Exc. Chriſt. Franc. Paullini in Bufone deſcripto p. 4. 5.* De Antirrhino, rhamno, & polytricho videatur pariter *Schorerus medic. peregrin. p. 230.* ubi ſimul *p. 231. ex D. Glonii manuſcriptis* commendat fruſtulum ligni taxi, ſi nudo corpori appenſum circumferatur. Rhamno paulò ſuperiùs, & jam modò memorato olim inſignis vis contra faſcinationes & incubos ſeu ephialtas aſſignata fuit, adeò ut igitur quoque *Nicandro* dicatur ἀλεξίαρος ῥάμνος, diras imprecationes pellens, qui etiam ab *Ovidio* aliàs janalis virga, & communiter ſpina alba vocatur, nec non olim dictum in finem foribus aut feneſtris ſuſpendebatur; de quibus & ſuperſtitioſo uſu declarato plura proſtant apud *Mylium hort. Philoſoph. p. 342. & 343.* De eodem uſu & effectu rhamno antea tributo agit etiam *Dioſcorides l. 1. c. 114.* cui loco plura teſtimonia de rhamno & ſpina alba, ſeu ſancta etiam dicta, accedere poſſunt ex *Exc. Caſp. Sagittarii harmonia paſſionis Chriſti part. 2. §. 283. p. 649. & §. 290. p. 651. &c.* Verùm vanum iſtud amuletum ineffica x renunciat iterum *Sanct. Sanctorius de vitand. error. l. 8. c. 11. f. 161.* Porrò bryoniæ radicem abigere univerſa veneficia, docuit *Arnoldus*, de quo *Reies campo Elyſ. quæſt. 97. §. 13.* Annumeravimus paulò ante origanum amuletorum huic claſſi, hoc verò *Etzlerus Iſagog. phyſ. mag. med. c. 2. p. 63.* collectum vult Jove in Sagittario exiſtente, die & hora Jovis, idq; ſuſpenſum in domo,

ea-

eandem à furtis & veneficiis conservare ait. Inter hæc periammata etiam locum sibi vendicat verbena, quæ ideò ad mentem quorundam sacra herba audit, atq; laudatur à *Dioscoride l. 4. c. 61.* Audiatur quoque de illa *Plinius l. 4. c. 56. Henr. Kornmannus in templo naturæ p. 227.* aliiq; plures. Verbena autem olim peculiarem obtinuit autoritatem præ reliquis plantis, adeò, ut ad varias actiones sacras & expiationes Ethnicorum admissa fuerit; velut epitheton illius paulò ante attactum huc magis respicere volunt quidam, dum sacra herba dicta atq; æstimata fuit; de eadem herba & ratione hujus appellationis consulatur *Sitonus Iatrosoph. miscell. tr. 32. p. 186. &c.* De ipsamet planta ad sacros & magicos usus adhibita apud Romanos videatur quoque *El. Schedius de Diis Germanicis syngram. 2. cap. 38. p. 412.* &c. Legati etiam aut Feciales, bella indicentes, vel fœdera facturi olim coronati illâ fuerunt plantâ, uti discimus ex *Salmutho ad Pancirolli memorab. part. 1. tit. 58. p. 307.* De æstimio hujus herbæ, quanti scilicet quidam illam etiam fecerint, & quod ad mirificos usus adhibuerint illam, agit quoq; *Plinius l. 24. c. 17. & l. 25. c. 2. & 9.* Sed subjungit iis autor dictus, quod magi circa eandem herbam insaniant. Qui plura de modò dictis appetit, adeat *Joh. Saubirtum de sacrificiis veterum cap. 24. p. 615.* &c. *Joh. Dan. Majorem in tribus novis inventis medic. invento 3.* & *Mart. Lipenium histor. strenar. c. 3. p. 128.* &c. Sed decoctum verbenæ & amuletum ex hyperico & herba eadem sacra confectum à *Bapt. Codronchio* commendatum contra veneficia, stultum & diabolicum pronuntiat *Jordanus lib. de eo, quod divinum est in morbis c. 65. & 45.* Inter ea, quæ veneficia difflare, vel non admittere putantur, numeratur ampliùs viscum colurnum; quales aliàs vires prædicentur de eodem, tanquam ingrediente unguentorum usitatorum contra morbos veneficiô inductos, consulantur *Carrichterus lib. 2. cap. 12.* & *Henr. ab Heer obs. med. rar. obs. 8.* De visco querno, quod etiamnum hodiè inter Chistianos illud soleant infantium collo suspendere adversus amuleta, veneficia & ludibria Satanæ, testis existit *Tragus*, idque superstitionibus annumerat. Nec diffitebimur istius visci æstimium, si originem

 illius

illius spectemus penitiùs, quia quercus, & plantæ in hac crescentes pro variis actionibus sacris, aut rectius, superstitiosis & illicitis olim fuerunt admissæ, de quo *Plinius lib. 16. cap. ultimo*, & nos aliquando in nostro *Querceto curioso medico* pluribus acturi sumus. Quercum maritimam gestatam omnia maleficia etiam abigere scribit *Andreas Laurentius in oper. therapeut. de strumar. sanat. l. 1. c. 5. fol. 10.* Porrò de serpentis cordis usu, contra philtra & fascinum faciente, agit *Zwelferus pharmac. Reg. p. 149.* Sic etiam, quod contra incantationes hominum ac pecorum quidam suspendant artemisiam, idque superstitiosum sit, docet *Caspar. Hoffmannus de med. offic. l. 2. c. 22. p. 110.* Zenexton contra veneficia & incantationes sequens existere perhibet *Joh. phar. Rhumelius medic. spagyr. p. 55.* Recipiatur plumbum, idque in aquam fortem fundatur liquefactum ac in formam redactum, corporique affixum in serico puniceo gestetur. Dehinc grana palmæ Christi gestata præservare a venenis & veneficiis, idq; betonicam etiam præstare portatam, juxta *Plinii* assertum, dicit *Mich Bapstius* im wunderbarl. Leib und Wund-Arzney-Buche *part. 1. p. 201.* Prolixius encomium betonicæ, inter amuleta malis multis resistentia, adducimus ex *Musa.* Porrò contra fascinum videtur asarum commendare *Virgilius Ecloge 7.*

Aut si ultra placitum laudarint, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futura.

Atq; asarum ideò fortè à *Dioscoride c. 9.* coronaria planta dicitur, licet errorem subesse suspicetur huic appellationi, atque hujus rationem sufficienter non penetret *Joh. Manardus Epist. medicin. l. 8. Ep. 1. p. 160.* Asari autem vocem ab usu illo dictam velle videtur *Plinius l. 21. c. 6.* quòd inter capitis ornamenta receptum fuerit asarum. Alii verò autores nondum inter se convenire videntur, quænam herba per Baccharim intelligatur: cùm quidam nardum (quod nomen autoribus synonymum ipsius est) alii scarleam, & alii herbam *sancti Johannis* intelligant; de quo doctè disserit *Francisc. Alexander in Apolline suo p. 6.* Allegato huic jungatur *Lobelius adversar f. 245. Remb. Dodonæus histor. stirp. pempt.*

pempt.2. lib.4. c. 25. f. 292. &c. & *Andr. Matthiolus Comment. ad lib.3. Dioscoridis c.44. f.535.* Atq; hæc herba potest coronaria forsitan dici, si ex prioribus ab *Alexandro* recensitis duabus utra est; quia sunt odoratæ illæ, ut adeo fragrãtiæ expetitæ vel delectationis gratia forsan pro coronis admissæ fuerint. Si verò per postremã plantã hypericô intelligitur, (uti Germanicô idiomate illa herba Johañis-Kraut vocatur) eadem herba fortè contra veneficia fuit inter coronarias plantas recepta. Notus autem est hyperici usus modò dictus, quòd contra veneficia atq; dæmonem comendetur. Quod verò coronariæ herbæ vel flores non semper odoratæ vel fragrantes olim extiterint, sed sine dubio pro usu vario: scilicet ebrietate, incantatione, tonitru, aliisque malis pluribus profligandis, ad corollas receptæ fuerint, colligo inter alia ex Antirrhino, quam plantam inter coronarios flores recenset *Columella;* de quo pulura apud *Velschium notis annexis ad Reusneri observat. med. 7.* Quod verò antirrhinum etiam adversus veneficia pariter laudetur, consuli potest autor modò allegatus *l. c.* & quæ superius de eodem aliisque periaptis similibus añotavimus. Suspicor itaq; coronarias plantas non semper propter odorem, sed etiam decorem aut ornatum, medicumve quempiam usum dictas atq; reputatas fuisse. Non minus celebris est laurus apud veteres, de qua inter alios *Joh. Henricus Ursinus arboreto Biblico c.42. p.551.* Illud inquit planè magicum, de quo *Passeratius*:

Laurus amica bonis Geniis, longeque repellit
Nube cavâ tectos Lemures &c.

Spectra enim in fugam agi laurô conspectâ finxerunt; de quibus multa *Porta lib. 2.* Plura in hanc rem prostant apud *Joh. Laurentium Polymathia l. 1. c. 14. §. 34.* De allii effectu præterea *J. Sammonicus Serenus medic. cap. 28.* ita:

Præterea si fortè premit strix atra puellos,
Virosa immulgens exsertis ubera labris;
Allia præcepit tundi sententia Vecti,
Qui veteri clarus expressit more Togatas.

Postmodum cerasus sylvestris racemosa (vel pseudoligustrum *Dodonei*, juxta *Lobelium* cerasus avium racemosa, aut juxta *Taberna montanum* cerasus racemosa nigra) & quidem hujus arboris tria vel quinque resegmina colligata, aut baculi aliquot digiti magnitudinem æquantes mense Novembri, die Martini collecti & gestati, striges & maleficas fugare creduntur: Rustici etiam de hac arbore mense Maji colligunt frondes & cum aliis herbis (scilicet hyperico, ruta muraria &c. de quibus *Wolffg. Ambrosi. Fabricius de signat. plantar. epimetr. 1.*) corollas nectunt, quas jumentis appendunt. Notus est (quod dolendum) usus etiamnum hodie per Germaniam plebejis quibusdam frequens ramorum sambuci & trium signorum crucis, quibus januas conantur munire contra veneficarum damna, & quidem pridie calendarũ Maji, quo die dictæ veneficæ dicuntur itineri ad sua conmitia vel conventum in monte Bructero solennem accinctæ. Præterea *Crusius Annal. Suevic. l. 12. p. 3. c. 37.* cujuspiam reperti lapidis bufonii magni mentionem facit, quod hic brutis, puerperis aut infantibus incantatione læsis conducat suô affrictu, unde etiam ille guttulas instar sudoris contrahat. Sic de specie quapiam lapidis, quæ chelonites, Brontia, vel ombria dicatur à quibusdam, ejusque de figura ære expressa, quod conferat contra veneficia, videatur die Gottorfische Kunst-Kammer *p. 35.* Non immeritò miramur, atque ideò huc trahimus etiam corticis tiliæ effectum, quem in Dæmoniaco exseruit: ligatus quippe eô & constrictus quispiam quoad pedes & manus quievit, quem quatuor viri robustissimi alioquin concitatum paroxysmô suô furoris vix continere potuerunt. Dæmoniacum autem illum extititisse linguarum variarum peritia vel loquela observata innuere videtur, de quibus videantur *Acta med. & philos. Danica Anni 1673. obs. 8. p. 11.* Nescio num huic negotio vel vinculo eligendo fortè ansam præbuerit typicus sensus petitus à philyra, de quo *Joh. Henricus Ursinus Arboreto Bibl. c. 10. p. 171. & 172.* Philyræ tenus, inquit, ut legendum monuit *Salmasius*, funiculus est ex tenui tiliæ membrana nexus, apud Ter-

Tertullianum de Pallio. Hæc vincula sunt, quibus amentes, nexu libidinis, in exitium ducuntur &c. Adeoque philyra vel impudica mulier philtri instar esse, & illaqueare vel ligare potest œstrô veneris laborantes mares. Posthæc alii pro antistrigo etiam fraxini corticem, die secundo Maji detractum, & quercum fulmine tactam habent, de quo *W. A. Fabricius l. c.* Porrò nucis Medicæ Maldivensium medullæ lapideæ particulam Indi includunt annulis aureis aut argenteis, eosque gestant intus ita, ut cutis illâ medullâ possit attingi, atque hôc amuletô se tutos credunt ab incantamento, de quo *Olaus Wormius museo p. 203.* Talpæ pes applicatus sincipiti, fascinationi resistit, inquit *Sylv. Rattray theatro symp. p. 18.* Idem observatur annotatum apud *Staricium* im Helden-Schatz *part. 6. p. 575.* Videtur quadantenus applaudere illorum sententiæ, qui sanguinem humanum, & menstruum præcipuè statuunt dæmoniacis magorum artibus & insidiis aditum præcludere, si domus alicujus postes eô inungantur, de quo *Simon. Majolus dieb. canicul. tom. 2. colloqv. 3. p. 272.* Verùm simia Dei Diabolus videtur nonnihil ex veteri sacro fœdere illitu postium noto, sanguine agni instituto, traxisse. Ponderet interim quis reliquos apud Majolum allegatos ausus satanicos, dum quidam sanguinem innocentium infantulorum tonitrua, & menstruum sanguinem adhibitum vermes ex agris propellere dicunt. De menstrui sanguinis isto refutato abusu aliisq; similibus ausis medicis, mediante illo institutis, uti & pluribus usibus ipsius medicis, in morbis aliis destinatis, prostant nonnulla in *Ludov. Banacioli de fœtus format. p. 180. &c.* De his illicitis etiam uberior locus in nostro scrutinio agens occurret inferiùs. Nonpaucos etiam autores observamus commendare mercurium, quemadmodum de hoc & catoptro caudæ pavonis nuci avellanæ incluso agit *Camerarius Syllog. memor. cent. 11. part. 75. p. 85.* Nudùm vel simplicem verò mercurium currentem leges laudatum apud *Herculem Saxoniæ.* Aliquoties etiam in hoc tractatu mercurium commendatum sistimus, juxta autorum ductum, in peculiaribus quibusdam

affecti

affectibus veneficii suspectis. De mercurio itē, quod gestantes hunc, nullas prorsus sagarum, lamiarum aut strigum insidias in lactatione pertimescere debeant ac possint, juxta vulgi persuasionem Patavii, mentionem facit *Jordanus tract. 3. cap. 9. de pestis phænom.* De aliis testimoniis, eadem hæc de mercurio approbantibus, videatur *Bartholinus de lapid. nephrit. c. 10 p. 27. §. 43.* ibi concludit autor illa sua verba his: sed, inquit, verum remedium in fascinatione est collocatum in pietate & precibus. Idem illud prius, de mercurio fascinum à lactantibus arcente, ab aliis etiam statutum videri potest in sequentibus, inter amuleta lacti augendo destinata. Porrò *Christ. Encelius de re metall. l. 3. c. 48. p. 214. &c.* scribit de Callaitis specie, seu gemma, quam etiam cum melancorypho convenire dicit, quod ejusmodi lapis in nido avis Rubith dictæ reperiatur, & commendetur ac usurpetur à pastoribus contra incantationes, larvasque nocturnas. *Andr. Laurentius oper. therapeut. tr. de strumar. sanatione l. 1. c. 5. f. 10.* prodit hæc: Democritus cathoitis lapidis gestatione frequenter contra fascinum utebatur. Scribit *Trasillus*, referente *Stobæo*, in Nilo lapidem inveniri fabæ consimilem, qui naribus appositus, statim Dæmones fugat. Alias à circumforaneis etiam observavi venditari pro singulari amuleto fascini radicem Pilati. Sic fascinari quoque non posse ferentem adamantem, constat ex *Fr. Rueo l. 2. de gemmis c. 15. p. 226.* Dehinc radicem victorialis amuleti loco usurpare plebem suæ civitatis ac Judæos, atque ideò se à spectris tutos putare tradit *Schröderus pharmac. med. chym. l. 4. p. 143.* Metallicarum fodinarum fossores hanc radicem etiam, scilicet victorialem marem, seu allium alpinum pro spectris & Dæmonibus abigendis usurpare, constat ex *Jac. Theodori (vulgò Tabernamontani) Herbario German. part. 2. p. 209.* Præterea radicem pæoniæ gestatam phantasmata cuncta & Dæmones depellere vult *Kiranus Kiranidibus p. 19.* Eandem radicem, sed nigram pro ludibriis Dæmonum arcendis, etiam laudat *Plinius l. 25. c. 4.* Sic valere item contra incantationes corpori appensam radicem angelicæ, *Fuchsium* testem illius allegat

allegat *Remb. Dodonæus histor. stirp. pempt. 2. l. 5. c. 24. f. 317.* Illusiones phantasticas arcet etiam chalcedonius lapis collo suspensus juxta *Grembsium in arbore integr. & ruin. l. 1. c. 7. §. 3.* Post hæc cor vulturis ligatum in pelle lupina, si circa brachium habeas, nullum medicamentum nocere tibi poterit, nec serpentes, nec latro, nec ulla medicina, nec quidem phantasmata senties, ceu statuit *Sextus philos. Platonicus de medic. animal. part. 2. c. 2. p. 102. &c. & Plinius lib. 29. c. 4.* Mustelæ quoque oculum dextrum in annulo positum liberare à fascinatione, quæ per oculos fiat, recenset *Bald. Ronsseus Epist. med. 22. p. 65. & in venat. medic. p. 103.* Deinde adversus incantamenta peculiare periapton etiam haberi à quibusdam ossiculum cruciforme ex capite lucii desumtum, innotescit ex *Schroderi pharmac. med. chym. lib. 5. p. 330.* Sed de hujusmodi rebus & plantis, præcipuè apud Pontificios contra incantationes usitatis, (quæ tamen fidem non mereantur, propter naturalem iis denegatam efficaciam,) agit inter alios *Excell. Paulus Ammannus program. invitator. ad botanicas lectiones Lipsiæ 1671. edito.* Confer his etiam *Mich. Freudium* in Gewissens-Fragen von der Zauberey *qu. 207. &c.* De plurimis hactenus recensitis, & aliis materiis, quibus Dæmones & maleficia arceri credidit antiquitas, & Ecclesia Romana, (parvam tamen fidem iis tribuens) fusè etiam & benè disserit *Joh. Wierus de præstig. Dæmon. lib. 5. c. 21. p. 583. &c.* Cui addatur *Hieron. Jordanus de eo quod divinum est in morbis*, variis in locis, & alii plures. Excresceret in immensum penè hæc materia de his amuletis, si pergere in iisdem recensendis vanis, ludicris ac rejiculis animus esset. Qui verò plura pernoscere cupit ejusmodi apotropæa, consulat *Plinium l. 13. c. 4. & l. 28. c. 8. & 10. Sennertum praxi medica l. 6. p. 428. & 440. Reies camp. Elys. qu. 23. §. 16. p. 257. Lev. Fischerum corp. med. imp. l. 3. p. 224. Portam mag. nat. l. 8. c. 14. p. 362. Vairum de Fascino, Delrio disquis. mag. tom. 3. l. 6. c. 2. q. 2. p. 172. & alios plures.* Sed si ullibi attendendum est in medicina, sane hîc est, ne idololatriæ, atque ideò Diabolicis sacris & cultui sint dicata talismodi amuleta,

veluti talia olim non immunia istorum fuisse *Colbius ad Hanium scribit in epistola annotata apud Sennertum l. c.* & quidem *in Epistolis, appendicem* illius loci constituentibus. Illic autem inter alia *in Epistola 2. Hanii* hæc prostant legenda: Amuletum, scribit, ex herbis & seminibus, certis temporibus ritè collectis, quibus ratione odoris præpollebat camphora, Halâ ei (scil. mulieri veneficiis deturpatæ) fuit transmissum; at noluit id admittere, ne odium Dei omnipotentis (vanè hoc modô laborando contra odium Diaboli, qui tanquam spiritus medicamentis corporeis per se non cedat) in se derivet. Hinc & satis læta ac animosa præter preces, cultum divinum & sanctum usum Sacramentorum, nihil adhibebat dæmonifugi. Quia veteres, & Ethnici admodum timuerunt incantionem, non solum amuleta varia sed etiam ceremonias, gestus & verba eorum loco ad suas actiones adhibuerunt. Sic pro infringendis fascinis ter in sinum soliti fuerunt exspuere, de quo *Theocrit. Idyll. 6. v. 40.* Quidam medium digitum ostenderunt idque in Hispania adhuc dicitur fieri, & Fisca appellatur hic illudendi actus, de quo *Ericus Puteanus l. c. p. 70.* Salivam jejuni hominis etiam olim frequenter adhibuerunt pro avertendis fascinis, de quo *Plinius l. 14. c. 4.* aliique plures autores. De artificiis hisce *Persius Satyr. 2. v. 31.* ita canit:

Ecce avia aut metuens divum matertera canis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digitô & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

Dicitur autem infamis medius digitus, quia cæteris depressis ille extendi solet, in Cinædorum & mollium notam, aut ignominiam, atque sic simul penis forma efformatur vel indicatur; de quo *Farnabius in notis ad locum allegatum Persii.* Quod verò penis vel ejusmodi res aliæ turpes olim infantibus contra fascinum appensæ fuerint, de eodem, & hujus ratione aliquali inferius agetur inter periapta usitata pro infantium tutela medica. Plura etiam restant adhuc inferius, pro

pro materia periaptorum incantationi oppositorum dilucidanda, à nobis proponenda, ideoque his recensendis jam non amplius immoramur.

Febrifuga periammata.

AGgredimur porrò jam febrifuga periammata, inter quæ commendatur Jaspis lapis gestatus *à Matthiolo de simpl. medic. facult. p. 228.* Si *Kirano in Kiranidibus p. 87.* credimus, viventis muris cauda, pedes, aures & nares abscissi, inque panno ligati ac ad collum suspensi omnem typum & rigorem antiquum febrium mirabiliter ejiciunt. Vim non parvam quoque in febribus tribuunt quidam carbonibus, certô tempore sub artemisia repertis, colloque affixis, in quod negotium tamen invehitur *Abr. Scultetus* in der Warnung von der Zauberey *concione ad Esaiæ c.47. versum ultimum.* Præterea Celeb. *Jobus Ludolfus histor. Æthiopica l.1. c.12. §.15. &c.* Febrim, ait, tertianam & quartanam Torpedine curant Habessini, sed validè in tabula ligandus est ægrotus; sic piscis ille artubus ipsius applicatus cruciatum atrocissimum omnibus membris inducit, post quem paroxysmus febrilis non redit. Acerbum videtur hoc remedium, fortassis etiam podagricis non inutile futurum; quia id genus morbi tormentis curari quidam dicunt. Credent id inter Æthiopes illi, qui ipsum cacodæmonem hoc pisce ex homine exigi posse pro certo habent, &c. Hactenus Nobiliss. *Ludolfus.* Cæterùm de Torpedine alia scrinia in nostro hoc catalogo agunt. Sunt etiam, qui cornu cervi contra tertianas mirè efficax deprædicant, si collo gestetur, de quo *Melch. Sebizius l. 1. cap.18. p. 88.* Unicornu Grönlandici frustula collo appensa, amuleti vicem etiam sustinuisse Hafniæ in febribus, testatur *Thom. Bartholinus cent. 4. histor. anat. 4. p. 209.* Porrò dextrum oculum lupi alligatum discutere febres scribit *Sextus Philosoph. Platonicus de medic. animal. part.1. c. 8. p. 64.* Salsum verò debere esse oculum hunc constat ex mente *Plinii l. 28. c.10.* Sic etiam lanam de capite arietis demptam, & à coxis ac testiculis

testiculis passim suspensam, perfecte discutere statuit *Sextus Philosoph. Platonicus l. a. part. 1. c. 6. p. 55* Juxta *Albertum Magnum* dicitur etiam os hominis mortui quartanario alligatum illum à febre liberare, quod allegat *Alex. Venturinus medicin. ab animalib. desumta.* Malunt alii os recipi hominis mortui, nunquam febrim antea passi, quòd suspensum supra patientem, liberet illum à quartana, de quo *Gotfr. Smollius manual. rer. admirab. c. 30. p. 177.* & *Agrippa l. 1. c. 10. de occulta philos.* Ex hoc confirmat idem illud *Joh. Jac. Weckerus de secretis p. 118.* Idem hic autor *ibidem p. 119.* ex Alberto, de ossibus humanis paulò aliter hæc scribit, quando ait: os hominis mortui suspenditur in aliquo, juvat à quartana, & si suspenditur illud super eum, qui conqueritur de ventre suo sanetur. Sed quid respondemus illi trito?

Vis sine febre mori!

Cùm nullus dicatur mori naturali modô sine febre, uti explicat id ferè versus *Lotichu dissert. de febr. c. 2.*

Vi moritur, si quis moritur sine febre, nec illam
Ceu naturalem dixeris esse necem.

Hinc violentâ morte interempti os forsitan placeret aliis, nec antea febre tentati. Hujusmodi febrifuga etiam in tertianis intermittentibus ad epicarpia puerorum admoventur, utpote qui alia remedia non admittunt: materia verò horum, ut plurimùm herbæ sunt quædã, videlicet bursa pastoris, urtica, folia vitis, cornu cervi herba, & similes, parum succi habentes; nobis etiam (ceu *Willisii* habent verba) mentastri usus benè cesſit, quibus sal & acetum adjunctum, in quibus præcipua vis remedii est; hæc enim putredinibus adversatur, & harum facultate per arterias communicatâ, putredini humorum cor fortius resistit. Sal marinus nitrosus, gemmæ, succus plantaginis, bursæ pastoris, herbæ quælibet adstringentes cum aceto contusæ, & similia carpis alligata; radices millefolii, tormentillæ, & camphora etiam collo suspensa perhibentur febres tollere, de quibus consulatur citatus *Willisius*
de

de febr. p.m. 129. De similibus addatur *Melch. Sebizius specul. med. tom. 1. p. 939.* Multi multum etiam tribuunt camphoræ soli, in febribus tertianis & quartanis appensæ; sicuti recordor rusticos & plebejos circa Altenburgum ante aliquot annos eadem frequenter usos fuisse. Asseverarunt autem quidam, quòd similiter evanescat febris, quando Camphora dispereat. De Camphora verò notum est, quod aëri exposita consumatur in auram dissoluta; utrum igitur post absolutos aliquot paroxymos tertianæ vel quotidianæ intermittentes non cessassent æquè, ac si nihil de camphora fuisset appensum, perpendendum est; similia vero huic negotio inferius occurrent de *Abracadabra.* Interim Caphuræ, & quidem pulsibus applicatæ, non omnem vim derogare audeo. Præterea non rarò usurpari in febribus, (juxta modum dictum, si scilicet pulsibus admoveantur,) Chelidonium, papaver utrumq;, urticam, & similia, asserit itidem *Heurnius operum med. tom. 2. lib. de febr. cap. 21. p. m. 63. & Fel. Platerus de febribus p. 197. &c.* Peculiaris quoque efficaciæ creditur esse pentaphyllon, de quo paulò inferiùs plura memorabimus. Porrò Polygonon carpis impositum in tertiana febri prodesse scribit *Schrodorus Pharmac. med. chym. l. 4. p. 128.* Adstruit idem hoc, sed adhuc quapiam circumstantiâ certâ additâ, *Plinius l. 27. c. 12.* qui dictum Polygonum levâ manu decerpi atq; corpori alligari vult contra tertianam & profluvium sangvinis. Observabis autem modum hunc colligendi crebriùs à *Plinio* aliisq; pluribus annotatum: dum scilicet pro varia curatione absolvenda manus sinistra adhibenda injungitur. Videntur etiam ejusmodi alia testimonia, rara tamen, persuadere quorundam animis, quòd peculiaris eminentia sinistræ, præ dextra, digitisq; certis præ reliquis, in morbis variis insit, de quo, si placet, evolvatur *Mich. Bapstius* im Artzney-Kunst- und Wunder-Buche *part. 1. p. 319.* Verùm, nisi major rationis, aut experientiæ vis huic asserto accedat, postularem illud potiùs vanitatis aut superstitionis. Plura de annulis aureis, aut medicis, magis efficacibus putatis, si annulari digito affixi sint, ex alio loco nostri scrutinii innotescent. Porrò tormentillæ

 her-

herbam calceis immissam, vel stragulis lecti substratam, uti & sonchum, à febre dicunt liberare laborantes eâdem, si scilicet his illi incumbant; dicta verò hæc allegat *Mart. Zeilerus Cent. 1. variar. quæst. 66. p. 246.* Radicem tormentillæ recens effossam stragulis quoque subjici febre decumbentium, testis est *Phil. Salmuth cent. 3. obs. 87.* Radicem taraxaci in tertiana itidem suppeditare amuletum, annotat *Schrederus pharmac. l. 4. c. 340. p. 166.* Hyoscyami semen quoque cum camphora collo vult appensum in febribus *Tilemannus de mat. med. p. 387.* Idoneum amuletum item declarat in tertiana verbenam *Sennertus de febr. p. 281.* Ad intermittentes quoq; *Bulandinum* esse dicitur compositum ex ruta, salvia & bursa pastoris cum aceto rosaceo pulsuum regioni applicandū. De hoc *Hæfferus Herc. med. l. 6. c. 3. p. 294.* ita: post sudorem medicamentis provocatum, recipe salviæ, rutæ, & bursæ pastoris ana pugillum unum, quæ herbæ contusæ cum aceti parum, & ad brachii pulsus applicatæ per viginti quatuor horas, cessare faciunt febres. *Rondeletius* vult, ut folia salviæ, sambuci, pedis columbini & rutæ ana manipulus semis, caltæ pugillus unus, terantur & cum modico salis ac vini carpis imponantur. Ratione salis forsitan etiam in febre operatum est lardum salitum intra digitos pedis ligatum atque gestatum, de quo *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. Dec. 1. Anni 3.* Sal atque acetum alioquin frequenter admisceri ejusmodi febrifugis externis deprehendimus etiam apud *Platerum de febribus p. 197.* &c. *Th. Bartholinum cent. 3. hist. anat. 62.* & alios autores. Radicem plantaginis justo tempore collectam loco amuleti etiam commendat *D. Joh. Michaëlis colleg. MS. ad Rolfincii Chymiam.* Alii accuratius quid meditantes, plantaginis radices tres ante solis ortum collectas, colloq; in involucro gestatas dilaudant; sed suspectæ videntur circumstantiæ injunctæ. Septem etiam caules plantaginis appendi solere contra febrim testatur *Mart. Zeilerus cent. 1. quæst. var. 66. p. 246.* reliquos modos administrationis ibidem annotatos, quia videntur magis superstitiosi, tædet me adducere. Placent aliis quoque folia plantaginis aqua-

ticæ

ficæ contusa, pulsibusque imposita. Deinde ut apium sylvestre ligetur super pulsum manuum, stomacho jejuno, atque ut jejunet quis die accessionis ad alium diem, præcipit *Müllerus mirac. chym. p. 149.* Porrò *Nicol. Blegni in Zodiaco Medico Gallico Anno. 2. mens. januar. p. m 30.* quærens an pellicula ex testa ovi detracta, extremitati digiti admota, vel tinca viva spinæ dorsi admota aut plantis pedum, febris remedium esse queat. Atque illic autor non nulla de similium amuletorum efficacia ventilans, parum istis tribuit. Præterea quod lapillus ex capite Pralelli piscis in plenilunio exemptus, inque linteolo involutus gestatus febrim periodicam tollat, ex *Cartesio* refert *Alex. Venturinus medic. ab animal. desumta.* De variis ejusmodi simplicibus & compositis, uti & oleis atque unguentis, corporis partibus variis imponendis contra febres, agit quoque *Casp. Bravo tom. 3. sect. 5. Resolut. med. 3. p. 182. &c.* Præterea radix valerianæ de collo suspensa amuletum quotidianæ existere scribitur *à Joh. Schrodero pharm. l. 4. p. 170.* Post hæc rostrum psittaci portatum omnem febrium rigorem ejicere vel abigere indicat *Kiranus Kiranidibus p. 136.* Porrò cor turturis & ranarum oculi amuleticè gestati curant tertianas, inquit *Rattray theatr. sympath. p. 18. & 186.* De oculis illis, quòd antè solis ortum eruti & alligati tertianas propulsent, ranæ verò vivæ debeant in aquas remitti, docemur in *Joh. Assveri Ampsingii dissert. iatr. mathemat. p. 171.* Idem hoc legitur apud *Corn. Agrippam,* ex quo fortè illud petitum est. Atque oculorum horum appensorum effectum à manifesta qualitate descendere suspicatur *Jo. Mich.* Schwimmer *curiosit. phys. p. 850.* De plurimis his, & aliis adhuc amuletis à ranis petitis videre licet in *Mich. Bapstii* Artzney Kunst und Wunder-Buche *part. 1. p. 325.* De corde ranarum, maximè fluviatilium, prodit *Schröderus pharm. l. 5. p. 331.* quòd febricitantium spinæ alligatum, febriles algores minuat, ranas quoq; integras commendat idem. Sunt etiam, qui admovent cor illud regioni cordis ad mitigandos cavsonum æstus & incendia. *Bald. Ronssæus venatione medica p. 96.* hoc communicat in quartana:

Atque

Antiq. Bibl. f. 423. Promiscuè autem ejusmodi amuleta non raro applicantur, scilicet, modò in tertiana, modò in quartana aliôque charactere notatis febribus. Nec diferre admodum inter se ejusmodi mites, imò omnes fortè febres suspicor, cùm gradus, vel magis & minus, juxta illud tritum, non varient speciem. Si itaque pertinacia morbi & proportio medicamentorum aliæque circumstantiæ necessariæ attendantur, forsitan haud difficulter conciliabuntur inter se multæ differentiæ febrium, à veteribus multiplicatæ atque excogitatæ. Frequentiùs verò annotatæ formulæ compositæ reperiuntur, quæ araneorũ telas recipiunt, prolixè nolum⁹ illas huc transscribere, cùm longam seriem iis explere valeremus; sed jam plurimùm contenti erimus locis solùm allegandis, in quibus apparatus & præparatio illarum prostat. *Plateri* (*de febr. p. 197.*) amuletum, quod in febribus ipsi usitatum olim fuit, constituunt hæc: recipiatur unguenti populei uncia semis, telarum aranearum numero octo, quæ commixta applicentur pulsibus, pollici pedis & temporibus. Idem hoc unguentum, & telas araneorum inprimis à *Joh. Moibano* aliisque commendari ait *Ant. le Grand curioso natural. arcanor. perscrutatore p. 69.* &c. De unguento ejusmodi, & aranea viva similiter laudata, videatur etiam *Franc. Joël de febr. & venen. l. 1. p. 75.* Paulò aliam formulam habet *Tilemannus de mat. med. p. 387.* Pilulas etiam ex ejusmodi rebus paratas, illisque locis alligatas, in quibus evidens pulsatio deprehendatur, celebres medicos nostri seculi laudare pro depellendis tertianæ circuitibus tradit *Lev. Fischerus corp. medic. imperial. l. 3. p. 210.* Deprehendimus insimul, quod hujusmodi febrifuga modò sub emplastri, modò unguenti, modò alia etiam forma simili componantur. De *Strobelbergeri* emplastro febrifugo, quod pariter recipit telas aranearum, videri possunt *Schroderus pharm. l. 2. p. 195. Rolfincius de febr. p. 354. Helidæus Paduanus de febr. Baricellus hort. genial. p. 77.* De eodem & aliis externis febrifugis consulatur etiam *Grulingius florileg. chym. p. 469.* De *Strobelbergeri* emplastro, & quod aliquoties sine effectu applicatum fuerit

 obser-

observatum, prostant nonnulla in *Kergeri de fermentatione p. 246.* Varias quoque talismodi formulas, quas telæ aranearum ingrediuntur, collectas reperies apud *Schenckium obs. med. l. 6. p. 742. &c. Ibidem etiam fol. 736.* tanquàm specificum ad diuturnas febres, commendatur oleum Scorpionum Germanicorum linimenti instar, præmissâ evacuatione, dorsi spinæ, pulsui & temporum regioni illitum. De prioribus formulis aranearum telas recipientibus vide sis etiam *Joh. Helfric. Junckenii chymiam experimental. p. 632. &c.* Nihil memorabimus de aranearum usu interno, in tertiana proficuo observato, de quo *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. dec. 2. Ann. 5. appendic. p. 30.* Superstitiosum etiam usum telarum aranearum quibusdam familiarem allegat *Schenckius l. c. p. 743.* De aliis similibus emplastris contra febres quasvis, etiam in peste usurpandis, agit quoque *Frid. Hoffmannus post clavem Schröderi thesauro pharmacevt. p. 65.* Junge his attingentem eadem *Reies campo Elys. qu. 83. §. 3. Cnoeffelii* cataplasmata, emplastra, & olea febrifuga magnoperè deprædicata prostant etiam in appendice *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. Dec. 1. anno 6. & 7. p. 176. &c.* Cui placet tandem de emplastrorum horum efficacia, quid sentiat *Rolfincius*, videat ejus *methodum medendi, spec. p. 444.* Post hæc peculiari laude etiam suum emplastrum in quartana potens effert *Helmontius de febrib. c. 14. § 12.* Pro eô vero venditant quidam hoc: recipiantur ceræ uncia una, agarici, styracis calamitæ drachmæ duæ, ladani liquidi uncia dimidia, asæ dulcis, olibani optimi ana drachmæ tres, ex quibus fiat emplastrum pulsibus manuum applicandum. De epicarpiorum vel emplastrorum febrifugorum laude, & quod illorum usum laticis circulatio, seu sanguis in circulum circumductus, & transspiratio insensibilis luculentissime evincat & illustret, præter exempla experimentorum, videatur *Georg. Hieron. Velschius in curat. & obs. med. propr. Decad. 3. cur. 2. p. 124.* & in *decad. 5. obs. 2. p. 226.* De variis hactenus præmissis atque sequentibus confer etiam *Casp. Bravo Disp. Apolog. sect. 5. Resolut. p. 182. &c.* Non ultimo loco etiam à quibusdam reponitur

reponitur sequens in tertiana usurpandum: sumantur panis secalitii & mellis æqualis portio, aliquot araneæ, salis & aceti parum, quæ mixta & in formam cataplasmatis redacta, atque carpis utrisque manuum imposita, febri mederi dicuntur. Iterari impositio debet post viginti quatuor horas aliquoties, idque, quod impositum fuit, circa undecimam meridianam demtum in flumen conjici volunt, juxta quorundam præceptum: quod ultimum tamen de hora injuncta suspecti quid redolere videtur. Docet autem & injungit illud adductum inter alios *Mart.* Schmuck *occult. mag. magnet. morb. curat. p. 33.* Dehinc sola aranea amuleticè brachio apponitur ad febrim quotidianam, juxta *Rattray theatr. symp. p. 19. & 186.* Araneus, inquit *Schroderus* (*l. c. lib. 5. p. 338.*) febriles paroxysmos arcere dicitur, pulsibus metacarpii, temporibusve impositus; peculiariter tamen ad quartanam commendatur, putamine avellanæ inclusus, colloque vel lacerto appensus. Aluta involutum atque lacerto pariter suspensum vult araneum *Dioscorides l. 2. c. 68.* Similiter quòd pertinaces febres evanescant, si araneus major cruce signatus, nucique cassæ inclusus collo appendatur illius, qui febre detinetur, idque tùm *Paracelsi*, tùm aliorum experientiâ comprobat *Martinus* Schmuck *occulta mag. magnet. morb. curat. p. 34.* Conferatur etiam de hoc *Mullerus mirac. chym. p. 81.* continetur quoque discursus de eodem in *Francisci* Schau-Bühne *part. 3. p. 23.* De isthoc aranearum usu in tertianis & quartanis videantur quoque allegata *Schenckii observat. med. l. 6.* In quartana pariter non rejicit hoc amuletum *Bald. Ronsseus venat. med.* ita canens:

Quisquis de collo vivam suspendit arachnen
Punicio, inclusam testæ juglandis inani:
Vel telas tenues quas duxerat arte magistra
Ante poroxysmos, si ad carpum, & tempora ponas.

Araneam quoque, jaspidem vel limacis lapidem gestatum, aut talpam in manibus retentam, donec moriatur, laudari ait *Platerus de febribus p. 198.* Audiemus de proximè illo dicto

 amuleto

amuleto etiam *Weckerum l. a. l. 4. p. 308.* vulgi, inquit, opinio est, si quis talpam manu compresserit, ut moriatur, eum à febre eo ipso anno fore securum, quin & in paroxysmo febrili manu retenta, insultus reprimere censetur. Ob simile penè argumentum annectimus statim ea, quæ de alio amuleto ex *Plinio l. 3. c. 11.* recenset *Mich. Bapstius* im Artzney Kunst und Wunder-Buche *parte 1. p. 321.* &c. quòd vespæ species, pseudophece dicta, manu sinistrâ capienda, & eligenda sit, quæ primò conspiciatur in anno, atque contra febres appendi debeat. Atque hujusmodi traditiones varias inter plebejos versari observabis, dum scilicet vegetabilia vel insecta, primò in anno crescentia, aut apparentia quidam pro morbis abigendis per annum eundem adhibent. Sed de his fortitan aliquando, inter *primigenia in medicina usitata*, plura restabunt à nobis dicenda. *Mich. Bapstius l. a.* etiam recenset; quòd in febribus commendetur caput viperæ & cor ipsius, lævâ manu illi vivæ exemptum, scarabeus item corniculis reflexis præditus, sinistrâque manu captus, similiter genus quoddam scarabæi fullo dictum, albis guttis dissectum, ac lacertis alligatum de aliis adhuc, quæ *Plinius* loco amuleti in febribus commendet, videatur *Bapstius l. a.* De araneis istis paulo ante memoratis adhuc annectenda jam nobis quædam restant; de quibus cum hydrargiro deprædicatis, quòd scilicet sint pestis & malignarum febrium insigne amuletum magneticum, testem se sistit *Burggravius panopl: Achille.* Non uno verò araneo contenti sunt alii, siquidem tres istos contritos & linteamini inditos, nec non fronti ac temporibus in tertiana vult impositos *Lav. Fischerus corp. med. Imperial. p. 210.* Sed numerus ille ternarius in tertiana, & quartanarius in quartana sæpius ibidem injunctus, movet me, ut tanquam suspectum quid istud averser. *Sanctor. Sanctorio de vitand. error. l. 8. c. 11. f. 161.* Juxta ductum paulò superius allegati *Dioscoridis* agens de araneo ab aliis etiam in febribus commendato, exoptat ut eodem febres curari possint, sed κενολόγυς & excordes homines istis tricis credere dicit. Idem autem est judicium de tetraphyllo

phyllo & triphyllo, ac de araneorum dicto numero, quatenus scilicet (sicuti paulò ante meminimus,) quidam ad numerum febrium, respondentem paroxysmis, respiciunt. De hoc forsitan etiam verba *Schrøderi* intelligenda sunt, qui *pharmac. med. chym. l. 4. p. 135.* inquit: in febribus tertianis exhibent folia trina, in quartana quaterna &c. Statuit eadem quoque *Marf. Ficinus de vita cœlitus comparanda l. 3. c. 12.* Sic quinquefolium herbam, pro febrium paroxysmo, eodem numerô constantem adhiberi, itidem vult *Plinius l. 26. c. 11.* Ibi etiam ille hæc proponit, inquiens: buglossi inarescentis medulla è caule exempta à febri eum liberat. Extra numerum verò & ejusmodi circumstantias suspectas non privamus pentaphyllon suâ laude vel efficaciâ; siquidem illud cum sale impositum pulsui contra quartanam profuisse testatur *Borellus cent. 1. obs. 37.* Interne laudat etiam hanc herbam *Matthiolus Herbar. fol. 353.* Verbenam quartô geniculô à terra sursum decerptam, in quartana, à tertio verò in tertiana laudatam vide apud *Schroderum pharmac. lib. 4. p. 172.* Plura habet *Forestus l. 3. scholio ad observ. 42.* Deinde *Remb. Dodonæus prax. med. l. 1. c. 36.* in tertianis intermittentibus approbat epicarpia petita ex bursa pastoris, urtica, foliis vitis, cornu cervi herba, inprimis verò mentastro, cui ultimo sal & acetum admisceri suadet, in iisque præcipuam remedii vim consistere ait; Cujus paulò ante *p. 148.* etiam *Willisium* mentionem facere indicavimus. Porrò vermicularis herba seu sedum minus febrium amuletum esse creditur, si novem diebus collo gestetur. An verò terminus ille tertrium dierum pariter superstitionis quid complectatur, speculentur alii; extra hanc suspicionem autem non improbamus itidem illius usum. Sic ex *Mizaldo refert Joh. Jac. Weckerus de secretis lib. 5. cap. 4. p. 113.* quòd cantharides telâ araneæ indutæ, & quartanario suspensæ, eum perfectè liberare tradantur; atque hoc non alienum esse ab experientia confirmat *Alex. Venturinus medicina ab animalibus desumta.* Quatuor verò cantharides telis aranearum involvi, atque collo gestari debere pro quartana solvenda, injungit *Joël prax. med. tom. 5.*

de febribus f. 2. p. 75. Quidam etiam pro caustico usu, paulò inferius memorando, commendant cantharides, de quarum tamen sinistro simul effectu hæmagogo, seu mictionem cruentam & stranguriam excitante, plura dedimus *Differt. de mictione cruenta*, & alia similia forsitan commodiori occasiône inposterum daturi sumus. Dehinc novem millepedes ligno sambuci à medulla purgato includi, atque obturatis foraminibus collo febricitantium suspendi solere, (adhibitis unà quibusdam circumstantiis, & superstitiosis literis) prodit *Phil. Salmuth. cent. 3. obs. med. 81.* Sequens petitum est ex *Bald. Roussei venatione medic. p. 96.*

Vel muri vivo auriculas rostrumque recidunt,
Quæ appendunt ægro, murem vivumque remittunt.

Placet etiam quibusdam, ut de illius, qui febre laborat, digitis manuum ac pedum resecentur ungues, atque in formicarum aggerem injiciantur, ac postea formicæ illæ collo febricitantis appendantur, quæ primò apprehendunt ista segmina. Multi quoque ungues febricitantium resectos in cancrorum viv. testas ingerunt, eosque in flumina rejiciunt, unde febres cessare dicunt, de quo inter alios autores agunt *Khunrathus medull. destillat. l. 2. p. 404. Th. Keslerus chymischen process. no. 382. p. 454. Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. decur. 2. Ann. 1. ad obs. 168. in scholio p. 399. Pharam. Rhumelius medicin. militar. c. 13.* aliique plures scriptores. Modum hujus transplantationis crudiorem vocat, & se in praxi sua perfectiorem traditurum promittit *Gvil. Maxvellus de medic. magnet. l. 2. c. 18. p. 155.* Verùm modus ille videtur antiquam superstitiosam originem, modò non veneficam agnoscere vel sequi; *Plinió* enim teste atque contemptore notum est: quòd olim unguium cæsuras ante solis ortum inquisiverint atque ex cera januæ domus alterius affixerint, ut dominum illius postmodum febris invaderet. De his autem, quod transplantationis negotiô morbos à quibusdam demtos in alios transferre satagant malefici, uti & quòd ungues frequenter ab iisdem pro sceleratis eorum ausibus expetantur, alia nostri scrutinii loca uberiùs istud exponunt.

Non

Non semel etiam à plebejis laudari atque usurpari animadverti lumbricos terrestres linteô involutos & collo appensos. Numerus certus autem, quem quidam circa suspendendos illos simul injungunt, suspectus nobis non immeritò iterum apparet. Deinceps *Joh. Helfric. Junckenius chym. experimental. p. 632.* &c. laudat bufonem aridum acetô madefactum ac linteo involutum, cordisque scrobulo impositum ante paroxysmum, idque tertiô quovis die, & tribus vicibus in tertiana, in quartana verò quater periodis quatuor recurrentibus, & in quotidiana semel repetendum esse suadet. Præterea *Godefr. Stegbius med. pract. lib. 2. c. 16. p. 244.* Amuletis, ait, vulgus utitur (ægris quippe omnis generis remedia in morbo pertinaci inquirentibus) ex vermiculis in capitibus dipsaci seu labri veneris deprehensis, eos calamo scriptorio inclusos appendunt in quartana. Vermes hos in alutâ conclusos collo vel brachiis alligari debere contra quartanam innuunt alii, veluti habet hæc etiam *Matthiolus de simpl. facult.* atque eadem depromsit fortassis, (uti fatetur etiam in *herbario suo fol. 225.*) ex *Dioscoride l. 3. c. 13.* Videantur quoque de his *Rattray theatro symp. p. 19.* & *Scaliger. exercit. 59. de subtilit.* Ex *Mizaldo* quoque eadem tradit *Weckerus l. a p. 119.* Eosdem vermiculos, vel radicem etiam ejusdem plantæ eum in finem admitti solere, scribit pariter *Schroderus pharm. l. 4. p. 63.* Sed nugis hæc de vermibus accenset *Dodonæus stirp. histor. fol. 724.* Similiter de istis loquens *Sanct. Sanctorius de vitand. error. l. 8. c. 11. p. 161. b.* hæc inter vana alia refert, ut vix se etiam credere dicat, inveniri mulieres simplices, & Φαρμακεύτριας, quæ hactenus has ineptias non animadverterint. Post hæc *Weckerus l. c. lib. 5. p. 308.* tradit hæc: ossa suum, ajunt, de collo suspensa quartanâ laborantibus esse auxilio, fides sit penes expertum. Præterea Zenith virginum in linteo exceptum & brachio adalligatum à quartana liberare gestantes dicitur, quod ipsum non minùs pili ex genu hirci extracti & suspensi corpori dicuntur præstare. De his autem & similibus videatur *Trallianus l. 12.* Idem illud memorat ex *Plinio Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib und

und Wund-Artzney Buche *part. 1. p. 200.* sed sanguinem illum menstruum lanâ nigri arietis involutum ac gestatū brachio, innuit idem tertianæ ac quartanæ resistere. Porrò locusta etiam collo appensa, à proprietate vel tota substantia, quartanam solvere dicitur, idque ex *Haly* citat, atque de ea differit *Valescus de Taranta philon. pharmacevt. p. 767. Ibidem autor* etiam commendat ex *Kiranno* cor aviculæ, quæ torquet collum lunâ deficiente appensum; similiter ille cor leporis panno involutum collo appendi suadet. Locustas itidem cum pane secalino & sale linteo includi atque tertianâ affecti nudæ cuti appendi jubet *Mart. Schmuck occult. mag. magn. curat. p. 32.* Injungit etiam autor citatus, illud ægrotanti non esse patefaciendum, quale scilicet sit pentaculum, atque sic eum intra novendium à febre liberatum iri pronunciat. Admodum frequens quoque alioquin est plebejorum, in amuletorum usu, præceptum illud injunctum, ut clanculum, vel minùs notum ægrotis appendatur amuletum; quô ipsô majorem confidentiam & auxilium venari conātur. Sic quoq; si tertianis & quartanis febribus laborantium ægrotū plantæ sublinantur menstruô sanguine efficacissimum esse, & efficacius multò, si ignorantib⁹ fiat, constat ex *Lud. Banociolo de form. fœtus p. 181.* Cæterum alius locus nostri scrutinii mentem *Plinii* allegans indicat: Magos esse sedulos in suis fraudibus celandis. Contrarium vero illi monito injunctum deprehendimus in aliis quibusdam amuletis, videlicet quod eadem scienter ægrotis supponi vel affigi debeant; & quæ sunt aliæ similes circumstantiæ periaptis pluribus subinde annexæ. Interim locustam minorem salientem similiter, uti à *Schmuckio* prius dictum, applicatam in tertiana laudat *Staricius* im Helden-Schatz *part. 6. p. 521.* Sic *Bald. Ronsseus venat. medic. p. 96.* idem fortassis in quartana intendens, ita canit:

Fertur & obstrepero grillo par esse facultas.

Hieronymus Brunsvicensis cor leporis, quod instar pulmonis vulpis præparatum est, collo appendendum esse suadet contra quartanam, istiusq; pulverem pro interno usu in eodem

affectu

affectu laudat. *Petrus Monavius epist.* ad *Joh. Hermannum* (*à Scholtzio edit.*) *consil. Cratonis l.5. fol.579. & lib.2. f.388.* Idem autor ejusdem laudati atque assumti pulveris mentionem quoque facit in *Cratonis Epistola 229. f. 404.* &c. eumque pulverem amuletum vocat. De eodem corde leporis recenter mortui, instar amuleti collo suspenso, vel brachio sinistro, occultâ qualitate quartanam sanante, agunt citati autores apud *Waldungum lagographia p.83. Piso item l.3. de febr. quart. & Sextus philos. Platon. de medic. animal. part. 1. c. 2. p. 16.* Hujus autoris ductu illud cor etiam commendat *Alex. Venturinus de med. ab animal. desumta.* Confer quoque *Plinium l. 28. Diomedem Cornarium obs. med. cap.3.* & allegatos apud *Schenckium in obs. l.6. p.747.* aliosque plures. Sic etiam quòd cor leporis in albo linteo involutum & ad collum suspensum, uti & lupi oculus omnem rigorem febrium & quartanarios perfectè sanet, contestatur *Kiranus in Kiranidibus p.84. & 85.* Cor Salamandrinum pelli nigræ involutum & de brachio suspensum, quartanum, hemitritæum, omnemque typum febrilem arcere ex *Kiranidibus* (*Kirani p. m. 92.* ubi autor etiam cor febricitantis collo appensum statim febrim extinguere dicit) *Aldrovandum* referre meminit Exc. *Joh. Paul. Wurfbain Salamandrologia p.125.* Metris inclusum hoc dogma prostat apud *Bald. Ronsseum venat. med. p. 95.* qui autor cor istud cubito nudo suspendendum esse scribit. Nescio num febrilem rigorem intelligat *Joh. Dan. Mylius Antidot. medic. chym. l. 1. c. 6. p. 91.* inquiens: Cor motacillæ cum successu appenditur in congelatione, ubi cor riget. Præterea dentem caninum crocodili sinistræ partis ac palati appensum superis febricitantis, eundem liberare à malo suo ex *Alberto Magno* ostendit *Alex. Venturinus l.c.* Ex eodem idem hoc refert, & quòd nunquam febris ad illum redeat, *Weckerus l. c. p. 110.* Juxta *Plinium lib. 28. c. 8.* cor etiam crocodili annexum in lana ovis nigræ, cui nullus alius incursaverit, & quæ primô partu genita sit, quartanas abigere dicitur. Atq; idem autor paulò post ea pergit: cor chamæleontis adversus quartanas facit illigatum, nigrâ lana primæ tonsuræ. Qui carminibus delectatur, sen-

tentiam illam de dicto corde iis inclusam offendet apud *Bald. Ronsseum venat. medic. p. 96.* Asserto illi *Plinii* verò adducto assentitur etiam *Venturinus l. c.* vult autem hic, ut cor illud exsiccatum sumatur. Lacertarum Caymanum (seu crocodilorum prægrandium circa nomen Dei vel carthaginem reperiendorum) lapides colligunt Indi & Hispani, atque adeo sibi servant ad quartanã tollendam ceu utile remediũ; siquidem bini ex iis, temporibus utrinque alligati in quartanarum paroxysmo easdem febres tollere, aut earum calorem manifestè infringere traduntur, quæ verba jam recitata sunt *Nicolai Manardi de simpl. occident. India p. m. 53.* qui dictus autor post illa verba pergit hunc in modum: bis, ait, eum lapidem temporibus cujusdam puellæ, quæ quartanâ laborabat, adhibui, & certè febris calorem non nihil remisisse animadverti, an verò febrim omnino tollat, ignoro. Idem illud, quòd lapis Caymanum ad quartanam tollendam usurpetur, annotat *Ans. Boet. de Booi in Gemmar. histor. c. 178.* De lapidibus his loquitur etiam *Franc. Redi exper. natur. p. 112.* eosque dicit calculos fluviales esse, ex ventre crocodilorum Indorum, Caymanorum dictorum, sumtos ac prius ab iis deglutitos; fatetur etiam illic autor, se *Manardi* experientiam imitatum esse, sed nullum fructum ab iis promanentem deprehendisse. Sic etiam stercus felis cum ungue noctuæ in quartana non vanâ intentione brachio vel collo appendi, ex *Sexto Platonico* memorat *Mich. Bapstius* in wunderbarl. Leib und Wund-Artzney Buche *part. 1. p. 200.* Porrò ex *Cornelio Agrippa* indicat *Weckerus l. u. l. 5. c. 4. p. 118.* quòd si accipiatur cor ex animali recenter extractum adhuc calens, atque vitâ instructum idque suspendatur supra patientem, febris quartana tollatur. Dehinc etiam oculum ursi sinistro brachio alligatum, quartanam fugare, ex quorundam sententia scribit *Joh. Schröderus pharm. med. chym. l. 5. c. 40. p. 132.* Idem hoc ex *Alberto* pronunciat *Joh. Jac. Weckerus l. d.* In libro *Hermetis* legitur, quod oculi ursi ligati in panno lini super adjutorium sinistrum removeant quartanam. Ambos oculos ursi linteo involutos, dextroq; brachio

imposi-

impositos, autoritate *Alberti*, & experientiâ utiles esse probat *Alex. Venturinus medicin. ab animal. desumta.* De oculi istius appensi usu dicto agit etiam *Bald. Ronsseus venat. medic. p. 96.* Sic *Mich. Bapstius l. c. p. 201.* ex *Agrippa* quoque mutuatur hoc, quòd pulvis vel terra, in qua se circumvolvit accipiter, in rubra sindone gestata profliget quartanam. De dicto verò pulvere parvi existimato his verbis utitur *Ulyss. Aldrovandus ornithologia tom. 1. p. 4. f. 177.* olim, ait, superstitio erat in morbis ab arte parùm sanabilibus, ex quibus etiam quartanæ sunt, pulverem, in quo se volutasset accipiter, linô rutilô decumbentis collo alligari. Et paulò post pergit idem: fabulam sapit, quod *Kiranides* (*p. 223.*) suo more de oculis scribit, nempè à collo suspensos tertianam fugare. *Idem autor l. a. tom. 2. l. 17. f. 308.* ex *Marcello* scribit, quod lapilli in hirundinis ventriculo scisso inventi, & croceô linteô vel pañô involuti & ad collum suspensi ad quartanas prosint. Sic scarabeos vivos linteo fulvo involutos & collo suspensos, quartanam curare testatur *Trallianus l. 12. c. 18. & Smollius in fine c. 30. princip. philos. & medic.* Febris verò excitari dicitur, si cornuti scarabei in oleo decoquantur, atque ex eo pulsus inungantur, velut hoc memorat ex *Cardano de variet. Joh. Jacob. Weckerus l. a. p. 121.* Præterea *Crato Epist. medic. edit. à Scholtzio 113.* confirmat quartanam, quæ per triennium duravit, sublatam esse tincâ, quæ aqua vitæ madefacta imposita fuit ventriculo, ubi paroxysmus ejusdem apparuit. De tincæ efficacia, si per medium dissecta plantis vel carpis pedum applicetur, videatur etiam *Quercetanus in diæt. polyhist. sect. 3. c. 7.* Quartanam quoque consopire dentes serpentis evulsos, ac gestatos testantur *Joh. Asver. Ampsingius, dissert. Jatr. mathem. p. 171. & Rattray theatr. symp. p. 18.* Idem hoc comprobat sapientum testimoniô *Alex. Venturinus medic. ab animal. desumta,* quòd dens serpentibus vivis, omnis generis, extractus, inque superioribus corporis locis gestatus à quartana vindicet gestantes. Porrò lapidem in Clupææ, piscis alicujus magni capite repertum, lunâ decrescente, sinistroq; lateri alligatum ad quartanas facere quidam existimant, ceu scribit *Jonstonus Thaumatogr.*

matogr. class. 9. c. 4. Idem hoc amuletum in quartana optimum pronunciat, illumque piscem etiam Alusam vocat, ex *Balth. Pisanello, Alex. Venturinus l. a.* Sic cerumina auris sinistræ canis, superioribus corporis partibus suspensa illi, qui febre intermittente laborat, præcipuè verò quartanâ, conferre juxta *Architam*, meminit idem autor *ibidem*. Frustum cranii humani etiam sub axilla sinistra, nudo corpori appensum ac gestatum, juxta cordis situm, opem adferre in quartana dicit *Mich. Bapstius* im Artzeney Kunst und Wunder-Buche *part. 1. p. 18.* Annumerant quoq; his amuletis achatem, de quo *Wormius in mus. p. 96. & 97.* De ejusdem, & aliarum gemmarum viribus in febribus commendatis, agit etiam *Bartholinus de lap. nephrit. c. 10. p. 23.* Dehinc setas ex cameli cauda extractas & brachio alligatas obsistere quartanæ, ex *Plinio* refert *Al. Venturinus l. a.* dictus autor etiam eodem in loco experientiam prætendens, idem præstare adstruit lapidem cochlearum ex illarum capite effossum & corpori alligatum. Eosdem lapides vel ossicula ex limacum capite mense Augusto desumta, & præmissis universalibus febricitantiũ præcordio vel scrobiculo cordis, mediante filô, appensa in tertianis & quartanis tanquã infallibile ferè remedium se expertum dicit *Joh. Hellwigius observ. phys. med. posthum. obs. 160. p. 418.* ab *Excellentiss. Luc. Schröckio edit.* Allegantur etiam ibidem autores alii de hoc lapillo & usu illius laudato agentes. Verùm *Nobil. Dominus Schröckius* suspicatur effectum hunc ab aliis remediis vel causis potiùs dependere, cui etiam nos suffragamur; manus oculatæ enim hodiè multis sunt concessæ, quas hi non omni simplicitati vel credulitati tradunt. Non frustraneô ausu etiam flammulam & argentinam recentem contusam carpis & plantis pedum volunt applicari in febribus, de quo *Rolfincius de febr. c. 55. p. 354.* Alii etiam integras recipiunt plantas dictas pro usu eodem externo. Sic etiam ranunculum herbam in eadem febre pulsibus imponi vult ante paroxysmum, & quidem ter continua serie, ita, ut per viginti quatuor horas semel imposita pulsibus illa inhæreat, atque postea comburatur, *Mart.* Schmuck *in secul.*

mag. magn. curat. p.32. Sic quartanam diuturnam & acutissimos in sinistro humero dolores observatos, curatos esse ranunculô carpo applicatô, annotavit *Sennertus de consens. & dissens. chymic. cum Aristot. c.18. p.346.* Cùm autem dicta herba caustica sit, præcipuè contrita leviter & imposita, forsitan etiam alia similia vesicantia idem præstarent; Caustica verò carpis admota sæpe sanare quartanam, vesiculis scilicet eo in loco excitatis, statuit *Poterius de febr. l.2. c.23. p.729.* De formulis & laudibus ejusmodi causticorum, plura prostant apud *Fel. Platerum de febr. p.196.* &c. Applicari autem illa vult in utriusq; carpi regione, interdum etiã in temporibus utrinque, & pedibus juxta malleolos; atque his materiam febrilem à corde diverti & revelli idem statuit. Imò in peste etiam cauteria certis partibus applicata salubria pronuntiat *l. c. p.223.* & *229.* Sed hæc minùs tuta, & valdè periculosa in febribus pronuntiat *Riverius prax. med. l.17. c.3. f.523.* Qui autor *l.a.* alioquin non dissuadet alia carpis applicata. Inquit enim: non solum hisce vulgi opinio expletur, quòd plerosque hisce remediis sanatos existimet; sed etiam aliquid præstare possunt, vires suas cordi communicando per arterias insignes, quæ ad carpos decurrunt. Plura in hanc rem occurrent in *Scrutinii nostri c.3. sect.7. Mercurialis* itidem alioquin in quartana vesicantia laudat, contra quem, utrum rectè dissvadeat eadem *Sitonus (in Jatrosoph. miscell. tr.44. p.273.)* judicet lector benevolus. Non indigna sunt de causticis ejusmodi ex *Sennerto* excerpta & laudata, ut huc trahantur ex *Mart. Kergeri de fermentat. p.246.* Addatur denique his de vesicatoriis, & ejusmodi epicarpiis in febribus & malignis etiam usitatis *Nic. Blegny Zodiaco medico Gallico anno 2. mens. Januar. p.m.27.* Plura de iisdem vesicantibus, juxta autorum disceptationes, hoc loco accumulare non audemus. Extollunt etiam aliàs in febribus quidam radicem valerianæ loco amuleti usurpatam. De his quibusdam periaptis, & aliquot aliis adhuc evolvi meretur *Reies camp. Elys. qu.83. §.1. & 5. p.1083.* De quibusdam recensitis etiam testimonia reperies apud *Casp. Bartholinum de lap. nephrit.*

 p.19.

p. 19. Herbam roris solis pulsibus impositam quartanam curare scribit *Joh. Schroderus pharm. l. 4. p. 141.* Tandem contra morbos sulphureos compositum amuletum tradit *Tilemannus de mat. med. p. 322.* Ibidem etiam *p. 324.* prostat mercuriale pentaculum contra omnes morbos mercuriales. Varia itidem passim occurrunt superstitiosa & ridicula paucis adhuc, loco epimetri, & quidem jucunditatis, sive detegendæ fraudulentiæ & dehortationis ergo delibanda. Sic minùs laudabilis census illud existit contra febrim tertianam ex clavo patibuli, de quo *Buxtorfius in Lexic. Chaldaico Class. 7. p. 364.* Ejusmodi curam etiam ridiculam quartanæ, (ubi quippe per aliquot dies quispiam schedulam gestavit verba hæc continentem: fett Fleisch gibt gute Suppen) annotavit *Timeus l. 8. cas. 20. p. 367.* Incidens in ejusmodi res *Salmuthus cent. 3. observat. 81.* inquit: multi multa ad repellendas febres extrinsecus applicare solent, & quidem satis superstitiosa; sic alii frustulum ligni sambuci excavant, seu à medulla interna liberant, postea novem millepedes indunt, & obduratis foraminibus summo mane febricitantibus, altum tenentes silentium, hoc est ne verbum tum proloquentes, de collo suspendunt, atque ita novem dies relinquunt. Quibus elapsis redeunt mane & idem cum silentio tollunt, inque flumen projiciunt. Hujus verò periapti nos superius etiam fecimus mentionem, sed non adeò suspectâ veste induti. Alii sic pergit *Salmuthius*, radicem tormentillæ recens effossam stragulis subjiciunt. Alii Q. Sereni Sammanici illud *Abracadabra* schedulæ inscriptum, & in linteo ligatum appendunt. Quod sanè, ut aliàs superstitiosum, & à fide Christiana omninò inhibitum, *Ambrosius* balneator quondam *Dessanus* in frequenti & felici usu habebat. Quidam verò ad febricitantem vocatus, insolenter gloriabatur se certissimum & experientiâ sæpiùs comprobatum habere contra febrem remedium; atque in fasciculo quodam id ægrotantis collo alligabat. Hic sanitati restitutus, illum resectum inspicit, & hosce rhythmos Germanicos inscriptos reperit:

Ein

Ein Fuchsbeltz und ein Mardern-Hut
Sind beyde für das Kalte gut.

Ante viginti annos, cum studiorum gratia Lipsiæ cultæ degerem, vetula quæpiam ibidem verba ista Germanica, paucis immutatis, scilicet:

Ein Wolfsbeltz und ein Fuchsenhaut
Sind beyde für das Kalte gut.

literis inversis, vel retrò scripta illa in charta colio appendenda dedit, quæ verba non nisi speculô opposita in eodem justa serie legi poterant, atque inde etiam cessasse febres asseverabant. Hæc licet ridicula, civilia tamen magis sunt, quàm illud, quod quispiam mulieri cuidam, gravissimos dolores oculorum patienti, in chartula complicata & panno inclusa appendit, atque severissimè, ne eam aperiret, interdixit; ipsa verò doloribus postea sublevata, tanti remedii descriptionem cognitura, chartulam aperuit, inque ea hæc verba perscripta invenit: Diabolus tibi oculos eruat, & foramina stercoribus repleat. De ultimo hoc videatur *Simon Majolus tom. 2. colloqu. 3. dier. Canicul. p. 279.* De ejusmodi schedula à Cæsare Henrico Magno cuipiam suo ministro quartanâ laboranti admissâ, à qua etiam accepta convaluit ille, verba prostant consignata penes *Timæum l.c.* ubi opinatur autor ex terrore subitò conceptô, ob medelam à tanto medico admissam, ortum illum esse effectum. Negandum autem non est, quòd sinistri affectus animi, æque ac boni ad corporis constitutionem vel alterationem multum valeant conferre: dum scilicet in febribus etiam materia paroxysmi, eâ ratione fundi, supprimi, vel excuti potest; & archæus inquietus perceptô terrore sopitur quasi aut ligatur. Verùm utrum liceat pro bono ejusmodi effectu sperato, sed dubio, sinistrum affectum terroris, iræ, &c. excitare, juxta quorundam mentē, alia occasio commodior de illo differendi nobis alicubi concedetur, ubi disquiremus, *utrum pro morbis curandis morbos excitare liceat.* Quoad illam modo dictam curationē forsitan addi posset, quòd istam fortè confidentia concepta erga schedulam à Cæsare missam non parum promoverit. Cui plura

arrident de schedula ejusmodi, certis verbis notatâ, & abrosâ barba Mareschallo cuipiam quartanâ laboranti admissa ab Henrico quarto Franciæ & Navarræ Rege, non sine lectionis jucunditate hauriet ex *Freitagii noctibus medicis c. 39. p. 194.* Faciunt itaque huc verba *Joh. Rhodii cent. 1. obs. med. 17. p. 101* contenta: spiritus, ait, atque sanguis imaginatione & appetitu agitantur. Inde plures, nullius momenti amuletis, imò ridiculis persanati. Cujusmodi perhibetur vetulæ cuidam adversus quartanam jocosè præscriptum:

Donna ria, tu eri giouane puttana:
Ora vecchia sei tu fatta ruffiana.

Nec, ceu pergit autor, eô efficacius putarim amuletum ad Hemitritæum Q. Sereno decantatum, aut carmen apud *Trallianum lib. 12. cap. 7.* Fabulæ verò simillimum, quòd *Suidas in histor.* commemorat de *Galeotico medico*, qui morbos verbis fugavit; hæc *Rhodius*. De voce *Abracadabra* verò, frequenter in febribus olim & hodiè subinde usitata simplicibus & impiis hominibus, multa jam non movebo; de origine interim vocis dictæ, illiusq; effectu, unde nobis ea videatur dependere, alio in loco nostri hujus scrutinii speculationes nostras aperiemus. Præterea quomodo istud *Abracadabra* soleat applicari ex dicti *Q. Sereni* versibus sequentibus videre licet:

Mortiferum magis est, quod Græcis ἡμιτριταῖον
Vulgatur verbis: hoc nostrâ dicere linguâ
Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes.
Inscribes chartæ quod dicis Abracadabra:
Sæpius, & subter repetis, sed detrahe summam,
Ut magis atque magis desint elementa figuris:
Singula quæ semper rapies, & cætera figes,
Donec in angustum redigatur litera conum.
His lino nexis collum redimire memento.

Videantur etiam in hunc locum commentantes, vel attingentes illam vocem *Abracadabra, Robertus Keuchen in prolegomenis illius libri, Rodolph. Goclenius physi. generali lib. 2. p. 426. &c.* Adde si'is etiam

etiam his loca allegata in *Excell. Joh. Pauli Wurfbainii Salamandrologia p. 121. &c.* in *Nobil. Jac. Pancratii Brunonis Lexico medic. Castelli renovato sub eadem voce.* & in *Mich. Freudii* Gewissens-Fragen von der Zauberey *quaest. 218. n. 10.* Mentionem quoque illius vocabuli facit *Agrippa philos. occult. lib. 3. c. 11. Seldenus de Diis Syris lib. 1. c. 11. p. 120.* & *Camerarius hor. succis. cent. 2. c. 76. p. 300.* De eadem voce etiam non nulla, & unde eadem derivanda videatur, legenda prostant apud *Andr. Beyerum addit ament. ad Seldeni Syntagma p. 207.* & *Saubertum de sacrific. veterum p. 578. &c.* Restant adhuc quæpiam istiusmodi ludicra recensenda, ut appareat quod casu, vel aliâ causa instructa istiusmodi vana, vel etiam amuleta quædam inefficacia quampiam efficaciam subinde exserant. Sequentium verò facit mentionem *Campanella de sens. rerum lib. 4. f. 196.* videlicet, quòd mulier literarum ignara schedulam contra febrim hominibus affixerit his verbis notatam:

Gott gebe dir eine böse Woche.

Sic Agyrtam sequenti amuletô chartaceô non paucos à febribus liberasse, testis est *Mollenbroccius tr. de arthritide vaga scorbutica c. 10. p. 159.*

Ich heisse Doctor Scipio
Bin ich nicht zu König-see/so bin ich doch anderswo.

Accepi etiam in Dania aliquando malitiosum hominem schedulam hanc frequenter in febribus adhibuisse; In vernacula verò illa lingua conscripta fuerunt verba hæc, quod febris vel deserere, vel Diabolus patientem febre laborantem aufferre deberet, atque eodem vel centum homines sanati dicuntur. Compertô autem ac patefactô illô facinore nequam iste suppliciô justo dicitur affectus. De ridicula atque illicita curâ quartanæ per barbam abrosam, eamque cum quatuor versiculis scriptis affixam, videatur quoque *Camerarius Syllog. mem. cent. 7. part. 6.* Ejusmodi jocosa atque superstitiosa, uti & diræ imprecationes quandoque simul annotatæ prostant quoque apud *Sachsium Gammarol. p. 869. Ursinum acerr. philol. p. 466. Reies*

arrident de schedula ejusmodi, certis verbis notatâ, & abrosâ barba Mareschallo cuipiam quartanâ laboranti admissa ab Henrico quarto Franciæ & Navarræ Rege, non sine lectionis jucunditate hauriet ex *Freitagii noctibus medicis c. 39. p. 194.* Faciunt itaque huc verba *Joh. Rhodii cent. 1. obs. med. 17. p. 101* contenta: spiritus, ait, atque sanguis imaginatione & appetitu agitantur. Inde plures, nullius momenti amuletis, imò ridiculis persanati. Cujusmodi perhibetur vetulæ cuidam adversus quartanam jocosè præscriptum:

Donna ria, tu eri giouane puttana:
Ora vecchia sei tu fatta ruffiana.

Nec, ceu pergit autor, eô efficacius putarim amuletum ad Hemitritæum Q. Sereno decantatum, aut carmen apud *Trallianum lib. 12. cap. 7.* Fabulæ verò simillimum, quòd *Suidas in histor.* commemorat de *Galeotico medico*, qui morbos verbis fugavit; hæc *Rhodius*. De voce *Abracadabra* verò, frequenter in febribus olim & hodiè subinde usitata simplicibus & impiis hominibus, multa jam non movebo; de origine interim vocis dictæ, illiusq; effectu, unde nobis ea videatur dependere, alio in loco nostri hujus scrutinii speculationes nostras aperiemus. Præterea quomodo istud *Abracadabra* soleat applicari ex dicti *Q. Sereni* versibus sequentibus videre licet:

Mortiferum magis est, quod Græcis ἡμιτριταῖον
Vulgatur verbis: hoc nostrâ dicere linguâ
Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes.
Inscribes chartæ quod dicis Abracadabra:
Sæpius, & subter repetis, sed detrahe summam,
Ut magis atque magis desint elementa figuris:
Singula quæ semper rapies, & cætera figes,
Donec in angustum redigatur litera conum.
His lino nexis collum redimire memento.

Videantur etiam in hunc locum commentantes, vel attingentes illam vocem *Abracadabra, Robertus Keuchen in prolegomenis illius libri, Rodolph. Goclenius physs. generali lib. 2. p. 426. &c.* Adde sis etiam

etiam his loca allegata in *Excell. Joh. Pauli Wurfbainii Salamandrologia p. 121. &c.* in *Nobil. Jac. Pancratii Brunonis Lexico medic. Castelli renovato sub eadem voce.* & in *Mich. Freudii* Gewissens-Fragen von der Zauberey *quæst. 218. n. 10.* Mentionem quoque illius vocabuli facit *Agrippa philos. occult. lib. 3. c. 11. Seldenus de Dis Syris lib. 1. c. 11. p. 120.* & *Camerarius hor. succis. cent. 2. c. 76. p. 300.* De eadem voce etiam non nulla, & unde eadem derivanda videatur, legenda prostant apud *Andr. Beyerum addıtament. ad Seldeni Syntagma p. 207.* & *Saubertum de sacrific. veterum p. 578. &c.* Restant adhuc quæpiam istiusmodi ludicra recensenda, ut appareat quod casu, vel aliâ causa instructa istiusmodi vana, vel etiam amuleta quædam inefficacia quampiam efficaciam subinde exserant. Sequentium verò facit mentionem *Campanella de sens. rerum lib. 4. f. 196.* videlicet, quòd mulier literarum ignara schedulam contra febrim hominibus affixerit his verbis notatam:

Gott gebe dir eine böse Woche.

Sic Agyrtam sequenti amuletô chartaceô non paucos à febribus liberasse, testis est *Mollenbroccius tr. de arthritide vaga scorbutica c. 10. p. 159.*

Ich heisse Doctor Scipio
Bin ich nicht zu König-see/so bin ich doch anderswo.

Accepi etiam in Dania aliquando malitiosum hominem schedulam hanc frequenter in febribus adhibuisse; in vernacula verò illa lingua conscripta fuerunt verba hæc, quod febris vel deserere, vel Diabolus patientem febre laborantem aufferre deberet, atque eodem vel centum homines sanati dicuntur. Compertô autem ac patefactô illô facinore nequam iste suppliciô justo dicitur affectus. De ridicula atque illicita curà quartanæ per barbam abrosam, eamque cum quatuor versiculis scriptis affixam, videatur quoque *Camerarius Syllog. mem. cent. 7. part. 6.* Ejusmodi jocosa atque superstitiosa, uti & diræ imprecationes quandoque simul annotatæ prostant quoque apud *Sachsium Gammarol. p. 869. Ursinum acerr. philol. p. 466. Reies*

 camp.

camp. Elys. qu. 23. §. 17. & 18. Mylium antidotar. med. chym. l. 1. c. 6. p. 62. Mich. Freudium Gewissens-Fragen von der Zauberey *qu. 214. p. 437. Freuagium l. c. Joh. Wierum de præstigiis Dæmon. l. 5. c. 18. p. 572. Sim. Majolum dieb. canicul. tom. 2. colloqu. 3. p. 279. Joh. Prætorium Alectryomantiæ p. 165. Jac. Dan.* Ernst in Gemüths ergetzlichkeiten 34. Gespräch *p. 639.* &c. Ehre-G. *Dan. Colbergium disp. de errorib. popular. Gryphwald. 1688. Platerum prax. l. 2. c. 2. & Piens de febr. c. 8. p. 277. &c.* Sed de his supersedeo in præsenti plura compilare ludicra, quæ stupenda præstitisse interdum visa sunt, quamcunque etiam ob causam ignotam concurrentem. Atque hæc tradita potius dehortationis, quàm imitationis gratia legenda aut exponenda esse volo; quæ tamen à vulgo non rarò in usum vocantur, & inprimis in febribus curandis.

Febres excitantia.

PRiusquam classem hanc de febrifugis deseram, annectam etiam id ex *Rattray theatr. sympath. p. 11.* quod piscis f. bricus febrem inducere dicatur prehensori; quod si verum est, febrisque non placeat cuipiam, notari potest. De eodem pisce idem illud ex *Cardano & Scaligero* refert *Anton. le Grand curioso rer. abditar. perscrutatore p. 181.* Quæ aliàs de oleo, in quo scarabei cornuti cocti fuerunt, autores recensent, quod scilicet febris confestim iis inducatur, quorum arteriæ brachiales illô inungantur, non attingam hoc loco, cùm fortè illud non omnes inter amuleta recipiant; cui placet interim de hoc videat citatum *Grandium l. c. p. 211.* De iisdem præmissis & allio ano indito febrim pariter accendente, agit etiam *Paul. Zachias qu. medic. leg. libr. 3. tit. 2. qu. 3. f. 246.* &c. Sed cornua scarabeorum superiùs, autorum ductu, inter amuleta febribus opposita tradidimus. Porrò *Petrus Borellus cent. 1. obs. 13.* inquit: iberis planta, pedum plantis supposita, ex *Fluddo* febres tollit, & si deinde à quodam tangetur, morbum contrahet &c. Sed bellum remedium, Satanæ nequitiâ non obscurè conspurcatum. Huic quippe negotio nihil nisi nomen Diabolicæ actionis vel artis deest; cùm Sagæ eum in modum plurimùm procedant

dant in ſuis curationibus; quæ dum ab aliis demunt morbos, in alios transferre illos ſatagunt. Magia etiam ideo ſuſpecta eſt *Henr. Kippingio Inſtit. phyſ. l. 2. c. 7. p. 99.* quod illa morbos mortemque in plantas, bruta & homines inducat. Utrum autem naturali modô transplantationis negotium illud ſemper accidat, quis credat facilè. Licet quidem contagii ratio, ſimile quid in aliis ſubjectis excitare videatur, quæritur tamen primò, an propter iſta contagia propagata deſinat morbus in iis, à quibus abiit morbifica materia in alios, mediantè glaucomate quodam. Sic novi proſtibulam quandam aliquando perſvaſam ſibi habuiſſe, ſe liberatum iri à lue ſua venerea, ſi in amplexus maris im̃unis illius, vel ſani iterum veniret. Alius chirurgus peſtilentialis nequam ſvaſit in peſte, ante aliquot annos graſſante in loco quopiam mihi noto, infectis, ut plenis buccis halitum largum in ſani cujuspiam alterius faciem inflarent, quo eosdem à lue peſtilenti immunes futuros aſſeveravit. Annon ἐπιχαιρέκακον & Φιλάργυρον hunc ſibi eo ſuaſu turpem meſſem promiſiſſe conjiciamus, vel colligamus; aut an facile diffiteamur ſimilia præcepta Cacodæmonis ſcholam minùs ſapere? Non ignotum eſt etiam veſpillones peſtis tempore ſimili afflatu & incuſsô terrore in homines ſanos peſtem derivaſſe. Diaboli verò (qui ἀπολλύων audit Apocalypſ. 19. verſ. 11.) in ſchola aliàs lex hæc non eſt ignota, quam mage interdum faſſi & experti ſunt, trimendô ſæpe exemplô: videlicet, dum hi à magiſtro ſuo inſtructi fuerunt, ut morbos ab aliis ſuâ nequitia demtos in alios, & agnatos vel conſanguineos ſæpe, vel tandem ſaltem in bruta iſtorum hominum, (non ſine majori ſæpe inſequente detrimento) traducerent, aut ipſimet perirent; cujus rei fidem faciunt annotata apud *Joh. Bodinum de Dæmonomania l. 3. c. 2. p. 299.* &c. Sic Dæmonia olim à Chriſto ex obſeſſo pulſa, veniam ab eodem in porcos Gadarenorum irruendi expetebant, velut addiſcimus ex *Luca 8. v. 32. & 33.* Dehinc num in transplantationis negotio ita concentrari poſſit materia morbifica, ut tranſeat in rem certam vel medicamentum à morboſo ſubjecto, & an

an hôc præsuppositô iste collectus penus morbosus in alias sensitivas vel minùs sensitivas creaturas trajici possit, uti à nobis dictum (& jam ante forsitan notum est,) hæc inquam rimentur curiosi. Experimur enim quotidie, quod ii, qui ægrotis curandis adhærent clinicâ suâ operâ satis diu, atque infallibiliter varia contagionis adminicula (scilicet mediante sudore, exspiratione, salivâ, lotiô, aliisque excrementis) ex illorum morbis in se citius derivare possint; attamen inde nihil mali vel morbi similis colligant aut experiantur. Utrum ergò juxta vulgi opinionem migret contagium, ob momentaneam quampiam præsentiam, in homines vel bruta circa ista in compita rejecta commorantia, aut si transiliant solùm vel tangant etiam reculas istas, vel res transplantationi destinatas; & an negotia ista legitimæ transplantationi rectiùs, quàm incantationi tribuenda sint, trutinent ii, quibus non intercedit familiaritas cum simplicitate aut credulitate. Imò quod magis mirum, morbos chronicos potissimùm transplantationis facilitate (modò non vacillante ausu vel fallacia) moliuntur artifices illi curare, in quibus tamen non adeò velox vel subtile est contagium, quàm in morbis acutis. Et eccur etiam non afficiuntur prius proxenetæ, vel qui propinquius tractant & contrectant res istas transplantationi & projectioni in loca publica destinatas, quàm ubi denique defixæ arboribus, sepimentis, aliisque rebus, vel defossæ in triviis aliisque locis existunt; Cur inquam denique in transeuntes, appropinquantes, cædentes, vel in attingentes res istas, transilit impetu, & quasi jussu quopiam agmen illud morborum. Inquirant itaque malè creduli in nexum hujus operationis, num natura suo circulo relicta isthæc exequatur, & adeò ad nutum & voluntatem istiusmodi medicantium se componat; vel an ludus & ludibrium Satanæ actionibus his intersit; aut an casus vel confidentia beet homines istos aliquali expectatô eventu. Amplissimum verò pallium alioquin *naturæ* affingitur, quô multa bona, nec pauca mala conteguntur. Alioquin sagarum medicantium negotia vulgo non ignota sunt

sunt: ubi juxta certum numerum vel seriem ægroti ab iisdem sanari dicuntur, dum quintus, septimus aut nonus &c. sanandorum in ordine, illarum sub curatione, perire creditur. Hinc etiam rumor addit dictis iis, quod venefici talismodi medicastri non admittant certô & fatali vel internecino tempore sive termino eos, quibus bene cupiunt, vel quorum autoritatem verentur, sed aliô tempore magis securô eos redire jubeant. Sed nolumus his diutiùs immorari, cum Dæmonis nequitia satis aliàs nota, & à nobis pluries non obscurè indicata sit. Videatur interim in hanc rem *Sim. Majolus diebus canicul. tom. 3. colloqv. 3. p. 278.* O! cœcas interim hominum mentes transplantationibus ejusmodi indulgentes, quibus proh! dolor, boni æstimii, aliàs medicos inhiare observamus, qui non omnia istiusmodi suspecta fortassis accuratè satis trutinant. Denique monitum *Plinii* claudet hanc nostram sententiam, inquientis: Magi solertes sunt in fraudibus suis tegendis.

Fœcunditatem conferentia & sterilitatem cohibentia.

NOn immeritò in catalogo nostro periammatum attingimus etiam ea, quæ sterilitatem cohibere, ac fœcunditatem procurare creduntur; & quidem adversus pharmaca, quæ malignâ quâdam proprietate, & occultâ sterilitatem inducere dicuntur. *Hier. Cardanus* verò statuit Priapum lupi gestatum facere contra istã infirmitatẽ, illiusq; fascinationes solvere. Alii efferunt adamantem & hyacinthum. Antiqui hypericon vocabant fugam Dæmonum. Eadem vis etiam tribuitur scillæ, eryngio, rutæ, sagapeno, ab utroque conjuge gestatis, quorum mentionem facit *Riverius prax. med. l. 15. c. 15. p. m. 384.* De similibus, quæ impotentiam viriiem aut sterilitatem à fascino metuendam arcere dicuntur, nonnulla reperientur inter periammata fascinationem infringentia. Contra impotentiam ex veneficiis oriundam amuletum sequens laudat *Doctor. Joh. Michaëlis Colleg. MS. ad Rolfincii Chymiam*: Recipiuntur florum

hyperici, aquilegiæ, foliorum paridis ana pugilli tres, seminis hyperici, granorum Paridis numero tria, mercurii vivi, nuci inclusi & benè muniti drachmæ duæ, fiatque ex his amuletum. *Plinius* & *Ruellius* dicunt abrotani ramum pulvinari subjectum contra omnia veneficia, quibus coitus inhibetur, valere, veneremqve illum stimulare. *Georgius Pictorius* γυναικονίπό c. 2. tradit ex *Kirani medici* svasu, quod mulier, quæ gravida esse gestit, dentem pueri septennis auro vel argentô inclusum, brachio nudo alligatum gestare, atque sic conjugali conversatione maris uti debeat. Utriusque coëuntis brachio dentem appensum generare facere eos, asserit etiam *Lev. Fischerus corpore med. imperial. p. 183.* Confer de hoc amuleto etiam *Hildebrandum mag. nat. l. 1. c. 37.* Sed *David Herlicius tr. de cur gravid.* falsè deridet istum dentium usum, svadetque jocans, ut potius capita equorum vel boum appendantur brachiis aut collo pro isto effectu potiori expectando. *Constantinus lib. 12. cap 27.* refert, quod semen rumicis seu lapathi sylvestris sinistro sterilis mulieris brachio adalligatum, eam fœcundam reddat. Eadem ex *Africano* indicat *Joh. Jac. Weckerus de secretis l. 5. c. 4. p. 176.* Propter idem amuletum ex *Africano* allegatum videri etiam potest *Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney Buche *part. 1. p. 94.* Prostat etiam ibidem annotatum ex *Plinii lib. 3. c. 15.* quod similes effectus possideat seta ex mulæ cauda in coitu ipsi extracta, atque circa corpus mulieris graviditatem desiderantis ligata. Ex eodem autore fortassis petita sunt *Baldas. Ronssei venat. med. p. 81.* quæ idem amuletum sistunt ita:

Si setâ ex mulæ cauda religetur uterque

videlicet conjux. *Gottfr. Smollius in manual. rerum admirabil. c. 24. p. 129.* docet etiam, quod corium cervæ uterum gestantis detractum, & super lectum, dum coëunt conjuges, stratum fertilitatis auxilium præbeat. *Kiranus in Kiranid. a Rivino editus p. 18.* inquit: si fœmina non retinet semen, & vult concipere, divinæ herbæ seu pœoniæ circumcingatur seminibus clausis, liget etiam eadem in panno lineo formato septem colo-

coloribus, circa pectinem autem ponantur. Sed septem illi colores injuncti, perfectum quid fortè spondent credulis; fortassis cento efficacior foret simplicibus & credulis. Dehinc sanguis vespertilionis susceptus in panno, & nescientis fœminæ capiti suppositus, conciliat ipsi conceptionem, sicuti fidem hujus facit *idem autor ibidem p. 88.* Ex eodem autore id repetit *Mich. Bapst* im wunderbarl. Leib und Wund-Artzeney Buche *part. 1. p. 94.* Sed non magnam fidem videtur autor hic eidem impertire. *Kiranus illa l. a. p. 89.* videtur etiam vires ejusmodi tribuere annulo ex asini fræno ferreo, & sine igne facto, quod mulieribus magnam venerem excitet. Sic Indis Mulieribus persvasum esse, sese fertiles reddi, si lumbis suis affricetur serpens, quæ in America dicatur boytio-pua, Latinis anguis longi rostri, innotescit ex *Gerh. Joh. Vossii de Idololatria l. 4. c. 62. p. 1522.* De asparago inter alia agens *Th. Sagittarius quæst. illustr. decuria 9. quæst. 9.* quod olim illo recens nuptæ coronatæ fuerint; simul laudatus autor indicat ex *Dioscoride l. 2. c. 118.* quod radix illius alligata sterilitatem auferat. Præter recensita etiam os de corde cervi petitum nudoq; brachio sinistro, vel collo alligatum ac gestatum, occultâ proprietate conceptionem & fœcunditatem contrahere dicitur apud *Agricolam de cervo p. 161.* de quo etiam *Aëtius tetrab. Serm. 4. cap. 32.* Porrò *Andr. Laurentius oper. therapevt. tr. de strumarum sanat. l. 1. c. 5. f. 10.* tradit, quercum maritimam gestatam conceptum procurare. Idem autor *l. a. f. 11.* pergit hoc modô: ex ungula asini annulus gestatus fascinationem tollit, qua viri ad venerem inertes redduntur, ut verisimile sit, animi indolem, in ungulas quodammodo migrasse, unde gestanti στοργὰς & veneris stimulos quosdam excitare creditur; hactenus citatus autor. De Mandragoræ viribus, quas velint superstitiosi possidere illam, pro fœcunditate mulierum concitanda, aliisque commodis comparandis, legi potest in *Deusingii fasciculo Dissertation. 12. p. 187.* De radicis hujus usu ab agyrtis etiam commendato prolixè agit. *Reies in Campo Elys. qu. 43. n. 12. &c.* quo in loco mentio quoque fit de Dudaim Rubeni-

co,

co, quo usæ sunt *Rachaël & Lea Genes. 30.* pro fœcunditate contrahenda, utrum scilicet pomum mandragoræ fuerit, videlicet *l. a ff. 1. &c. p. 514.* De iis etiam locus extat apud *Mylium hort. philos. p. 514.* qui simul illic meminit fraudum impostorum circa radicem mandragoræ occupatarum *p. 519.* Plura de iis utrisque non accumulo jam, cùm de his partim alius locus dicendi prostet in nostro hoc scrutinio, partim etiam prolixitas vitanda dissuadeat plura hoc in loco de materia hac recensere. Prolixæ expositioni jã pariter insistere nolo de phallo, Itiphallo vel veretro factitio, quod ex varia materia olim factum & instar phylacterii collo, manibus, cingulo, auribusque portatum fuit contra mala, quæ generationem impedirent; vel quæ impotentiam, mulierumque sterilitatem à maleficiis metuendam averterent, de quo *Kircherus s. obel. hier. p. 530.* aliique plures. Denique varia passim annotata reperiuntur amuleta alia quæ sterilitatem inducere vel solvere creduntur; quia verò ista ut plurimum veneficiis & magicis illicitis actionibus suam debent originem, præstabit illa potius reticere, quàm propagare.

Fortunam & gratiam conciliantia.

DE origano si Iove in Sagittario (tanquam propria domo constituta) die & hora Jovis colligatur, quod gestantem conservet à periculis & εὐτυχίαν in obeundis actionibus conferat, docet *Aug. Etzlerus Isagog. phys. mag. med. c. 2. p. 63.* De trifolio vel quadrifolio, quod illô quidam fortunam sibi comparare studeant, idem *autor agit c. 6. p. 130.* atque ab hac sententia non plane alienus consensus videtur autoris illius. De rejiculo autem atque ridiculo usu illius, pro dicto & aliis scopis aliàs commendato, plura dicenda restant in subsequentibus. Verbenæ usum, eum & in alios vanos scopos à quibusdam commendatum explodit etiam *Æmilius Macer de herb. viribus c. 58.* Eundem effectum fortunæ comparandæ tribuit quoque lapidibus cancrorum constellatione certâ collectis *Etzlerus l. a.* Quod etiam Heliochyrisi flos collectus vel decerptus sole existente

ftente in Leone & trigono Jovis & geſtatus autoritatem, conciliet & ſplendorem virtute ſuâ ſolari. Item quod flore illo coronati gloriam & autoritatem ſibi conciliare poſſint, juxta *Theophraſtrum*, teſtatur *Etzlerus l. c. p. 1. c. 4. p. 97.* Sic qui lapidem meletitem vel lethæum geſtat, & apud reges & apud Judices venerabilis erit, ac omnium denique gratiam favoremque demerebitur, uti annotatur apud *Dioſcoridem in nothis p. 476.* Abſtinemus hoc in loco recenſere multa alia, quæ gratiam, favorem ac judicis mitem ſententiam comparare dicuntur, quæ, uti in ſequentibus facturi ſumus, non immeritò etiam jam proſcribimus, eaque Dæmonis arte inſtructa ut plurimum vel vana cenſemus. Sicuti cenſus etiam illius fuit illa tunica, quâ amictus ſceleratus quispiam crebrò in judiciis fuit abſolutus, cujus mentio fit in Chriſt-Liebs Abend-Geſpräche *cent. 1. p. 414.* Nolumus etiam hoc loco inquirere in id de tunica Chriſti à *Januenſi* prolatum, quod Pilatus eâ indutus à Tiberio citatus bis non potuerit malè excipi, niſi tertiò, ubi conſiliô Veronicæ dempta fuerit veſtis illa. De tunica illa, quâ fœtus quandoque indutus naſcitur (ab obſtetricibus das Kleidigen dicta) quod eadem geſtata corpori affixa ad cauſæ victoriam multum adjuvet, juxta credulorum & ſuperſtitioſorum opinionem, confer ſis *Hier. Jordanum de divino in morbis l. 9. p. 37. & Lev. Lemnium de occult. nat. mirac. l. 2. c. 8.* Porrò adipem leoninum inunctum, vel cor exemptum, ſole propriam domum tenente, ac geſtatum, authoritatem & gratiam apud Reges conciliare teſtis eſt *Aug. Etzlerus l. a. c. 4. p. 100. Idem autor ibidem cap. 2. p. 66.* vult corallium pro amuleto geſtatum mundare ſanguinem, amorem & benevolentiam conciliare, *εὐτυχίας* largiri, inimicitias pellere, malaque omnia avertere. De eliotropii viribus eluſis, quòd minùs geſtanti inſignem conciliet penes homines favorem, aut quod de abſente illo nemini, niſi dextrè & loqui & ſentire liceat, videatur, contra *Albertum Magnum*, quid ſentiat *Grubius de medic. ſimplic. facult. p. 103.* De modo quomodo quis inter plures menſæ accumbentes experiri poſſit, quis ſibi minus faveat, mediante

milvi linguâ, & herbâ verbenæ, videatur Schmuck *in Thesauro secret. part. 2. p. 26.* Nulla aliàs herba est in vegetabilium regno, quæ ad plures Magicos usus admitti svevit, quam eadem verbena; adeò, ut varia etiam nomina ideò, & ob alios effectus plures assignatos illa sit sortita, quæ *Jonstonus annotat in regno vegetab. c. 14. p. 239.* Sæpe etiam verbenæ aut verbenacæ frondium, vel arboris fit mentio in autoribus, quod inde quidam factum credunt, quia verbena ex lucis sacris ad indicatos usus fuit petita; vel quia æque ad sacros usus admissa fuit, atque arbores desumtæ ex luco sacro, de quibus plura *Mart. Lipenius de strenis p. 123.* &c. Nescio interim utrum botanici verbenæ locum suum natalem facilè adsignent in lucis, ubi crebrò crescat vel reperiatur.

Fulgur, fulmen, tempestatem aut tonitru avertentia.

SEquuntur jam, quæ tonitru, fulgur, tempestatem, & quæ mala inde oriuntur, avertere existimantur à quibusdam. Phocæ marinæ autem pellem qui gestaverit, immunis redditur à fulmine, ut & animal ipsum, dum vivit, ceu docet *Rattray theatr. symp. p. 26.* De eadem vi marini vituli, atque leonis pelle, quod contra fulmen valeant, sicuti alia solaria cuncta, suô aliorumque testimonio comprobat *August. Etzlerus Isag. phys. mag. med. c. 4. p. 101.* Quo in loco etiam cujuspiam Talismatis leonini fit mentio, quô *Martianus Mathematicus* se à fulminis pavore liberasse dicitur. *Mizaldus* præmittens non nulla de nolarum & campanarum tinnitu utili contra tonitrua & fulmen, pergit hunc in modum: quicunque tergore fluviatilis equi, quem hippopotamum nuncupant, circumsepti fuerint, nequaquam à fulmine tanguntur. Quin & noxiæ non erunt tempestates, ut *Archibius ad Antiochum Syriæ* Regem scripsit, si obseratô fictili novô rubeta, in medio horti, vel agri fodiatur; per cujus ambitum plerique etiam laurum multam eam in rem plantant. Alii aquilæ pennas (fortè quia aquila immunis à fulmine dicitur apud *Plinium l. 10. c. 3.*)

aut

aut vituli marini pellem in medio horti, vel per quatuor ejus angulos suspendunt. Bulbus non sui corporis exiguitate fulminis impetum evadit, sed adversam, & fulminis ictum retorquentem naturam possidet; hactenus tradita verò allegat *Joh. Jac. Weckerus de secret. lib. 12. c. 2. p. 620. &c.* De hippopotami eadem efficacia ex *Philostrato* allegato agitur *ibid. lib. 13. c. 9. p. 651. Idem autor l. a. lib. 12. c. 2. p. 622. & lib. 13. c. 19. p. 651.* scribit, si voles grandini irruenti occurrere, vituli marini pellem vel hyænæ aut crocodili per horti vel agri spatia circumferas, & in eorum congressu suspendas, quemadmodum scripsit *Philostratus.* De vituli marini corii efficacia dicta, quod à fulgore nos tueatur, idque fiat, quia leonis cœlestis cordi subest iste vitulus, agit *Marf. Ficinus de vita cœlitus comparanda l. 3. cap. 14. p. 232.* Vitulum illum non tangi fulmine legere quoque est apud *Taubmannum in Virgil. p. 372.* Abstrusam & occultam illam proprietatem pellis dictæ, eamque non negligendam censet itidem *Bald. Ronssens Epist. med. 24. p. 78.* Non minus etiam ibidem laurus, eum in scopum magni olim æstimatæ, mentionem facit autor. De paulò ante dicti vituli marini, crocodili vel hyænæ etiam pelle, quòd grandini obviet, si per spatia possessionis circumferatur, & in villæ aut cortis ingressu suspendatur; quas vires etiam eum ob finem adscribant noctuæ, patentibus alis extensæ atque suffixæ, ex *Palladio* refert *Joh. Henricus Ursinus acerra phil. p. 150.* &c. ubi autor citatus vanas has observationes & superstitionem illam adhuc hodiè notam & usitatam ex symbolis sapientum ortam esse memorat, &c. De hyænæ pellæ à fulmine præservante videantur etiam *Plutarchus sympos. l. 4. qv. 2.* & *Cœl. Rhodiginus antiq. lect. p. 1617.* De pluribus iis, quæ hactenus adducta, & contra varias injurias cœli ac tempestatem hortis ac vegetabilibus imminentem commendata sunt, uti & aliis similibus agit quoque *Ant. Mizaldus de secret. hort. l. 1. c. 14. & 15. p. 38. &c.* Sic etiam de lauro & ficu, quod non tangantur à cœlo, uti & de vituli marini tergore, hyænæ pelle, & viti alba non proletarios autores illud prodere, (ceu ideò etiam nautæ iis vel à sua muniant, ne fulmine icta

deflagrent atque decidant) de his eum in modum loquitur *Rattray l.c. p.189.* De marini vituli pellis effectu dicto & laurus ac ficus efficacia eâdem, agunt quoque *Cardanus de subtil. l.7. Rhodiginus Antiquit. l. 18. c 9. Lemnius de occult. nat. l. 2. c. 28.* Eadem amuleta & hyacinthum qui attingant autores, allegat itidem *Joh. Georg.* Schiel *Bibliotheca enucleat. p.307.* De eodem effectu ficus, & applicatione ad moralia sacra, speculationes suas detegit *Joh. Henr. Ursinus arboreto Bibl. c.34. p.449.* De laurus viribus dictis nemo olim inscius fuit vel dubius, velut id etiam *Lactantius* metricè exprimit ita:

Fulgura non metuo, pellunt ea germina laurus:

Hinc tradunt etiã de Cæsare Augusto, quod ille fulmina nimis timens, circa suum palatium poni vel plantari curaverit laurus arbores, & exortâ tempestate corollam è lauri foliis connexam capiti imposuerit; circa corpus verò pennas aquilarum fixerit, ac pellem vituli marini induerit, de quo *Suetonius* & alii. De lauru videatur etiam *Henr. Kornmannus de natur. & mirac. quatuor elementorum p. 220. Martin. de Roa singular. part. 1. l. 2. c. 12. Erasmus Adag. fol. 103. Mars. Ficinus l. c. Cornel. à Lapide p. 1013. in Ezech. c. 8. Phil. Picinellus mundo symbolic. tom. 1. l. 9. c. 16. Barthius ad Claudian. paneg. 4. Honor. v. 3.* De vituli marini corio & lauru itidem laudata *Konsseus* in *Epist. med. 24. p. 78.* De lauru & ficu idem hoc sentire *Gulh. Gratarolum* constat ex *Joh. Jac. Weckeri secret. lib. 13. c. 12. p. 657.* Confer etiam *Mart. Lipenium de strenis c.3. p.133.* De lauru quoque illud adstruentia vide concenta apud *Joach. Camerarium cent. 1. Emblemat. 35. p. 71.* De ficu, pelle marini vituli, lauru, & aquila similia annotata prostant in *Joh. Adami Webers part. 2.* der Unterredungs-Kunst *p. 375.* De ficu item illud memorat *Plutarchus in sympos. l. 6. qu. 10.* Non est nostri propositi hoc in loco prolixius dispicere de causis probabilibus, quas quidam de laurus effectu putato prætendunt, videlicet, quòd ob rotundam suam figuram vel flexilem statum non ita lædatur à fulmine, cùm non renitatur eadem violentiæ. Verùm de lauru inane illud esse commentum, cùm fulminata & fulgurita sit observata, colligere licet ex *Sennerti*

epitome

epitome natur. scient. l. 4. c. 2. p. 304. Ursini arboreto Bibl. c. 42. p. 550. Georg. Hornii histor. natur. l. 2. c. 2. p. 86. Mylii horto philos. p. 285. Ibi etiam de rationibus agitur, cur laurus aliàs à fulmine credatur immunis. Conjecturam illius asserti de lauru ex *Fracastorio* vide apud *Grubium de transplantatione morborum p. 4.* &c. Rationes etiam illius effectus, & amuleta plura idem præstantia, & à nobis minùs memorata prostant apud *Libert. Fromondum in meteorologiæ l. 2. c. 3. art. 8. p. 58.* Autor hic verò *ibidem p. 59.* de hac materia claudit suum discursum his verbis: omnes, inquit, autores ab aliis accepisse se isthæc referunt, nec ullus sibi satis fidit. Sunt tamen, qui patrocinantur hactenus refutatæ opinioni, adstruentes laurum non tangi fulmine, idque inter prodigia referendum esse, ac præter naturam accidisse, quod *à Cardano* annotatur *lib. 12. de subtil.* videlicet quod Romæ arborem lauri fulmine ictam esse memoret, velut id defendere novimus *Aug. Etzlerum Isag. physſ. mag. med. c. 4. p. 90.* Porrò meram fabulam esse id, quò dicitur ficus & laurus remorari fulminis impetum, pronuntiat *Honorat. Faber de plantis tr. 1. l. 2. p. 88.* subscribunt huic negationi *Brodæus miscellan. l. 3. c. 3. tom. 2. Fac. critic. Gruteri p. 489. Frenzelius disput. Wittebergæ habita de lapide fulminari, Vossius de Idololatria, l. 2. c. 12. p. 369.* qui citat *Ludov. Vairum lib. 2. de fascino. c. 14. Gottfr. Voigtius physical.* Zeitvertreib. *cent. 2. No. 78. p. 482. Henric. Lubertus* von der Waffen *Cur. p. 157. &c.* Fabulosum etiam illud assertum de lauru & vitulo marino pronuntiat autor exscriptus in *Rattray theatr. symp p. 642.* De vitulo marino idem illud negatur apud *Joach. Camerarium cent. 4. Embl. 68. p. 136.* De plurimis rebus memoratis, irritis sæpe deprehensis locus, itidem extat apud Exc. *Frid. Bechmannum systemat. phys. l. 3. part. spec. c. 25. §. 54. p. 293.* Jungatur de eodem argumento agens *Mart. Zeilerus quæst. variar. cent. 2. qv. 73. p. 358.* Quo in loco etiam varia non spernenda inspergit de tonitru huc facientia. De quibusdam ex iis, juxta sententias autorum examinatis, atque indubium vocatis videatur quoque *Joh. Christ.* Hunds=Hagen *exercit. phys. de materiis notabilibus exercit. 1. p. 22. §. 28. &c.* De his & aliis

contra tonitru læsionem passim commendatis atque examinatis similiter elegans discursus reperitur in *Francisci* Lustigen Schau-Bühne *vol. 1. colloqv. 2. p. 215. &c.* Pluribus testimoniis idem adstruentibus porrò jã non inhio, cùm fortè non paucus numerus alius eorum ex aliis autoribus colligi possit. Præterea pro grandine, tonitru & fulgure avertendo, ne quid iis lædatur, hypericon & corallia rubra, non verò obscurè rubentia, facere dicit *Khunrath medull. destillator. p. 1. p. 209.* Impensè etiam laudat corallia *Gnæffelius appendice ad Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. Ann. 6. & 7. p. 64.* De hyacintho *Mars. Ficinus de vita cœlitus comparanda. l. 3. c. 12 p. 220.* ita: *Serapio* scribit eum, qui hyacinthum vel ex eo sigillum gestat, esse à fulgure tutum, atque hanc virtutem ejus esse latissime divulgatam; quam si habet, ab Jove putamus habere. Commendant aliàs etiam lapidem ceraunium, quemadmodum ex *Guilh. Gratarolo* indicat *Joh. Jac. Weckerus l. c. lib. 12. c. 2. p. 621.* ferunt, inquit hic, lapidem, qui cum fulmine cecidit, ut aliquando contingit, si in ostio suspendatur, domum à fulmine præservare. De eodem lapide & ovo in ascensionis festo excluso, summoque tecto illigando, uti & coralliis tritis ac in quatuor agri angulis præcipuis spargendis, quòd tempestates avertant, ex *Wiero & Fallopia* memorat citatus *Weckerus l. c. l. 3. c. 10. p. 652. Morbodeus* idem adstruit, quod, qui castè lapidem cerauniam gerat, tutus à fulmine fit, uti & domus, in qua asservetur. De lapidibus ejusmodi, qui fulmine in terram creduntur præcipitati, & à quibusdam bufonites aut chelonites dicuntur, de illorum forma etiam æri incisa, vel eodem expressa cum simili efficacia designata, prostãt nõ nulla in der Gottorffischẽ Kunst-Kamer *p. 33.* Varia etiã de eo aliisq; effectibus ceauniæ tributis, ipsiusque natura & origine habent *Ans. Boët. Boetius in histor. gemmar. & lapid. l. 2. c. 261.* &c. & *Joh. de Laët de gemm. & lapid. l. 2. c. 24.* Utrique hi autores etiam innuunt, quòd Chelonites, Brontia & Ombria sæpè pro ceraunia reputentur; de quo opiniones illorum prostant *c. l.* Superstitiosum autem illud est, de hoc lapide à *Goclenio* annotatum, apud *Rattray l. c. p. 198.* Dum

verò

verò de simplici, minusque superstitiosa lapidis fulminaris applicatione cogito, non possum non experimentum ab amico mihi communicatum his adjicere: hic verò non procul à Dresda, in arce quapiam ante sedecim circiter annos, ceauniâ in orbibus vitreis fenestræ nomina, literas, aliasque figuras consignavit, qui orbes brevi post, exortâ eô tempore tempestate & tonitru, disruperunt plurimi. Ex quo mutuus respectus & magnetismus inter hæc duo non obscurè colligendus est: hinc si iterata de eodem experientia inposterum respondeat ei negotio observato, dubitare omninò liceret de priori lapidis effectu, fulmina scilicet arcente; & contrarium potius de illo alliciente ista præsumendum foret. Asserto illi etiam species veri accedit, si vulgi relatio veritati respondet; quòd lapis fulminaris filô suspensus in conclavi quopiam, præsentiens quasi futura fulmina ac tonitrua, moveatur quadantenus, antequam eadem oriantur. Imò assensum vel attentionẽ meretur prior observatio, si relatio illorũ pariter respõdet experientiæ, quòd res semel à fulmine tactæ, facilè pluries postea idem illud expiantur. Cœterùm de ceauniæ origine & nominis derivatione, si lubet, videatur *Th. Bartholinus de luce animal. p.9.* Adjungantur eidem de eodem lapide agentes, *Wormius Museo p.75.* & quos allegat *Exc. Ge. Francus disp. med. de lapidicina microcosmi Heidelb. edit. 1685.* Porrò pæoniæ radicem in navi conservatam compescere tempestatem volunt quidam, quod tamen inter superstitiosa refert *Pauli quadrip. Botan. class. 2. p. 107.* Deinceps sedum in tegulis seri, quòd vulgus tales domus fulmine non feriri credat, constat ex *Joh. Jonstoni regno vegetabil. c. 6. p. 139.* Fortè hæc ratio est, quod in pagis passim in tectis aut parietibus cœlo expositis crescere non raro dictũ sedũ majus hodie adhuc conspiciatur; si nõ pro medela in oris siccitate aliisque usibus medicis in peste, febribus aliisve morbis à vulgò expetitis adeò studiose asservetur. Subnectimus etiam his adductis amuletis nonnulla ex *Adriani Turnebi Adversar. l. 18. c. 12. p. 548.* alliorum capita, inquit, ad multarum noxarum depulsionem valere animis vetustas imbiberat.

Columella

Columella etiam ovis, quæ incubantur, illa substerni utiliter adversus tonitrua putat; ejus verba verò legenda sunt *lib. 1. c. 5.* Plurimi etiam infra cubilium stramenta graminis aliquid, & ramulos lauri; nec minùs allii capita cum clavis ferreis subjiciunt, quæ cuncta remedia creduntur esse adversus tonitrua, quibus vitiantur ova &c. hactenus *Turnebus*. De superstitiosa gestatione Evangelii S. Johannis apud Pontificios usitata pro varia injuria tempestatis avertenda videatur *Abr. Hosmannus tr. de tonitru & tempestate p. 121.* Experimur etiam à Pontificiis olim (utrum etiamnum hodiè id fiat ignoro) globis extremis, seu summis turrium cacuminibus impositis varias sanctorum reliquias, Evangeliorum initia, & similia pro scopo illo immissa fuisse. Nihil quoque movebimus jam de superstitioso usu vocis Agla, (Judæorum prudentiam, vel impietatem sapiente) contra procellas & tonitrua, de quo *Staricius* im Helden-Schatz *p. 36.* & *Schickardus in proœm. Tarich. p. 54.* Credat post hæc, qui vult, quòd arbor Johannæ de Orleans, (veneficæ alias famosæ) sub qua scilicet illa sedit aliquando, non putrescat, nec fulmine tangatur, de quo *Kornmannus templo naturæ p. 223.* Intactum denique nolumus prætermittere illud, si veritati & experientiæ respondet, quod capræ, canes, & feles fulmini sint facilè obnoxii; hinc tempestate vel fulmine exortô & præsente svadent, ut dicta animalia homines à se arceant ex conclavi, de quo *Joh. Ad. Weberus discurs. curios. & fruct. p. 998.* & idem in der Unterredungs-Kunst *part. 2. p. 457.* Junge sìs idem illud attingentem *Kyperum Instit. phys. lib. 11. c. 6. §. 3.* & *Adam Weinheimerum mundi majoris scientia natural. sect. 3. qu. 30. p. 163. &c.* Nescio num boni moniti ergò tempestivè annotem, quæ de vi tractoria respectu fulminis & quercus, salicisque suspicor. Has verò arbores sæpe tangi à fulmine (si rectè memini naturalium, vel observationum communium) constat. Non tutò itaque delitescunt peregrinantes sub iis sese occultantes, ac tempestati subtrahentes. In salice verò medulla putrefacta & arefacta fomitis, alioquin etiam notæ, loco se habere videtur; quamvis salices non adeo

adeò facilè, tanquam humiles, quam quidem duras altasque arbores tangi à fulmine arbitretur. *Cl. Claudianus in Epist. ad Hadrian. v. 38. &c.*

Incubuit nunquam cœlestis flamma salictis,
Nec parvi frutices ipsam meruere Tonantis.
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

Interim salices annosæ vel fomitis materiam alioquin, propter medullam putridam atque arefactam dictam, præbentes atq; continenres, citiùs flammam concipere videntur, quàm teneræ salices, & virgulta earum viridium. Quæ fulmini etiam alioquin magis obnoxia sint, attingit *Schottus phys. curios. lib. 2. cap. 20. §. 5.*

Hæmorrhagias compescentia.

PAndimus nunc scrinia iis periammatibus repleta, quæ adversus hæmorrhagias varias directa sunt: Pro iis verò obstipandis chorum ducit Hæmatites, de cujus applicandi modo manuductionem collige ex autoribus citatis apud *Bauschium pag. 84. & 103.* De hujus operandi modo inferiùs adhuc nonnihil occurret. Innumeros alios ferè autores, quos observavimus, præter istos citato in loco *Bauschii* reperiendos, sponte præterivimus; nec recensere hoc loco voluimus, prolixitatis vitandæ ergò. Nullum enim amuletum adeò frequenter, & quidem etiam pro amuletorum efficacia probanda ac defendenda allegatur, quàm Hæmatites & Ætites. Interim quia multis non respondit effectus, de lapide dicto, passim alioquin commendatus, attentionem meretur ūsus illius, ob vim laudabilem compertam in muliere quapiam lochiorum nimiô fluxu laborante; velut demonstratur hoc in *Miscell. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. anni 6. & 7. obs. 62. p. 9.* Aňectatur huic loco etiam *Rolfincius l. 9. meth. med. special. sect. 6. c. 12.* De eodem lapide â muliercula iteratis experimentis decantato in mensium & narium hæmorrhagiis, qui verò nunquam in peste contra ejusmodi sangvinis fluxus suspensus effectum exoptatum præbuit, fidem faciunt verba ap. *Isbrand. Diemerbræckium*

de peste l. 3. c. 10. p. 240. Veneratio quoque affulget illi lapidi, & par esset, ut imitaremur historiam & applicationem illam (si sine superstitione, consecratione, aut alia malitia execranda præparatus fuit iste lapis) annotatam apud *Boyleum de gemmis p. m. 193. &c.* De eodem lapide eoq; Agate potiùs reputatô idem pluribus instructus experimentis, & quod ex vena secta sangvinis fluxum impediverit, agit iterum *de specificis medicam. p. 171. &c.* Jaspis ruber etiam manu compressus, vel gestatus, qui à quibusdam inter Hæmatitæ ordinem recipitur, eundem effectum exserere testantur allegati apud *Bauschium l. c. p. 84.* Hunc etiam Hæmorrhagiam narium sistere, si à collo suspendatur, vult *Sennertus l. 5. Epit. scient. natural.* similiter jaspidi vim compescendi sangvinem undecunq; effluentem confidenter tribuit *Martinus* Schmuck *occult. mag. magnet. morb. curat. p. 15. &c.* Præcipuè verò ille autor rubrum ac viridem jaspidem, vel rubrum viridibus venis aut lineis notatum censet eligendum; imò juxta physicorum assertum, subjungit illum efficaciorem fore, si muniatur argentô. Experientiam prætendentē de laudabili & præsentissimo valore Jaspidis contra sangvinem & fluxum menstruorum vide *Christoph. Encelium de re metall. l. 3. cap. 21 p. 265.* Qui autor etiam gemmam dictam circa Altenburgum reperiri adstruit, quod verum etiam ego deprehendi, imò similes alias gemmas, licet non adeò lucidas vel puras reperiri, plateæ & mœnia mihi illic ante aliquot annos commoranti commonstrarunt. Ridet insimul *Encelius* Germanos, quòd non suum jaspidē majoris æstiment, quàm ut ad ignem excutiendum è chalybe adhibeant. *Nicolaus Manardes de simpl. med. Ind. p. m. 54.* de sangvinali lapide (quem jaspidis genus vocat) testatur: quòd valeat ad fluxum sangvinis narium, mensium, hæmorrhoidum, vulnerum, ac oris, si vel aquâ frigidâ intinctum illum æger dextra comprimat, vel pars sangvine manans eō contingatur, aut parti illi affectæ alligetur, ut carnem contingat propinquam, aut si añuli ex illo confecti sedulò gestentur. Similiter quod sangvinis fluori vario, inprimis verò narium, obstet Jaspis, aliisque morbis pluribus

ad-

adferat auxilium confirmatur in *Andr. Baccii cum notis Gabelchov. de gemmis c. 8.* Num talis quoque fuerit lapillus armillæ inclusus insigniter sangvinem repellens, quô Princeps in regione Malaca usus est, ignoro, de quo ex *Osorio* loquitur *Camerar. horis succisiv. cent. 2. c. 70. p. 300. &c.* Qui plura de dictæ gemmæ jaspidis efficacia desiderat, eum ablegamus ad *Dan. Beckerum obs. & curat. Cultrivori Prussiaci p. 47. Hœferum Herc. med. l. 5. c. 2. p. 251. Fabricium Hildanum cent. 3. obs. 7. Joh. Bapt. Sitonum jatrosoph. miscellan. tract. 40. p. 242. Sennertum praxi l. 5. p. 464.* qui simul de paribus viribus radicis pseudomelanthii & radicum cichorii, floribus albis præditarum, agit. De Jaspidis viribus indicatis, & aliis adhuc ejusdem, pro morbis aliis tollendis, agit quoq; *Jonstonus Thaumatograph. p. 176.* Confer quoque, quæ ex *Manarde* citato habet *Ans. Boot. l. 2. de gemmis & lapid. cap. 184.* vim sistendi sangvinem, de eodem lapide, carneolo, & hæmatite ratiociniis quibusdam adstruit idem *autor l. a. lib. 1. c. 25.* Arbitratur etiam *Diemerbrœckius* jaspidem potiùs fuisse illum lapidem, quem mulier paulo superiùs nominata contra hæmorrhagias menstruas, atque narium insigniter efficacem deprehendit. De eadem virtute jaspidis aliarumq; gemmarum pro infringenda hæmorrhagia nimia commendata, videatur *Bartholinus de lap. nephrit. c. 10. p. 24. §. 16.* Confer etiam de jaspide rubris punctis notato *Joh. Ad. Weberi* Unterredungs-Kunst / 1. Theil *p. 131.* De gemma hac etiam *Galenus l. 3. meth. c. 7.* inquit: Cur Jaspis tacto vulnere, unde sangvis prorumpit, eum sistat, nondum novi. Diffidit autem de viribus dictis à Jaspide expectandis *Sanct. Sanctorius de vitand. error. l. 8. c. 11. f. 161.* Atque cùm superstitiosa sæpe his periaptis interserantur, quæ scilicet sangvinem cohibere dicuntur, locum in hanc rem adducam ex *Joh. Rhodii cent. 1. obs. med. 91. p. 60.* Loquitur autem illic de hæmorrhagia suppressa: huic ne, inquit, malâ superstitione quâdam destinatus erat Jaspis ruber antiquus, *Laurentio Pignorio* antiquitatum promo visus hac inscriptione, quam ad *Marcelli Burdigalensis nunc mei cap. 29.* curiosè appinxit:

FVAVS
INTO RDF
NE ATI DFD.

Oedipô heic opus. Caracallæ Imperatoris autoritatis amuleta quidem vetita refert *Ælius Spartianus.* Ridemus & nos anilia. Hanc verò gemmam inter περίαπτα φυλακτήρια rectè ponit *Dioscorides l. 5. c. 180.* Hactenus *Rhodius.* Porrò sangvinis humani pulverem in collo sauciati locatum sangvinis fluxum sufflaminare ait, ad experientiam simul provocans *Alex. Venturinus Medicin. ab anim. desumta.* Sic ad hæmorrhagiam refrænandam adamas sub lingva detentus valere eôq; illustrissimus Comes Hanoviensis malo huic obnoxius sanatus dicitur â *Joh. Prevotio selectis remediis (scilicet opusculo posthumo p. 76.* De simili efficacia comprobata vide, quæ habet *Velschius mictomimemat. cent. 3. obs. 42. p. 58.* De Sardio lapide, vel carneolo, quod etiam exteriùs admotus undiquaque fluentem sangvinem peculiari proprietate retineat. Idem hoc, quod carneolus lapis, maximè sarda & corallium sangvinem fluentem retardent, si manibus includantur, commemorat *Crollius de signaturis p. 32.* Annotat idem etiam de carneolo, jaspide, hæmatite, & Ametisto, quòd si collo, brachiis aut, manibus annectentur, idoneum præbeant remedium in mensium fluxu immodico *Mich. Bapst* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney-Buche, *part. 1. p. 80.* Dehinc *Fernelius de occult. rer. propr. l. 2. c. 17. p. 526.* se vidisse dicit selenitem annulo inclusum, nudæ cutis contactu sangvinem quavis ex parte manantem stitisse, eamq; vim quosdam etiam jaspidi tribuere ait: Idem illud de selenite, fortè ex eodem autore petitum, allegat etiam *Joh. Dan. Mylius anátot. med. chym. l. 1. c. 6. p. 65.* Dehinc in profluvio sangvinis è naribus fronti applicandum esse umbilicum marinum cum saliva, ex adversa parte, & quæ hac ratione sangvinem undiquaque fluentem mirificè retineri statuitur à *Wolffg. Gabelchovero cent. 4. curat. 3. p. 7.* Eadem penè verba reperiuntur ex *Baccio, (de gemmis cap. 40.)* annotata *in appendice pharmac. med. chym. Joh. Schrœderi p. 19.* & in der

Gott-

Gottdorffischen Kunst-Kammer *p.64.* ubi simul indicatur, quòd ille umbilicus (veneris etiam dictus umbilicus) manuum quoque pulsibus impositus peculiari experimentô comprobatum remedium in his affectibus censeatur. Eandem laudem non detogat illi *Ansh. Boot de gemmis l.2.c.177.* Narium hæmorrhagiam etiam sufflaminare cannulam testaceam, sympathicam dictam, atque gestatam in dorso, ut carnem contingat, indicatur in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. dec. 2. Ann.9. & 10. obs.118. p. 287.* Sic de lapide Alaqueca in India Orientali reperiendo, quòd suspensus de corpore sanguinem ex quavis parte effluentem revocet, testatur *Garcias ab Horto de aromat. Indic. l.1. c.53.* De lapide quodam eruto ex bestiis, quas Siamenses Cabrisias appellant, quòd mirificam vim ad sanguinem sistendum contineat, allegata docent in *Camerarii hor. succis. cent. 2. c.76. p. 301.* & ex aliis idem illud tradentem *Joh. Cunrad. Dieterichium Jatreo Hippocrat. p.137.* Hieracitem seu accipitrum lapidem dextro femori alligatum, similiter sanguinem per ora venarum profusum sistere, & contra hæmorrhoidas valere, annotata probant in *Ulyss. Aldrovandi ornitholog. tom. 1. l.4. f.172.* De draconio quopiam lapide inæstimabili Lucernæ asservato, atque contra omnes fluxus sanguinolentos utili observato videatur *Joh. Jac. Wagnerus histor. natural. Helvetiæ p.327.* Geminâ experientiam de dente Hippopotami sanguinis fluxum remorante ex Patre *Michaële Boim* adducit *Francisc. Redi experim. nat. p. 96. &c.* Verùm idem autor, uti dispalescit ex loco allegato, experientiam accuratiorem & suam quidem, manusque oculatas consulens, affirmat, ne minimum quidem signum virtutis commendatæ pro sanguine retinendo, dentes dictos dedisse. Speciosa quidem sunt encomia de experimentis applicati marini equi dentis prætensis, ut & ex hoc pariter factæ coronæ gestatæ contra hæmorrhagias, quæ enarrat citatus autor *Petr. Mich. Boym in sua Flora Sinensi.* Verùm isthæc itidem non sufficiunt, ut persuadeant tantam vim *Johanni Cornelio Webero in Anchora Sanctitorum p.118.* &c. Ubi de illo negotio ita concludit autor: multoties rem tentavi, semper tamen sine

effectus fructu; hæc ille. Si quid tamen pronuntiandum est de experimentis illis, forsitan non ex dente solo, sed quatenus ille, uti aliæ res similes, alienâ facultate communem naturæ cursum transcendente, instructæ sunt. Nec hoc Satanæ credo esse impossibile, ut rebus inefficacibus vim quampiam stupendam indat, aut aliô modò auxilium conferat, quod glaucomate quopiam interjectô, rebus vilibus inesse credant creduli homines. Veluti etiam tale illud frustulum osseum suspicor extitisse, quod sanguinem cohibuit in milite plumbeis globulis aliquoties transfixo, & ex quo, remotô ullô ossiculô, ad stuporem sanguis promanavit, cujus negotii ex *Boyneo* prolixam mentionem facit *Weberus l. a.* de phœnicea herba, quam quidam Rhun vel Anchinopa vocent, quòd quidam velint illam herbam in puniceo vellere amuleti instar alligatam, sanguinem supprimere, innotescit autore *Dioscoride l. 4. c. 43.* Verùm ut hoc credat, non moveri potest *Sanct. Sanctorius de vitand. error. l. 8. c. 11. f. 161.* Sic quòd bufo narium hæmorrhagiæ metam invincibilem ponat, si vel pone aures per se applicetur, vel pugno includatur, ut calescat, vel axillis subligetur, aut etiam collo appendatur, intelligimus ex *Schröderi pharmacop. l. 4. p. 273.* Ubi etiam alii hujus amuleti effectus simul recensentur. Atque idem bufo, si umbilico alligetur, dicitur fluxus hystericos retrahere ac inhibere l. c. Adi etiam *Grubium de simpl. medicam. facult. p. 8.* & *Joh. Joach. Beckerum in Parnass. medicin. illustr. part. 1. c. 91. f. 86. Finckius in Enchirid. dogmat. Hermet. cap. 10. p. 56.* inquit; bufo exsiccatus & pulverisatus in syndone rubra axillis suppositus, vel manibus detentus, si incalescat, ceu Gorgonis conspectô capite statim sangvis rigescit. Bufonem etiam transfossum, sole in leone existente, exsiccatum, & cordis regioni vel brachio ejusdem lateris applicatum commendat *Sennertus Prax. l. 1. p. 977.* De quo etiam *Frid. Hoffmannus meth. medend. l. 1. c. 19. p. 312. Gottfr. Mœbius Instit. med. p. 669.* Eadem reperies quoque à *Cnœffelio* allegata *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. anni 6. & 7. p. 144.* Quo in loco pergit autor inquiens: à nonnullis celebratur etiam

glomus

glomus ex musco arboreo, ligni quercini, seu pruni sylvestris sub axillis gestatus; præstantissimum amuletum fit ex pulvere bufonum, succino, usnea humana & sperniola (ex oculis nigris ranarum parata) cum mucilagine tragacanthæ, per aquam spermatis ranarum factam, quod omnem hæmorrhagiam immedicabilem, subitò quasi cohibere solet, accuratiorem ejus descriptionem invenies in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cesar. Curios. anni 2. obs. 53. p. 101.* ubi etiam reperies quoad effectum & ingredientia similes componendas armillas, corallia, poma & tabulas pro mulieribus sangvinis scaturigines reseratas patientibus. Enchiresin sequentem de bufonibus præparandis allegat *Heurnius de morbis narium p. m. 76.* & *Jonstonus Thaumatograph. class. 10. c. 3. art. 3.* annotat, inquiunt, *Gesnerus*, Fridericum Saxoniæ ducem nostris temporibus, bufonem veru ligneo transfixum, & in umbra diligenter arefactum, involutum syndone, manu tenendum dedisse ex hæmorrhagia laborantibus, donec intra manus calesceret, ita sanguinem mox repressum. Idem hoc, & de eodem amuleto collo appenso, experientiam pharmacopæi cujuspiam allegat *Eman. Königius regno animali p. 139. Muncerus* von den gifftigen Siebern *sect. 3. c. 7. p. 413.* præcipit autem ultimus autor, ut pulvis bufonum retineatur in illius lateris manu, ex cujus nare sanguis exstillat. Similiter *Lapidarius* & *Mich. Mercatus* volunt pulverem dictum recipi & in sacculo à muliere gestari in superiori corporis parte pro intercipiendis ac retinendis menstruis. Jubent insimul, ut hujus experimenti testimonium indagetur in gallina capite truncata, cui per diem priùs appensus fuerit ille pulvis, unde incruentum iri negotium promittunt. Adductorum horum verò interpres est *Alexand. Venturinus med. ab anim. desumta.* Cineres bufonum in sacculo appensos contra narium & mensium fluxum prodesse dicit *Birlingius post observat. med. in Append. p. 152.* Videri etiam potest experimentum de pulvere bufonum naribus immisso, cum superstitiosis aliis ausibus, proficuo observato in illarum hæmorrhagia *Miscell. Acad. Leopoldino-Cesar. curios. Dec. 2. ann. 4. append. obs. 16. p. 191.*

p.191. De cineribus addantur loca consignata apud *Exc. Chr. Franc. Paullini Bufone descripto c.3.p.103. & 106.* Experientiâ suâ itidem confirmat, in nimia hæmorrhagia sub axillis applicatum bufonem profuisse, laudatissimus *Joh. Michaelis Colleg. MS. ad Rolfinc. Chym.* Porrò à bufone siccato cum musco pruni sylvestris syndoni incluso, atque umbilico imposito, formidabilem hæmorrhagiam uterinam & tormina remisisse constat ex *Miscell. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec.1. Ann.9.& 10.obs.166.366.* Plura de dicto usu bufonum repetere licet ex *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. dec. 2. Ann. 5. obs. 163. p.337. Exc. Paullini l.a. p.105. Camerarii syllog. memorab. cent.4. part. 35. Rattray theatr. sympath. p.19.* & *Exc. Georg. Wolffg. Wedelii de med. facult. 234.* Qui ibidem etiam meminit, quod officula bufonum exsiccata *Guernero Rolfincio* (*ord. & method. med. spec. l.9. sect.6. c.9.*) inter secreta usitata fuerit: item quod radix nigellæ in ore detenta contra mitem hæmorrhagiam profuerit. Viribus insignibus etiam pollere deprehendit bufonem in manu detentum pestis tempore in hæmorrhagiæ ferocia *Grülingius tr.* von der Pest *p.28.* Idem ille hoc ex autorum relatione memorat *Libr. Diemerbrœckius de peste l.3. c.10. p.240.* Factæ huic mentioni de bufonibus statim supponimus ea etiam, quæ de lapide illorum nobis innotuerunt. Tribuit autem eidem quoque vim sistendi sangvinem *Joël. prax. tom. 5. sect. 4. p. 139.* De lapidis rubetarum variis effectibus vide *Jonstonum Thaumatograph. L.4. c.25.* De lapide dicto rite inquirendo, cui placet, evolvere etiam potest *Hildebrandi Magiam nat. l. 4. c. 20. p. 27. Camerarii syllogmem. cent. 4. part. 31.* item *cent. 7. part. 82. & Schröders Pharmacopœiam l. 5. p.273.* De eodem lapide, quem potius os ex rubetæ cornutæ capite sumtum putat, & Batrachiten seu Boracem vocat) legi quoque potest *Becherus phys. subter. l. 1. sect. 6 c. 3. p.567.* Dari autem lapidem hunc, & similem ex araneis petendum, contra hæmarrhagiam admodum à quibusdam commendatum, qui etiam certâ ratione colligendas sit, quod tamen fabulosis nugis annumerat *Sim. Paul. quadripart. Botan. p. 163.* Suffragatur his verbis ex eodem autore fortè mutuatis *Frid.*

Hoffmannus

Hoffmannus clav. Schröd. p. 695. priusquam verò hanc materiam de bufonibus deseram, non possum intacta prætermittere verba *Joh. Cornel. Weberi in Anchora Sauciatorum* contenta *p. 117.* Bufo, ait, collo appensus vix sanguinem venosum, ne dicam arteriosum sistit. Ranas virides etiam, in arboribus vel pratis reperiendas *Fallopius* non abesse vult ex numero pendaculorum hæmorrhagiis repagula ponentium; veluti has portatas a mulieribus nimiô fluxu mensium laborantibus, salubres esse exponit ex dicto *Fallopio Alexand. Venturinus l. c.* Ranam vivam plantis pedum bonô eventu itidem alligatam fuisse annotat *Soph. Kozackius de hæmorrhag. l. 2 c. 12. p. 678.* Infelicis autem ranæ mentionem facit *Excel. Christ. Franc. Paullini in Append. p. 35. ad Misc. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 2. Ann. 6.* Memorat quippe præpositum Schackensem in lethalem hæmorrhagiam illapsum esse à rana in caput suum insperatò ex rostro ciconiæ in aëre propter volantis delabente. Alioquin etiam sperniolam solam (quam paulò superius in composito quopiam à *Crœsselio* laudari indicavimus) in sacculo volunt collo appensam, ob effectum non minùs salubrem in dictis malis. Singularis etiam atque eximia laus est usneæ vel musci circa cranium humanum reperti, quem in pestis hæmorrhagiis dilaudat *Grulingius l. a.* Eandem usneam in narium fluxu sanguinis præstantissimam renunciat *Fabr. Hildanus cent. 3. obs. 2.* Autor hic, quia rarò muscus dictus in suspensorum craniis reperitur, sumit illum à craniis in cœmeteriis reperiendis. Nonnulla de eadem usnea, & quod illa (contra *Fabr. Hildanum*) in craniis suspensorum crescat, ac reperiatur, videri possunt in notis *Adr. Tellii ad Joh. Stockeri praxin auream l. 1. c. 17. p. 121. &c.* Ipsemet ego non impossibilem hunc musci ortum arbitror in craniis humanis, cum & ego illum in iis deprehenderim; adjuvabimus autem ipsius genesin faciliorem, si crania in umbrosis locis septentrioni expositis aut sylvis reponamus, sive pendula reddamus illic, ut ita humidum aërem, rorem, aut pluviam excipiant; quo fiet, ut temporis tractu illa crania promtiùs muscum

producant. Crania etiam illa humi jacere debere, si muscum quis appetat, innotescit commonente *Camerario Sylloge. mem. cent. 6. p. 87.* Dari vel reperiri itidem hanc usneam doceberis ex *Schröderi pharmac. l. 5. p. 298.* Sic etiam demortui hominis os manu tenendum & usneam in nares sanguine stillantes immittendam esse ex *Wirsungi* Artzn. *fol. 108.* præcipit *Mich. Bapstius* im Artzney Kunst und Wund-Buche *part. 1. p. 91. &c.* De osse hominis pariter commendato, (ut hoc interseramus vel modo adductis statim annectamus) si manu teneatur consulatur *M. bius Instit. Med. p. 669.* De laude usneæ verò adhuc conferatur etiam *Beckerus microcosm. spagyr. c. 5.* & idem apud *Rattray l. c. p. 516.* Usque dum verò incalescat ille muscus, retinendum eum in manibus esse svadet *Muncerus* von gifftigen Siebern *l. c.* de quo etiam *Joh. Baptist. du Hamel oper. philos. tom. 2. p. 134.* Gemina experientia de muscô hoc dictô modô usurpato prostat apud *Boyleum de specific. medicament. p. 99.* De simplicis etiam usneæ usu compedes injiciente hæmorrhagiis, & compositis, ex ea medicamentis consignatis nonnullis evolvenda quæpiam præbent *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. anni 2. obs. 53. p. 96. &c.* De interno autem usu musci hujus (à *Jöele* aliàs laudato in hæmorrhagiis) minùs respondente expectationi agit *Timæus l. 4. cas. med. 29. p. 228.* Porrò de hoc musco suspensorum quomodo à spiritibus in suspensis ad caput peculiariter avectis & post mortem ibi relictis efficax reddatur, exponit fusiùs *Petrus Servius de ungv. armario apud Rattray l. c. p. 557.* Veluti etiam de materia usneæ de cœlo cadente, legi potest, si volupe est, *l. c. p. 474.* Similiter de sominio illius cœlitus delapso, & æstimio istius musci habentur quædam apud *Helmontium magnet. vulner. curat. §. 41. &c.* Nolo insimul hîc sicco pede præterire illud, quod inculcat *Rod. Goclenius de magnet. vuln. curat. & Joh. Bapt. Porta mag. natural. p. 648.* quod usnea cranii hominis naturali morte peremti sit vilior eâ, quæ cranii violentâ morte peremti existit.

Quas autores aliàs usneæ, tanquam præcipuo ingredienti

dienti uguenti armarii tribuant, vel denegent vires, colligi potest ex collectaneis in opere vel tractatu citato *Rattray* reperiendis. De ejusdem musci generationis modo, recensito & loco ipsi in armario unguento assignato *Hartmannus* quoque agit, contra quem videatur *Primerosius de vulg. error. l. 4. c. 48.* Usneæ vero hactenus commendatæ dubias suas reddit vires *Joh. Cornel. Weberus Anchora Sauciatorum p. 117.* Usnea, inquit, manu detenta, sectâ venâ, sangvinis eruptiones impedire, falso creditur. Aliàs suflamen sangvini proruenti infigere creditur etiam muscus vulgaris, quod vim adstringentem, & Saturninam naturam possideat, quæ hæmorrhagiis sit contraria, velut ille ideò commendatus est *Etzlero Isag. phys. mag. med. c. 7. p. 771.* Qui ibidem subjungit hoc: quod ursus sagittâ vulneratus muscum quærat, quô compescat sangvinem effluentem. Utrum crebriùs id, & intentione amuleti electi factum, vel pro vulnere occludendo solius adminiculi loco muscus sit arreptus indagandum adhuc est. Mirum in modum etiam adstringere muscum prunorum sylvestrium seu acaciæ Germanicæ, quem nudis pedum plantis suppositum, brevi sangvinis menstrui profluvium cohibuisse, aliis omnibus restrictivis frustra applicatis, se vidisse ait *Joh. Hiskias Cardilucius comment. ad Hartmanni prax. chymiatr. lib. 2. c. 156. p. 683.* Sed de *musci natura* & usu forsitan alio tempore nos plura evulgabimus. Sic porrò etiam contra mensium profluvium sub lingua salutaiter detineri radicem nigellæ paulo superiùs etiam attactam, lapidem hæmatitem verò, radicem papaveris erratici, & muscum arboreum axillis gestari scribit *Schmitzius comp. med. pract. p. 167.* De laude singulari radicis nigellastri linguæ subditæ loquitur itidem *Sim. Pauli quadripart. Botan. class. 2. p. 94.* Suspicor etiam amuletum indicare verbis sequentibus *Th. Bartholinum cent. 5. histor. anatom. 97. p. 180.* Nihil, inquit, præstantiùs radice zizaniæ, quâ miraculi instar hæmorrhagia sistitur. Sic si radix pæoniæ subjiciatur linguæ, illam narium hæmorrhagiam pariter sistere, ex aliorum relatione

tum; & mediante fascia circa lumbos ligatum. Idem hoc autor ille asseverat *l.a. cap. 120.* Insimulque innuit hic autor, quòd cingulum hoc eandem præstet efficaciam in fluxu sanguinis arteriosi, post partum gravissimum, sæpe magno conamine profluentis. Dehinc interstitionem procurare in hæmorrhagia herbam & radicem agrimoniæ, si in manibus gestetur innotescit scriptitante *Christophoro* Heylmann *ligno vitæ p. 62.* Anagallis etiam, flore puniceo, si manu teneatur, sanguinem profluentem interturbare dicitur, de quo *Sennertus prax. l. 1. p. 977. & Hortus Eystettensis.* Non abludit ab hoc *Martinus* Schmuck *l. c. p. 15.* Dum dictam herbam anagallidis floribus rubris præditam, eamque pro mascula reputatam, quibusdam hæmorrhagiis commodè opponi indicat. Idem hoc ferè & iisdem verbis innuit *Joh. Dan. Mylius Antidot. medic. chym. l. 1. c. 6 p. 70.* Interrumpere quoque sanguinis fluxum ruentem ex incisa vena herbam modò dictam in manibus asservatam & calefactam asseverat *Crollius de signat. p. 32.* De eadem *Finckius Enchirid. dogm. Herm. ita:* Anagallis, ait, mascula radice rubrâ manibus detenta sanguinem è naribus profluentem sistit. Interdicere etiam sanguinis fluxui perseverantiâ vel continuatione externè appensos flores hyperici, geranium, radicem cyani, & tormentillæ radices volunt nonnulli. De recensitis quibusdam & aliquibus adhuc recensendis scilicet radice tormentillæ, hæmatite, carneolo, sarda, corallio, quòd manibus inclusa sanguinem sistant, testatur quoque *Joh. Daniel Mylius l. c.* sanguisorbam etiam hujusmodi amuletis annumerari, si eadem manu contineatur constat ex *Petr. And. Matthiolo Herb. f. 361.* Idem præstare creduntur flores bellidis majoris & minoris in manu contenti. Cyani illam radicem die corporis Christi in meridiana hora erutam, inque manu detentam usque incalescat, omnem hæmorrhagiam interpellare ac repellere statuit *Mart.* Schmuck *l. c. p. 54.* Suspectum tamen est hoc collectionis tempus, licet magnopere ejusmodi collectionem variis Sanctorũ diebus institui præcipiat autor, atq; eandem plausibilem

reddere conetur. De fraxini ligno, quod pariter inducias injungat emananti sanguini, & quomodo præparetur, gnarus reddetur qui vult ex *Borelli cent. 3. obs. 77. & 78.* De hoc ligno etiam allegare nobis lubet verba *Joh. Adami Weberi discurs. curios. p. 199.* inquientis: fraxinei ligni frustula ambabus manibus detenta ut incalescant, adeò sistunt sanguinem, ut ne gutta quidem e scarificatione effluat, donec abjiciantur. Cujus rei experimentum fecit quidam ex ordine S. Francisci, & verum esse deprehendit &c. Qui vult, plura de modo colligendi istud lignum, locum citatum consulat eique jungat *Joh. Jacob. Wagnerum histor. naturali Helvetiæ p. 2/7.* Quòd verò lignum hoc cædi quidam velint secundo die Maji, indicat *Wolffg. Ambr. Fabricius de signat. plantar. epimetro 1.* Plura suppeditabunt de collectionis modo qui de antipathia & sympathia, uti & pulvere unguentoque armario, vel sympathetico scripserunt. Interim *Th. Barthol. Actis medic. & phil. Danicis anni 1673. volum. 2. obs. 78. p. 107.* lignum sympatheticum in hæmorrhagia narium probatum se invenisse attestatur. Paulò inferiùs non nihil adhuc de fraxini ligno sequetur, cujus attactus in modum signi crucis adhibendus injungitur. Plura de eodem ligneo aliquando in *fraxini consideratione* peculiari nos daturi sumus; quemadmodum etiam de fraxino nonnulla reperiuntur inter vulnerum amuleta inferiùs memoranda. Laudatus *Barthol differt. Epist. de transplant. morb. p. 15.* Porrò exhibet hæc: lignum coryli, inquit, certô siderum positu collectum, sanguinem sistit, etiamsi partem affectam non tangat. Sanguinem calidè fluentem potest imbibere per poros suos, unde consensus ille. Sic *Rolfincius l. 9. meth. medend. special. sect. 6. c. 12.* lignum mespili appensum in hæmorrhagia celebrat. Ejusdem ligni frustum de collo gestatum mictioni cruentæ obicem ponere haurimus ex *Maccasii promptuario à Nestero edito p. 835.* Mentio præterea fit in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. Ann. 4. obs. 150.* quòd in medio quercus repertus fuerit fungus coriaceus narium hæmorrhagiam sistens, & quidem cordis

cordis regioni applicatus. Hæc in memoriam revocans, subjungit iis suam experientiam collega atque Amicus noster honoratiss. *Gabr. Clauderus Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 2. Anno 4. obs. 150. p. 385.* scribit de cortice tenero, simillimo corio molli, in ligno querno, & aëri dein exposito sæpe reperiendo, quasi putrefacto & carie corrupto, quod corticis illius frustula, manu detenta vel cordis regioni admota, usque dum incaluerint, plus vice simplici in narium cohibendis hæmorrhagiis feliciter operari viderit. Cessasse etiam hæmorrhagiam narium incantamenti instar, ubi quis fungum betulinum manu tenuit usque incaluit, indicat *Otto Tachenius de morbor. Principe p. 107.* Persicariam maculatam itidem sanguinem è naribus profluentem sistere scribit *Andr. Laurentius oper. Therapeut. tr. de strumarum sanatione l. 1. c. 5. f. 10.* Dehinc quod verbascum collectum in Augusto, sole existente in Virgine, Lunâ plenâ, si manu teneatur sanguinis profluvio cujuscunque generis pausam injiciat, proponit *Aug. Erzlerus Isag. phys. mag. med. p. 62.* Non excludunt etiam multi ex numero & laude hactenus dictorum bursam pastoris, si pulsibus applicetur juxta assertum *Frid. Hoffmanni l. c.* Conferetiam de hujus effectu simili *Martinum Schmuck l. c. p. 15.* & *Cast. Durantem horto sanitat. p. 164.* De ejusdem herbæ viribus dictis, & quod arctè ista detenta; vel pedibus etiam supposita meticulosam hæmoptysin compescuerit, testimonium comparet apud *Sim. Pauli quadripart. Botan. class. 3 p. 231.* Ceremoniæ insimul, quas pro colligenda hac herba quidam addi volunt, videantur allegatæ apud *Joh. Sylvium.* Alias singulariter etiam dictam bursam pastoris in copioso sanguinis fluxu narium laudat, si cum ovi albugine & aceto commista fronti applicetur *Antan. le Grand curios. rerum abditar. perscrutatore p. 165.* Juvare quoque laborantes hæmorrhagiâ narium radicem urticæ & rutæ, si collo appendatur, idque fieri occultâ proprietate adstruit *Petraus Nosologia diss. 22. §. 9. p. 231.* Non nullos etiam asserere, quod radix urticæ in ore detenta sanguinis fluxum statim constringat, exponit *Riverius.*

rius prax. med tom. 2. l. 4 c 7. f. 278. Externe itidem applicatam, ac interna in medicamenta redactam urticam varia sub forma prodesse in hæmorrhagia ex citato *Riverii* loco & allegatis addiscimus apud *Joh Georg. Sartorium de admirand. narium hæmorrhag p. 19. &c. impress. Altdorfii 1682.* De linteo ex caulibus urticæ majoris texto atque commendato, paulò inferius sequetur adhuc locus indicandus. Urticam vero paulò ante dictam, & saniculam non infimæ quoque censent operationis, si plantis pedum supponantur De mentha pro pediluvio adhibita experimentum aliquale adducit *Simon Pauli quadripart. Botan. class 3. p. 396.* videlicet quòd sanguinis fluxum è vena secta cohibuerit. Est etiam alius autor, qui post usum essentiæ menthæ aliquandiu continuatum, dicit ter venæsectionem vanam & incruentam institutam esse. Illud vero *Pauli* experimentum trutinans *Joh. Cornel. Weberus Anchora Sanciator, p 119. &c.* effatur hæc: Rem tentavi, effectus autem voto respondere nolebat, neque mentha internè propinata sanguinis circulationem sistit. Diffiderem & ego de illis effectis, nisi pleniùs hoc adstrueret experientia iterata; De eodem non nulla etiam inter venerem compescentia patefient. De fragariæ plantæ integræ viribus, si scilicet illa in manibus teneatur, evolvatur *Grembsius arb. integr & ruin. l. 1. c 7. p. 58.* Sic etiam radicem quinquefolii pugno detentam hæmorrhagiæ narium remoram internectere, annotat *Schröderus pharmac. med. chym. lib. 4. p. 135.* De quo etiam *Greg. Horstius herbarism. operum tom 3 f. 297.* Ex *Joh de Cuba horto sanitatis c. 387.* tradit *Mich Bapstius* im wunderbarl. Leib und Wund-Arzney Buche *part. 3. p 28. &c.* Quod radix sanguinariæ intra duo Mariæ festa effossa, atque ipsius manu compressa, qui hæmorrhagiâ laborat, faciat ut evanescat illa. Utrum verò sanguinaria herba sit πολύγονον notum, cujus succus infusus naribus sanguinem supprimit, juxta *Nic. Perottum cornucopiæ f. 664.* inquirendum videtur diligentius. Cichoreum florens effossum, quando sol leonis cor intrat, atque formicarum nido aut tumulo priùs impositum

ſitum ac geſtatum poſtea, certo remedio eſſe contra hæmorrhagiam narium ex *Poppio* refert *Joh. Helfric. Junckenius chym. experim. p. 878.* addatur huic quoque *Schröderus pharmacop. l. 4. p. 46.* De cichorii (ubi quidam albo, alii carneo flore præditum illud ſeligunt) radice appenſa atque proficua contra hæmorrhagias deprædicata, continentur nonnulla in *Miſcell. Acad. Leopoldino-Cæſar. Curioſ. dec. 2. anni 1. obſ. 42. p. 117. &c.* Radicem caryophyllatæ montanæ majoris rotundifoliæ, in vere collectam & appenſam ſimiliter in hæmorrhoidum fluxu à quopiam commendari indicatur *l. a. p. 119.* De non nullis, quæ reperta ſunt ſanguinem coërcuiſſe & continuiſſe, imò corpora induraſſe in militibus, loquitur *Berneggerus in Cornelium Tacitum quæſt. 39.* Sic ſideritis tantam habere vim creditur, ut recenti gladiatoris vulneri alligata ſanguinem manantem illicò compeſcat, referente *Plinio l. 26. c. 13.* Porrò certiſſimum contra hæmorrhagiam teſtatur eſſe *D. D. Maglin Prof. medic. Tubing. dd. diſs.* Sanguinem menſtruum primum virginis incorruptæ in linteaminibus exſiccatum, & orificio, unde ſanguis profluit, inditum, ceu legimus apud *Joh. And. Camerarium memor. med. cent. 18. partic. 75. p. m. 1487.* Paulò inferiùs tamen zenith illud virginum contrarium potiùs effectum edere comperiemus.

Deinde pilos è pube muliebri avulſos, inque nares virorum intruſos; & è pube virili, in fœminarum nares immiſſos, hæmorrhagiæ finem imperaſſe aliquando obſervavit *Henr. ab Heer lib. 1. obſ. 5.* Qui citatus autor magicum quid interfuiſſe illi negotio ſuſpicatur. Porrò pili leporis conglomerati & in nares immiſſi creduntur interſtitium comparare hæmorrhagiæ illarum, veluti teſtimoniis ſuis conſignant *Wolffg. Waldungus lagographia p. 68.* &c. *Conr. Geſnerus lib. 1. de quadrup. Matthiolus in Dioſcoridem lib. 2. cap. 18. Galenus lib. 9. de ſimplic. facult. Plinius hiſt. nat. lib. 28. c. 18. Ulyſs. Aldrovandus l. 2. de quadrup.* aliique plures. Alii eligunt magis pilos albos ſub cauda vel ventre repertos, de quo *Bald. Ronſſeus venat. medica p. 9. &c.* Plura ſimilia loca ſine dubio colligi poterunt inpoſterum

ex *Exc. Christ. Francisc. Paulini Lagographia curios. sect. 3. c. 25.* De pisce maris Brasiliani, facie mulierem referente, seu Sirene, adstruunt quidam, quod ossa ejus ita gestata, ut vivam carnem tangant, omnem exitiosum fluxum sanguinis cohibeant, qui vel ex hac vel illa vena, vel arteria præcipitanter restagnet, de quibus dictis agit *Ath. Kircherus de art. magnet. l. 3. part. 6. c. 2. §. 6. f. 532.* & *Franc. Redi experim. natur. p. 93.* De dente quoque illius piscis, quod in manu detentus sanguinis periculosum fluxum ex arteria secta factum cohibuerit, ex alio equidem refert sedulus ille obstrusorum indagator *Redi l. c. p. 94. &c.* Sed ossa illa modo dicta ne minimum signum memoratæ virtutis dedisse in sanguine sistendo, effatur constanter *Redi l. a. p. 96.* De lapide carpionum, quod appositus naso apud Belgas credatur hæmorrhagiam narium sistere, annotat *Ans. Boët. Boot histor. gemm. l. 2. c. 175. p. 349.* Nondum finem concedunt nobis illa, quæ finem hæmorrhagiis imperare vel imponere putantur; siquidem mensium fluxum nimium aliis non facile auscultantem cohibuisse polygonum, solum sub axillis positum, legimus in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. anni 3. obs. 23. p. 40.* In eodem affectu singulari laude quoque extollitur radix symphyti majoris à mulierculis familiæ cujuspiam, mihi notæ, multis partibus simul appensa, atque ibi præcipuè, ubi multæ venæ præsto sunt. Nota quoque est stupa, vel filamenta cannabis crudæ, quæ inferius etiam *à Cnæffelio* laudabuntur, atque hæc satis frequenter quibusdam in locis contra hæmorrhagias uteri, brachiis, vel manibus circumligantur à mulieribus; utrum verò ligatio, jam olim etiam in dictis malis usitata, vel medica vis peculiaris sigens sanguinem in ejusmodi stupa præpolleat, sive ratione intentionis solùm, sive consecutionis illius, deliberent curiosi. Porrò cor vulturis appensum in superiori corporis regione mulieri, cui fluxus menstruus molestus est, illum reprimere, idque consonum esse experientiæ, liquidò constat ex *Al. Venturino de medic. ab animal. desumta.* Sic quòd ex asini parte dextræ auriculæ

riculæ ligaturæ phylacterium fiat, quod portatum à muliere sanguinis fluxum patiente eodem die limites insuperabiles isti ponat, asseverante istud *Kiranô Kiranidibus p. 89.* Album corallium, inquit *Schröderus pharm. med. chym. l. 3. p. 333.* appensum, ut pectus contingat, hæmorrhagiam mulierum sistit. Proficuum quoque fore existimat celeberrimus *Rolfincius meth. med. special. p. 343.* si juxta *Forestum observ. 10. l. 13.* æger hæmorrhagiâ afflictus frustum cretæ albissimæ in manibus teneat. De cretæ hujus applicatione injuncta habentur etiam quædam in *Camerarii memor. cent. 8. partic. 91.* Respondet huic asserto commendatio ejusdem cretæ annotata apud *Sylv. Rattray theatr. symp. p. 638.* In modò allegato *Rattray* loco de similibus viribus rubricæ simul agitur. De dictæ cretæ, hæmatitæ, centumnodii & bufonis exsiccati viribus decantatis in variis homorrhagiis, agit etiam laudatus *Rolfincius ord. & meth. med. special. commentat. lib. 12. c. 6. p. 942.* Eodem modò frustum vitrioli in manu retentum usque dum incalescat, sanguini è venis erumpenti obstare efficaciter, ac singulari experimento, innotescit effatô *Lev. Fischeri corp. medic. Imperiali l. 3. p. 104.* Quid vitriolum aliàs, vel caput mortuum illius in sanguinis fluxu cohibendo erogare dicatur, dum etiam in unguentum armarium recipitur, notum est. De illo & alumine, quid hoc imprimis suô solô ferè attactu in sangvine proruente conferat, vide allegata ex *Borelli obs. med. apud Joh. Cornel. Weberum in Anchora Sauciatorum p. 122. &c.* Ex his recensitis hactenus, quæ variis hæmorrhagiis opposita creduntur, nonnulla quoque collecta & annotata prostant in *Casp. Barthol. de Lap. Nephrit. c. 9. p. 19.* Vidi etiam ante annos aliquot Altenburgi, cùm Medicam praxin ibidem exercerem, mulierem manû tenuisse fasciculum florum stæchados citrinæ, idque suasu plebejarum fœminarum, in desperata penè hæmorrhagia uteri; de effectu hujus verò nihil certi eloqui valeo, cùm alia curationis præsidia ego præcipue attenderim. Comperi verò aliquando cessasse hæmorrhagiam narium frequentem in gravida, ex sequenti medicamento, quod divisum in duas

partes sub axilla utraque detineri jussi. Compositum autem erat ex herba bursæ pastoris, anagallide flore rubr: lapide hæmatitæ, rubrica, creta, sperniola Crollii, quæ concisa & contusa sub sicca forma applicari svasi dictis locis. Sic in vehementi hæmorrhagia uteri, mulierculæ pauperi ante annos aliquot præscripsi sequens, in quatuor partes æquales dividendum, sacculis totidem includendum, ac duobus carpis manuum vel pulsibus imponendum, & sub axilla utrâque sacculum peculiarem alligandum, atque continendum; sacculos autem priùs etiam in acetum immergi volui. Formula illa verò erat hæc: Recipe bursæ pastoris, florum papaveris rhæad. rubr. ana manipulum semis, florum hyperici manipulum unum, concisis iis addantur pulveris radicum bistortæ drachmæ duæ, pulveris lapidis hæmatitæ uncia semissis, aluminis usti drachma una, hæc commixta applicata fuerunt locis dictis ad modum indicatum. Cessabat autem altero die pòst, ab applicatione, periculosa illa hæmorrhagia; utrum verò hoc externum medicamentum, an potius interna, quæ simul propinavi, majorem efficaciam sibi vendicarint, quis facilè definiet? quemadmodum etiam illud medicamentum pro amuleto omnibus modis absoluto minùs declaro vel obtrudo; licet istud simplicia talia quædam, aliàs usitata eum in finem in his malis, complectatur; hinc liberum est cuique, num illud medicamentum epithema, aut periamma nuncupare velit. *Eberh. Gocceliu conf. med. p. 244.* etiam compositum præmissis paucis simplicibus suppeditat: per singularia, inquit, & occultâ qualitate operantia curatio hæmorrhagiæ instituitur: Muscum è cranio hominis, radicem pœoniæ sub lingua detentam, lapidem carpionis ori inditum, jaspidem, carneolum, corallia, lapidem hæmatiten, ranam viridem manibus apprehensam, & amuletum hoc collo gestatum: Rec: ciner: bufonis unius, lapid: hæmatitæ ana drachm: sem: musci cranii homin. pulv. umbilic: marin: corall: rubr: præpar: ana scrupul. unum. Rad: torment: bistort: ana drachm. sem. bursæ pastor. flor. bellid: minor: anagallid: rubr: anapu-

gil.

gillum unum, fiat pulvis, qui in sericum rubrum includatur, ex quo fiat amuletum. Non abs re forsitan interseram his taxandum illud negotium, quô mulierculæ aliique plebeji jubent, ut sangvis supra crucem stramineam stillet, quod attingit laudatissimus Dominus *Rolfincius l.c.* De eodem, & aliis adhuc superstitione involutis, sangvini promananti resistentibus conferatur quoque *Hollerius instit. chirurg. Heürnius de morbis narium c. 9. & Leon. l. 4. pr. 5. 3. c. 10.* De fraxini ligno, hujus scilicet collectione, & attactu illius crucis formâ peragendo pro impedienda hæmorrhagia suppeditat etiam quædam *Hæferus Herc. med. l. 5. c. 2. p. 249.* Sed mittimus hunc abusum crucis, quia de hoc aliis in locis nostri scrutinii plura trademus; Fortassis etiam non erit sterilis tractatus de abusu crucis, in quo memorabilia se daturum promittit *Johann. Mich.* Schwimmer/ *in curiositatibus phys. p. 88.* Nihil hoc loco movebimus de variis illicitis curationibus, quæ non rarò interseri solent medelis hæmorrhagiarum; nihil etiam ad nos verba vel recitata vel affixa corpori pro illo scopo obtinendo; sufficiat nobis jam, si loca quæpiam annectamus adhuc, in quibus ista impia atque illicita improbantur, qualem locum suggerunt *Acta Med. & phil. Danica anni 1673. obs. 41. p. 119. &c.* Taxat inter chirurgos militares Germanicos *Jobus* von Möckern/ in Chirugisch. Anmerckungen *p. 56.* quod scilicet denique ad verba obscura confugiant in hæmorrhagiis sanandis, quando frustra priùs adhibuerint lapillum triangularem carpionum, usneam & bufones aridos, quibus pariter parum efficaciæ tribuitur. Si quis plura de hac materia rescire appetit, eos evolvere potest, qui de corporum induratione agentes monita salubria non nunquam suis scriptis admiscent; velut horum autorum inferiùs nos mentionem injiciemus, ubi ea attingemus, quæ victoriam comparare, & invincibiles, minùs violabiles, ac incruentatos reddere creduntur. Cui interim non est dividiæ, ideò etiam perlustrare potest ea, quæ tradit *Camerarius horis succis. cent. 2. c. 76. p. 301.* & *Joh. Conr. Dieterichius Jatreo Hippocrat. p. 128.* Denique de hæmorrhagiis manuum

attactu sanatis videatur *Joh. Rhodius cent. 1. obs. med. 91.* Quæ sangvinis fluxus verò proliciunt, inferiùs ex peculiari sua sede & amuletis hæmorrhoidibus aperiendis dicatis repeti pro lubitu possunt.

Hæmorrhoidibus cœcis, condylomatibus, ficubus, mariscis vel varicibus succurrentia.

COntemplabimur jam, quæ contra hæmorrhoides commendantur: nudum autem dentem equi marini gestatum, ut carnem contingat, hæmorrhoidum dolorem mitigare dicit *Alex. Venturinus medicin. ab animal. desumta.* Sic plantaginis aquaticæ radix manu gestata, donec incalescat, è vestigio dolorem sedet, velut suis oculis se non semel observasse affirmat *Joh. Prævotius selectis remediis p. 70.* Videtur etiam fabariam in dolentibus hæmorrhoidibus cœcis commendare politissimi ingenii Medicus *Georg. Wolffg. Wedelius opiologia p. 124.* Idem laudatus autor de re medica meritissimus liberiùs pro certissimo amuleto declarat in hæmorrhoidibus cœcis, mariscis & condylomatibus, radicem illam viridem fabariæ vel Telephii appensam, in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. anni 2. obs. 195. p. 296. &c.* atque *in Actis medic. & philos. Danicis Anni 1674. volum. 3. obs. 58. p. 96.* Verùm hoc experimentum in cristis sibi non successisse innuit *Th. Barthol. in actis dictis anni 1671. & 1672. volum. 1. obs. 51. p. 103.* mutat autem citatus dominus *Bartholinus* mentem illam suam in *epistolica dissertatione de transplantatione morborum p. 17.* statuens virtutem transplantationi affinem expertam inesse radicibus primulæ veris, fabariæ & chondrillæ in hamorrhoidum tumore & dolore. Testatur quippe ille autor, si vel ipsæ partes affectæ ab his tangantur, vel collo, seu dorso ægri appendantur, quod scilicet sensim & dolor hæmorrhoidum, & tumor istarum evanescat. Pergit iterum autor dictus ita: experientia in dubium vocanda non est, quippe certa de tuberosa radice chondrillæ mihi *Petrus Castellus*, Messanensium in Sicilia Medicus usu & ætate provectus olim præsenti testatus est,

hæ-

hæmorrhoides, si tangantur illâ, siccari, si chondrilla siccetur; corrumpi verò, si corrumpantur; quare sub camino illam esse exsiccandam monuit. Fabariæ radix totidem nodis dorso ægri appensa, quot tumores hæmorrhoidum numerantur, sanat tumores; quod experimentum à curioso medico *Georgio Wolffg. Wedelio* edoctus, verum in nonnullis Hafniæ deprehendi &c. plurima hujusque de fabaria allegata recenset etiam *Excell. Joh. Fromannus de hæmorrhoidibus p. 470.* atque hoc amuletum fabariæ in hoc morbo omnibus aliis palmam præripere ait. Idem laudatus autor ibidem p. 496 &c. mentionem quoque facit transplantationis memoratæ inter *Bartholinum & Grubium* aliàs ventilatæ, nec audet apertè autoritati celeberrimi *Bartholini* obloqui; verùm non immeritò mussitat de suspecto tantum non omni transplantationis negotio. De eadem radice testatur *Kasp. Kölichen in Actis med. philos. Danicis Volum. 5. obs. 133. p. 330.* quòd penes illud amuletum non sit perpetuum levamen, nisi simul alvus quotidiè laxa & soluta sit. Alioquin eadem penè verba & sententiam (ac paulò ante à *Barthelino* accepimus) de chondrilla reperies post *Dominici Panaroli pentecostas observationum p. 210.* Porrò hæmorrhoidum dolorem brevi spatiô tollere annulum suum asseverat *Helmontius de febribus c. 2. §. 29.* Præterea *Ulysses Altrovandus & Castor Durantes hortulo sanitatis, juxta Baricelli testimonium horto genial. p. 340.* tradunt de herba hæmorrhoidali (quæ cum Polygono convenire scribitur) quod si illâ hæmorrhoides dolentes attingantur, dolores auferantur, vel si femori imposita gestetur per diem, posteaque in locum fumosum suspendatur, herba ista cum hæmorrhoidibus corrugetur, omnisque dolor dissipetur. Non multum abludunt ab his, quæ leguntur apud *Guern. Rolfincium Epitom. meth. medend. p. m. 328.* Idem illud ex *Durante* adducit *Anton. le Grand rer. abdit. perscrutatore p. 332.* Porrò *Crollius de signaturis p. 30.* de scrofularia consignat, quòd illa major & minor contra ficus seu mariscas ani de collo ad orificium stomachi virtuosè appendatur. Ex eodem autore forsitan.

forsitan etiam petitum id tradit *Joh. Dan. Mylius Antidot. med. chym. l.1. c.6. p.73. & 75.* Probatum idem illud reddunt *Horstius, Scultetus,* & alii de externo atque interno ipsius usu, quod contra hæmorrhoides cæcas mirificè prosit. Videatur etiam *Henr. ab Heer* allegatus apud *Sennertum paralipom. p.131.* Item de scrofularia, quòd hæmorrhoides sanet, non quidem ob signaturam stultè collectam vel conceptam, sed ob vim emollientem & consumentem superfluos ac noxios humores præcipuè indicat *Ger. Joh. Vossius Theolog. Gentil. l.5. c.25. p.114.* Cirsii radices quoque dolores varicum sedare, si loco laboranti adalligentur ex *Andrea* docet *Dioscorides l.4. c.119.* Sic etiam sideritim varices minuere sine dolore, scribit *Plinius l.26. c.10.* Ulterius ad fici sanationem clymenum rubrum tantâ vi pollere, ut ab hoc morbo tutus sit, qui radicem ejus gestaverit, compertum est *Bartholino de lapide nephrit. c.9. p.23. §.34.* similiter, quòd chelidonii minoris radix gestata, aliove modô variô usurpata, sit optimum remedium ad sopiendum dolorem hæmorrhoidum, liquet ex *Casp. Hoffmanno de med. offic. l.2. c.63. p.167.* Cui etiam adstipulatur *Joh. Hisk. Cardilucius commentario ad Hartmanni praxin. chym. l.2. c.129. p.496.* Porrò oculos mori arboris ad hæmorrhoides provocandas *Marcellus* commendat, si prius in coccum galaticum mittantur, & in phœnicio lino conchyliatæ purpuræ colligantur, velut intelligimus ex *Th. Bartholini cista med. loc.58. p.607.* Hæmorrhoides etiam pellere cardui pomum, in pera saltem gestatum, scribit *Bernh. Swalbe in disquisit. Therapeut. sect.1. p.21.* si quæ plura post hæc expetuntur sangvinis fluxum promoventia, eadem ex loco suo peculiari inferius, & iis, quæ mensibus suppressis dicata consignabimus, colligi poterunt.

Hæmorrhoidum fluxum cohibentia.

CONtra hæmorrhoidum fluxum verò & dolorem putat Helmontii amuletum esse scrofulariæ radicem & fructus cardui hæmorrhoidalis *Hæferus Herc. med. lib.3. c.5. p.194.* Polygonum quoq; sub axillis positum jucundè solet compescere

ſcere fluxum hæmorrhoidalem, uti conſtat *ex Miſcel. Acad. Leopoldino-Cæſar. curioſ. Ann. 3. obſ. 23.* Similiter chondrillæ hæmorrhoidalis radix ſolùm collo affixa hæmorrhoides præpotenter ſiſtit, interprete *Kirchero Magnetico Regn. natur. ſect. 4. c. 4. p. 196.* & hujus de ratione in arte Magnetica ſe disquiſiviſſe, ſcribit autor. Feliciſſimus ille quondam Lipſienſium Medicus *Joh. Michaelis* in ſecretis habuit annulum, ex dente equi marini contra terrorem, ſpaſmum, & hæmorrhoidum fluxum; curavit etiam eôdem fœminam alvi fluxu ſangvineô laborantem, veluti hoc *in collegio MS. ad Schröderi pharmac. & Hartmanni praxin chymiatr.* teſtatur. Sic dicitur etiam ſequens annulus *D. Sperlingii* contra omnes hæmorrhoidum affectus facere; Rec. plumbi, vel ſtanni, quantum vis, funde & inſperge cineris & calcis vivæ parum, dum verò adhuc fluit, in metallum confeſtim funde, addendo non nihil Mercurii, qui à ſpiritu metallico quoque indurabitur, fiat inde annulus, qui geſtetur. *Fernelius de abdit. rerum cauſis lib. 2. c. 17. p. 526.* meminit itidem annuli, quem vidit hæmorrhoides ſiſtere & compeſcere. Adhæc fluxum hæmorrhoidum compeſcere ſmaragdum umbilico impoſitum perhibet *Frid. Hoffmannus Clave Schröderi p. 157.* Præterea *Hartmannus l. c. lib. 2. c. 121.* cingulum ex foliis ellebori nigri recentibus factum, nudoque corpori circumdatum contra hæmorrhoidum profluvium commendat. Laudi iſtius cinguli etiam ſubſcribit *Cnœffelius appendice Miſcellan. Acad. Leopoldino-Cæſar. Curioſ. Dec. I. anni 6. & 7. p. 119.* Quo in loco autor citatus etiam promit ſequentia: præ aliis, ait, à proprietate valet cingulum ex linteo urticæ crudo, (ſeu loco hujus cannabino) ſpermate ranarum inſuccato. Item cingulum ex herba burſæ paſtoris recenti collecta factum. Mulierculæ in Ruſſia, ad hoc negotium muſcum terreſtrem clavatum C. B. (quem & ibi plicariam vocant) ſibi eligunt. Pelle Leonis, ſi ei inſideatur, hæmorrhoidum dolores efficaciter leniri, autor eſt *Jonſtonus de quadrupedum hiſt. nat. p. 117.* De quo etiam *Bald. Ronſſeus venation. medic. p. 90.* Laudatur etiam annulus ſtellatus *Helmontii* deſcriptus ab eodem *libr. de Lithiaſ. cap. 2. &*

tr. in herbis, & lapidibus &c. Qui añulus gestatus subitò & in ipso spatio orationis Dominicæ omnes hæmorrhoides, tàm cœcas, quàm apertas, & illarum dolores, uti etiam matricis affectus sistere dicitur. Meminit & hujus añuli *Unzerus de Epilepsia lib. 2. c. 13.* Hactenus verbis usi sumus *Cnæffelii.* Nondum omnia de cingulo hellebori adduximus, quandoquidem *Van der Linden collegio MS. adcitatum Hartmanni locum & caput* cingulum illud ex foliis hellebori albi paratum laudat, atque vult, ut addatur illi pulvis subtilissimus de corticibus quercus rasus, cujus effectum etiam in puerpera & menstruis se expertum confitetur. Similiter *Renealmus obs. 21.* Cingulum hoc ex foliis helleborastri contusis in mensium fluxu dilaudat. Præter illa dicta intendit aliud *Frid. Hoffmannus meth. medendi p. 334.* Dum cingulum illud ex foliis hellebori nigri conquassatis recentibus paratum, nudo corpori vult circumdari, donec pustulæ excitentur. Sic quòd cingulum vel fascia ex panno chermesino seu scarlato parata, & circum corpus cincta, ad retinendum nimium fluxum menstruorum, & hæmorrhoidum conferat, mentio fit in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. I. anni 3. obs. 104. p. 170.*

Hernias sanans.

ADjungimus his præmissis porrò remedium herniarum, à quibus infantes præservare atque curare dicitur ceraunia, si cunis imponatur, uti habet *Bartholinus de lap. nephrit. c. 10. p. 26. §. 29.* Hæc verò petita fortè sunt ex *Ans. Boët. de Boot hist. lapid. l. 2. c. 263.*

Hydrophobiæ seu morsui canis rabidi reluctantia.

IN hydrophobia corii hyænæ particulam, non spernendum esse amuletum, constat ex *Rattray l. c. p. 19.* Alii corium illud contra quemvis animalium morsum, & inde ortam rabiem dilaudant. Dictum illud amuletum ex *Scribonio Largo de compos. med. lib. compos. 171. 172. & 173.* suppeditat etiam *Joh. Schenckius obs. l. 7. fol. 859.* Quidam etiam periapton in corio ursæ

ursæ quærunt contra hydrophobiam, atque ideò videri & evolvi potest, quid de his pellibus sentiat *Jos. de Aromatariis, part. 4. de rab. contag. c. 8. p. 56.* sequens periamma recenset *Lud. Bonaciolus de fœtus formatione p. 110.* Rabiosorum, inquit, canum morsus, & tertianas, quartanasque febres, menstruô in nigri arietis lana, argenteo brachiali inclusô, aut vestis omninò ita infectæ portiuncula acu, vel licio brachiali inserta, discutit. Dehinc *And. Laurentius oper. therapeut. tr. de strumarum sanatione l. 1. c. 5. f. 11.* hæc habet: pellis lupi super eum, qui à cane rabido est demorsus, suspensa, hydrophobiam demulcet. De pellis variæ dictæ usu *Sam. Hafenrefferus de cutis affectibus p. 451.* ita: substernitur commodè & insternitur ipsis ursæ pellis, & phocæ; sed & hyænæ pellis efficacissima est, ut ipsis intecta velociter mentem in integrum restituat &c. alia plura adhuc de his *ibidem p. 458. & 459.* vide. Porrò alyssum gestatum, manibus detentum, aut saltem visum canis rabidi morsum sanare quidam asseverant, de quo *Staricius* im Helden-Schatze *part. 6. p. 526.* Quidam etiam radicem cynosbati ferè locô amuleti opponunt, & imponunt morsui canis rabidi inflicto, de quo *Joh. Marc. Marci philos. vet. restit. p. 454.* sic dentes canis rabidi in corio absconditi & artui appensi dicuntur ingentem usum in gestantem spargere adversus idem hoc malum, confitente illud *Hafenrefferò l. a. lib. 3. c. 7. p. 159.* Extollit etiam dentem hunc, si brachio annectatur, *Crollius de signat. p. 69.* Consentiunt laudi huic prolatæ de dentibus *Rattray l. c. p. 19. Porta mag. nat. l. 3. c. 20. p. 68. Atque idem in phytognomonicis l. 3. c. 2. p. 144.* Quo in loco etiam pilos impositos inflictum morsum dicit sanare ex *Galeno.* De pilis mordentis canis rabidi morsui illato imponendis inter infinitos penè alios autores etiam videatur *Bald. Ronsseus venat. med. p. 100.* Vermes itidem è canino cadavere alligatos contra pavorem agere idem *Goclenius* ex *Avicenna* tradit. *Ronsseus l. c. p. 102.* usum hujus amuleti exponit ita:

- - aliis placet, at putente cadavere, natum
Vermem puniceo filo suspendere collo.

Dentem ejusdem canis rabidi, qui momordit hominem, gestatum ab aliis eos à canum rabidorum morsu tueri, dicit *Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib und Wund-Arzeney-Buche *part 1. p. 201.* De eodem agit etiam *Frid. Hoffmannus meth. med. l. 2. c. 19. p. 293.* & qui inferiùs inter pestis amuleta examinata à nobis de hac materia allegantur. De dente illo canino & coriorio Hyænæ etiam scribit *Petrus Sal. Diversus* (sed parum fiduciæ illis tribuit) *de affectibus particularibus c. 19. p. 375.* De his, & carne canis rabidi confer etiam *Bartholinum de lap. nephrit. c. 9. p. 20. §. 11.* Sed de variis his ex cane rabido desumtis medelis inferiùs nobis amplior adhuc differendi ansa restabit, ubi trutinabimus nonnulla venena, & bufones inprimis loco amuleti in peste commendatos. Inter amuleta venenis resistentia etiam occurrunt quædam, quæ Autores in hoc morsu dilaudant. Nihil ad nos verò jam superstitiosa varia, quæ hujusmodi remediis subinde admiscentur; siquidem superstitiosam schedulam magicam contra hunc morsum annotat *Gockelius de peste c. 14. p. 95. &c.* & idem alia superstitiosa attingit *tr. de venenis p. 95. &c.* De talismate saturnino in potum immerso, quòd pluries profuerit morsis à cane rabido *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. Dec. 2. Anno 1. obs. 168. p. 398. Joh. Schenckius obs. l. 7. f. 858* &c. Superstitiosorum censum quoque incurrit ista fabula reperienda apud *Agrippam de Philos. occult. l. 1. c. 49.* Patavini commendant fronti admotam clavem S. Bodini Episcopi olim ibidem à nobili Patavina familia leonum nomen gerente, excoriati & martyriô affecti, quæ clavis ibidem in templo D. Petri Padanæ asservatur. Vitanda autem in dicti affectûs curatione, vel post hanc, cornus, sorbus, vel sangvinaria, ceu variè dicitur, utpote cujus arboris attactus, vel si sub eâdem dormiverint hujusmodi demorsi, eos rursus in hydrophobiam conjicit, annotantibus id *Sitonô Jatrosophia p. 95. Anton. Mizaldô hort. med. p. 155. Rattrayô l. c. p. 12. & Anton. Grandiô curiosô rerum abditar. perscrutatore p. 262.* Hactenus verò dicta de corno fœmina, sangvinea virga dicta, minimè fabulis accen-

censenda esse, experientiâ quâpiam nisus adstruit *Sim. Pauli quadripart. Botanic, p.167.* De corno, ossea, sive ligustro similia monita, ac fuerunt eadem adducta, prostant apud *Eberh. Gockelium de venenis p.93.* Imo corvum non tangendum esse manu ab eo, quem momordit canis rabidus intra annum, unde vel corvus, vel iste in malum istud incidat, monet (ex Wirsingo) *Gockelius l.c.* Utrum verò pro corvo, cornus etiam intelligenda sit, non satis hariolor.

Hydropem expugnantia.

ATtingemus jam ordine nostrô Hydropis amuleta: lapillus verò ex colubro elicitur, ventrique tumenti hydropicorum alligatur, qui latente facultate & substantiali formâ aquam hydropicorum exsiccat, juxta *Joëlem pract. med. tom.5. sect.4. p.138. Bald. Ronsseum venat. med. p.72.* aliosque plures. De eadem efficacia lapidis à colubro fluviatili ejecti, & quomodo ille serpens suspendi debeat mediante funiculô caudæ alligatô, quò lapidem hunc eructet in vas suppositum, agit *Hollerius citatus apud Joh. Jac. Weckerum de secret. l.5. c.4. p.164.* de quo etiam videantur *Joh. Schenckius l.3 obs. medic. f.437. Mich. Bupstius* im wunderbarl. Leib und Wund = Arzney Buche *part.1. p.193. Libavius l.2. Batrach.1. in scholio*, ex *Hollerio & Platero* idem hoc allegat *Joh Adamus Weberus discurs. curios. & fruct. p.128.* De jaspidis, & lapidis colubri aquatici efficacia quoque agit *de lap. nephrit. p.26. §.28.* Vires eas postremi lapidis etiam confirmat *Kiranus in Kiranidibus à Rivino editis p.156.* Sed conjuratio impia atque illicita illic memorata, pro acquirendo illo lapide, meritò quosvis Christianos à collectione & usu eo deterreat. Laudatur etiam lapis hic ibidem in aliis malis rheumaticis. Cui plura testimonia de serpentum lapide illo arrident, adeat iterum *Mizaldum mem. med. cent.2. aph.65. Frid. Hoffmannum meth. med. p.343.* Et *Camerarium syllog. memor. cent.4. partic.37.* Sed lapidi illi nudo, vel ophitæ, uti aliis traditionibus infirmis physicis parum fidei videtur tribui in *Collegio Anatomico à tribus medicis collecto, & quidem in particula*

Marci Aur. Severini ſerlomaſtix dicta p. 65. Porrò de lapidis bufonii viribus in hydrope commendatis jungatur *Hildanus cent. Epiſtol. 96. p. 1028.* Sic exuvias ſerpentum Hydropicorum regioni renum alligatas, ſalubrem ipſis diureſin comparare quidam ſcribunt; de quo conſule inter alios *Helmontium ignoto hydrope fol. 320.* Mercurium quoque induratum inque formam annuli redactum variisque corporis partibus affixum hydropem diſſlare autor eſt *Mart.* Schmuck *occulta magic. magnet. morborum curat. p. 44.* de quo etiam *Georg. Pitſchki zenexto.* Similiter Mercurium fixatum in armillas vel annulos redactum, ac geſtatum pro morbo dicto, & pſora delenda laudat *Joh. Staricius* im Helden-Schatz *part. 6. p. 532.* De pari efficacia bufonis, penes renum viciniam alligati, videatur *Schröderus pharm. l. c. p. 273. Petrus Foreſtus ex Grado, Varignana, Joh. Joach. Becherus Parnaſſo medicinal. illuſtr. part. 1. c. 92. f. 86. Helmontius ignoto hydrope f. 320. Riverius prax. p 207.* & allegati apud *Exc. Chriſt. Franc. Paullini bufonis deſcriptione p. 89* addi his etiam poſſunt, quæ inferiùs de periaptis urinam pellentibus occurrent. De lacerto inſperato hydragogo facto in hydrope, ubi in dormientis laxatum ſinum irrepſit *Joh. Schenckius l. 3. f. 436. & 444. Baricellus hort. genial p. 36. & 37.* ubi ſimul de aliis autor dictus. Id de lacerto viridi, bufone ſylveſtri, & colubri aquatici lapide annotatum itidem reperies in *Ant. Grandii curioſ. nat. arcanor. perſcrutatore p. 30. &c.* Citatus *Schenckius l. 4. f. 437.* bufonem ipſiusque lapidem commendans, etiam ebur ventri appoſitum, gagatem & jaſpidem collo geſtatum, & vituli marini pellem ab hydrope vindicare eodem morbô affectos, autorum quorundam fide probatur. Volunt etiam ungues à manibus pedibusque reſectos ac umbilico alligatos hydropicorum aquas educere per alvum, teſtantibus illud *Schrödero l. c. l. 5. p. 287.* & *Dan. Beckero medic. microcoſm. p. 15.* Dehinc de uſu lapidis nephritici contra tumores œdematoſos pedum experientiâ comprobato legenda quædam proſtant ex *Unzero* petita apud *Bartholinum de lap. nephrit. p. 9. §. 7.* De perpetua hujus lapidis geſtatione

quadam

quadam ex *Manarde* proponit citatus *Barthol. l. a. p. 13.* Prohibetur autem continua gestatio illa ex testimonio *mercatoris Lipsiensis;* quæ etiam *Viti Victoris* sententia est. Illud verò ideò minùs approbatur, quòd homo eâ ratione assuescat usui diuturno inani similem in modum, ac dicuntur homines venenis adsvescere, si diutius eadem usurpentur. Sic enim volunt quidam morbificam materiam refractariam fieri, ut non vinci postmodum possit illô amuletô. De eodem, & aliis hujus asserti rationibus prostant quædam iterum *apud Bartholinum l. a. c. 7. p. 11. §. 3. & cap. 8. p. 12. 17. & 18.* De Topasii etiam, jaspidis, & gagatis viribus evolvantur *Fragosius med. Indor. hist. c. 5. Baccius & Gabelcoverus comment. de gemmis c. 8. p. 75.* Illic inprimis Jaspis dicitur contra hæmorrhagias, & ex his factum hydropem facere. Gagatem quoque proficuum declarat in versu sequenti *Morbodæus in Dactylotheca c. 28.*

Prodest gestatus tumidis intercute lymphâ.

Nolò hoc loco etiam id de sambuco variè decerpta & diversimode operante silere, si fortè quid pro amuletis conferre illud possit; nostri scopi verò jam non est de collectionis illo modò, uti quidem valeremus, prolixè agere. Ex *Adalberti Tylkowsky philosophia curiosa, Acta Lipsiensia Curiosa Anno 1682. p. 150.* hæc excerpta tradunt: Gemmas sambuci sursum detractas per os purgare, deorsum tractas per inferiora, confirmat experientiâ suâ. Detrahebatur, inquit ibi citatus autor, medius ex sambuco cortex & hydrope correpto cingulotenus supponebatur, si detrahebatur cortex deorsum, descendebat, si deradebatur cortex sursum adscendebat hydrops. Commendamus hoc interim experientiæ uberiori & indagationi curiosorum, cùm manibus oculatis eorundem ex his nondum satisfacere polleamus, vel audeamus.

Hystericam passionem vel uteri affectus cohibentia.

CONtra matricis suffocationem, seu passionem, singulare periapton existit ungula alces affixa, censente ita *Apollonio*

niô Menabenô tract. de alce c.10. Multa amuleta, quæ in Epilepsia locum habent, etiam in hoc morbo adhibentur, veluti de ungula alcis idem memorans videatur *Nic. Caussinus de Symbolica Ægyptior. sapientia p. 307.* Laudantur etiam annuli ex dicta ungula vel aliorum animalium cornubus, uti & dentibus quorundam in affectu hysterico gestati: Annuli etiam cujusdam fit mentio (sed ex quo regno materiæ medicæ, vel materia sit desumtus, nos latet) quo matricis incommoda statim & promptissimè sedentur, nec opus sit, ut quicquam ore recipiatur in *scripto de Qu. Essentia, aliisque 14. remediis hactenus incognitis, impresso* Straßburg *4to.* Præterea Autore *Stariciô* im Helden-Schatz *part. 6. p. 525. &c.* Expedit etiam, si contra hystericam passionem lappæ majoris folia pedibus supponantur; excitari verò illum affectum, si eadem folia capiti imponantur; Ex *Mizaldo* eadem penè excerpta habet *Anton. le Grand curios. Arcanor. natur. perscrutatore p. 82. & Baricellus hort. geniali p. 90. & 91.* quod Bardanæ majoris folium, ob magnam ejus cum utero Sympathiam, summô capite gestatum matricem sursum tollat; sub planta pedis verò deorsum. Hinc adversus matricis suffocationes, & cæteros affectus ejusdem illud præstantissimum remedium à multis judicari, dicitur *l. c.* Porrò Hydrargyrum in nucis ponticæ cortice inclusum ac gestatum tutas reddere mulieres à passione hysterica, ex mente quorundam indicatur apud *Riverium post cent. 4. obs. 31. p. m. 97.* Et conchas venereas minores auro argentove inclusas in Italia mulieres gestare collo appensas pro uterinis malis arcendis ex *Aldrovando* proponit die Gottorfische Kunstkammer *p. 59.* Quo in loco tamen alius etiam finis horum pendaculorum indicatur; scilicet, quòd mulierculæ his appensis ornamentis allectare intendant amasios, aut turpi veneri inhiantes. Sic virgineos etiam morbos creditur abigere umbilicus maris, vel veneris gestatus, de quo similiter *l. c. p. 64.* Deinceps ab uteri suffocationibus mulieres magnete levari, inquit *Borellus cent. 3. obs. med. 36.* In uterina præfocatione etiam cingulum ex corio cervino paratum magni fit quibusdam, si ingvina illô strin-

ſtringantur, de quo *Achill. Gaſſerius obſ. med. 85. p. 40.* & *Agricola de cervo part. 2. c. 22. p. 235.* ſimiliter adverſus hyſtericum malum medelam præbere cutim humanam, ſi venter illâ ligetur, atteſtatur *Joh. Schröderus pharm. med. chym. l. 5. p. 297.* Junge huic de eodem agentem teſtimoniis ſtipatum *Th. Bartholinum cent. 13. hiſt. anat. 87. p. 177.* Non exiguam confidentiam etiam quædam mulieres ponunt in utero muliebri exſiccato, & circa regionem cordis appenſo contra paſſionem hyſtericam. Sed quidam hunc effectum ligationi cuicunque potius, quàm proprietati medicæ in cute deliteſcenti tribuunt; quia ſcilicet ille prohibet, ne flatus ſurſum aliàs aſcendentes anxietatem circa præcordia liberiùs excitent, ſed potiùs ut iidem deorſum, & conſequenter extra alvum trudantur. Thoracem etiam veſtis loco ex talparum pellibus confectum mulieribus contra uteri aſcenſum, vel alia mala uterina inſervire docet *Caſp. Jugelius* vom Maulwurffs-Fange *p. 54.* ſic quòd caſtoreum femoribus alligatum in uſu ſit quibusdam pro utero deflectendo, experimur ex *Zwelferi Pharmac. Reg. p. 65. & 76.* Unde in locis allegatis autor internum uſum caſtorei, in ejusmodi affectibus disſvadet; ſed ob falſam veterum hypotheſin circa hujusmodi actiones & ætiologiam occupatam, autor humani quid videtur pati, aut committere, niſi dicto aſſerto alia ratio ſubſit experientiâ ſuffulta, præcipuè etiam circa uſum internum reprobatum, cui tamen uſus ſalubris creberrimus reclamat. De lapide hyſterico, quòd mirabiliter uteri ſuffocationem avertat, mentem *Manardis c. 35.* colliges ex *Bartholini de lap. nephrit. c. 10. p. 26. § 33.* De eodem lapide ad mentem *Manardis* memorati, & aliis cum eodem convenientibus, quoad colorem & efficaciam juxta ſuſpicionem *Joh. de Laët. tr. de gemmis & lapidibus l. 1. c. 24. p. 86.* De ejusdem lapidis effectu laudato, quòd illius ſolô contactu ſtrangulatus ſolvatur, loquitur etiam *Andr. Laurentius oper. therapevt. tr. de ſtrumar. ſanat. l. 1. c. 5. fol. 10.* Dein dentem pueri, qui primùm excidit terramque minùs attigit, hunc brachio mulieris geſtatum dolores muliebrium locorum prohibere dicit *Goclenius*

natur. mirabilibus. Verba verò hæc modò allata videntur petita ex *Plinii lib. 28. c. 4.* Sic in vulvæ affectibus radix brassicæ de collo suspensa tanquam proficua allegatur in amuletorum enumeratione apud *Bartholinum l. 4. c. 8. p. 20. §. 15.* Debine etiam veretrum lupinum cum testiculis illis, supra umbilicum gestatum prodesse, dicit *Maccasius promptuario med. c. 28. p. 347.* Carnem salitam lupi itidem scopo illi inservire, alii memorant. Placet quibusdam quoque dictis amuletis annumerare veretrum vulpis, & testiculos ejus, item radicem Peucedani, & asam fœtidam. Denique ligulam maris femoralium superstitiosis mulieribus in suis affectibus usitatam relinquimus, easque ablegamus ad minùs approbantem istam & similes aniles medelas *Zachariam Rottmannum conc. 20. super Psalm. 104. p. 365.*

Icterum fugantia.

DEvenimus ulterius ad icterum, & quæ huic mederi creduntur periapta. *Rondeletius cap. de ictero* dicit, hunc affectum in gravidis sanari, si pulsibus, & plantis pedum applicetur medicamentum ex foliis visci quercini, marrubio & chelidonio contusis, atque pauco vino irroratis, quod etiam annotatum legimus apud *Hœferum. Herc. med. l. 3. c. 2.* Porrò ictericos, substratô in calceis, & quidem nudis pedibus chelidoniô, aut pastoriâ bursâ; sanatos scimus ex *Matthiolo*, ceu refert *Camerarius syllog. mem. cent. 3. partic. 28.* De chelidonio, & gestati ipsius operandi ratione atque modo, differit *Hœferus l. c. lib. 3. c. 5. p. 201.* Ad icterum in puerperio præcavendum, & curandum nonnullæ mulieres solent collo, mediante filô aureô, appendere nodulum, cui crocus integer, camphora, & assa fœtida inclusa sunt, juxta *Hertodium de croco p. 189.* Porrò aranea viva in testa nucis de collo suspensa, & scrobiculo cordis imposita, donec moriatur, contra icterum pariter conducit, de quo *Petraeus nosologia harmon. l. 2. p. 276.* *Jonstonus Idea medic. pract. l. 10. c. 4. artic. 6. p. m. 571.* & *Paracelsus de Icterit. c. 3.* Ventri verò applicandam esse illam, vult *Crato consil. l. 2. f. 92.*

Cro-

Croceas verò res varias appensas, ac conspectas, variôque modô aliô usurpatas icteritiam profligare, propter similitudinem; velut rubra sanguinem alias moveant, prolixè adstruit *Joh. Bapt. Porta Phytognomon. l.3. c. 6. p. m. 151.* Quo in loco etiam autor citatus chrysolachani herbam, ita adalligatam, ut spectari possit, similiter sanare dicit morbum regium. Idem præstare testatur autor lacertum vivum super ictericum ligatum, quousque moriatur; quem certissimô suo experimentô colorem ictericum ad se trahere adseverat autor ibidem. Sic tincam vivam, videlicet piscem, corpori icterico impositam, bilem intus contentam è corpore attrahere, morbumque tollere, ferunt *Conradus Gesnerus, Jonstonus l.c. Kentmannus Sitonus Jatrosoph. Miscell. tr. 27. p. 140. &c. Bartholinus l. 4. c. 8. p. 22. §. 22.* & *Commentator* juxta testimonium *Alex. Venturini medic. ab animal. desumpta.* Umbilico verò imponendas esse aliquoties recentes tincas, quæ etiam in se colorem croceum derivare dicuntur, scribunt autores. Vivam tincam etiam supra umbilicum positam, donec moriatur, præsertim in icterô pestis, conferre scribit *Joh. Dan. Mylius Antidotar. med. chym. l.1. c.6. p.71.* De iisdem tincis, ventriculo pluries imponendis atque post hanc usum infra urticæ radices defodiendis, agit *Joh. Phar. Rhumelius medic. spagyr. p. m. 413.* Idem illud tradit autor in *medic. militar. dogmat. Hermet. magic. c. 14.* Sed injungit ipsemet simul, ut tincæ illæ aliquoties impositæ urticæ radicibus itidem supponantur. Tincam eandem cordis regioni vel pedum plantis alligandam, atque gestandam, idque continuandum esse aliquandiu, præcipit *Mart.* Schmuck *occult. mag. magn. morb. curat. p. 66.* Plantis pedum ictericorum quoque alligari tincas istas perhibet *Petrus Albinus* in der Landt und Berg-Chronicken *fol. 315.* Verùm de successu hujus amuleti frustraneo subinde observato agunt *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. anni 6. & 7. obs. 205.* Similiter rubia tinctorum adalligata, si solùm spectetur, regium morbum emendare creditur, quod juxta nonnullorum mentem ventilat *Sitonus l. c. p. 141.* &c. Adhæc

passerculus troglotydes attrahit icteritiæ venenum, inquit *Sachsius Gammarol p. 677.* De quo etiam *Rattray theatr. symp. p. 7.* De hujus passerculi nominis derivatione, & usu aliàs commendato interno, pro calculo pellendo videatur *Camerarius l. c. cent. 8. p. 80.* Plura de ave hac inferiùs occurrent, ubi de amuletorum operatione ab imaginatione dependente discursus sequetur. Audivi quoque laudari hepar muris aquatici circa pectus appensum, ac gestatum. Denique crus equi cujusdam martii in pulverem redactum, & in locis superioribus corporis gestatum, vel in digito, propellere humores, ex quibus icterus fiat, testatur experientiam prætendens *Al. Venturinus medicin. desumta ab animal.* De sigillo quopiam aureo characteribus notato, & circa scrobiculum cordis appenso, quod icterum intra triduum curaverit, scribit *Joh. Pretorius coscinomantia p. F. 3.*

Imaginationes molestas depellens.

CONtra imaginationem compositum amuletum sequens facere dicit *Joh. Phar. Rhumelius Jatrof. chym. p. 629. n. 1.* Rec. lap. malachitæ unc. semis, fiant orbiculi mediante succô chelidoniæ & mucilagine Tragacanthæ, & admoveantur præcordiis. Addi his possunt, si quæ congrua videbuntur, ex amuletis in melancholia commendatis.

Incendia atque ignem delentia.

DE corde Salamandræ, quod gerentem hoc ab igne reddat tutum, eidemque incendii tempore excutiat metum, tradit *Kiranidum scriptor Alphabet. 2. p. m. 92.* Conferantur etiam de hoc annotata apud *Exc. Joh. Paul. Wurffbainium salamandrologia p. 175.* Verùm hujus veritas tàm certa est, quàm de Salamandra ipsa flammas circa illam existentes, delente; de qua controversia plures autores non allego, quàm quos citat laudatus *Dn. Wurffbainius l. a. p. 108. &c.* Cæterum de hoc suo tempore fortè inter *fabulas physicas* uberiùs acturi sumus. Sic de voce solùm Salamandræ in forma pyramidali scripta, median-

te

te sangvine illius pyraustæ, (veluti vox Abracadabra fere alias scribi solet) quod hæc schedula, & quidem certis aliis Pontificiorum ceremoniis aut actionibus præparata præsentissimum remedium sit ad depellenda incendia, allegata quæpiam prostant in laudati *Wurffbaini l. a p. 120.* Gloriatur etiam quispiam de singulari efficacia ligni Sambuci, quæ in salice crevit, cujus vis aliàs contra epilepsiam etiam deprædicata & cognita est. Hujus verò lignum in domus cujuspiam incendium injectum verissimè restinguere illud; sed insimul avolandum esse illi, qui injecerit, ob flammam infensam, & ultricem (ceu vulgus alias de aliis etiam ejusmodi cohibitione narrat) de quibus fusiùs agentem adi *Joh. Huk. Cardilutium comment. ad Hartmanni Prax. chym. l. 2. c. 7. p. 113.* Porrò incendia cohiberi ignisque flammam, ne concipiant res variæ, etiamsi fasciculus stramineus sit, si huic immissum sit Zenith primum juvenculæ, vel solum, vel cum radicibus cichorei flores albos ferentibus, & quæ certô tempore ac debito modô collectæ sunt, docet *Mart* Schmuck im Schatzkästlein *part. 2. p. 17. &c.* Idque autor dictus cingarorum arcanum esse pronuntiat, & in aures insibilat. O lepidos verò, omnique exceptione, vel suspicione, ac pietate majores doctores. Quidni suspicari etiam liceat certum tempus, vel debitum colligendi, aut præparandi modum istis rebus efficaciam indere. De sangvine menstruo virginis integræ commendato pro incendiis ab ædificiis arcendis, si scilicet frustum indusii maculatum illô, cum gallina nigra, capite ac stomachô prius privata, ovôque gallinæ die viridium exclusô; si inquam hæc cerâ involuta, inque olla abscondita infra limitem domus defodiantur, vel ponantur, vid. *Joh. Colerus œconomia rurali & domestica, vulgò* dem Haußbuche *lib. 18. p. 732.* De hoc, quod Camisia primùm menstruatæ incendium sistere dicatur, & observetur; rationem inventionis & operationis speculatur, & suppeditat *Henr. Kornmannus templo naturæ p. 68. & de miracul. viv. p. 136. &c.* ibidem etiam illa refert ex autoribus, quod Salamandra in ignem injecta illum deleat; utrum verò omne, vel integrum incen-

 dium

dium velint autores ab eadem, tanquam amuleto, exstingui, non satis colligo ex hoc aliisve autoribus, qui de Salamandra ab igne inviolabili agunt, de qua, quia paulò ante actum fuit, jam nihil ampliùs addo. De origine usus menstrui sangvinis suspicor ferè, quia illo imbutum linteum aliàs contra erysipelas, vel ignem sacrum commendatum novimus, post a forte confusione ignis illius microcosmi, igni elementari, vel incendii flammæ dictum sangvinem oppositum falsò crediderunt, atque evulgârunt. Sed abeant artifices, vel doctores hujusmodi cum his Satanæ ludibriis, qui nimiùm quantum sangvinem, imò etiam salutem æternam hominum sitit, & satagit illius profusionem, atque abusum sangvinis procurare, ut homines in credulitatem, vel homicidia impiosque ausus & usus alios sæpe istis rebus præcipitet. Ob sceleratos istiusmodi usus, quibus sangvis humanus, ex Dæmonis astu & instinctu, non rarò adhiberi solet à malitiosis hominibus, hic ipse Dæmonis philtrum appellatur, de quo *Joh. Prætorius* vom Diebesdaumen *p. 152.* Inter alia quoque testimonia, quod Satanas sanguinem humanum sitiat, comparet ex hoc, quod iste pacta sua, quæ cum mancipiis suis init, subscribi sæpe postulet illorum sangvine. Quemadmodum inter infinitas de hac re historias, illa præcipuè legi meretur de obsesso à Dæmone, quam publicavit *Christ. Scriverius* im verlohrnen und wiedergefundenen Schäfflein *in fine* im historischen Berichte §. 8. & 9. Quam tremendam historiam omnes athei legere deberent, ut Satanæ impudentiam, astum & potentiam ipsi concessam in corpora hominum intelligerent; & ut iidem pariter Dei infinitam Clementiam, & potentiam absolutam, ac majorem in animam hominum cognoscere atque credere addiscerent. Plura de Diaboli ferocia, quâ sangvinis humani profusionem molitur per sua organa & veneficas, præcipuè in infantibus, & embrionibus, videri possunt in loco citato *Scriverii*, & quidem in concionis secundæ §. 21. &c. §. 33. uti & in appendice ad dictum priorem locum, & paragraphum, in fine hujus libri reperienda. Plura loca idem

idem hoc adstruentia innotescent ex paulò inferiùs sequentibus pro victoria & fortitudine comparanda à sceleratis alias laudatis. Nihil movebo de horrendo Satanæ molimine, quô animas etiam hominum apertè captat, & perdere tentat: velut venefici cujuspiam tremenda actio nota est, quâ Venetiis mancipiorum ad triremes damnatorum animas emit sibi ac Dæmoni, eaque mancipia chirographô adhoc obstricta, venenô interemit, quod annotatum prostat apud *Delrio disquisit. mag. lib. 3. p. 392.* Restarent varia nobis ampliùs recensenda superstitiosa & impia, quæ simplices, aut impii subinde pro incendiis, & igne supprimendo usurpant, de quibus cum additâ refutatione ex sacris petita plura peti possunt, si placet, *Arnoldi Mengeringii concione, cujus titulus: soteria Altenburgica impress. Altenburg. 1637. p. 84. &c. & Joh.* Rüdingers *concione, cujus titulus vel inscriptio est: ignis devorans, quæ impressa fuit Jenæ 1637. p. E. 3. &c.* De exorcismis ignis nihil memorabo, annotat inter alios autores similem *Henr. Kornmannus templo naturæ p. 64.* Verùm hoc locô attendi meretur ille locus *Plinii lib. 10. c. 67.* ubi Magica ejusmodi contra incendia vana, & fallacia judicat, quia Romam alioquin non ita flamma olim devastavisset. Non moratur etiam nos nimiùm Judæorum magica, & illicita cohibitio incendiorum characteribus, verbis, cabalis aliisque ludicris rebus sæpe tentata, vel instituta; dum scilicet isthæc ab iis injiciuntur in ignem, ut deleatur; de quibus examinatis, ac refutatis benè disserit *Exc. Frommannus dispp. de fascino p. 126. & 132.* De Cingarorum etiam arte Diabolica *ibidem l. a. p. 120. & 130. Jac. Dan.* Ernst in Gemüths-Ergetzlichkeiten 34. Gespräch *p. 643. & 648.* De pane, cui Judæi vocem Aghela inscribere, eôque projectô in flammas, incendia restinguere soleant, agit *Joh. Saubertus Palæstrâ Theolog. Philol. p. 64.* De iisdem Judæorum amuletis, characteribus, atque nugis, & quod in Thessaloniæ incendio nihil efficere, vel prodesse potuerint, cum ultra quinquies mille ædium combustæ ibi sint, ex *Schickard. Tarich. p. 55.* mentionem facit *Reichelius de amuletis p. 68. & 69.* Cui placet plura de-

de superstitiosis, & impiis Judæorum amuletis, schedis, chartis & membranis, affixis januis, parietibus, lectis, & vestibus agit *Jul. Barroloccius de scriptor. & scriptis Hebraicis p. 71.* De familiari aliàs, atque sæpe interspersô superstitiosô Judæorum Phylacterio vid. *Dissertatio Jenæ habita 167 . præs. mag. Michaele Beckiô, & Resp. Matthiâ Kreberô.* De quibus itidem legi meretur *Joh. Christ. Wagenseilius in Sota,* aliique plurimi autores, qui de Judæis, eorumque vita, doctrina & moribus scripserunt. Hinc plebis superstitiosæ opportuni ac felices Magistri, vel Doctores sunt Judæi, uti innotescit in locis illis, ubi fex illa sceleratorum ac impiorum hominum commoratur. Longè melius verò cum illo loco comparatum est, à quo planè abest turba ista malitiosa, cùm Dei cultus ab istis inter alia clanculum sæpe violetur. Cui plura rescire de Judæorum varia nequitia, quam illi adjurationibus, characteribus & verbis exercere solent, evolvat *Lud. Dunte cas. conscient. c. 10. sect. 1. qu. 45.* De istorum exorcismis, incantationibus, amuletis & ἀμυντηρίοις videri quoque potest *Hottinger. Thesaurus philos. p. 447. Mulleri Judaismus p. 55.* & aliorum autorum similia scripta. Cùm itaque Judæi admodùm delectentur hujusmodi & aliis superstitiosis phylacteriis, (de qua nota illorum plura inferiùs occurrent) mirum non est, quin etiam conterraneus ipsorum *Josephus historicus* quandoque circa periapta judaizet, *in Bello & Antiquitat. Judaicis.* Annectimus his tandem, quod Parisiis olim nulli mures, serpentes & incendia observata fuisse dicantur, idque ob æream tabellam, vel laminam in aquis depositam nonnulli volunt, cui insculpta fuerit figura muris, serpentis & ignis accensi; quâ tabulâ verò postea destructâ, à tribus istis mala varia sint experti Parisiis; hæc verò latiùs ex *Gregor. Turonensi exponit Gaffarellus curiositatibus inauditis p. 108.* & *Gabriel. Naudæus de studio militari lib. 1. p. 372. &c.* ex *Tholosano* illud de gliribus memorat *Joh. Ad. Osiander de Magia p. 218.*

Incu-

Incubum tollentia.

DEpromemus jam quæ incubo opposita creduntur: inter ea verò reputantur Pæoniæ radix, corallia, lapis chrysolithus, jaspis, & smaragdus, quæ periapta de collo suspensa magni quidam æstimant. Nec excludendus ab iis est dens lupi, teste *Balduinô Ronsseo de humanæ vitæ primordio & miseriis*, uti & eôdem in *Venat. medica p.30.* quo loco postremô dentem sterno vult appendi autor. Dictam verò pæoniæ radicem appensam ex *Dioscoride* laudat etiam *Gesnerus.* De eadem radice consulatur itidem *Galenus*, aliique plures. Malunt autem autores quipiam ut recens illa in usum admittatur. Cæterùm ex nomine plantæ hujus, quô Ephialtia dicitur, (de quo *Casp. Hoffmannus l.3. instit. med. c.90. p.430.*) judicari quadantenus potest, quanti radix illa in affectu hoc olim æstimata fuerit. Ab *Aëtio* autem nomen illud ista radix impositum videtur adepta, de quo *Casp. Hoffmannus l.c.* De coralliis, radice pæoniæ & pyrite itidem collo appendendis in incubo, agit quoque *Mercatus l.1. de intern. morb. curat. c.10.* De radice etiam hac, quòd adversus lemurum & Faunorum ludibria faciat, quodque grana illius idem illud præstent, vide *Schenckii obs. l.1. p.118.* Testatur pariter hoc cum *Plinio Gerh. Ioh. Vossius. physic. Christ. l.5. c.21. p.98.* Dictis istis autor laudatus etiam operationis rationem annectit. De Rhamni viribus congruis non minùs hoc in morbo, paulò superiùs inter fascini amuleta nonnulla adduximus. Insuper de gemmis dictis, scilicet corallio, bufonite & lapidibus in pullorum hirundinum ventriculis repertis, atque salubriter in auro exterius gestandis, consuli possunt *Disput. Basilienses med. & quidem 8. §.59. &c.* Non abesse etiam quidam volunt à numero horum pellem lupinam aut asininam pro tegumento adhibitam. De pelle lupina pro capitis tegmine admovenda inter dormiendum, quòd laudetur, patet ex *Andr. Schmizii med. pract. p.129.* Cingulum ex pelle dicta factum nudosque lumbos cingens, vel sertum ex eodem capiti impositum, eodem pro fine utile scribit *Bald. Ronsseus venat. med. p. & 32. &c.* De gagatis laude videan-

deantur *Boët Boot. in gemmar. & lapid. histor. p. 169.* aliique plures. Porrò lapis ephialticus cunabulis impositus commendatur, ceu inquit *Frid. Hoffmannus meth. med. l. 1. c. 17. p. 289.* Hactenus adducta plurima, & lapis malachites, si gestantur in sinistro brachio, cōmendata habentur apud *Sennertum in Prax. l. 1 p. 594.* Contra succubos etiam & incubos, aliosque morbos laudat adamantem *Johnsonius lexic. chym. p. 4.* Ecquid vetat, ne huc denique transscribam in fasciculum collecta periammata, partim recensita, partim alia adhuc apud *Mactas. in promt. mat. med. part. 2. sect. 13. c. 20. p. 289.* Contra incubum, inquit, faciunt dens lupinus, lapilli in ventriculis pullorum hirundinum reperti, oculus ursi dexter, pellis asinina & lupina pro tegumento capitis, aurum, chrysolitus auro inclusus, corallia rubra, ephialticus lapis cunabulis insertus, gagas, jaspis, lapis armenus, lazuli, malachites, pyrites, sarda, smaragdus viginti granorum pondere collo suspensa aut digito gestata.

Infantium morbos concernentia.

SEquuntur jam morbi infantium cum suis amuletis: lapis meletites autem infantis collo adalligatus arcet invidiam, illumque à morbis insidiisque tuetur ac vindicat, sicut legere est in *nothis Dioscoridis p. 476.* Deinde *Fabius Columna tr. de purpura appendice de glossopetr. ex Plinii l. 31. c. 10. & Rondeletio* manifestum facit, quod puerorum pavores tollant, vel amoliantur glossopetræ alligatæ, has verò ab illo pro caniculæ, ab hoc verò pro serpentis dentibus reputari, docet *Columna.* Sic dentem lupi adalligatum infantium pavores (quod etiam lapis stellatus præstat) inhibere, clarum est ex *Bonacioli l. c. p. 321.* De dente lupi evolve sis similia proferentem *Schröderum Pharmac. l. 5. p. 301.* Similiter quòd oculus dexter lupi exsiccatus atque appensus infanti, æque ac dentes, contra pavorem conferat, ex *Plinio, Rhase & Alberto* indicat *Mich. Bapstius* im Wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney-Buche *parte 1. p. 201.* Contra varios morborum insultus, & præcipuè contra incantationes, pueris appendi solent succinum & corallia, de quibus quadante-

nus

nus antea dictum, atque in sequentibus dicetur; de succino verò testimonium extat apud *Dodonæum hist. stirp. pempt. 1. l. 1. p. 13.* Præterea quòd oculus ursi siccus pueris appensus, agrypniam ac lemures abarceat, quibus aliàs illi vexentur in somnis. Porrò testem hujus legimus *Rhasen.* Porrò *Christ. Encelius de re metall. l. 3. c. 30. p. 217.* inquit: nostræ matronæ fabas marinas, & veneris umbilicos pueris suis pro amuleto, cælatos argentô & aurô, appendunt & magni æstimant. Innuit etiam ibidem autor, quòd umbilicus ille dicatur conciliare gratiam puellis, & plurimum facere ad formam & amorem, deinde ad morbos puellarum. Citiùs autem crediderim puerulos ejusmodi supellectili lautâ & vestibus mundis exornatos gratiores esse hominibus, quàm qui udis labellis ac naribus, vestibus laceris, vel fœtidis atque conspurcatis conspiciuntur. Utrum autem dicta illa vis occulta medica insit umbilico, alii dijudicent; me verò judice vix omnes illud credent. Sic in nimiô infantium pavore per somnum, ut collo appendantur pæoniæ radices, dentes lupi, corallia & smaragdi, sancitum est ab *Hæfero Herc. medic. l. 7. c. 6. p. 348.* De horum, & cervi volantis cornuum usu suppeditat quædam *Mizaldus memorab. med. cent. 3. aph. 20.* De corallio verò admoto, quòd turbulenta somnia propulset, & nocturnos puerorum terrores compescat, testem se offert *Jonstonus thaumatograph. class. 3. cap. 12.* De dicta coralliorum efficacia, jungatur quoque adductis *Joan. Rud. Camerarius syllog. mem. med. cent. 1. partic. 24. p. m. 545.* Sic quosdam etiam amuleti loco uti lapide Lazuli, pro puerorum terriculamentis intercipiendis, autorem hujus asserti scias *Olaum Wormium in Museo p. 65.* Porrò corallium rubrum collo infantis appensum ad os ventriculi pertingens, vomitum lactis prohibet, inquit *Omn. Ferrarius part. 3. aph. 91.* Constat præterea, quod pueris olim funiculus coccineus appensus fuerit, cùm inter gentes, tùm etiam post eosdem inter Christianos, sive ad avertendum fascinum sive ad quæcunque alia pericula depellenda; de quo erudit nos inter alios *Mart. de Roa singular. sacr. scripturæ part. 1. lib. 1. c. 3. p. 19.* Dicto in loco autor su-

ſpicatur illud amuletum ab Iſraelitarum more traxiſſe originem; veluti illi, juxta ſacram ſcripturam, agni ſangvine poſtes inungentes, à cæde liberati ſunt. Hujus rei memores Ægyptii in ſingulos annos arbores, pecora & alia multa rubricâ illinire didicerunt, adverſus incendium & alia incommoda, ſubſidiô præſtantiſſimô. Verùm hæc indigna ſunt Chriſtianô, qui meritum Chriſti coccineô ſangvine abſolutum potiùs venerari, atque mimica ejusmodi, & à Diabolo, (tanquam divinarum actionum ſimia) profluentia declinare debet; quam in rem etiam locus allegatus perlegi poteſt. Non infrequens mos item fuit veteribus, ut rebus variis externis in ſenſus incurrentibus altius & ſpirituale quid indicarent, idque ſigno quopiam iſtiusmodi in animum revocarent, quæ animæ ſalubria ſunt. Inter infinita ejusmodi id ſolùm huc ſpectans jam commemoro, quòd in veteri Eccleſia Chriſtianorum Baptizatis myſticum ſeu ſacrum, idque album velamen dederint certæ commemorationis gratia. De hoc verò porrò *Joh. Bapt. Caſalius de profan. & ſacris veter: Ritibus part. 3. c. 5. p. 57.* allegat hæc: filum rubeum olim in myſtico velamine inſutum erat, ut Chriſti paſſionem indicaret, quâ omnis abluendi vis in Baptiſmum, uti à fonte. Frequens itidem etiamnum uſus eſt in locis quibusdam Germaniæ coccinei ſerici fili, quod contra cardialgiam puerulis circa pectus ligant mulierculæ, idque non nunquam mithridatiô illinunt; aliasque ceremonias interdum huic medelæ annectunt. Utrum verò filum illud propter medicam quandã vel dictam rationẽ efficax credatur, ignoro. Rubros ſacculos vel fruſtula panni rubri etiam ſuſpenſa obſervamus quandoque brutis, quæ ſine dubio ſuperſtitionem illam dictam ſapiunt. Epiſagmatis loco, puerorum hactenus dictis periaptis, annectemus illud frequens admodum apud veteres *Faſcinum* dictum, idque ſolùm notitiæ ergò, neutiquam verò ut locum ipſi concedamus inter licita periamata. De Faſcino autẽ hoc inter alios autores conſuli poteſt *Frid. Lachmund oryctographia Hildesheimenſi p. 73. &c.* qui inquit, Faſcinum vocabatur pudendum

dum virile, scilicet factitium appensum infantibus, ut depelleret fascinũ, cujus averruncus erat Fascinus Deus &c. Autor citatus ibidem etiam agit de aliis superstitiosis, quæ olim contra fascinum collo infantum appendere soliti sunt; cui ritui superstitioso, forsitan multa illa infantibus hodienum appensa apud mulierculas nostras credulas debent suam originem: veluti subinde caseus & panis, varii sacculi, crucis signa, & similia oculis exposita id comprobant. De his dictis aliisque similibus toto die usitatis, collisque infantium appensis, prolixiùs differentem adi & audi *Joh. Christ. Frommannum de fascino p. 63.* De eodem *Fascino* paulò ante dicto, quòd olim peculiaris Deus vel idolum extiterit, idque custodis loco etiam suspenderint sub curru triumphantium vel collo infantum contra fascinum, non nulla ex *Plinio* tradit *Fungerus lexico philolog. in voce fascinus p. 301.* Hinc propter ejusmodi formam rei turpiculæ *Fascinum* illum inter obscœna relatum esse constat ex *Delrio disquisit. mag. tom. 1. lib. 1. c. 4. quæst. 3. p. 45.* quo in loco etiam de ipsius usu fusius edoceberis. Quod pars illa Φαλλὸς quoque fuerit dicta (juxta *Plutarchum in l. 5. sympos. prob. 7.*) innotescit ex *Frommanni Disput. de fascino p. 51. 55. &c.* Deinde quòd ejusmodi Φαλλοὶ, vel ἰθύφαλλοι, fascini, vel satyrica simulacra virilium fascinorum, conservandis territoriis, hortis, foribus, pueris & magnatibus contra fascinum &c. olim dicata & ex ficulneo ligno, vel corio confecta fuerint, uberius declarat *Laurent. Pignorius de characteribus Ægypti p. 26. 3.* Ex corio rubro quoque penem illum confectum fuisse evulgat *Puteanus l. genial. serm. p. 70.* Paratos quoque fuisse ejusmodi Φαλλὸς ex rebus aliis, rescire licet ex *Josepho Antonio Gonsale de Salas.* De genitura ejusmodi non nulla itidem, & quòd ligatura quoque dicta fuerit, prostant legenda in *Jac. Gaffarelli curiositat. inaudit. p. 225.* Descriptam, ac ære expressam illam rem turpem, seu Fascinum quoque exhibet *Thom. Bartholinus tr. de veterum puerperperio, cum notis Casp. Bartholini p. m. 159. &c.* & *Joh. Smetius in antiquit. Neomagensibus. p. 20.* Non morabor lectorem recensione plurium de illo, sed aman-

amando illum, si plura de hoc fascino intelligere cupit, ad *Casaubonum comment. in Petron. p. 249. Ursinum Analect. sacr. c. 28. p. 201. Salmuthum in Pancirollum l. 1. tit. 43. p. 153. Varronem de lingu. Lat. l. 6. Hornium histor. nat. l. 3. c. 13. p. 184. Lachmundum l. c. p. 73. &c.* Porrò *ad Casp. Bartholinum Exercit. miscellan. 2. p. 38. Eliam Schedium de Dis German. syngramm. 2. c. 44. p. 437 Adrian. Turnebum adversar. lib. 9 c. 28. p. 282. Rosinum Antiquit. Rom. cum notis Thom. Dempsteri lib. 10. c. 29. p. 1044. Joh. Bapt. Casalium de veter. sacr. Christianor. ritibus c. 48. p. 265. &c. Guern. Rolfineum de part. generat. dicat. part. 1. c. 43. Allegatos apud Sylv. Rattray theatro sympath. p. 642. & citatos apud Frommannum l. c. p. 51.* Præterea licet de eodem evolvere *Dilherrum l. 1. Elect. c. 10. p. 65. Thom. Bartholinum Exerc. 7. de Angina Epidem. p. 118. & Ioh. Nicol. Wernerum corpusculo philolog. c* 10. *p. 92 & Hier. Mercurialem in var. lect. lib. 6. c. 10. p.* 120. qui autor præter phallum omnem rem turpem olim usitatam & à *Varrone* subintellectam fuisse arbitratur, & putat satyrii radicem inprimis contra fascinum appensam fuisse, cùm *Plinius l. 26. c. 1.* eam fascinis utilem prodat. Dehinc quales alios ritus olim, & cultum divinum circa phallos exercuerint, docet *Elias Schedius de Dis Germanis syngr. 1 cap. 4. p. 77. &c. p. 90. &c.* Qui cultus, & vires pro fascino avertendo commendatæ videntur fortassis à mierculis inprimis excogitatæ, ut ex loco dicto ferè dispalescit. Sed his ipsis suum hoc pulchrum atque gratum relinquimus. Forsan mulieres in superstitionem & lasciviam pronæ olim sibi talia grata simulachra, idola, & amuleta finxerunt, quia signatô delectatæ sunt. An amuleti, vel fovendæ libidinis aut veneris turpis ergò usi sint olim poculis, formâ ejusmodi verenda præditis, judicent alii; interim ex *Juvenalis lib. 1. Satyr. 2. v. 95.* constat hoc:

-- vitreô bibit ille priapo.

Alia suspicio penè etiam oritur nobis de ortu fascinorum illorum, videlicet quòd forsitan res turpiculæ olim strategematis loco in usum admissæ fuerint, ut ita malevolis oculis in varias actiones attentis, & nimis curiosis, inprimis mulier-

cula-

cularum & vetularum (quæ præ aliis infantes aliasque res fascinare posse putatæ sunt) verecundiam incuterent, easque amolirentur. Fortean ob rationem eandem orchidis radices quoque (de quibus paulò ante etiam) loco amuleti usurparunt, pro medico usu, de quibus radicibus commendatis vide quoque *Thomæ Bartholini tr. de puerperio veterum p. 160. & 162.* Denique Fascinus ille Deus quibusdam etiam *Mutinus* dicitur, & ab aliquibus *Versa*; qualis autem ille fuerit, pluribus innotescet *ex Arnobio, Lactantio, & Augustino*; imo *Konigii Lexicon* etiam de illo, in voce Mutini, evolvi potest. Addo his adhuc, quod loco ejusmodi obscœni phalli olim manum quoque conformarint in similem ferè modum comprimentes plurimos digitos extra indicem, & medium interdum; quemadmodum Germani nostri, otiosis & malevolis spectatoribus in actiones quasdam intentis, patulum os cum digito erecto illique imposito, vel alias invisas notas aut indicia indignationis in facie ostendunt & objiciunt. Hinc, ob digiti illius dictum usum etiam, idem hic fortè infamis dicitur, velut benè videtur commentari de illo *Lubinus in Persii sat. 2. v. 33. p. m. 692.* Sed de his plurimis nostrum scrutinium aliis in locis plura continet.

Ingvinum affectus corrigentia.

OFferunt se nobis jam, quæ ingvinum affectus concernunt: lagopus verò ad illorum inflammationem adalligatur, ceu inquit *Dioscorides l. 4. c. 17.* Sic ingvinis tumorem haud quaquam iis succrescere putant, qui myrti surculum secum gerant, juxta *Camerarium syllog. mem. cent. 3. part. 28.* Docet etiam *Plinius l. 26. c. 9.* quòd pulegium à jejuno collectum & post illum alligatum inguinis dolores prohibeat, ante verò sedet cœptos; argemon verò manu tantùm detenta inguinibus prosit. Sic de astere vel bubonio manu sinistra decerpto, & circa zonæ regionem ligato, quòd veneris imbecillitatem, ac dolorem inguinum emendet, prolixè ex *Plinii lib. 27. c. 5.* deducit, ac declarat *Mich. Bapstius* in Artzney Kunst und Wun-

der-

der Buche *part. 1. p. 326.* De quo etiam *Dioscorides l. 4. c. 120.* qui ingvini adalligari vult illam plantam. Admodum autem invehitur in modum illum decerpendi efficacem magis declaratum, si à sinistra fiat, non minorem enim efficaciam à dextra expectandam, si quæ ipsi insit, statuit *Sanctorius de de error. vitand. lib. 8. c. 11. p. 161.* Sed de his quibusdam inter bubonum & pestis periapta etiam agitur.

Insecta fugantia.

VAria etiam circumferuntur comuniter, quæ insecta ab arboribus aliisq; locis fugare creduntur. De rebus verò, quæ vineas tueri scribuntur, agit *Hildebrandus mag. nat. lib. 3. c. 4. p. 18.* Nonnulla quæ hortos conservare debeant, annotantur in Knabens *hortipomoleg. p. 42 & 43.* Sic quod asser sorbi acervo frumenti inditus omnia insectorum genera inde arcere soleat, ex *Aldrovandi Dendrologia* depromptum extat in *Ephemeridibus eruditorum* (quas Dn. *Frideric. Nitzschius interpretatus*) *tom. 4. p. 126.* Juxta *Democritum* pedes leporis, aut cervi circa fulcra lecti alligati, penes dorsum, quo te reclinas, non sinunt cimices nasci, velut hoc annotat *Ioh. Iac. Weckerus l. a. lib. 6. c. 26. p. 325.* Volunt etiam alcedinis pellem tineas aut vermes arcere à pannis, vestimentis & laneis rebus, si illis apponatur, de quo *Mich. Bapst.* im wunderbarl. Leib- und Wundt-Artzney Buche *parte 1. p. 190.* Minùs verò approbat autor idem *Alberti* sententiam, quòd dicat pellem istam appositam pecuniæ, in cista augere illam. Avicularum harum, ex *Mercatoris Atlante minore* etiam mentionem faciens, eas Martinetas aviculas vocat *Mart. Zeilerus cent. 1. Epist. 79.* Quòd eandem efficaciam contra vermes & tineas exserat Rhus vel chamæleagnus vestibus apposita, innotescit ex allegatis locis apud *Sim. Pauli de abusu Tabaci & herba Thee p. 26. &c.* Præferri à Bohemis contra tineas & blattas, vestes aliàs lacerantes, rosmarinum sylvestre vestibus interpositum, claret ex *And. Matthiolo comment. in lib. 3. Dioscoridis c. 73. f. 576.* stœchas citrina, similem ob usum sine dubio etiam Tineariæ nomen sortita est, quemadmodum etiam

etiam quasdam mulieres apposuisse vestibus illam comperi. Herbam botryos siccam vestibus itidem appositam eas à tineis tueri, uti & hellebori nigri radices aridas contra dicta ista & alia insecta facere constat auß der Schatz-Kamer rarer und neuer curiositäten *part.1.p.202.* Revertemur paulisper ad citatū *Andr. Matthiolum in Dioscor. lib.4.c.96.* ita scribentem: Heliotropiô herba formicæ maximè necantur obturatis eâ earum foraminibus. Si scorpionis cavernula (ut quidam memoriæ prodiderunt) heliotropii surculô circumscribatur, nunquam is foras egreditur: imposita verò herbâ protinus illum emori ajunt. De eodem amuleto etiam videri possunt, quæ paulò inferius contra lumbricos commendantur. De non nullis contra culices, cimices, pulices muscasque facientibus agens, hoc etiam amuletum exponit *Bald. Ronsseus venat. medica p. 103.*

Evulsosve pilos mordenti fræna caballo
Appendas foribus, & erit tua mansio tuta.

Kiranus in Kiranidibus p.125. hæc nobis suppeditat: si quis, inquit, lampyrida ponat in pavimento domûs, ubi sunt pulices fugient omnes; de corio ursi idem refert hic autor *p. 101.* De pediculis peculiaris locus sequetur inferiùs. Sic polemoniæ radicem adversari scorpionibus, vel alligatam tantùm, scribit *Plinius l.25.c.9.* Atque *idem cap. 11.* tradit Aristolochiam supra focum suspensam serpentes è domibus fugare. Quæ venenis & venenatis animalibus resistere creduntur suo ex loco peculiari innotescent. De variis ejusmodi rebus animalibus gratis, aut offensis agitur etiam in *Constant. Cæsar. de Agricultura à Jano Cornario edit. l. 15. c. 1. p. 520. &c.* Non rarò verò superstitiosa vel magica existunt illa, quæ pro insectis profligandis adhibentur, quemadmodum de istis nos erudiunt historiæ. De locis muscis destitutis, & rebus easdem fugantibus, conferatur *Hildebrandus l.c. lib. 2. c. 52. p. 47. 48.* &c. In macello Pragensi similiter nullæ muscæ reperiri dicuntur. De Tilsemis contra muscas adhibitis *Reichelius de amuletis p. 44. & 61.* Muscas à festis olympicis excessisse etiam meminit *Caussinus parab. hist. lib. 9. p. 443.* Contra muscas habet etiam quid *Paracelsus in archidox.*

mag. lib 3. Sic Cadmiâ metallicâ (Cobalt oder Fliegen-Stein) expositâ in conclavi, avolare dicuntur muscæ, de quo *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. anno 2. p. 148.* Comperimus etiam certis in regionibus vel locis animalia quædam vel insecta noxia non commorari: Sic in hybernia nulli serpentes, ranæ, bufones & araneæ, ut & alia venenata animalia generantur nec vivunt, sicuti testantur id *Rattray theatro sympathet. p. 27.* aliique plures. In Insula Melitea quoque nullas viperas (alii venenatas intelligunt) reperiri, idque divi Pauli beneficiô, qui ibi hæsit aliquandiu, factum dicunt. Qui plura de hoc desiderant, adeant *Joh. Bapt. Portam lib 8. c. 10. M. Aurel. Severinum tract. de viperis c. 14. p. 252.* die Gottorfische Kunst-Kammer *p. 32. Frid. Hoffmannum clave Schröderi p. 130. &c.* & alios plures. Eandem materiam quoque inter amuleta venenis opposita attingimus in sequentibus. De Talismatibus varia insecta fugantibus agit quoque *collegium Curios. Gallicum Germanicè redditum lib. 1. colloqu. 21. p. 468.* De magicis etiam ejusmodi rebus, quæ varia insecta aut animalia propulerunt à locis quibusdam, vide sis *Reinesium in var. lection. lib. 3. c. 17. p. 638.* Porrò de muribus Ægyptiorum artibus propulsis *Wendelinus de admirand. Nili c. 21. §. 21. &c.* De Scotia mures non ferente *l. c. §. 12. p. 183.* Contra mures & lupos Tilsemas descriptas videri quoque possunt apud *Reicheltum l. a. p. 60.* quo in tractatu autor variarum meminit ejusmodi rerum Talismanicarum allicientium vel arcentium bestias noxias, scilicet *p. 42. & 56.* Similiter *Apollonius Tyaneus* Tilsemanica arte culices Antiochia expulit, quòd versibus expressit *Tzetzes hist. c. 60.* de quo etiam uberiùs agit *J. J. Boisardus de divinatione p. 343.* qui autor quoque scorpiones à loco illo abesse dicit eandem propter artem dictam. De attacto *Apollonio* meminit quoque allegatus *Boisardus*, quòd Byzantii marmoreis ciconiarum simulacris ciconias urbe exterminaverit, de quo etiam *Tzetzes l. a.* consuli potest. Allegat inter alios dicta hæc & alia ejusmodi apotropæa *Gaffarellus curios. inaudit. p. 109. &c.* Similiter, quòd Parisiis olim nulli mures, serpentes & incendia observata fuerint

fuerint ob ejusmodi Tilsemam paulò superiùs ex *Gaffarelli modò dicti libro p. 108.* meminimus. Plurium hujusmodi Tilsemarum contra varios insultus venenatarum bestiarum & morborum mentionem quoque facit autor allegatus *l. c. p. 115. 118. 143. &c.* uti & *p. 158.* &c. Similiter alicubi muscas nullas, alicubi minus ranas, alicubi verò innoxias esse scribit *Joh. Adam. Weberus in discurs. curios. p. 213.* Præterea de similibus Talismatibus, vel magia ceremoniali, quâ animalia vel insecta ex locis certis pulsa sunt, agit quoque *Pretorius* in der Welt-Beschreibung *p. 168.* De sigillo quopiam muscas omnes ex conclavi fugante, aut inclusas intra bihorium necante, à se viso agit idem citatus *Pretorius Coscinomantia p. F. 3.* Atque hæc leviter saltem in transitu quasi attigisse sufficiat, idque non eâ intentione factum declaramus, ac si istis locum inter licita periammata, atque adeò in nostra consideratione concedere vellemus; sed saltem, ut innotesceret, quòd ejusmodi artificia propulsandi insecta atque noxias bestias (licet naturalia dicantur) neutiquam tamen plurima inter naturæ licitos cancellos consistant, aut inde resultent; cùm ut plurimùm magiam illicitam, ac Dæmonem hujus agnoscant magistrum vel autorem. Potuissemus quidem plura ejusmodi recensere vel excerpere ex autoribus, verùm quia suspecta admodum nobis visa fuerunt multa, aversati ista sumus; facilè autem innotescent eadem legenti autores de sympathia & Antipathia agentes, uti & *Kirannm in Kiranidibus*, *Zimara magica, Plinium, Albertum magnum, Cardanum*, *Smollium* aliosque similes. Citiùs autem à naturæ scrutatoribus locorum certorum conditio indagari meretur, quæ vel venenata vel alia certa animalia, sive insecta quandoque non fert, aut tolerat inditam ob suam peculiarem facultatem quasi amuleticam; de quo aliquando *dissertatione de insectis* nonnulla dedimus, & inposterum alia *dissertatione de loco medicè considerato* plura daturi sumus.

Intellectum bonum spondentia.

POrrò ad intellectum bonum faciunt Berillus & Topasius gestatus, de quo *Bartholinus de lap. nephrit. c. 10. p. 22.* Quod verò juxta *Albertum* Crisolitus lapis stultitiam pellat, & sapientiam augeat, inter inanitates (de quibus nihil stolidiùs aut ineptiùs dici possit, cùm quotidie hoc quivis experiatur) numerat *Sanctorius de vitand. error. lib. 8. c. 11. f. 160.* Plura similia ex doctrina de gemmis à veteribus tradita piget nos huc traducere.

Intertriginem corrigentia.

POst hæc intertriginem arcere creditur viticis seu agni casti virga, si hanc viator iter faciens teneat, de quo *Dioscorides l. 1. c. 135.* Assertum hoc verò de vitice nugis accenset, & neminem facilè eidem fidem adhibiturum dicit *Sanct. Sanctorius de vitand. errorib. l. 8. c. 11. f. 161.* Cæterum ex *Gaud. Merula memorabil. l. 4. c. 24. p. 297.* colligimus, quòd qui ex utraque populo virgam manu teneant, intertriginem morbum non metuant; similiter quod eadem potentia salicibus insit, complures attestari scribit allegatus *Merula.* Hunc in finem conferantur etiam periapta iter facientibus dicata non longe post hæc sequentia.

Ischiatici doloris præsidia.

IN *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. ann. 9. & 10. obs. 115. p. 287.* mentio fit cannularum testacearum dictarum sympathicarum, quod efficaciam illarum singularem experti sint in dolore ischiadico. *G. B. de Saint Romain. Physice et 91 p. 41.* fœmoris, inquit, ossiculum parvum sciaticæ medetur. Commendat quoque *Apulejus de virtutib. herbar. c. 64.* radicem Pæoniæ, si in lino alligetur, aut cingatur eô, qui dolores ischiadicos patitur, ceu hoc etiam allegat *Sim. Pauli quadrip. Botan. class. 2. p. 107.* ex *Cardani lib. 8. cap. 44. de Re. var.* De radice hac idem refert *Mich.* Bapst im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney Buche *part. 1. p. 93.* Masculam verò, illam & in majo collectam crescente lunâ dicit recipiendam esse. Quæ aliàs in doloribus aliis, arthritide aut podagra commendantur.

tur, in suis locis peculiaribus nostri catalogi amuletorum inquiri possunt.

Iter facientes adjuvantia & lassitudinem aufferentia.

LAssitudinem & offendiculum in itinere propellere baculum viticis manu gestatum vult *Volaterr. lib. 16.* De eodem verò audiemus *Marc. Aurel. Severinum in scilomastige p. 66.* qui tractatus continetur in *collegio anatomico trium virorum dicto & Francofurti 1668. edito:* virgæ viticis, inquit ille, scipione gestatâ intertriginem prohiberi, (licet hoc *Athenæus* constituerit) hominemque innixum, si diu perambulet, non lassari, hoc tamen cum aliis similibus annumerat fabulis dictus *Severinus*, hujuscemodi rerum alioquin severus censor. Præterea *Plinius ait lib. 26. c. 8.* quod qui Ponticum absinthium secum habeat, intertriginibus non tentetur. Plura de *intertrigine* arcendâ paulò ante hujus sub titulo reperiuntur. *p. 236.* *Rudolph. Goclenius in physs. general. l. 2. p. 431.* non lassescunt, inquit, in ullo labore, qui nervos ex alis & cruribus gruis habent. Dehinc quod iter faciens non sentiat itineris labores, si secum habeat artemisiam, innotescit ex *Dioscoridis nothis p. 477.* quòd approbant etiam *Bairus & Weckerus de secretis l. 5. c. 10. p. 262.* De eodem, & quòd dictæ plantæ decoctum pro pediluvio adhibitum tollat omnem lassitudinem, *Goropium Becanum (lib. 7. Hermathene p. 139.)* agere scribit etiam *Joh. Dieterichius Jatreo Hippocrat. p. 1051.* Jungimus his verba *David. Frolichii in Viatorio part. 1. lib. 2. c. 7. p. 203.* artemisia, inquit, vel folia fraxinea in calceis, atque sub planta pedum gestata defatigationem arcent, teste *Lonicero & Dioscoride.* Efficaciæ huic artemisiæ itidem alios usus addit *Anton. Mizaldus in hort. med. p. 126.* Artemisiam, inquit, secum habentibus negant nocere mala medicamenta ac bestiam ullam, imò ne solem quidem &c. quæ si vera essent, viatoribus non ingrata forent, nec ignota. Non horum adductorum solùm autorum, sed etiam aliorum hominum est penè communis traditio, quòd artemisia non

sinat defatigari eos, qui illam gestant: hujus verò in rationem inquirens *Honorat. Faber de plantis tr.1. lib. 2. p. 81.* respondeo, inquit, dubium hoc esse; si tamen verum est, ratio petitur ex eo, quòd ea corpuscula emittat, quorum appulsu fibræ musculorum recreantur. Sed de hoc inferius mentem nostram exponemus, quomodo amuletum hoc, Germanicâ voce Beyfuß indigitatum, suspicemur adjuvare iter suscipientes. Alioquin pedem taxi in superiori corporis parte gestatum, tanquam probatum remedium defatigationem peregrinantium declinare indicat *Alex. Venturinus medicin ab animalib. desumta.* Similiter quod quipiam acopon petant ex rubetis, videre est ex *Eman. Konigii regn. animal. p. 139.* Annectimus his etiam illud de radice carlinæ, (quæ chamæleontis nomine etiam quibusdam significatur) *Helmontius de vulnerũ magnet. curat. §. 24.* tradit, quòd hæc plena succô & virib⁹ evulsa, gestata & mumiæ contemperata, tanquam fermento ex homine, cujus umbram quis premit, vires & robur naturale in se trahat. Attingitur hoc etiam experientiâ & ratiociniô quopiam confirmatum in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. Decur. 2. Ann. 1. obs. 169. p. 401. &c.* & apud *Theoph. Bonetum medic. septentrional. tom. 2. l. 1. sect. 15. c. 5. f. 151.* Sic *Joh. Michaëlis colleg. MS. ad Rolfincii chym. l. 5. sect. 14. c. 1.* dicit equis æque id evenire ex radice gestata.

Lac augentia.

ANnectimus hactenus adductis etiam, quæ pro lacte conservando vel augendo conferre creduntur: *Tilemannus de mat. med. p. 382.* mercurium vivum avellanæ inclusum colloque appensum à Patavinis mulieribus non infelici successu pro lactis restitutione usurpari dicit. Ejusdem usus mercurii mentionem facit *Gotf. Mœbius Instit. med. p. 663.* Experientiâ suâ etiam usum hujus, frequentem Patavii contra lac ademtum fascinô, comprobat *Thom. Jordanus de pestis phænom. tract. 3. c. 9. p. 583.* Sed autor hic simul istud amuletum superstitionis pravæ postulat. Idem illud amuletũ, pro scopo prius dictò dilaudatum ex aliquibus autoribus, reperies in *Anthon.*

Grandii

Grandii curioso rerum abditar. perscrutatore p. 316. Non repugnat itidem sententiæ priori *Sennertus de febribus l. 4. c. 5. p. 141.* Addatur etiam his *Herc. Saxon. de plica Polonica c. 53.* De hujus mercurii applicandi modo etiam agit *Bartholinus de lap. nephrit. c. 10. p. 25. §. 16.* ubi annectit quoque hæc: rationem, inquit, quidem reddere studet *Saxonia l. c. cap. 52.* sed dubiam. Ratio verò operandi hujus consistit forsitan in agitatione lymphæ, vel sangvinis, quia mercurius est hydroticus; de quo agit *Palmarius de morbis contagios. lib. de hydrarg. p. 120.* De mercurio etiam, cur contra diaphoreticorum actionem notam, exterius illitus eliciat sudorem & salivam, vide quæ evulgavit *Camerarius memorab. cent. 5. part 90.* Atque dictæ meæ sententiæ, quòd mercurius designatâ ratione lac promoveat, adstipulantem demum deprehendi *Hæferum Hercule med. l. 7. c. 5.* Amplectitur ferè etiam hanc sententiam cum *Jordano Antonius Deusingius de peste p. 346.* putans nim. mercuriũ attenuando sangvinem, atque aperiendo poros cutis operari, adeoque contra lactis defectum ex fascino neutiquam peculiari quapiam vi agere. Dictas ob has rationes difficulter consensum quipiam tribuunt asserto illorum, qui sangvinis coagulationem adscribunt mercurio vivo in corpus assumto, de quo eruditum dubium experimentis non destitutum videri potest in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. Anni 1. obs. 148. p. 323.* Sic quod etiam exteriùs admotum hydrargyrum frigidâ sua vi sangvinem & cor refrigerare, & juxta *Apponensem* coagulare possit, docet *Thom. Jordanus de pest. phæn. tract. 3. c. 9. p. 584.* Atque ideò autor dictus illud in peste amuleti loco congruum arbitratur. Sed paulò ante dicta, de vi dissolvendi & aperiendi, aliam simul ipsius operationem declarant. Cæterum an lactentibus pariter ac lactantibus conducat ille usus mercurii, inquisitione simul opus esse censeo. Porrò galactites vel agaricus mineralis, etiam sub uberibus vel mammis gestatus, pariter de lactis proventu prospicere creditur; atque ille eõdem forsitan modô operatur, ac mercurius, præcipuè si veritati respondet, quòd idem illud lac lunæ de collo infantibus suspen-

ſuſpenſum ſalivationem ipſis concitet. Num igitur antimonialis vel mercurialis quæpiam vis omni, aut cuipiam ſpeciei agarici inſit, indagationi relinquo. Monſpelienſium mulierum conſuetudine etiam verbena ſub axillis geſtata, ejusque aqua ſtillatitia ebibita, felici ſucceſſu lac deficiens reparat, teſte *Formiſio* & *Benboſio*, ceu notat *Georg. Hier. Velſchius miſcellan. med. cent. 3. num. 45. p.58.* De ætite utiliter etiam intra mammas gerendo, agit *Hæferus l.c. l. 7. c. 5. p.341.* Sic pro lactis imminuti reſtauratione crocum de collo geſtatum commendat *Sennertus l. c. p. 303.* De Sigillis ſuperſtitioſis vel idolis, Dei loco olim collo lactentium infantum apud Mauritanos, hodiè Marrucos vel Marochos dictos, ſuſpenſis pro felici lactatione, verba facit *Anton. de Guevarra horolog. princip.* (*Wanckelii cura edito*) *l. 2. c. 28. fol. 339.*

Lac imminuentia.

PRo lacte verò compeſcendo, ſi mulierculæ poſt partum lactare nolint amplius ſuos fœtus, tanquam certam medelam indicat bufonum lapidem nudo dorſo appenſum, vel annulo etiam incluſum *Martinus* Schmuck *de occulta magico-magnet. morbor. curatione p.31.* Vidi etiam mulieres, poſtquam ablactarunt infantes, collo ſuo appendiſſe taleolos recentis ſilari & fruſtula caulis myrrhidis ſylveſtris, quibus lactis affluxum cohiberi putarunt. Sic volunt quidam etiam ut mulieri, cui mammæ dolent poſt ablactationem, appendantur in medio dorſi cryſtallus & ſuccinum, atque ita lac illinc derivari ad alvum memorant. Demũ *Caſp. Jugelius* vom Maulwurffs-Fange *c.8.* laudat quoq; thoracem ex pellibus talparum factũ, quem poſtquam ablactarunt infantes, commodè mammis pro ſupprimendo vel depellendo lacte imponere poſſint fœminæ.

Lætitiam conferentia.

ATtingimus porrò, quæ lætitiam comparare creduntur; de lapide Lazuli verò, quòd periammatis inſtar geſtatus animum lætum reddat, videri poſſunt teſtimonia *Mylii in baſ. chym. l. 4. c. 14.* & *Ranzdei de mat. med. l. 2. ſ. 2. c. 8.* Abditâ & totâ ſub-

substantiâ etiam lætiores reddere spiritus rubinum, saphyrum, hyacinthum citrinum & corallia, constat ex *Heurnii method. ad prax. p. m. 98.* De iisdem effectibus harum & aliarum gemmarum consuli quoque possunt alii, in specie de gemmis scribentes. Suggerit nobis etiam huic loco inserendum amuletum *Æm. Macer de herbar. viribus c. 58. de verbena p. m. 134.*

Convivas hilares inter convivia sparsa
Reddere narratur, ut jam præscripta buglossa.

Evolvi insimul possunt, quæ paulò ante de melancholia nostrum hoc scrutinium continet.

Lethargum cohibentia.

SEquuntur jã laudata contra lethargum: in quo à proprietate singulari juvare dicuntur oculi, cor, & fel philomelæ, sub cervicali, & caput vespertilionis sub brachio reservatum & occultatum, de quibus *Frid. Hoffman. method. medend. l. 1. c. 19. p. 293.* Mentionem horum etiam factam reperies in *Rolfincii method. med. special. p. 91.* Attingit item illa *Bartholinus de lap. nephrit. l. c.* De his *Schneiderus de capitis affectibus p. 419.* ita: alii, inquit, oculos & cor philomelæ pulvino subjiciunt, alii caput vespertilionis aut cor brachio alligant; sed hæc ferè anilia videntur. Oculos philomelæ in corio cervino alligatos idem illud prius præstare ex *Plinii l. 10. c. 32.* memorat *Mich. Bapst* im Artzney Kunst und Wunder-Buche *part. 1. p. 325.* Variant verò admodùm autores in his amuletis recensendis, uti patebit inferiùs inter amuleta somnum adjuvantia, quæ contrariam operationem indicare observabis. Deinde nervos vulturis juncturis manuum non frustra alligari in lethargo, *Argelata* autoritate comprobat *Alex. Venturinus medic. ab animal. desumta.* Denique *Dioscorides lib. 5. c. 162.* lapidem ophiten, qui lineas habet, lethargo & capitis doloribus auxiliari tradit, quod tamen haud credit *Sanctorius de vitandis erroribus l. 8. c. 11. f. 162.*

Lienis affectibus auxiliantia.

SI lien induratus est, radix cyclaminis foris tantùm appensa, perquàm utile atque aptum remedium esse creditur, attestante *Casp. Hoffmannô de medic. offic. lib. 1. c. 11. p. 25.* Sic Hippoglossum vivum, piscis genus lieni aliquantisper impositum, ac vivum in aquam remissum, omnes morbos lienis dicitur sanare, juxta contenta verba *in Mich. Bapsti* wunderbarl. Leib- und Wund-Arzney Buche *part. 1. p. 151.* Quod itidem scirrhus lienis affrictu manus demortui hominis percuratus sit, inter amuleta strumis opposita fit mentio. Quæstionem sequentem movet *Honorat. Faber de plantis tr. 1. l. 2. p. 88.* utrum tres hederæ botri collo appensi lienis obstructiones tollant: respondeo, inquit, hoc fieri posse; & si fiat, tribuendum esse profluvio halitûs. Perinde tamen est, sive tres, sive quatuor botri sint; sive etiam collo appendantur, sive renibus admoveantur.

Ludentes adjuvantia.

SEquens, quod jam depromemus, vix magnum applausum meretur, vel veritatem indubitatam agnoscit: ex *Alberto* & *Rase* verò dentem lupi cum turturis corde gestatum, ludentem fortunatum reddere scribit *Mizaldus in memor. cent. 6. Aph. 74.* De quadrifolio inadvertenter & sine cura reperto, aliisque similibus vanis onerare chartam vel curiosum lectorem supersedeo; veluti inter gemmas talia itidem arcana occurrunt vanitatem vel Diaboli palpum aut opem sæpe redolentia. Cæterùm inter periapta victoriam, bonamque fortunam spondentia similia solent occurrere.

Lumbricos & vermes expellentia.

OFferunt porrò se nobis, quæ lumbricos necare vel abigere dicuntur, atque hoc præstat lapis bufonius appensus juxta allegata testimonia in *Cammerarii memorab. medic. cent. 9. part. 25.* Idem hoc equidem attingit, & quòd lapis iste appensus araneæ morsibus, ipsiusque spumæ contrariari dicatur; verùm dici illud, & vocem, præterea verò nihil esse, unà scribit *Christ. Francisc. Paullini in Bufone descripto p. 22.* Generationem lumbricoru

corum quoque impedire creditur lapis Astroites vel stellaris appensus collo; uti hoc annotatum legimus in der Gottorffischen Kunst-Kammer *p. 65.* De lapide hoc vide etiam *Bartholinum l. c. cap. 10. p. 26. §. 26.* Lumbricos quoque fugari ex ventre à stœchados citrinæ floribus amuleti loco suspensis collo, ex *Weichardi thesauro Pharmac.* refert *Schröderus pharmac. med. chym. l. 4. c. 335. p. 163.* De floribus his, allio & amaris, quæ itidem inter classem amuletorum recipiuntur, agit quoque *Bartholinus. l. a. c. 8. p. 22. §. 21.* De stœchade ista tineis vel blattis, vestibus offensis, opposita inter amuleta insectis adversa fit itidem mentio. Citandus nobis etiam est *Mart.* Schmuck *occult. mag. magnet. morb. curat. p. 65.* qui laudibus effert zonam contra vermes hominum ac brutorum gestandum, quàm Salamandræ rependo crebrò attigerunt; hinc zonam istam penes latibula illarum poni suadet, quò trans illam sæpius gradiantur Salamandræ, atque inde efficacius fore cingulum istud asseverat dictus autor.

Malis vel morbis multis resistentia.

ADscribuntur, præter ordinarias suas, mirificæ & ridiculæ aliæ plures virtutes hæmatitæ certâ normâ parato; volunt enim victoriam contra lites omnes, & gratiam conciliare, præservare à solis vehementi æstu, fruges à cicadis & grandine custodire, regnandi potestatem comparare, imperium subministrare in spiritus subterraneos, potestatemque in eos, ut revelent thesauros. Præterea lapidem illum etiam scribunt à veneficiis & venenis, uti & venenatis morbis liberare, præservare quoque à peste, ceu docent allegata ex scriptoribus apud *Bauschium de hæmat. p. 141. &c.* Spectant huc etiam verba *Kirani in Kiranidibus p. 113.* Ibidē autor *p. 123.* inquit: cor accipitris gestatum ad omnia, corroborat & conservat portantem Mirificæ istæ, modò dictæ & similes incredibiles vires eôdē locô *p. 120.* tribuuntur vulturis cordi, ossi, rostro & linguæ, corpori appensis. De phocæ partibus similia *ibidem p. 98. Idem* iterū *p. 136.* ita: cor & caput charidari avis gestatū illæsum & iñocuum ab omni in-

firmitate facit gestantem omni tempore vitæ suæ. Inter alios hyperbolicos effectus, etiam alectorius lapis contra quævis pericula gestantem tutum reddere à quibusdam putatur, de quo *Ans. Boet. de Boot hist. gemmar l.2. c.169. p.342.* Secretum magnum *Paracelsi* & contra morbos complures validũ traditur, à *Martin. Pansa* im güldenen Kleinod menschlicher Gesundheit *c.72. p.871.* capias bufonem benè turgidum, ita ut nihil in eo rumpatur, vel frangatur, sed integrum suspende adversus solem, ad siccandum, reclude eum in pixide cuprea vel argentea, & suspende ad collum: valet gestatus contra multos morbos, videlicet contra omnes febres, contra venena & pestem; nam attrahit ea, restinguit fluxum sanguinis, resolvit apostemata, sedat rhevma capitis, & pectoris: sed mulieri prægnanti nõ appendatur. *Andr. Laurentius in operib. theravtic. tr. de strumarum sanatione l.1.c.5.f.9.* inquit in Hermapoli Thebaidos arbor erat, quæ ad morbos pellendos plurimum conferebat, si fructus, aut folium, aut pars corticis collo ægrotantium ligaretur. Narrant Ecclesiasticæ historiæ authores, Cesareæ statuam positam fuisse, sub cujus basi herba nascebatur, quæ solô tactu & aspectu præsens erat quorumvis morborum remedium. Sed plura hujusmodi census amuleta forsitan ex pontificiorũ reliquiarum penu, imò iñumera petere possemus, si vellemus. Denique magna præstaret mox sequens herba laudata ab *Ant. Musa de herb. vetonic. p.1.* qui inquit: betonica animas hominum & corpora custodit, & nocturnas ambulationes à maleficiis & periculis, & loca sancta & busta etiam à visibus metuendis tuetur & defendit, omni rei sancta est. Plura hujus census medicamenta reperiuntur apud *Kiranum* in *Kiranidibus*, quæ nos tædet hoc loco fusius allegare; quin potius ad incredibilia ista ablegamus vel relegamus. Similia talia sunt non rarò, quæ pro fortuna, gratia, divitiis & victoria alioquin commendantur.

Mammarum malis utilia.

AGgredimur jam, quæ contra mammarum affectus, videlicet dolorem, tumorem & alia mala majora imminentia

valere volunt; pedem dextrum autē talpæ, vel pellem integram ipsi detractam cum pedibus, atque appensam dilaudant quidam; alii pelles mammis impositas magis deprædicant, annotante id *Casp. Jugelio* vom Maulwurffs-Fange *cap. 8.* Mammarum magnitudini resistere angelum marinum recentem impositum scribit *Mich. Bapst* im wunderb. Leib und Wund-Artzney-Buche *part. 1. p. 151.* Peculiarem etiam vim inesse credunt villicæ vel matres familiàs, in quibusdam Germaniæ locis, pelli mustelæ, & albæ præcipue, quâ tumentia ubera pecudum, mammasve mulierum tangunt aliquoties, aut hanc iis imponunt; superstitiosæ quæpiam etiam crucis ductus, certoque numero istos demensos, illo in affrictu observant. De frictione illa contra ictus venenatorum animalium vid. *Mich. Bapst l. c.* Si matri nuper factæ, vel quæ peperit, mammæ inflammari incipiant, atque ulcus illæ minentur, velle quosdam, ut in initio statim mariti ipsius femoralia illis imponantur, quibus scilicet in balneo uti soleat, innotescit ex *autore citato l. a. p. 195.* Taceo aliud quid mariti, formam mustelæ referens, cujus affrictum etiam vulgus commendat in malo eodem.

Melancholiæ reluctantia.

SEquitur jam melancholia cum suis amuletis attributis: *Borellus autem cent. 3. obs. 36.* testatur, quòd fuerit Lutetiæ lapis, cujus vi, si manu detentus fuit, melancholia depulsa fuit. Dehinc melancholicis & fanaticis mirificè prodesse amuleti instar appensam nucem avellanam speculô pavonis caudæ & argenti vivi quantitate repletam, ex *Gockelenio* meminit *Camerarius mem. med. cent. 11. partic. 75. p. 83.* Eadem hæc ex eodem autore recenset *Martinus* Schmuck *in occult. magic. magn. morb. curat p. 27. & 28.* quo in loco dictis verbis autor etiam subnectit, quod Chrysolitus perforatus vel excavatus asinique pilis repletus, & sinistro brachio gestatus, paria præstet. Idem ibidem etiam asserit, quòd similes ferè vires contineat chelonites ruber obvolutus pelle vituli, si sub sinistra axilla gestetur. Annectit etiam autor ille verbis suis modò allatis

quædam de lapillis hirundinum, quando & in quibus pullis illi reperiantur. De chelidonio lapide ex *Platero* itidem quædam tradit *Jonstonus in thaumatographiæ class. 4. c. 25. art. 2.* Chelidonius, inquit, dextro brachio alligatus contra phantasticas, ex melancholica illusione, cogitationes valet, Lunaticos & insanos sanat, inque oculorum affectibus peculiarem habet effectum; Ibi pariter autor de ejus origine disserit. Sinistro autem brachio in munda syndone detentum ac alligatum lapidē morbô hoc laborantes restituere ait *Bald. Ronsseus Epist. 22. p. 36.* Quòd idem illé ad maniam & melancholiam extollatur, scribit *Frid. Hoffmannus in clave Schröderi p. 695.* Rursum autem illum lapidem melancholiam curare, ex *Dioscoride* refert *Mars. Ficinus de vita cœlitus comparanda lib. 3. c. 15. p. 240.* Varia etiam de lapide illo ex hirundinibus desumto continentur in *Hildebrandi magia nat. l. 4. c. 20. p. 28. & Camerario l. 4. cent. 4. part. 32. p. 232. &c.* De lapidis hujus applicandi modo quoque agit *Bartholinus de lap. nephrit. c. 10. p. 24. §. 10.* qui autor itidem *l. c. §. 11.* de aliis gemmis contra melancholiam, tristitiam, & terrentia somnia proficuis mentionem injicit. Quoad chelidonium hunc, *Johan. Staricius* (im Helden-Schatze *part. 6. p. 516.* &c.) eligit itidem rubicundum in hirundinum quorundam pullorum hepate reperiendum, insimul etiam ille laudat chrysolithum excavatum asinique pilis repletum; de quibus quoque paulò antè *Schmuckium* agentem adduximus. Rubinum itidem melancholiam arcere ac terrentia somnia avertere vult *Frid. Hoffman. l. c. p. 154.* Amuletum cœlestinum dictum sequens contra vertiginem, melancholiam, & epilepsiam tradit *Cnœfelius in appendice Miscell. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. anni 6. & 7. p. 67. &c.* Recipe cornu alces raspati, & in subtilem pulverem redacti, cranii humani raspati, & in pulverem subtilem præparati (per reiteratam impastationem, scilicet cum aqua nostra epileptica) ana libram semis, stercoris pavonis, succini albi subtiliter pulverisati, lapidis lazuli, armeni ana subtiliter præparati q. s. ad inducendum colorem cœlestinum, fiat cum gumi tragacanthæ (per aquam pæoniæ prius

priùs dissolutæ) q. s. pasta, unde formentur placentulæ rotundæ vel cordis formæ, vel corallia perforata, quæ in umbra priùs benè exsiccata à tornario poliri possunt, ac monilium & armillarum loco gestari debent. Vel ipsa pasta includatur capsulæ argenteæ perforatæ, vel zendalo rubro, & suspendatur, ut jam dictum de collo ad regionem cordis, ut stomachum tamen contingat. Porrò *Plinius l. 37. c. 3.* indicat *Callistratum* tradere, quòd cuicunque ætati contra lymphationes & furorem, seu insaniam, succinum alligatum auxilio sit. Præterea corallium & chalcidonium adversus atræ bilis illusiones, jovis præcipuè venerisque virtute, conferre scribit *Mars. Ficinus de vit. cælit. compar. l. 3. c. 12. p. 219.* Verùm id de calcedonio, quòd collo appensus tollat illusiones phantasticas à melancholia ortas, inter similia plura, falsa & impossibilia de gemmis alioquin tradita, refert *Sanct. Sanctorius de vitand. error. l. 8. c. 11. f. 160.* Præter illa recensita etiam Hypericum seu perforatam, collectam die veneris & hora jovis (quo tempore ad summam energiam fortè excreverit) ac gestatam colloque appensam apprimè in melancholia juvare, & phantasticos spiritus expellere asserit *J. B. Besardus in Antro physic. p. 51.* Hæc autem petita forsitan sunt ex *Paracelsi operum part. 1. p. 1040.* Itidem de hyperico scribit *Joh. Freitagius Auroræ medic. p. 225.* quòd contra phantasias & tempestates à nonnullis gestetur. Maniacum pariter affectum mitigare herbam roris solis, collo appensam scribit *Joh. Schröderus pharm. lib. 4. p. 141.* Sic de dementia à matricis symptomatibus inducta, & modô inaudito curata, admotô scilicet magnete ad ipsius ventriculum, vide *Borellum cent. 3. obs. med. 10.* Denique de herba Pallatia leporis dicta, quòd collo itidem gestata timiditatem & melancholiam fuget, reddatque audaces ex *Joh. Cuba horto sanit. c. 334.* refert *Mich. Bapst* im wunderbarl. Leib und Wund-Arzney Buche *part. 1. p. 101.* Pro lethiis verò quæ faciant, inter peculiaris illius loci periapta attigimus. Quemadmodum etiam illa quæ contra Diabolum, spectra & somnia molesta commendantur, videri possunt.

Memo-

Memoriam corroborantia.

SI suspenditur cor upupæ, aut oculus, sive cerebrum supra collum, confert oblivioni, & subtiliat intellectum hominis, velut hæc ex *Cornelio Agrippa* transscripta habet *Joh. Jac. Weckerus de secretis. l. 5. c. 4. p. 137.* Quòd contenta hæc in loco indicato, etiam *ex Alberto* desumta sint, & ad amissam atque acuendam memoriam faciant, fatetur *Alexander Venturinus l. c.* Idem ibidem ex *Girolamio Cortese* memorat, quòd lingua upupæ in cineres redacta, capitique adspersa prioribus laudatis similem efficaciam largiatur. De integra verò lingua upupæ eandem efficaciam, scilicet quòd suspensa tollat oblivionem, pronuntiat ex *Rhase Bartholinus de lap. nephrit. c. 9. p. 20.* Memoriam quoque post hæc roborare dicitur cannula testacea candida, dicta sympathica, juxta *Miscel. med. phys. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. Dec. 1. anni 9. & 10. obs. 118. p. 186.* Ex *Alberto Magno* etiam citat *Mich. Bapstium* im wunderbarl. Leib und Wund-Arzney Buche *part. 1. p. 58.* quòd animalis, Arabo dicti, pes sinister cum ungulis linteo involutus, dextroque brachio alligatus potenter confortet & augeat memoriam. Porrò quod dens taxi brachio alligatus bonam memoriam procuret, pro autoritate hujus *Falconium* citat *Venturinus l. c.* Qui similiter illic ex incerto autore exhibet illud, quòd pes taxi pares effectus edat. Dentem pariter & pedem sinistrum taxi brachio dextro alligatum memoriam roborare meminit *Andr. Laurentius oper. therapeut. tr. de strumar. sanatione l. 1. c. 5. f. 11.* Idem illud ferè metro inclusis sequentibus verbis indicat *Bald. Ronsseus Venat. medic. p. 57.*

Puniceo aut melis dens filo appenditur ulnæ
Atque id pro certo in cunctis medicamine tentat,
Vel simul adjungunt ungvesque pedesque sinistros.

Menses suppressos reserantia.

QUia etiam menses occlusi vel suppressi subinde recludi poscunt, svadent quidam, ut mulierculæ dictô vitiô laborantes gestent infecta lintea menstruô sanguine aliarum fœmina-

fœminarum, vel qui primâ vice erumpit virginibus. Admonet verò *Fridericus Hoffmannus clave Schröders p. 662.* ut externè induatur indusium recenti menstruô alterius (sique consangvineæ fuerit, meliùs succedere ait) adhuc conspurcatum, quod teste experientiâ in fluxu menstruo suppresso proritando probatum pronuntiat. Fermentum enim, pergit, sangvinis mumiale specificum interius uteri fermentum per symbolicam harmoniam idealem suscitat. Conferatur etiam *idem autor in meth. med. p. 361.* Fautor quoque hujus sententiæ existit *Kircherus arte magnet. lib. 3. part. 6. p. 517.* Atque istud non omni ratione carere arbitramur, cum fermentatio vel motus sangvinis segnis aliàs hoc modô concitari possit; Idque nobis fere persuadet observatio quæpiam de ministro scriniarii opificis, qui se in magnam narium hæmorrhagiam incidisse arbitrabatur aliquando, quòd incubuisset lecto, & stragulis menstruô sangvine conspurcatis, veluti de hoc aliquando *in dissertatione de mictione cruenta* prolixius egimus. Trahenda huc etiam censemus, vel moniti vel præsidii alicujus loco, quæ de chelidonio majori communicat *Gregor. Horstius in herbario suo l. 1. s. 3. c. 6. f. 268.* herba chelidoniæ, inquit, cum artemisia rubra in calceis sub planta pedum gestata, sangvinem attrahit, & per revulsionem hæmorrhagiam narium nimiam sistit. Eadem eodem modo adhibita menses aperit, quando sangvis nimiùm ad superiores partes vergit. Sic menses quoque movere lapidem in vesicula fellea porcorum Malaccæ Peninsulæ repertum, manuque detentum indicat die Gottorfische Kunst-Kammer *p. 76.* De eodem videantur etiam *Jacobus Bontius histor. nat. & med. Indor. l. 4. c. 46. fol. 48.* & *Joh. Jonstonus in notitia regni mineralis p. 83.* Qui postremus autor abortum simul inde oriri memorat. De alectorii vi consulatur quoque *Jonstonus Thaumatograph. cl. 4. c. 25.* Quæ alioquin sanguinis fluxum promovere creduntur, inferiùs ex suo loco peculiari patebunt. Contra hæmorrhagiam verò quæ prosint, illa ex peculiari titulo in præcedentibus consignato peti possunt.

Morborum aut sanitatis indicia vel prognosin præbentia.

SEquuntur jam quæpiam, quæ cujus sint census, æquus judicet lector. De herba Indica quadam verò mentio fit apud *Bellonum obs. 74.* quòd, si hanc æger manu sinistra gestans vel apprehendens alacrior evadat, vitæ spes ipsi supersit; si verò tristior existat, mortis indicium id accipiendum sit. Eadem forsitan est herba, cujus ex *Nierembergio (l. 14. Histor. natur. c. 32. & hic ex Manarde,)* mentionem facit *Joh. Jonstonus syntagmat. univers. medic. p. 222.* & *Joh. Adamus Weberus* in der Unterredungs-Kunst *part. 2. p. 620.* idem enim usus dictus & operatio illic indicatur. De verbena eosdem ferè effectus, vel indicia de morte aut vita expectanda, seu prædicenda in morbis versibus comprehensa, atque allegata reperies in *Mylii horto phil. p. 615.* De eodem etiam agit *Mich. Bapst* im wunderbarl. Leib- und Wundt-Artzney Buche *parte 1. p. 55.* Versiculi ibi sunt, & paululum quidem immutati, ac tradit eos *Æmil. Macer de herbar. virtutibus c. 58. p. m. 134.*

Verbenam gestando manu si quæris ab ægro:
Dic frater quid agis? benè si responderit ipse,
Vivet: si verò, malè: tunc spes nulla salutis.

Subjicit iis etiam dictus *Bapstius l. a.* statum bonum vel sinistrum decumbentis indagandum esse ita, si scilicet radix ejusmodi quæratur, & appendatur ægroto, quæcunque sit, quæ tot folia contineat, quot dies decubuit ille ægrotus; sique sequantur alacritatis indicia bonum esse, sin minus, malè constitutum esse illius statum. Vel si desint illæ radices, tot alias quascunque distinctas radices jubet sumi, quæ folia diebus illis numerô respondentia ferant, aut contineant. Ita etiam ex *Jacobo Isidoro* recitat *Alexander Venturinus medic. ab animal. desumta*, quòd si arcedulam portet in manu medicus, vel alia persona, atque sic accedat ad ægrotantem, signum bonum, eumque restitutum iri sanitati, si respiciat firmiter ægrotus, sin minus, moriturum esse. Deinceps ex *Trago* meminit

minit *Frid. Hoffmannus in clave Schroderi p. 421.* quòd been albi semen ægris nescientibus suppositum crisin moliri credatur. *Joan. Manlius loc. commun. p. 747.* Usitatissimum, inquit, est in morbo comitiali, imponere smaragdum laborantibus eô morbo, aut enim frangitur smaragdus in aliquot frusta, & tunc morbus est lethalis; aut manet integra gemma, & ægrotus convalescit. Inferiùs *cap. 3. & cap. 4. sect. 1.* aliisque in locis pluribus mentionem facimus gemmarum quarundam, succini, coralliorum, annuli mercurialis, & similium periaptorum, quorum color mutari dicitur, prout quis firmus vel infimus existit, quæ cùm evoluta facilè innotescant, huc transscribere eadem denuò supersedeo.

Nævos maternos tollens.

Nævos maternos evanescere continuatô aliquandiu attactu manus hominis lentâ morte defuncti innuit *Helmontius tr. demens idea* §. 46. & *in tumulo pestis.* è quibus locis illius actionis operandi rationes indicatæ peti possunt. De eodem etiam *Fr. Osw. Grembsius arbor. integr. & ruinos. l. 1. c. 8. §. 14. n. 15. p. 133.* Trahi huc quoque potest de eodem negotio *Seb. Wirdigius de med. spirit. l. 1. c. 10. §. 10. & lib. 2. c. 6. §. 3.* ubi similiter autor rationes dicti effectus reddere conatur. Frequens etiam inter plebejos ejusmodi curatio est, qui nescio quas alias circumstantias plures circa illam injungunt. Utrum verò naturalis aut magica licita actio vel operatio huic insit negotio, ignoro. In subsequentibus inter strumarum periapta medelam ejusmodi iterum attingemus, qui locus videri potest; sed de ista materia inposterum peculiari fortè *dissertatione de nævis maternis* plura daturi sumus.

Nocturnas ambulationes avertens.

Nocturnis ambulationibus etiam destinatum reperimus pendaculum, quemadmodum *Antonius Musa* scribit, Betonicam animos & corpora custodire, nocturnas ambulationes inhibere, atque à maleficiis & periculis liberare. De

ejusdem herbæ usu contra veneficia laudato, videatur quoque *Plinius l. 25. c. 20.*

Oculorum affectibus subvenientia.

RECensebimus jam periammata oculorum affectus concernentia, quæ nobis innotuerunt. Dictis oculis verò opem adferre lapidem Lazuli constat ex *Renodæo de mat. med. l. 2. s. 2. c. 8. Weckero antidotar. spec. l. 1. s. 6. Boëtio de Boot l. 2. c. 121. Rueô l. 2. de gemmis, c. 21. p. 62. Mylio l. 4.* Innotescit dehinc ex *Gabelchovers notis ad Andr. Baccii de gemmar. natura c. 32. p. 175.* quòd chelidonii, seu lapilli albi hirundinum lupino aureo inclusi, & collo suspensi omnem oculorum dolorem perpetuò avertant, quâ ratione à nonnullis etiam ad collyria addantur. Communicamus etiam porrò quæ *Kiranus Kiranidibus p. 135.* oculi hirundinis, inquit, fronti alligati ophtalmiam sanant, omnemque rigorem febrium auferunt. Sic quoque Germanos in oculorum defluxionibus magnô successu succineos globulos accipitrio annectere, ostendit *Matthiolus in Dioscorid. l. 1. c. 93.* Gemina his pronuntiatis reperies ad mentem *Cnaffelii annotata in appendice Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. anni 6. & 7. p. 65.* Paria quoque petita ex *Porta & Matthiolo* reperienda sunt apud *Schröderum in pharm. l. 3 p. 511.* Ex flavo autem succino globulos ejusmodi notos collo vult appendi, pro oculorum integritate conservandâ *Georg. Bartisch in Ophthalmodulia p. 252.* Præterea ab oculorum fluxionibus præservare succinum innuit quoque *Joh. Theod. Schenckius disput. de succino c. 7. p. 24.* De succino & chelidonio aureo ophthalmias avertente, testimonium itidem vide apud *Bartholinum de lap. nephrit. c. 10. p. 25.* Similiter ad capitis & oculorum defluxiones auxilio esse globulos illos de collo suspensos, indicatur à *Matth. Zachar. Pillingio tr. de Bitumine p. 111. &c. Mizaldus* itidem miraculi instar prodesse dicit ad lacrymas & fluxus oculorum, si succinum cervici alligetur. Quòd verò succino insit peculiaris vis derivandi humores corporis ad locum certùm, cui appensum illud sit, atque ideò etiam catarrhales defluxiones ab

ab oculis avertat, si nuchæ impositum gestetur, idque lippis & tonsoribus notum sit, statuit *Dan. Beckerus de cultrivoro. p. 48.* *Kiranus in Kiranidibus p. 17.* indicat carabos, s. cancros marinos ad collum suspensos sanare oculorum infirmitates. Num verò pro carabo karabe seu succinum intelligendum sit, uti ferè suspicor, pensitet B. L. Sicuti in aliis catarrhalibus affectibus, & scorbutici feri abundantia, ita etiam in lippitudine commendat laminas ex mercurio coagulato factas atque gestatas *Georg. Pitschki in zenexto.* Dehinc Draconthex herbæ semen gestatum acuere visum, modicumque capitis dolorem auferre, innuit *Kiranus l. c. p. 21.* Porrò umbilicus maris vel veneris, aut juxta Cretensium appellationem, oculus maris, qui est testa conchæ marinæ, gestatus oculis conferre creditur, de quo evolvatur die Gottorffische Kunst-Kammer *p. 64.* Lapis belloculus vulgò dictus (quia in albo orbiculo circinata nigra pupilla conspicitur, unde nomen adeptus) manibus gestatus claritatem visus conciliat, autore *Crollio*, ceu perhibet *Petræus Nosolog. Harmonicæ dissert. 10. lib. 1. p. 202. §. 49.* Idem illud adstruit *Joh. Dan. Mylius antidotar. med. chym. lib. 1. c. 5. p. 54.* De quo etiam *Exc. Jac. Pancrat. Bruno Lex. Castelli Renovat. sub voce dicta.* Eundem effectum etiam crystallum præstare, ex citato loco *Mylii* inotescit. De cannula testacea candida, sympathica dicta, quòd sympathicè visum acuat, colligere licet ex *Miscell. med. phys. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. Dec. 1. ann. 9. & 10. obs. 118. p. 286.* Contra lippitudinem etiam utiliter gestari annulum ferreum, vel aureum in vitrum prius immissum, in quo lacerta viridis vel mustela excœcata asservata visum recuperavit, meminit *Plinius hist. nat. lib. 29. c. 6.* Locum hunc *Plinii* etiam *Corn. Agrippa (in philos. occult. l. 1. c. 16.)* allegat, atque vires ex alia re in aliam transfundi arbitratur. Ulterius camphoram contra oculorum fluxiones dorso appensam commendantem vide *Crollium in Basil. chymica c. 14.* Verbena recta itidem amuleti instar adalligata, oculorum doloribus auxiliatur, & est contra eorum hebetudinem efficax, velut exponunt id *notha Dio-*

scoridis p. 477. Hieracii herbam collo appensam similiter hebetudinem emendare volunt *Tabernæmontanus & Matthiolus herbar. l. 2. c. 58.* De eodem seu Taraxaco, quòd gaudeat facultate curandi oculorum affectus, reperiuntur quædam in *Schröderi pharmac. l. 4. c. 340. p. 165.* Vanus colligendi modus, quem quidam observant, & describunt in loco dicto, nobis non est curæ. Confer quoque de herba hac, quæ alioquin etiam dens leonis dicitur, *Mich.* Bapst im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney Buche *part. 1. p. 201.* Similiter radicem rutæ vel scabiosæ nudæ cuti alligatam præservare oculos testatur *Georg. Hornius arca Moisis p. 151.* Idem hoc, quòd radix rutæ vel sola, vel cum radice scabiosæ infantium collo appensa in variolis illorum oculis illæsos, visumque integrum conservet, legimus confirmatum apud *Eliam Beynon* im barmhertzigen Samariter *p. 95.* Paria habet *Martinus* Schmuck *de occult. mag. magn. morb. curatione p. 14.* Similia inferiùs inter amuleta pro variolis adducenda consignabimus. Porrò araneum album in calamo gestatum resistere ophthalmiæ vult *Kiranus in Kiranidibus p. 80.* Tam diu etiam non tentari illum lippitudine observatum est, quàm diu sylvestris rumicis radicem quis secum nitidissimè habuerit, ceu refert hoc ex *Matthiolo Camerarius syllog. memorab. cent. 3. partic. 27.* Dehinc radicem malvæ oculis commoda parere, si ad nucham alligetur instar periapti, docet *Hartmannus Prax. chym. l. 2. c. 31.* Ceremonias verò observandas simul, & illic injunctas, cùm minùs plausibiles istas censeam, repetere hîc supersedeo. De eadem radice quoque, quod sole scorpionem ingrediente effossa, salubriter appendatur in epiphora, id indagare licet ex *Macasiu promptuar. medic. p. 211.* Placet etiam radix alceæ, & cichorei radix, quæ cœruleum, flavum atque album florem fert, & quæ affossa est intra duo festa Mariæ, *Georgio* Bartischen *in ophthalmodulia p. 252.* qui similiter ibidem pro crebro intuitu, ut scilicet oculi confortentur, jubet gestari saphirum, chrysolithum, Samium, opalum Lunarem, Amethistum cœrulei coloris, & Arabicum aurum ac Ungaricum. Hoc modò dictum sine dubio multorũ oculos moraliter

(num

(num physice vel medice etiam id præstet, alii experiantur) recreat verissimè, si ipsum dono offertur, vel quidam id etiam possident; imò splendor illius multorum oculos quasi, & animos sæpe corrumpit & occœcat, æquè ac rutilus color intensus auri aliarumvè rerum impensè splendentium. Deinceps *Martinus* Schmuck *l. c. p. 11. 12. & 14.* singulariter quoque laudat radicem Alceæ collo aliquandiu gestatam contra maculas & tunicas vitiosas oculorum, de quo etiam *Poppius in thesauro med. p. 84.* Citatus verò *Schmuckius l. a.* Germanicam vocem Hällriß ponit, atque hâc taraxacum & alceam designari dicit; suspicatur insimul ille autor dentis leonis vel taraxaci radicem citiùs intelligendam esse, cùm *Tabernamontanus* etiam hanc commendet. Pro radice Alceæ verò intelligenda videtur quadantenus militare, quòd malvæ radices aliàs etiam pro ophthalmicis amuletis assumantur. Citatus Theodorus *Tabernemontanus herbar. Tom. 2. fol. 475.* de herba alceæ quibusdam usitata dictum in scopum scribens, statim annectit, se majoris æstimare succum vel pulverem illius plantæ usurpatum. Cæterùm, post ista consignata, dictam illam vocem Germanicam alceæ vel bismalvæ sylvestris nomine exponi deprehendi apud *Hadr. Junium nomenclatur. p. 100. §. 88.* Porrò citat⁹ *Schmuckius l. a. p. 13.* asserit, se bis laudabilē effectum in dolore & vitiis oculorum ex radicibus quinꝗ morsus diaboli, lunâ decrescente, mediante filô collo appensis (de quo amuleto & *Joh. Jonstonus syntagm. med. p. 767.*) observasse; suadet etiam *Smuckius* ibidem ne fortè impatientiâ doloris, qui semper augeri videatur aliquandiu, rejiciatur illud. Esse itaque continuandam gestationem, idque de aliis etiam similibus pendaculis observari indicat, præcipuè de radice dentis leonis. Verùm modò non sponte, post quindecim vel viginti dies ibi dictos, dolor oculorum evanescat, licèt planè non interea periapton hoc admotum fuerit. Sed de hoc melius atque firmius decretum experientiæ sedulæ indagandum relinquo. Lingvam vulpis quoque portatam in annulo ab oculorum caligine tueri, cum *Plinio* statuit *Alex. Venturinus l. c. Bald.*

Ronsseus

Ronssens in venat. med. p. 65. dictum amuletum his verbis exponit:

Abstergunt etiam levcomata cornua capræ,
Atque juvat lingvam vulpis suspendere collo:
Ast opus esse ferunt, ut adhuc vivente dolosâ
Vulpe rescindatur, post illa in aprica remissa
Gramina, quò possit reliquum producere vitæ;
Tunc lingvam exsiccant, siccæ phœnicia fila
Transfigunt, conduntq; simul dum postulat usus.

De tergo etiam quosdam dictam vulpis lingvam in ophtalmia suspendere, notatur in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 2. Anni 6. obs. 200. p. 405.* Allegatus *Venturinus l. c. ex Albero* oculos cornicis in superiori corporis parte gestatos item morbos oculorum aufferre meminit. Porrò dextrum oculum lupi, & spondylum, vel nodum caudæ illius gestantem non desere, vel spe frustrari illum, patet ex *Kirani Kiranidibus p. 85.* Sic oculi cancri gestati in lippitudine, non levi beare levamine, testatum faciunt allegata ap. *Sachsium in Gammarologia p. 653.* Conferatur quoque idem illud adstruens *Gottfridus Smollius in manuali rer. memorab. c. 24. p. 148.* De dictis iis cancri lapillis, & aliis gemmis oculis inservientibus, etiam consuli potest *Bartholinus de lap. Nephrit. l. c.* Præterea oculos clarificans collo appendendum & intra scapulas gestandum amuletum compositum sequens habet *Eberhardus Gockelius dec. 1. cons. med. 2. p. 23.* Recipe radic. valerian. ostrut: cichor. alb. an. ℥ij. verben. ℥j. pulv. succini ℈j. M. & concisa includ: sacculo ex sindone rubra. Commendata itidem deprehendes varia hactenus recensita apud *Mich. Bapstium* im wunderbarl. Leib und Wund-Arzney Buche *part. 1. p. 68. &c.* scilicet linguam vulpis, juxta sexus paritatem collo gestatam, gemmas item, medum, jaspidem, chrysoprasum, samium, lunariam, althææ radicem in orbiculos redactam, colloque appensam; porrò gemmam opalum, hyacynthum, ophthalmium, radicem angelicæ item, oculos cornicis, radicem corigiolæ seu polygonii, vel centumnodiæ de-

decrescente lunâ collectam, succini globulos & radices cichorii triplici flore præditi & collecti, uti paulò superiùs indicatum &c. Atque has res plurimas autor citatus vult conferre, si oculi solùm intueantur crebrò illas. *Idem ibidem p. 189.* oculos coturnicis oculorum dolores depellere, ait, & *pag. 192.* laudat oculos cancri, oculosque lupi, & quidem dextrum illius dextro oculo malè habenti imponendum ex *Sexto Platonico* præcipit & *p. 199.* idem *Bapstius* dicit *Arnoldum Villanov.* cihorium laudare. Sic etiam oculi cati collo adalligati ophthalmiam pellere feruntur, hæc autem reperiuntur apud *Petræum nosolog. harmon. dissert. 10. lib. 1. p. 202. §. 49.* De ranæ oculis è collo pendulis, quas vires promittere dicantur contra lippitudines, vid. *Kiranus in Kiranidibus p. 90. Plinius l. 32. c. 7. Gottfred. Smollius lib. de princip. med. antiqu. c. 24.* & *Casp. Bartholinus de lap. Nephrit. c. 9. p. 20. §. 13.* Circa ranæ verò & cancri oculos dictos annotat *Burggravius (de Biolichn. p. 139.)* quòd dexter illorum dextro, sinister verò sinistro lateri appensus lippitudinem corrigat. Eadem leguntur etiam apud *Mich. Bapstium l. c. p. 191.* Sic oculos hos eôdem modô alligatos contra epiphoram conferre ait *Plinius l. 29.* Sed ille selectionis modus omninò simplicitatem sapere videtur, falsumque principium ex similitudine scrupulosè extortum, de quo alio in loco dicendi materiam nobis reservamus. Offerunt etiam jam nobis se mustelæ oculi, qui gestati oculos à fascino munire pariter dicuntur, de quo *Sachsius gammarolog. p. 660.* Non dubitat etiam, quin visum acuant oculi pici gestati, *Kiranus Kiranidibus p. 121.* Coronam viperæ gestatam oculos claros reddere scribit *Conrad. Kunrath medulla destillat. part. 2. tract. 27. p. 309.* Ex *Cornel. Agrippa* memorat *Joh. Jac. Weckerus de secretis lib. 5. c. 4. p. 148* quod sit piscis, sive serpens maximus, nomine myrus, cui si eruatur oculus & alligetur fronti patientis, ophthalmiam ille propulsare dicatur, pisci verò oculus renascatur; Sed alterô (insimul monente eôdem autore) illum capi lumine, qui viventem non dimiserit. Tandem *Tachenius clave Hippocrat. c. 9. p. 261.* vidimus, inquit, aliquoties oculos sangvine suffusos, jaspide cervici alligatô, sequenti mane pristino splendori restitutos.

Oris vitia aufferentia.

AD oris quædam mala commendatur cannula testacea, candida, dicta à quibusdam sympathica, de qua *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. dec. 1. anni 9. & 10. obs. 118 p. 286.* hæc depromunt: Cannula prodest iis, qui gutturis malô afficiuntur, si eam ex collo suspendant, ut nudam carnem tangant; tollit hâc ratione dolores, & tumores gutturis, & præcavet anginam ac tonsillarum inflammationes à causa tam frigida quam calida, reddit etiam vocem claram. Similiter ad oris vitia scorbutica appensam lysimachiam facere scribit *Excell. Joh. Francus Lexic. Botan.* Plura, quæ contra anginam, aphthas, uvulam, sitim &c. commendantur, in suis locis peculiaribus nostri hujus catalogi continentur.

Ossa fracta & luxationem illorum restituentia.

SI fortè fracturæ ossium oriantur, hoc oppositum illi malo recitamus ex *Petri Borelli cent. 9. obs. med. 77.* Jubet autem de coryli virgulto frustum ab internedio uno ad aliud (digiti minimi ad minus crassitiem æquans) resecari uno ictu, idque cerâ Hispanicâ utrinque sigillari, ne vires ac spiritus amittat, & hoc vult fieri sole in signum arietis ingressum faciente, atque illô baculô si fracturæ & luxationes perfricentur, eas incantamenti loco quasi curari statuit autor dictus.

Panaritium vel paronychiam tollentia.

LUmbricus vivus per viginti quatuor horas panaricio circumligatus, donec moriatur, interficit ipsum, ceu testatur *Joh. Dan. Mylius in Antidotar. med. chym. l. 1. c. 7. p. 93.* Millepedas vivas impositas aliquot successivè, usque dum moriantur, itidem conferre meminit *Mart. Zeilerus cent. 4. qu. variar. qu. 98. p. 481.* confer etiam *Glandorpium meth. med. paronych. c. 27. p. 131. & Maccasium in promptuar. mat. med. l. 2. s. 16. c. 9.* Similiter quòd radix eryngii cuipiam appensa vel imposita tumori, qui

qui panus dicitur, illum depellere polleat, indicatur in *Jac. Tabernam. herbar. part. 2. p. 394.* De ſcrofulariæ uſu pariter commendato in paronychia, inferiùs inter periapta tumoribus oppoſita mentio inſeretur.

Paralyſin terminantia.

COntra paralyſin variæ animalium pelles pro tegumentis ab autoribus laudantur, ſicuti de non nullis collectis agit *Bartholinus l. a. c. 9. p. 20. §. 12.* Succini globos appendi ſvadet *Reinerus Solenander conſil. med. 13. ſ. 2. p. 126. Idem autor ſect. 2. obſ. 16.* pro partium externarum immobilitate conferre ait pelles catorum ſylveſtrium, vulpis, & id genus ſimiles. Adverſus atrophiam paralyticorum amuleti locò uſurpatum fuiſſe os cranii hominis, violentâ morte extincti, innoteſcit ex *Miſcell. Acad. Leopoldino-Cæſar. Curioſ. Dec. 2. anni 6. obſ. 37. p. 96. &c.* Sic hippopotami dentem in paralyſi profuiſſe, rediiſſe verò eandem ſepoſitô eodem, ex amici relatione ſcribit *Rob. Boyle de ſpecif. medicam. p. 94.* Quæ in Apoplexia aliàs commendentur, ex loco ſuo peculiari à nobis antea dato, pro lubitu peti poſſunt.

Parotides diſcutientia.

EAdem pentacula congrua penè à quibusdam cenſentur in parotidibus, ac in ſtrumis alioquin non ignota illa adhibentur, quarum ſcrofularum periapta ſuo loco inferiùs innoteſcent. Radicem verò plantaginis & acetoſæ, aliaque plura contra ſtrumas & parotides commendata tradit *Bartholinus de lap. Nephrit. c. 8. p. 21. § 17.* Conferatur etiam *Dioſcorides l. 1. c. 115.* Similiter parotides diſſipare caput viperæ in fruſtula diſſectum atque collo appenſum *Plinii* teſtimoniô comprobat *Venturinus medic. ab animal. deſumta.*

Partum adjuvantia vel fœtum excludentia.

IN præcedentibus ordine alphabeti adduximus ea, quæ pro fœtu confortando & conſervando facere, eumque ab intempeſtiva excluſione tueri putata ſunt; non minùs etiam

anxii sunt autores in iis adinveniendis periaptis, quæ mulierculas difficulter parientes properè à sua sarcina circa partum liberare creduntur, quæ jam exponemus. Pro fœtu verò excludendo partuque promovendo sparsim annotata hæc reperiuntur: Oculi quippe leporis, in martio capti, cum pipere exsiccati, & horum quidem unus vertici cum pipere alligatus, ita ut vertex à pupilla tangatur, ab hoc fœtum mortuum sive vivum educi volunt; factô verò illô amovendum confestim illum esse scribunt, ne uterus planè depellatur; hæc verò annotata prostant apud *Grembsium arbore integr. & ruinosa hom. lib. 2. c. 1. §. 17. n. 85. Hartmannum prax. chym. l. 2. c. 229. Burgesiam l. 1. c. 24. Maccasium prompt. mat. med. sect. 15. c. 34. Hamelium tract. de affect. corp. p. 308.* & apud *Schröderum Pharmac. l. 5. p. 300.* Quæ de hoc sentit curiosæ industriæ deditus *D. Joh. Dan. Major,* inveniuntur in ipsius *tribus novis inventis medicis, & quidem invento 3.* Dehinc dentes lepori vivo excisi, & quidem mense martiô, annuloque concavo argenteo inclusi, ac gestati, ut carnem tangant, si calefiant iidem à digitis, partui finem injungere, certissimâ experientiâ dicuntur ab allegatis in *Waldungi Lagographia p. 83.* Sic chamædaphnen in lana applicatam secundare difficilem partum colligere licet ex *Plinio l. 24. c. 15.* Pro eodem effectu expectando semen cucumeris sylvestris, in lana arietis inscientis lumbis alligatũ, facere vult *idem autor l. 20 c. 1.* Sperandũ itidem esse levamen in dicta anxietate à radice vel dicti, vel domestici aut sativi cucumeris, docemur ex *Erote de Passion. mul. c. 17.* Lubet etiam nobis non nulla jam depromere ex *Petro Bayro de medend. homin. corpor. malis p. 347.* qui inquit: liget patiens seu pariens radicem cucurbitæ super renes suos, & statim pariet, & post partum statim ista removeatur, ne etiam matrix exeat. *Idem ibidem* paulò post ita pergit: herbam dragonteam super duobus inguinibus alligatam permitte, & citò pariet; verùm statim etiam est removenda, ne matrix exeat. Pimpinella superposita idem facit. Dictamnum multi autores mirificè deprædicant pro interno usu in partus difficultate, imò cubiculo parturientis illatum sublevare illam à sarcina sua; vel si

minùs

minùs instet partus, etiam abortum ciere istum existimant, velut de hoc videatur *Bonaciolus de fœtus format. c. 8. p. 303. & 310.* Quòd appositus etiam externè dictamnus vim illam possideat, ex *Dioscoride lib. 3. c. 37.* innotescit. De usu illo interno, qui naturæ dictamine damis & rupicapris etiã notus esse creditur, suggerit nonnulla carmen *Gattii, à Velschio Latinâ veste donatum, ac reperiendum in hujus dissert. 2 de Ægagropilis p. 35. & 91.* Si quid rationis vel experientiæ quoq; inest sequenti, nõ possum⁹ admonitionis ergò intactum prætermittere illud, quòd reperimus apud *Cratonem consil. med. 363. f. 1010.* videlicet, quòd pyra in conclavi parturientis detenta enixum retardent. Præterea de corio cervi circa ventrem ligato, quòd pro fœtu pellendo conferat, citandus nobis est *Agricolæ tractatus de cervo c. 20. §. 6. 7. & 8. p. 238. & cap. 22. §. 22. & 23. item p. 243.* Non aliena sunt ab his, quæ *Graba de cervo cap. 30. p. 310. & Colerus lib. 14. the. c. 31. f. 59.* Hic autor cingulum fieri vult ex corio cervi adhuc piloso, quatuor digitorum longitudine, & quidem illud à pectore ad ventrem resecari præcipit. Cingulum quoque illud â cervo intra duo Mariæ festa sumi jubet *Martinus* Schmuck *occulta magic. magnet morbor. curat. p. 30.* Idem sentit *Staricius* im Helden-Schatze *parte 6. p. 519.* Et ex hoc *Schmuckius*, uti alia, ita & hoc videtur mutuatus. *Th. Bartholin. cent. 3. histor. anat. 87. p. 117.* memorat de cingulis vel loris ex corio humano præparatis, quòd his per medium discinctæ puerperæ feliciter fœtum enitantur. *Idem autor cent. 5. hist. 39.* de cingulo illius corii iterum agens, se nescire ait, quô meritô illud pro secundinæ extractione in precio esse ceperit. De corii humani prioribus viribus dictis, & aliis adhuc paucis amuletis, partum gravem solventibus, agit quoque *Casp. Bartholinus de lap. nephrit. c. 8. p. 22. §. 28.* Idem illud de pelle humana consignatum extat in *Dan. Beckeri microcosmo med. p. 174.* Junge sis etiam his *Joh. Schröderum pharm. l. 5. p. 297.* Quale fuerit verò cingulum Annonis Archiepiscopi Moguntini, quô se parturientes cinxerunt (velut annotavit *Sylv. Liben libro 2. cap. 10. Salfeldographiæ M S.*) inquirant alii. Sanctæ Elisabethæ

ſabethæ cingulum in partu difficili olim etiam uſurpatum fuiſſe refert *Adr. Beierus Architecto Jenenſi p. 229.* Invaluit quidem ille uſus cutis humanæ inter mulierculas; moneo tamen, ut ſi quædam averſentur hoc remedium, procul potius removeatur, quàm admittatur; quia majora incomoda ex inviſa illa cute admota ſubſequentur, quàm ſucceſſus ſecundi. Non temnenda quoq; ſunt, quæ obſervanda circa pellis illius applicationem innuit Exc. *Ammanus de mat. med. p. 184.* ſcilicet, quòd violenta ligatio, dictò coriô inſtituta, majus periculum accerſat mulieribus. Sunt quoque autores, qui effectum illum facilitandi partum, non adeo cutis efficaciæ medicæ, quam conſtrictioni vehementi à corio, vel aliis ſimilibus cingulis factæ tribuunt. Aliàs etiam cutis fruſtum ſiniſtro femori admotum, facilem partum largiri perhibent, de quo *Miſcellan. Acad. Leopoldino-Cæſar. Curioſ. Dec. 1. anno 6. & 7. obſerv. 59. p. 90.* Porrò ſcolopendriam herbam, cum ſplene muli appenſam, pro fœtu expellendo facere, innoteſcit ex *Hybneri myſter. ſigill. herbar. & lapid. p. 64.* Herbæ illius verò colligendæ modum ſuſpectum vide inſimul ibidem añotatum. Contrarium autem de illa herba, ſcilicet quòd impediat partum, in fine hujus loculi amuletorum apparet paulò inferius. Dehinc omnes Jaſpidis ſpecies pro amuletis geſtatæ, ac femoribus alligatæ partum accelerare cenſentur, de quo *Dioſcorides l. 5. c. 160.* Verùm juxta locum Dioſcoridis antea adductum *Sanct. Sanctorius de vitand. error. l. 8. c. 11. f. 162.* parum fidei tribuit Jaſpidi, quoad vires illas, easq; potius rationi & experientiæ reluctari ſcribit. De eadem quoq; gem̃a, ſcilicet Jaſpide, quòd parturientem adjuvet, aliosq; effectus producat. ex allegatis colligere eſt apud *Urſinum in analect. ſacr. l. 6. anal. 22. p. 373.* Addat, cui lubet, illi idem hoc indicantem ac demonſtrantem, & quidem aliorum autoritate inſtructum, *Barbolinum de lapid. nephritico p. 9. §. 6.* Agit de ſimili efficacia Jaſpidis etiam *Joh. Jac. Weckerus l. 1. antidotar. ſpecial. p. 66. Chriſtoph. Encelius de re metallica lib. 3. cap. 71. p. 263. & Joh. Adam Weberus* in der Unterredungs-Kunſt *part. 1. p. 123.* Sic quod difficulter parientes (ſi

magne-

magnetem manu dextrā teneant) tanquam miraculô, subitò liberentur, communicata *Velschii* probant ad *Miscell. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. dec. 1. Anni 4. & 5.* Videantur etiam autoris ejusdem *mikromimatum cent. 2. n. 66. p. 40.* De magnetis viribus testimonium itidem extat apud *Bartholinum de lap. nephrit. c. 10. f. 26. §. 34.* *Petr. Bayerum de med. human. corp. malis p. 347.* *Boëtium l. 2. de gemmis ac lapid. cap. 52.* & *Cratonem consil. 363. f. 1010.* Porrò Gagates ac Peryclymenon parturientibus ὠκυτόκια sunt, juxta *Dioscoridem l. 4. c. 14.* Lyncuriū similem quoque effectum his prioribus possidere, ex *Epiphanio* memorat *Mich. Bapstius l. c.* Radicem hyoſciami pariter ad latus sinistrum parturientis alligatam, illius nixus adjuvare exponit *Apollinaris* im neuen *Alberto Magno p. 11.* Ulteriùs coxæ adalligatū crocum, item commorantem partum maturare, testimonium præbet *Jason Pratensis lib. de part. & parient. c. 4.* Idem *à Pratis* à semine ari, partibus genitalibus alligato, eundem effectum sperandum esse censet. Non minùs Anagarydis folia parturientibus aptum periapton existere; meminit *Jonstonus notitia regni vegetab. p. 74.* & *Dioscorides l. 3. c. 167.* A partu tamen removenda esse pariter dicta folia, injungit modò memoratus autor ille *l. c.* Paria de iisdem foliis annotat *Plinius l. 27. c. 4.* Dehinc *Bonaciolus* iterum *l. a. c. 8. p. 303.* inquit: Cyclaminos adalligata facit, ut puerperæ reddant fœtum. Quoad locum verò, cui radix ista admoveri debeat, coxis vult appositam, sequens autor, cùm brachiis admotam illam potius in mora partus esse edisserat, *Casparus Hoffmannus de med. offic. l. 1. c. 11. p. 29.* subjungit etiam ibidem autor dictus hæc: fabulosum apud me est, abortum facere, si prægnans supergrediatur istam tantum. De radice hac partum accersente consulatur etiam *Plinius l. 26. c. 15.* & *Bayrus l. d. p. 347.* qui ibidem etiam polygonon, ocimum, aliaque remoram partus succidere autumat. In fasciculo quasi plura collecta pentacula jam recitabimus, quæ à partus molestiis sublevare existimantur, idque propter majorem prolixitatem vitandam, quia sic parcemus crebriùs alioquin allegando uni eidemque autori pro iisdem confirmandis

amuletis

amuletis; inter hæc tradenda verò partim, quæ jam ante recensuimus, partim etiam alia, quæ nondũ adduximᵘˢ, adhuc attingenda restant. Continentur autẽ illa *in decad. 5. Basiliensiũ dispmt. med 8. §. 22.* sunt quædam, quæ (in partus segnitie) femoribus & pedibus alligata, aut suspensa, opem præstare creduntur. Si artemisia cocta in vino, dextro femori, prope muliebria, applicatur. Magni fit lapis aquilæ sinistro cruri alligatus; sed statim à partu removendus est. Idem scribitur de matrisylva, & polypodio, quod aliqui priùs elixant, si pedibus alligentur; facit hoc & serpentaria & cyclaminis radix cruribus adhibita: quæ tamen ad graviora pericula reservanda sunt. Magnes lapis primò sinistrâ, ut volunt, manu detentus, post pudendo applicetur, donec fiat partus. Dextro itidem, cruri annectunt corallium, styracem, coriandrum viride, polygoni radicem & aristolochiæ; sinistro verò, docente *Mercato*, Jaspidem. *Albertus Magnus* coxæ adaptat cor gallinæ, pumicem & spolium serpentis. Laudant Arabes cingulum ex pelle cervi, parienti circumdatum. Crocus etiam collo appendatur. Hactenus *disputationes Basilienses*. De his nonnullis & gemmis quibusdam hoc in scrinio amuletorum itidem contentis agit quoque *Melch. Sebizius specul. medic. tom. 2. p. 1675.* Palmam itidem olim Ethnicas mulieres parturientes attigisse pro celeri partu impetrando, patet ex *Neandro in Theognid. p. 125. & Pierio Hieroglyph. p. 369.* Deinde in tarditate partus asparagi radix femori alligatur commodè, quæ, ne sangvis immodicè effluat, partu enixô, abjicienda est, quæ verba sunt *Bonacioli l. a. p. 304.* Prosperum quoque partus exitum largiri dicta corallia, radicem polygoni & coriandrum, si plantis pedum vel coxis alligentur, consignatum, legimus apud *Joh. Andr. Schmitzium in med. pract. compend. p. 191.* De carali coxæ appensi viribus iisdem laudatis *Bayrus l. a.* Puerperii pericula quoq; tollere lingvam chamæleontis adalligatam testatur *Bonaciolus lid. p. 305.* Alii addunt, quod hoc animal, appropinquante partu in domo gravidæ, non sine successu bono partus, etiam nutriatur. Haud infelix partus exodum, itidem

itidem ab angvium senectute proficisci, si lumbis alligetur, quæ tamen protinus à puerperio removenda sit, inculcat *Bonaciolus l. d.* Ex *Alberto Magno* idem hoc evulgat *Joh. Jac. Weckerus de secretis l. 5. c. 4. p. 178.* Mentionem quoque hujus facit *Petr. Bayrus l. c. p. 346.* Stringendum autem illud spolium esse super ancham mulieris injungit autor citatus. Umbilico parturientis imponi vult ejusmodi exuvias *Mart.* Schmuck *occulta magic. magnet. morbor. curat. p. 30.* Non procul recedit ab horum sententia *Heurnius methodo ad praxin l. 3. c. 28. p.* 402. ventri autem ille admotas dictas exuvias asserit illicò fœtum præcipitare, idque suâ experientiâ corroborat. Opinatur insimul laudatus autor, id propterea fieri, quòd syphar muscum oleat. Dictis exuviis eandem inesse vim, si pedibus subdantur, adstruit *Rattray theatr. sympathet. p. 19.* Conformia sunt his, quæ de effectu dicto prostant apud *Schröderum pharm. med. chym. l. 5. p 306.* qui ventri tamen & coxis mavult appensas exuvias illas. Nudum corpus gravidæ etiam cingi vult serpentis exuviô instante partu *Joh. Dan. Mylius Antidotar. chym. med. l. 1. c. 7. p. p. 92.* Eligit autem solùm ex dictis exuviis eas, quas spontè deposuerunt serpentes, *Staricius* im Helden-Schatz *l. 6. p. 519.* Baculus item, quô angvi rana excussa sit, tanquàm parturientes adjuvans periapton, atque penna vulturina pedibus subjecta, celebrantur ab *Heurnio l. a.* qui simul radium pastinacæ viventi ablatum, & adalligatum umbilico, partui promovendo prospicere, ambitu verborum designat ibidem *p. 306.* Sed autor hic unà dimitti piscem illum iterum vult in mare. Subscribit his *Plinius l. 32. c. 10.* Pariter non abludunt ab his desumta ex *Cornelio Agrippa*, & annotata apud *Joh. Jac. Weckerum de secretis l. 5. c. 4. p. 178.* Autor hic etiam mox post adducta illa ita inquit: *Democritus* narrat linguam chamæleontis, si viventi erepta sit, ad judiciorum eventum pollere, eandemque salutarem esse parturientibus circa domum: Cavendum autem, ne domo inferatur; quod esset perniciosissimum. *Weckerus* item dicto loco ex Agrippa memorat filiam, quæ septima sit ordine nata, mirô modô partum adjuvare. Iterum

illic autor ex *Mizaldo* transscribit, quòd, si ex partu laborans mulier ocimi radiculam cum penna hirundinis tenuerit, hæc absque dolore illico pariat, idque *Mizaldum* ab amico probatum intellexisse. De echeneide vel remora ita *Joh. Pierius* (*Hieroglyphicor. l. 30. p. 302.*) sunt, qui ex pisciculo hoc pariendi facilitatem significari dicunt: quòd exemptus aquis, saleque duratus in eum usum asservetur, ut gravidis alligatus partus facilitatem juvet, unde ἀδινολύον͂τα, quasi ὤδινον λύοντα eum appellavere Græci. In ventre vel capite serpentis cujusdam Africani lapis (Lusitanis Pedra de Cobra, de Momboza dictus) reperiri creditur, qui probatum remedium esse fertur pro accelerando partu gravidarum, idque sine dolore, etiamsi fœtus mortuus sit, si coxæ parturientis alligetur; hâc tamen iterum cautione servtâ, ut statim post partum removeatur. Ille enim, si diutius ibi alligatus maneat, ob ingentes suas vires, omnia puerperæ intestina ad se trahere dicitur. Hæc ex com̃uni traditione referens *Franc. Redi* (*in suis experimentis naturalibus p. 103.*) concludit de eodem, se experimentô semper invenisse inutilem illum fuisse. Deinceps etiã Glossopetram in manu parturientis retentam, donec incalescat, non concedere inducias partui cunctanti, cognoscimus ex *Frid. Hoffmanni clave Schröderi p. 131.* De ætite, quod exoptatum finem imperet & impertiat difficulter enitentibus mulieribus, suffragia infinita passim obvia prostant, quæ nos etiam numerô suô deterruerunt, ut præteriverimus illa plurima. Imò paucos autores credimus experientia suâ edoctos de isto lapide scribere, sed solùm aliorum repetere verba. Respondebit interim abundè *Bauschius de ætite* illi, qui de dicti lapidis effectu erudiri fusius gestit. Paucissima tamẽ nos, tanquam memoratu magis digna, adhuc de illo jam subjiciemus. Femori verò interiori sinistro mulieris ille alligatus, miririficè retardato partui succurrere, iteratô experimentô *Olai Wormii* confirmatur in der Gottorffischen Kunst-Kammer *p. 67.* statim autem à partu removendum itidem esse hunc ætiten, ne simul uterus extrudatur, injungitur pariter in loco citato; quod non minùs alii plurimi,

mi, de hoc lapide soliciti (sed aliorum sine dubio traditione magis, quàm solidâ experientiâ edocti) simul inculcant. Testimonium quidem unicæ suæ cujuspiam experientiæ, de matrice eam ob rationem prodeunte, & morte ita allata parienti, adducit *Franc. Valleriola lib. 1. obs. med. 10. p. 85.* De pluribus verò similibus observationibus, vel effectu, verè à lapide isto (nec casu aliasve ob rationes) oriundo, admodum dubito. Innotescunt similia encomia de dicto lapide comprehensa in *Isbrandi Diemerbrœckii tractatu de peste l. 3. c. 5. p. 213.* Sed enim licet speciosè à *Wormio* citato elogia illa ætitæ efferantur, fabulis tamen omnia hæc annumerat laudatus *Fr. Redi l. a. p. 109.* Supervacaneum ipsius usum crebrâ suâ experientiâ etiã declarat *Jac. Primerosius de vulg. err. p. 556. &c.* Restant verò plura idem statuentia testimonia inferiùs *cap. 4. sect. 2.* à nobis depromenda. Adeò verò dominantur penes quosdam manus oculatæ, ut non omnibus statim fidem impertiant. Deinceps *Petr. Bayrus l. c. p. 346* hæc habet: lapis exebenos, quô aurifices limpidant aurum, portatus partum facilitat, & conservat fœtum sine ægritudine. Post hæc etiam viscum quernum cuti nudæ alligatum, facilem partitudinem conciliare autor est *Munzerus in Euporistis Crat. sect. 3. c. 1. p. 412.* De eodem, & quòd dictum viscum infantem natum postea præservet ab epilepsia, innuit id iterum autor citatus *l. a. p. 41.* Et adamas illud dictum præstat, juxta *Munceri l. c. p. 413.* Non desperandum etiam est hîc de efficacia onosmatis, ex mente *Dioscoridis l. 3. c. 147.* De singulari potentia cordis gallinæ nigræ, pro mora partus rumpenda, evolvi possunt *Goclenius*, aliique allegati apud *Camerarium syllog. memorab. cent. 4. part. 24.* De corde dicto ita scribit *Rudolph. Goclenius Phys. gener. l. 2, p. 431.* cor gallinæ palpitans dextro femori alligatum parturientem adjuvare experimento (ceu ipse vidi & expertus in magna domina) apud graves autores traditum reperio. De corde illo, adhuc palpitante gallinæ domesticæ solùm, dictum effectum etiam annotat *Kiranus in Kiranid. p. 116.* Sic post hæc data ego recordor, Ecclesiastæ conjugem se à partu difficili liberatam pronuntiasse glandibus plumbeis in utraque manu detentis,

quibus priùs cervi trajecti fuerunt. Porrò lapidem Samium alligatum etiam non tolerare partus dilationem, vult *Dioscorides lib. 5. c. 143.* Collegit sequentia periapta *Sennertus in prax. med. l. 4. p. 411.* inquiens: promovent & partum corallia, jaspis, radix polygoni, coriandrum viride quæ dicta coxæ, vel plantis pedum alligantur; atque ista, pergit, remedia in omni partu difficili locum habent. De simili efficacia smaragdi, si coxæ mulieris alligetur, agit *Boet de gemmis l. 2. c. 169.* Non diffidit etiã *Plinius* (*l. 32. c. 10.*) quin diffindat partus difficilis obstacula milvi unguis, sub interula gestatus. Pennas vulturis quoque pedibus subjectas cunctationem partus dirimere innotescit testimoniô *Sexti Philos. Platonici de medicina animalium part. 2. c. 2. p. 103. Plinii l. 30. c. 4. & Alexandri Venturini in medic. ab anim. desumta*, qui postremus *Plinium* hujus quoq; facit autorem. Assensum etiam præbet dicto *Rattray in theatr. sympath. p. 19.* De quo itidem, & stercore nigri milvi, eadem præstante agit *Mich. Bapst.* im wunderbarl. Leib und Wund-Arzney Buche *part. 1. p. 95.* Similiter pennæ vel alæ aquilæ pedibus mulieris suppositæ difficilem enixum cum facili permutant, juxta effatum *Guilielmi* von dem Bosche *l. 1. histor. med. c. 2. & Plinii l. 30. c. 14.* Asperulam odoratam quoque pedibus alligatam δυστοκίαν avertere erudimur à *Cratone consilio 40. l. 5.* *Plinius* iterum *l. 2. c. 21.* vult, quod folia malvæ eodem modô applicata, interdicant partui de diuturnitate. Fœtui mortuo eadem folia non permittere subsistendi moram in utero, edoceberis similiter ex loco allegato. Sic malvam parturientibus suppositam illud dictum quoque efficere scribit *Mich. Bapst l. c.* qui etiam illic agit de artemisia, radio pastinacæ, & magnete manu sinistra contento; de dragontea herba circa femora ligata; de adamante, item serpentis spolio, torpedine non maculosa & quidem conclavi parturientis solùm illata; de chamæleontis lingua circa illius domum gestata; item de gladio, quô caput unô ictu detruncatum fuit homini, urso, & apro, diverso tamen tempore, & quidem quod ille solùm supra domum vel lectum jactus adjuvet partum. Rosa Hierichuntica etiã magni dicitur fieri apud mulieres

mulieres in Italia, quod scilicet partum dubium componere, & angustias illius fœtu properô compensare polleat. Quædam mulieres tempore partus utuntur quoque illâ (quæ & rosa sanctæ mariæ dicitur) ad investigandam partus horam, vel terminum, eamque in aquam immissam fatiscere opinantur, si fœtus nasci incipiat atque uteri orificium aperiatur; minùs verò id evenire volunt, si partus non immineat. Sed de hoc superstitioso usu ac opinione frustranea agit *Excell. Paulus Ammanus programmate invitatorio ad lectiones & demonstrationes Botanicas Lipsiæ 1671. impresso*. Eadem laudatus autor prolixius etiam prosequitur in tract. eleganti, *de mater. med. p. 67. &c.* Sic *Thomas Bartholinus* (*Actis Danicis medico-philosophicis Anni 1673. volum. 2. obs. 38. p. 107.*) de dicto negotio loquens, quòd parturientes de expansa illa rosa spem concipiant, se scilicet exhilaratum iri partu proximô, pergit: quamvis rosam hanc quovis tempore aliàs se dilatare in aqua viderim, obstetricum tamen observatio illa, si quicquam veri habet, humor puerperii transplantatur. Sed de *Rosa* illa nos aliquando pleniùs. Præterea lapis Malacensis porcinus menses movet manu gestatus, abortumque facit; si aures suffragantes præbendæ *Beckero*, id asseveranti, in *phys. subterr. l. 1. sect. 6. c. 3. p. 567.* Pari facilitate ac felicitate etiam illum lapidem crederem partus moram interrumpere, si non dubitationem admittit dicta *Beckeri* sententia. Dehinc balneum Casteyen, in ducatu Salisburgico situm, montes circumcingunt, in quibus lapides virides cœruleis venulis vel striis notati reperiuntur, qui contra inordinatum situm fœtus in utero facere, illumque legitime prolicere dicuntur. Præparatio verò & usus horum lapidum talis præscribitur: lapis dictus nimirum in principio arietis aurô munitur, & corpori penes matricis regionem affigitur; instante verò partu ex dicto loco removendus, & ad dextrum genu alligandus est, unde partum absolvi, fœtumque luci dari arbitrantur. Eodem quoq; modô si applicetur magnes, aut ungula alcis, fœtum pariter ab ergastulo suo, matremque à torminibus partus absolvi, fidem facit *Rhumelius*, qui brevi ab hinc etiam dicta, de lapidibus balnei scribit *in Nymphographia sua c. 12.*

c. 12. Dehinc si mulier transeat gravida (& fortè partui vicina) lapidem, quem canis momordit, quando in eum projectus est, eô videlicet posito super terram, quòd partum facilitet, ex *Galeno* affert illud *Bayrus l. c. p. 347.* Indusium & calceum dextrum mariti indutum à parturiente, illi etiam prodesse probat autoritate obstetricum *Mich. Bapstius* im Artzney Kunst und Wunder-Buche *part. 1. p. 25.* & im wunderbarl. Leib-und Wund-Artzney Buche *part. 1. p. 195.* ubi etiam alia de vestitu vel partibus corporis mariti proficua traduntur in aliis morbis. Sed forsitan eadem illius est ratio, ac si maritus admittitur ad conjugem suam laborantem anxiô partu, quô animus illius erigitur, variaque recordatio amoris mutui eam solatur, & ad labores continuandos unà incitat. Atque istud indusium admittere citiùs possumus, quàm illud necessitatis dictum olim, de quo *Joh. Wierus de præstig. dem. l. 5. c. 10.* Denique ducatum, (cui impressa est effigies corvi, rostro annulum tenentis) pedibus mulierum affixum, mulieres ex partu molesto eripere; etiam abrasum non nihil de eadem moneta aurea, atque datum parturientibus promptum enixum comparare indicatur im Abentheuer von Sina und Europa *c. 37. p. 707.* Hactenus adducta quæpiam superpondii loco potiùs annectere hoc in loco, quàm veris accensere periaptis voluimus; cùm procul dubio credulitatem & superstitionem redoleant. A nudo verò auro, proximè dicto, nescimus num effectus ejusmodi præsumendus sit. Plura alia evidentem iniquitatem & mulierculàrum simplicitatem sapientia præterivimus.

Partum impedientia.

SI quid veri etiam sequentibus experientia subesse comprobat, non intempestive fortè recensebo, quòd partus impediatur, si testiculi muli combusti inque pulverem redacti, appendantur parturientis brachio; vel si iidem testiculi in corio asini involuti super mulierem suspendantur, velut annotatum comperimus in *Mich. Bapstii l. c. p. 96.* Atque idē autor *p. 199. l. c.* easdem vires tribuit scolopendriæ herbæ collo mulieris appensæ, tempore partus appropinquantis, *ex Joh. Cuba*; hinc

hinc ista removeri possunt tempore dicto, si quam fidem merentur eadem.

Pavorem propellentia, & in somno quidem inprimis.

TRademus jam quæ pavorem, & eum præcipuè, qui in somno molestus est infantibus, arcere putantur. Citamus autem in hanc rem non immeritò *Lev. Fischeri verba, corpore med. imper. l. 3. p. 81.* crista, inquit, è capite galli gestata contra nocturnos pavores prædicatur, redditque intrepidos Aquilæ rostrum cum lingua gestatum, tuta reddit nocturna itinera, phantasmata Dæmonesque fugat, *Sextus.* Delphini dens alligatus, pavores repentinos tollit, *Porta.* Scincos etiam pueris præstare ait *Rhases*, qui timent in somnis. Salamandræ cor gestatum, ex Græcis; & hactenus quidem *Fischerus* allegatus. Insurgere etiam contra illud malum existimantur corallia, de quibus lege sis *Poterium in pharmac. spagir c. 21. p. 480.* & *Gansium in histor. corall. cap. 11.* Faciunt huc quoque verba *Andr. Schmitzii in comp. medic. pract. p. 131.* quòd contra pavorem in somno faciant dens lupi, corallia, cornua scarabei lucanici, quem volantem cervum vocant, si extra appendantur. De dente lupi verò, quomodo juxta mentem quorundam pavores pellat ab infante, vide si placet *Schwimmerum curiosit. phys. p. 85.* De dente hoc pariter laudato testimonium prostat apud *Schröderum Pharm. medic. chym. l. 5. c. 25. p. 301.* Dentem caninum verò lupi sumendum præcipit *Kiranus in Kiranid. p. 84.* Easdem vires tribuit quoque ursi oculo dextro exficcato atque infantibus appenso modò dictus *Schröderus l. 4. cap. 40. pag. 312.* Conferatur etiam *Ronssetus de primordio & miseria vitæ humanæ.* Similiter de lupina pelle gestata, quòd non solùm terrifica somnia & terrores nocturnos cohibere dicatur, sed etiam hominem audacem & invictum reddere credatur, meminit *Bald. Ronsseus Epist. 24. p. 72. &c.* De variis etiam partibus lupi, pro scopo attacto commendatis, & harum applicandi modo solicitum deprehendes *Gesnerum & Gabelcho-*

verum cent. 4. curat. med. l. o. annotat. p. 130. quo in loco itidem indicat autor, se in tractatu *de lupi partium viribus medicis* uberius pertractare ista; quem tr. nondum vidi. *Sext. Philos. Platonicus de med. anim. part. 2. c. 8. p. 64.* tradit, quòd si quis lupi caudā secum gestet, sine metu, vel luporum invasione iter conficere possit. Annotat etiam hujusmodi amuleta *Forestus l. 10. observat. 52. in schol. p. 381.* inquiens: pavorem quoque omnem in somnis pellere dicitur anisum, pulvinis culcitrisque inspersum, ut suo defluxu ac odorato spiritu cerebeum imbuat. A collo pyritem gestans lemures ac larvas non timet. Est & literis proditum, quòd ii, qui lupinâ pelle contegantur, suaviter & sine ullo formidinis incursu edormiant, hæc *Forestus.* Dehinc quòd pellis asinina quoque injecta impavidos reddat infantes, scimus ex *Plin. l. 28. c. 19.* De corio lupino & asinino *à Plinio & Kirano* commendatis tradit & ventilat non nulla *Reinesius var. lect. l. 3. c. 15.* Ulteriùs oculos & cor ex ave Asinoë (quæ ex noctuarum genere est) desumtos ac gestatos volunt etiam nocturnum pavorem excutere, oculosque à variis malis tueri, ceu patet ex *Mich. Bapstii* wunderbarl. Leib und Wund Artzney-Buche *parte 1. p. 189.* Sic etiam dentem majorem Hiænæ in linteo ligatum, inque superiori corporis regione portatum non affligi sinere portantem timore ac terrore nocturnô, idque ad mentem *Plinii* pronuntiat *Alex. Venturinus medic. ab animal. desumta.* Lapidem lazuli collo alligatum similiter à terrore præservare docent *Schroderus pharmac. l. 3. c. 8. Boët. de Boot l. 2. c. 121. & Rueus de gemmis lib. 2. c. 21. p. 62.* Adamantem præterea etiam à mente metus vanos expellere, juxta *Plinium l. 37. c. 4.* & propterea amachitem vocari, quod ex varia necessitate liberet, de hoc videantur, quæ in locum illum *Plinii* scribit *Reinesius var. lect. p. 175.* Denique contra timorem seu imaginationem, potissimum verò in peste, commendat sequens *Rhumelius medic. spagyr. tripart. p. 629. num. 8.* Recipe coralliorum rubrorum unciam unam, lapidis malachitæ unciam semis, cum succo chelidonio & mucilagine tragacanthæ fiant cordiales trochisci, præcordiis admovendi, inq; chermesino linteo gestandi.

stanti. Paulò inferius plura, quæ huc trahi possunt, sequentur inter periapta, quæ pro victoria, & fortitudine conferre dicentur. Evolvi insimul possunt, quæ contra melancholiam, Diabolum, spectra, phantasmata, somnum inquietum & somnia molesta facere in præcedetibus & futuris indicantur.

Pectoris affectus concernentia.

Occurrunt porrò inter amuleta etiam illa, quæ pectori dicata creduntur, velut contra pectoris affectus laudat vestem pelliceam cygni supra pectus gestatam, tanquam specificum quid pectori, *Gvil. Fabr. f. 520.* Araneam avellanæ inclusam, & collo appensam ad pulmoniacos &, phthisicos curandos conferre experientiâ edoctus scribit *G. B. de saint Romain physica c. 9. p. 40.* Sic de usu lapidis nephritici in difficili respiratione atque cordis anxietate evolvatur *Unzerus l. 1. de Nephrit. c. 24.* Dehinc quòd succini globuli collo gestati, præpediant, ne destillationes in guttur ferantur, innotescit ex *Schröderi pharmac. l. 3. p. 511.* Hæc etiam est illorum mens, qui dictum succinum in catarrhis commendant; volunt quippe hoc modô suspendi lympham, ad fauces aliasque inferiores partes alioquin delabentem. Phthiseos amuletum etiam sibi aliqui pollicentur à radice verbasci, quemadmodum itidem hoc & alia similia periapta ex loco de catarrhis repeti possunt.

Pediculis contraria.

NOn discrepant admodum ab iis, quæ lumbricis aut vermibus aliàs resistere dicuntur, quæ pediculis adversa jam sequuntur. Creditur verò aliàs efficax mercurius crudus nuci cassæ inclusus ac gestatus, dens itidem vel os mortui hominis corpori affixum. De laneo frusto commisturæ argenti vivi intincto, & intra Zonam vestium abscondito, quòd magnam vim possideat pro pediculis expellendis, evolvi potest *Helmontius tr. de herb: verb. & lapid. fol. 353.* & *in tumulo pestis f. 182.* De ejusmodi medela mediante Rulandi cingulô sapientiæ dicto, vel mercuriali instituenda, deque hujus descriptione consule

Hartmannum prax. chymiatr. l. 2. c. 17. De hujus cinguli præparatione videri etiã possunt ipsiusmet *Rulandi problemata chymica & quidem problema 48. & 49.* Conferantur quoque *ipsius autoris secreta spagyrica cap. 12. p. 50.* quæ proxenetâ *Ehrenfridô Hagendornio* luci publica fœnerata est. Dehinc *Kozakius de sale p. 515.* docet, quod cingulum ex argento vivo confectum & scabiem arceat & pediculos. Cinguli ejusmodi infallibilis, certi & tuti declarati, præparationem etiam communicat *Lindenius in Collegio MS. ad Hartmanni prax. chym. l. c.* Fit autem hoc, quando linteum tincturâ croci imbuitur, atque postea mercurius probè aliquoties spiritu vini prius conquassatus, inque unguenti formam redactus, superinducitur eidem, ac sic lumbis postea linteum illud circumdatur. Qui plura alia de cingulo illo mercuriali agentia loca expetit, adeat *Moroni directorium medicum p. m. 30. Th. Bartholini cent. 13. histor. anat. 79.* De mercurio verò insectis, atque pediculis præcipuè inimico, videatur *Camerarius: memor. med. cent. 11. p. 73. Rattray Theatr. symp. p. 18.* atque *Pechlinus* (nitidiorum verborum ac rerum medicarum cultor) *de purgantibus p. 256. &c.* qui in loco hoc dicit mercuriũ appensum vel auram illius pediculos potenter effocare, nihilque adeò illô, atque oleô infestius esse insectis, lumbricis atque animatis pituitæ partibus. De mercurio etiã hæc apud *Libavium (singular. l. 1. p. m. 352. & 372.)* consignata prostant: argentum vivum pediculos necat, & lumbricos, cumque chalcantho fit pessimum venenum; an non ergò venenum omni viventi. Mercurium itidem insectis, non tamen æque bufonibus, affusum offensum deprehensum esse, rescire licet ex *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. dec. 1. ann. 1. obs. 148.* Jungenda his esse etiã arbitror annotata testimonia apud *Joh. Georg. Schil in Bibliotheca enucleata sub voce argenti vivi.* Utrum verò hoc animalculum hominum sociabile odoris istius odiô emigrare ab illorũ corporibus, aliisque rebus, suaque vita dubia cogatur, speculentur curiosi. Constat verò, quòd insecta varia sensu odoratus sint prædita; sicut hoc etiam ex variis locis scriptorum *Aristotelis* dispalescit, atque idem illud optima rerum magistra, experientia, non

non obſcurè de multis inſectis patefacit, quòd fœtor quædam illorum abigat, & gratus è contrario iis odor alliciat eadem: de quibus plura noſtri ſcrutinii loca loquuntur. Imò alio in loco noſtras ſpeculationes detegimus, quod eminenter ſapida quævis pellant ex corpore vermes. *Amatus Luſitanus Schol. ad curat. 58. cent. 3.* ſcribit Hybernos & Islandos crocum ſubuculis inſutum geſtare contra has beſtiolas tardè gradientes ac mordentes. *David. Frolichius Viatorio part. 1. lib. 2. p. 269.* iter facientibus ſvadet hæc contra ſuos equidem fidos iſtos, ſed inviſos tamen comites pediculos: arcent eos, ait, camphora, vel argentum vivum pomo putrido mixtum, veſtibus inſertum, item genitana radix ſæpe comeſta. Omnium autem certiſſimum probatiſſimumque remedium eſt, oleum ſpicæ, quô vel cutis humana vel induſium aliaque veſtimenta inungenda ſunt. Addimus his Balſamũ ſulphuris quòd forte non inefficax futurum eſſet interiꝰ vel exterius admotũ corpori, ſi quis non nauſeat ipſius adorem; qui tamen eſt moderatus, ſi cum oleo aniſi vel juniperi illud ſit confectum. Videtur etiam claſſi horum amuletorum annumerare helleborum, camphoram, & ſtaphidem agriam *Excell. Dn. Georg. Wolffg. Wedelius de medic. facult. p. 183.* Singulariter itidem pro pediculis relegandis audivi commendari à milite piſtacias Germanicas portatas. An verò id præſtent illæ ipſæ, an verò falsò pro capite mortuo humano (ſimiliter aliàs commendato) ſint receptæ dictæ piſtaciæ; cùm caput humanum quadantenus referant, ac dicantur vulgò à Germanis Pimpernüßgen / oder Todenköpfgen / ignoro; ideoque experientiæ relinquo diſcutienda hæc. *Hier. Reunerus in obſ. med. à Velſchio editis obſ. 31. p. 22.* novi, inquit, milites, qui digitum hominis demortui geſtarunt, quô ſe experimentô ab omni pediculorum pulicumque moleſtia liberos teſtabantur. Benè quoq; in hunc locũ cõmentatur laudatus *Velſchius*, provocans ad experientiam, quòd dicta inſecta mox emoriantur, & defunctos relinquant, quibus vivis iſta adeò moleſta eſſe ſolent. Quæ ſit verò cauſa, quòd in certis locis non perſiſtere vel vivere poſſint pediculi, cimices, & publices,

sed navigantes illuc devenientes deserere soleant, speculentur curiosi. Loca verò ejusmodi indicant *Joh. Adam. Weberus part. 2.* Der Unterredungs-Kunst *p. 598. Colleg. Anglicanum in anno 1668. p. 180. & Zeilerus cent. 1. Epist. 79.*

Pedum auxilia.

ANnectimus his jure etiam, quæ pedibus auxilia conferre dicuntur: verbena verò recens gestata circa columnas pedum, viribus occultis præbet juvamentum iisdem, teste *Oth. Brunfelsio loc. comm. p. m. 156.* Pro pedum fistulis tendines onagri, porci & ciconiæ, in fides vel fila redactos, atque juxta pedum æqualitatem (dextro scilicet pedi, è dextro animalis sumtos &c.) alligatos prodesse, illorumque dolorem mitigare scribit *Mich. Bapst* im wunderbarl. Leib und Wund-Artzney-Buche *part. 1. p. 189.* Plura hujusmodi, quæ podagræ opposita creduntur, inter hujus amuleta quæri possunt. Quæ pro intertrigine corrigenda, vel itinere faciendo laudantur, ex *p. 236. & 237.* innotescent.

Pericula elidentia.

EJusmodi phylacterii omne periculum avertentis, & quidem ex reliquiis Sanctorum conflati ac gestati *Sigbertus in Chronicis* meminit, de quo etiam *Grossius in Magic. p. 207.* Non absimilem vim tribuit coralliis *Cnœffelius in appendice Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. dec. 1. ann. 6. & 7. p. 64.* Ubi, inter alios præcellentes illorum virtutes, eadem etiam quævis pericula dicit autor ille arcere. Malis multis resistentia vid. *p. 243.*

Pesti resistentia.

DEvenimus jam in nostro catalogo periaptorum ad ea, quæ pesti opposita creduntur: cum vero illis multa venenata intersint, & admodum varient autorum sententiæ circa ista, imsimulque verum sit, quod vera venena cum magno periculo usus sint conjuncta, operæ pretium nos facturos confidimus, si naturam istorum, & doctrinam de his occupatam penitiùs indagemus. Appellantur autem ejusmodi venenata amuleta, externo solùm usui vel applicationi destinata, *Zenechta* ad mentem *Paracelsi*, ipsiusque asseclarum.

rum: Sæpe etiam illa sub certo siderum positu elaborari, vel præparari, certôque signô, vel charactere signari solent, quæ tamen nostræ considerationis non sunt; sed eadem in alio, nostri hujus scrutinii, loco describimus, nec immeritò proscribimus atque rejicimus. Inter simplicia verò ejusmodi zenechta chorum ducunt Arsenicum, auripigmentum & argentum vivum, seu mercurius currens, quæ compositorum quorundam, in peste subinde usitatorum, zenechtorum etiam materiam vel basin constituunt. Arsenicum autem ante duo ferè secula primus in usum traxisse dicitur *Jacobus Carpus*, aut velut alii scribunt, *Jacobus Berengarius Carpensis*, Chirurgus & Empiricus Bononiensis. Ab eodem Julius II. Adrianus & Clemens VII. Pontifex Maximus impetrasse hoc scribitur, quod postremum adstruit *Crato consilio suo de peste in operibus suis f.m. 1075. &c.* Verùm ante hunc autorem Turcis Arsenicalium amuletorum usum notum fuisse, & adhuc ipsis familiarem esse, docemur ex *Straussii epistola ad Digbaeum data, atque annotata in Rattray theatro symp. p. 136.* Docet præterea ex aliorum mente *Guevara horolog. Princip. l. 2. c. 25. f. 327. &c.* quòd prisci reges & viri præpotentes pagani annulum in digitis, aut bullam venenô plenam in pectore gestaverint, quô hauriendô vel assumendô aliquando mortem sibi consciscerent, si fortassis ab hostibus caperentur, & ignominiâ forent afficiendi. Verùm laudatus *Guevara* suspicatur venenum innoxium olim fuisse magnatibus, cùm enutriti veneno fuisse dicantur Imperatores. Si quis autem penitius hæc rimatur, dubia non nulla forsitan iis admixta deprehendet; videlicet, quòd vix adsuescere potuerint homines venenis potentibus ac veris, uti non nulli de quibusdam hominibus illud tradunt; de quo negotio paulo inferiùs occurrent plura. Utrum verò prius illud veritati sit consonum, & quòd magnates secum portarint venena pro morte sibi acceleranda, quando voluerint, id suo loco relinquo. Videtur tamen ac si dicti magnates, persvasi rumore communi, eum in finem gestaverint venenata, quò toxicum, atque venenatam luem fortassis alicubi sibi obviam vel insidiantem à se averterent. Ut ad priorem scopum de-

zenechtis, pestis tempore in usum tractis revertamur; post *Carpense* verò paulò ante dictũ, prosperô successu etiam illud venenum vel amuletum continuasse & propagasse dicuntur *Ingrassias, Fallopius* (qui jurando contendit, arsenicô nihil præstantius dari, tùm pro curatione, tùm pro præservatione.) *Petrus Salius Diversus*, aliique Itali atque Thraci Medici; nec secus fecerunt Galli itẽ medici, uti apparet ex *Paræo l. 21. c. 12. ex Anton. Saraceno cap. 7. de peste* & aliis autoribus. Nec paucos etiam alios hinc inde reperies, usui huic apprehenso & continuato (sequentes gruum aut vervecum more præcedentes, juxta celebris cujuspiam medici effatum) adhærere. Differens de ejusmodi pendaculis *Thomas Bartholinus in cista med. p. 231. & 232.* in hæc prorumpit verba: quia verò experientia nondum hunc arsenici usum reprobavit, cur nos improbaremus &c. Ejusdem ferè sententiæ est *Libavius in syntagm. Arcan. Chym. tom. 1. l. 7. p. 346.* Non detrahit suffragium suum illi *Carpensis* placentæ *Lev. Fischerus in corpor. medic. Imper. l. 3. p. 219.* laudabilem quippe illius usum declarat. Patrocinantur quoque venenatis talismodi periaptis verba *Joh. Anton. Saraceni de peste c. 7. p. 268.* Arsenicalibus, ait, & ex Auripigmento albo confectis quæsitam, inventamque fidem fuisse testimoniô multorum, & experientiâ ipsâ compertum esse, illa venenata sanos & à contagii labe immunes, omninòque illæsos servasse; ægris verò magnum adjumentum attulisse. Porrò *Franciscus Plempius tr. de peste p. 22. &c.* adducit ac trutinat autorum dissensus de alexiteriis ex mercurio & arsenico pestis tempore petitis, ac suam demum & aliorum quorundam experientiam annectit (fortè non omnibus modis absolutam) quòd placentula ex arsenico parata & portata exteriùs, licet corpus incaluerit, nihil mali intulerit; arbitratur insimul dictus autor arsenicum intus sumtum solùm vi apertâ vel causticâ obesse; quæ sententia tamen ab alia virulenta vi, dictum arsenicum juxta aliorum experientiã, nondum absolvit. Alios multos, qui fastuosis encomiis describunt arsenicalia periapta, reperies allegatos apud *Diemerbrœckium de peste l. 2. c. 11. p. 172. &c.* Applaudunt quoque tole-

rando

rando & laudabili usui dictorum amuletorum consignati in *Georg. Horstii oper. med. tom 3 decad. 10. quæst. 9. p 110. &c.* item *Petr. Monavius epist. 225. Cratonis à Lanr. Scholzio edit. p. 394. & epistola 227. p. 401. Christian. Langius in Miscellaneis. Curios. med. p. m. 70. & annotati apud Anton. Deusingium de peste p. 336. &c. nec non consignati apud Schenckium l. 6. obs. 7. p. 796.* Jungantur quoque his annotati apud Exc. *Christ. Helvigium consil. med. de peste p. 110. &c.* Addantur itidem his *Joh. Quercetanus in operibus à Schrödero editis tom. 1. p. 114. Ludovicus* von Hornik im Würg-Engel in der 241. Frage *p. 363. &c. Herm. Follinus amuleto Antonian. seu luis pestiferæ fuga p. 203. &c. Joh. Georg.* Schiele *in Bibliotheca enucleat. sub voce Arsenici p. 85. & Dunc. Liddelius de febr. lib. 3. c. 6.* Approbant item ista *Medici Fracofurtenses in remediorum præscriptione contra pestem,* annotante illud *Gockelio de peste c. 19. p. 72. & Gabr. Fontano in medicina Antihermetica sect. 3. c. 4. p. 176. & p. 339.* Dicta venenata etiam non improbarunt multi Physici vel Medici in suis consiliis vel instructionibus, pestis declinandæ vel curandæ gratia, pro variis civitatibus vel regionibus, editis. Sicuti apparet id ex ejusmodi scripto *Giessensi anno 1610.* edito in loco paulo ante citato. Consentiunt pariter cum illis *Joh. Steinmetzius in Instructione* zur Pest-Zeit *evulgata Lipsiæ Anno 1599. Christ.* Meürer im Hauß-Regiment zur Pest-Zeit *Lipsiæ impresso Anno 1607. & quidem p. 28. &c. Victorinus* Schönfeld im Regiment wider die Pest *impresso Gorlitii Anno 1586. Mart. Rulandus in Loimagago Lipsiæ typis exscripto Anno 1607. p. 6. &c. Phil. Schopfius tr. de peste p. 17. Heidelbergæ impresso Anno 1583. Petr. Zahnius* in der *Instruction* von der Pest. Non recedunt pariter ab illorũ sententia allegati apud *Schenckium observ. medic. l. 6. f. m. 796.* & qui extant in *Anton. Deusingii de peste p. 341. &c.* Reperies pariter venenata periapta tolerare *Grulingium* von der Pest *p. 23. Jordanum tr. de peste c. 9. & Cæsalpinum l. 3. cap. de venenis,* ubi auripigmentum præcipuè commendat. Conferantur quoque ideo citati apud *Sylv. Rattray in theatr. sympath. p. 136.* Item allegati in *Camerarii Sylloge memor. cent. 5. partic. 91.* Attingit idem hoc *Jonstonus in Thaumatograph. p. 192. J. B. Theodosius citatus à Joh. Dan. Horstio manuductione ad medicin. p. 200. & Phil.*

Dri-

Ingrassias, *annotante Rosenbergio in animadversionib. & exercit. med.38. p.108.* Jungantur etiam hactenus annotatis *Laurent. Catelanus de unicornu c.4. p.136. item Petr. Salius l. de febr. pest. p.134.* Nec non citati apud *Joh. Rhodium annotat. ad Septali Animadvers. med. l. 5. p.157.* Similiter *Fons. l.1. cons.49. p.33. Simonius l.2 meth. cur. p.122. Porta, Mercurialis, Massa, Mindererus.* Sic etiam Xenechdon Paracelsi non rejicit *Joh. Michaelis in Collegio ad Rolfincii chymiam MS.* Venenata cum aliis mixta tradit quoque & commendat *Angelus in Appendice p.59. ad Odoardi de Pepulis catalogum medicamentorum spagyricorum.* Similia reperiuntur annotata atque laudata apud *Fabr. Hildanum p.137. Achil. Gasserium observ. Medic.100. à Celeberrimo Velschio in sylloge observationum edit. & Quercetanum lib.2. de peste Alexicac. c.5.* Adstipulatur eidem autori & admittit arsenicum ad mentem ipsius correctum, ac vi corrosivâ spoliatum; alias verò formulas & arsenicum seriò simul dissvadens *Exc. Frid. Gunt. Kircheim tr. de peste à Nob. Joh. à Feld. edito p.185.* A prioribus venenata admittentibus non est alienus *Matth. Martini* im Bericht von der Pest *edit. Islebiæ Anno 1598.* qui tamen simul ait, mulieribus palpitatione cordis, & mensium obstructione laborantibus minùs conducere ista.

Monita istiusmodi jam modò adducta, & alia similia non obscurè de suspecto zenechtorum usu testantur; veluti inter ista etiam hoc annotatum reperimus: quòd tenellis corporibus, & rarioris qui sunt texturæ, aut quando pori cutis post sudorem sunt aperti, neutiquam illa propius cuti sint admovenda, propter varia pericula metuenda, juxta *Dunc. Liddelium de febrib. l.3. c.6.* aliosque plures. *Joh. Rhodius analectis in Septalii Animadversiones p.157.* allegans locum illum Liddelii, illi subjungit hæc, venenatis istiusmodi neutiquam faventia, verba: exulcerant enim, & febrim periculosam inferunt, de quo vide historiam apud *Massariam libr.2. de peste.* Venenum enim non attrahunt, nisi carnis contactu vim exserant: quod periculosum. *Sax. cap.35.* hactenus citatus *Rhodius.* Similiter *Vidius lib.6. de febr. Crato in assert. lib. de pestil. p.53. Rod. Goclenius de peste p.69.* & alii plures observari volunt, ut omnes occasiones

vitentur

vitentur, ne sudor provocetur & sic, apertis poris cutis, venenosi vapores cum tetrimento cor irrepant ac impetant. Non pauci etiam in Zenechtis vim causticam, aliamve noxam verentes & antevertentes, illa abscondi præcipiunt in variis involucris, ne corpus nudum tangant. Sic cautio hæc etiã injungitur *à Thom. Bartholino cista medica p. 232.* Xenechdon, inquit, gestatur in cordis regione, aut sub sinistra ala duplici sericô involutum; alii autem primùm panno lineo, deinde verò serico includunt. Similiter suum correctum amuletum *Agricola* (cujus paulò superiùs etiam mentio fuit facta) in serico rubro inclusum atque gestatum vult. De modo ejusmodi occultandi & in corio abscondendi arsenicalia, ne cutim nudam contingant, vide sîs etiam Exc. *Christ: Helvigii Consil. medic. de peste p. 112.* De mercurio currente in nuce cassa, vel calamo scriptorio includendo & corpori eâ ratione appendendo; uti & de minùs tutis mercurialibus, si omnibus partibus corporis indifferenter affigantur, in præcedentibus autorum consilia indicavimus. Etiamsi vario molimine vel prætextu Zenechtorum patroni virulentam & causticam illorum naturam excutere & excusare vel palliare conantur; vereor tamen ne facile fallantur, qui facile istis credunt. *Libavius syntagmate arcanorum chym. tom. 1. l. 7. c. 31. p. 345.* ubi de caustica & sæpe noxia vi illorum observata, ab aliis tamen excusata loquitur, ita inquit: sed aliqui conjiciunt in singularem antipathiam; aut dicunt gestatum fuisse amuletum tempore salubri, aut potiùs signum extracti ab internis veneni, atque ita accidentalis læsionis esse contendunt. *Fernelius* de auripigmento, arsenico, sublimato, sandaraca, chrysocolla, aconito & similibus scribit (*l. 6. meth. cap. 18.*) illa nec caustica esse, nec escharotica, nec crustam in nuda carne gignere, sed qualitate malignâ substantiam carnis tactæ corrumpere &c. quomodo ergò nomine excitatarũ pustularum in præcordiis malè potest audire amuletum, hactenus *Libavius*. Cui lubet eam in rem argumenta etiam videre potest in *Lud.* von Hörnigks Würg-Engel in der 246. Frage *p. 364.* Sed quis non commiseratione,

potiùs, quàm refutatione digna isthæc censeat; experiatur verò qui cupit, an tutò ejusmodi venena vera sine detrimento gestantis, aut præparantis sæpe, tractari, ei applicari, sive magna tandem, aut certa commoda ex iis expectari queant. Proinde quia suspecta sunt ista periammata propter venenatam suam facultatem,& dubiam admodum experientiam salubrem, quis non ad tutiora & suspicionis magis vacua citius confugat!

Reperiuntur iterum alii qui paulò ante allegatorum partes deserunt, arbitrantes venenum non extrahi a pentaculis istis venenatis, nisi carnis contactu eadem vim suam exserant; quod tamen itidem periculosum statuit *Herc.Saxonia practic. part. 2. c. 35.* Nec indifferenter omni subjecto convenire zenechta, docent alii, veluti paulò ante etiam hoc innuimus. Sic *Joh. Hartmannus disputat. chym. med. 19. de peste §. 80. & 114.* concedit equidem venenata istiusmodi, vi magnetica è corpore infecto, venenum extrahere pollere, sed se nondum percipere potuisse simul testatur, ex observationibus & rationibus ab autoribus accumulatis, quid ista faciant ad προφύλαξιν. Argumententur itaque ex his curiosi, quid ab iis periaptis boni expectandum, aut de opinionum varietate sentiendum sit; sed plura talia de dictis his paulò inferiùs trademus. Etiamsi speciosè defendunt quidam periapta venenata, variosque dictos, & alios modos operandi ipsis attribuunt, minùs tamen iis auscultat, quin potiùs refutat ea, laudatus *Isbr. Diemerbræck l. c. p. 174. & 298.* Atque his modò adductis non immeritò suffragor, rationes illius autoris, fugiendæ prolixitatis gratia haut repetens; cùm istæ ex loco dicto facilè colligi queant. Similiter ea jam prætereo, quæ in hanc rem scribit *Deusingius de peste p. 337.* Refutata etiam argumenta de operationibus talismodi venenatorum occupata reperies penes *Georg. Kirstenium Adversariis in Agricolam part. 2. c. 4. p. 261 &c.* Fatetur *Dav. Herlicius (consilio politico Physico de peste edito Anno 1621. c. 6 p. 106. & 107.)* se magni olim fecisse venenata ejusmodi amuleta, sed mentem postea se correxisse; dicit quoque tot esse autores.

autores, qui admittant periapta venenata, quot sint, qui rejiciant eadem; materiam etiam hanc in utramque partem disputari posse, idem infert. Admiserat priùs autē modò dictus autor, & svaserat illorum usum in *Consilio suo Anno 1584. edito c. 14.* Citatus *Herlicius* priori loco allegato *p. 107.* indicat etiam *D. Calenum juniorem, Medicum Prenzlaviensem Anno 1605.* elegantem discursum Latinum de amuletis publici juris fecisse. Sine dubio verò hic autor de venenatis periaptis in illo scripto agit, quod tamen adipisci nondum hactenus potui, licet pluries illud inquisiverim. Inter modernos autores, qui instructiones vel regimina contra pestem publici juris faciunt, perpaucos merè venenata, videlicet arsenicalia & similia admittunt & commendant, nisi indocti aut imperiti quidam, qui, nescio quô fine, interdum de peste quid compilant & edunt; modò non irrita multa & perniciosa hominibus simul inculcarent. Plures verò autores hodie reperies qui *Butleriano Zenechto* magis addicti sunt, quàm aliis venenatis, quod equidem inde oriri credo, quia novitas rei, verba speciosa, & autoritas quorundam, celebrium alioquin virorum, illis hoc commendat; de quo tamen aliter forsitan sentient inposterum, si solidam experientiam consulent. Quid nos verò de *Butleriano* isto sentiamus, paulò post depromemus. Dedimus paulò superiùs patronos quosdam zenechtorum, in subsequentibus post ea, vel in modò absolutis locis exceptiones vel cautiones quæpiam fuerunt item detectæ, quæ suspectam istiusmodi venenatorum conditionē & usum, certis solùm limitibus cinctum admittunt. Restant adhuc alii audiendi, qui doctrinam zenechtorum legentes vel audientes, neutiquam faciles vel credulos se præbent, sed potiùs rationem solidiorem, suamque experientiam consulentes aut prætendentes ab iis desciscunt, omnemque supellectilem venenatorum aversantur, ac dissvadent. Sic aversatur & rejicit ejusmodi zenechta sedulus dexterque *Zwelfferus Pharmacop. Reg. f. 142.* statuit quippe perliculosum opus, erroneum, ac temerarium esse, venena mineralia loco amuletorum cordi appli-

plicare. Adde huic *Herm. Grubium de simpl. medic. facult. cognoscendis p. 141. & 169.* item politissimum atque curiosissimum quondam Lipsiensium Medicum *Crist. Langium in Miscellaneis curios. p. 67. & 70.* & *Lud. Septalium animadversion. & cautionibus medicis l. 5. §. 58. & 152.* De arsenici & auripigmenti noxa, etiamsi non pro interno usu admittantur, videri etiam possunt *Sennertus prax. medic. l. 6. p. 270. Fallopius tom. 1. tr. de morb. Gallic. c. 88. p. 736. & Raricellus horto geniali p. 135. & 136.* Externum etiam usum arsenici in ulceribus cancrosis, aliisque noxium & rejectum declaratum vide sis in Exc. *Paul. Ammani Medicina Critic. p. 306. & 307.* In scabie pariter ungventum noxium deprehendit, cui arsenicum fuit admixtum, *Amatus Lusitanus cent. 2. curat. 34.* De arsenici & mercurii usu infelici adhibito sæpe observato in medicamentis externis, consule si placet itidem *Guil. Fabricium Hildanum in Operibus.* Similiter magnes arsenicalis, quibusdam pro caustico aliàs usitatus, minùs commodus fuit observatus; veluti patet ex *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. decad. 1. ann. 9. & 10. p. 336.* Imo lithargyrium vel plumbum solùm, sive pollinem ipsius sæpe observarunt læsisse eos, qui propinquiùs atque frequentius ista tractarunt; quod fortassis ex mercurii vel alius veneni majori copia istis admixta ortum fuit, uti de hoc legere licet in *Timæi l. 3. cas. 20. p. 137. & l. 7. cas. 10. p. 316. & in illius l. 2. Epist. 2. p. 95.* Jungi item his allegatis potest *Voglerus in Diateticorum commentar. p. 173.* Cùm ergò hæc mitiora modò dicta adeò suspecta, sive noxia existant, ecquid de venenis evidentibus & pestis quidem tempore, ubi spiritus vitales titubant, judicandum erit. Adducta hactenus haud obscurè inter alia etiam de arsenici alia vi venenata pejori, præter causticam illam à quibusdam accusatam, testantur. Paulò ante citatus *Kircherus (l. a. p. 331.)* Xenechtō Paracelsi etiã superstitionis particeps, cum aliis schedulis contra pestem à quibusdam laudatis proscribit: de qua materia paulò post plura innotescent. Quandoquidem Paracelsus etiam nullam actualem praxin pestis habuit, subsumi potest, quô æstimiô ipsius zenechdon sit habendum; de illo vero asserto testes se sistunt *Helmontius*

& *Grulingius floríleg. chymic. p.475.* Dehinc monitum sequens neutiquã oblivioni comittendum, quod scil. de Arsenico suspecto communicat *Franc. de le Boë Sylvius operibus suis med. p.m.628.* §.78. anxietates, inquit, & angustias circa præcordia in peste à volatili sale, ac inprimis acri produci posse, Arsenicum præposterè aut perperam usurpatum documento est. Arsenicum autem volatile esse, nullus ignorat, nisi chymiæ ignarus; sublimari namque potest non ita difficulter. Adde, quod multi naturalium, per chymiam, periti venenũ pestilens propter naturæ suæ & operationum similitudinem vocarint Arsenicale; hactenus autor ille. Proinde dicta hæc Sylvii neutiquã subscribunt opinioni illorum qui pestilens illud Arsenicale virus per similia, scilicet Arsenicalia, aliave hujusmodi curari posse vel debere, persvasum sibi habent. Operæ pretium itaque est, ut in re tam gravi atque periculosa, usum venenatorum concernente, plura vota colligamus, ne nos fortassis facilè credentes, facilè quoque fallamur, & alios itidem fallamus. Non sine admiratione vero multos autores legimus in nupera peste, ante annos octo per Germaniæ quæpiam loca salientem ac sævientem, quòd bonâ (modò non simplici) fide, per imitationem quampiam, minùs tamen plausibilem vel experientiam, & rationem solidam, in suis scriptis istiusmodi zenechta commendarint. Proinde malumus in excessu, quàm defectu hujus materiæ necessariæ eruendæ delinquere; quemadmodum etiam causam hanc pro inquisitione majori non displicere omnibus confidimus. *Hier. Capivaccius* autem, celeberrimus alioquin Medicus, Patavii pestilenti tempore Anno 1576. talia arsenicalia multis præscripsit, at referentibus *Hercule Saxonia l. de plica Polon. c.53. & Cornelio Gemmâ de rat. cur. bubon. pestil.* exiguâ cum laude factum illud est. Videatur quoque *Timæus consil. de peste.* Præterea juxta citatum *Herculem Saxonia*, aliosque plures venenenata ista similiter improbantur in tractatu, qui *Pauli Sorbaiti* esse dicitur, cujus titulus exstat: Freundlich Gespräch von der Pest zu Wien *Anno 1679. impresso, quæst. 20.* de quo etiam videatur idem *Sorbaitus* in der Pest-Ordnung *Joh. Guil. Mannagetta.*

gettæ c. 8. p. 98. qui tractatus denuò illius curâ prodiit *Anno 1681.* Addatur his etiam *Andreas* Schilling *Loimographia tripartita p. 209.* &c. Dicit quoque *Joh. Phar. Rhumelius (medicina militar. dogmatic. Hermetic. magnetic. c. 23.)* se amuletis ex Arsenico & mercurio vivo confectis præferre devotas preces Sic bina ista periapta non sine causa pro suspectis & periculosis haberi, suo judiciô comprobat celeberrimus *Conr. Schneiderus* (cujus mortem medicina nostra non immeritò luget) *disputatione de peste Witteberg. 1680. habita c. 6. §. 16.* Præterea testimonium de iis, quibus sinistrę cessit iste arsenici usus, prostat in *Sylv. Rattray theatr. sympath. p. 136.* Malè quoque multis cessisse venenata pentacula, atque ideò exempla se referre posse fatetur *Muncerus Experistis Cratonianis p 800.* Non paucos itidem asseclas, qui variis rationibus, nec despiciendis, dissvadent venenatorum omnium usum pestis tempore, habet *Diemerbræckius de peste p. 173. 298. &c.* Dubium quippe, fallacem, ac noxium hunc usum declarant allegati *ibidem p. 175.* Sic quòd arsenicalia periammata circa pectoris regionem gestata pustulas in cute excitarint, indicat *Petr. Monavius in Epist. 225. Cratonis à Laurent. Scholzio edit. p. 397. & in epist. 227. p. 401.* non tamen ideò illa perniciosa censet autor; illi verò sententiæ minimè ego adstipularer, aut talia suspecta caustica in peste, aliisve malis facile admitterem. Similiter quòd ejusmodi venata exulcerarint, & periculosam febrim intulerint, constat ex *Massariæ l. 2. de peste.* Porrò experientiam de effectu laudabili, vel prospero venenatorum amuletorum dubiam reddunt rationes & allegata apud *Deusingium de peste p. 341. &c.* Præsentissimæ pestis etiam instar esse arsenicale amuletum, ex *Horatio Augenio, de monte sancto, Gerardo Columbo & Hercule Saxonia testatur Rosenbergius exercit. med. 28. p. 110. &c.* unde etiam amuletum illud quasi amans lethum dictum pronuntiat hic autor. Periculosa itidem esse venenata, atque nonnullos in vitæ discremen mortemque pene præcipitatos esse, qui gestarunt illa, nisi removissent in tempore constat, idq; ex medicorum quorundam observationibus añotat *Laur. Enchstadius consil. antipestif.* Sic etiam *Borellus cent. 3. obs. 36. p. m. 225.* significat ex arsenici dicto usu sciaticum quempiam factum esse, atque tamdiu

tamdiu mansisse, usque dum depositum esset iterum istud. Consuli quoque potest eam in rem *Grulingii florileg. chymic. p. 475.* Historia itidem ex *Francisco Alphano* petita, de juvene (qui ex amuleto arsenicali gestato occubuisse dicitur) annotatur apud *Rulandum de morbo Ungarico p. 693.* Consentiunt cum adductis testimoniis etiam loca quæpiam allegata, non optimum declarantia usum venenatorum externè gestatorum, apud Exc. *Christ. Helvigium consilio medico de peste p. 112.* Idem citatus *Rulandus l. a. p. 683.* amuleta ex vegetabilibus solùm, neutiquam verò ex mineralibus venenatis admittit, sed omni modô proscribenda, & medicastris ac metallariis relinquenda esse dicit: argumenta & rationes, cùm suis objectionibus, cur mineralia ista rejicienda sint, prolixiùs ventilata legi possunt in loco designato autoris. Reperiuntur quoque non pauci alii, eôdem argumentô utentes, & venenatis hactenus explosis tutiora præferentes, videlicet ex vegetabilibus petita; de quo videantur im Bericht von Sterbens-Läufften *pro Norimbergensibus edit. Anno 1600. in Tob. Dornereilii* Bericht von der Pestilentz *edit. Hamburgi Anno 1604. p. 17. &c. in Joh.* Werners Bericht von der Pest *Lipsiæ edit. Anno 1598. in Sim. Bergeri* Pest Anordnung *edit. Geræ 1607. & in Dialogo medico chymico* über die Pest-Artzney *impresso Islebiæ 1608.* Quæ verò periapta tutiora reputentur & existant ex vegetabilibus petita, paulò inferius post absolutam zenechtorum considerationẽ innotescent. Si licet paulisper adhuc indulgere zenechtorũ refutationi & huj⁹ fundamentis ab autoribus subinde etiam prolatis: sistit se porrò *Bernh. Svalvius querela ventriculi p. 213.* pestẽ, inquit, eliminari appensô arsenicô amuletô somniant. De eodem paulò antè attacto *Rulandi*, & aliis exemplis perniciosè applicatorum ejusmodi venenatorum amuletorum, plura prostant in *libr. Diemerbræckii de peste l. 4. p. 348. &c.* Propter seriam etiam dehortationem contra usum dictum, & quòd venenata ista, commendata à quibusdam, nequaquam profuerint, vel à peste morteque defenderint ipsosmet etiam venditores; quin potiùs ista pestem, aut mala pesti similia, mortemque ipsam induxerint, legi meretur item *Diemerbræckius l. c. p. 298. 306. 325. & 326. & lib. 2. c. 11. p. 171. &c. uti & p. 175.* quo

in-

in loco ultimo autor meritò credulitatem ac simplicitatem medicorum indulgentium istis venenatis perstringit. Idem hoc statuentes allegat quoque *Nic. Tulpius post observationes medicas p. 392.* & svadet ne pectori tempore pestis arsenicum appendatur. Non optima quæque sentit item de venenatis his *Helmontius Tumulo pestis f. m. 182.* ait quippe, se vidisse in Castris Ostendanis ad littus multa virorum millia cùm ejusmodi zenexto peste sublatorum. Imo & eos qui per quindenas, singulas sibi costas vesicarent per arsenici trochiscos, byssinis peris inclusos. Docet insimul autor dictus istiusmodi periculosa à Patavinis & Italicis Medicis, Græcis item, Judæis ac aliis malæ fidei hominibus, cum aliis superstitiosis in usum vocata, & ad nos propagata esse. Conciliet interim verò Lector B. *Helmontii* opinionem de bufonibus summè venenatis declaratis, & tamen saluberrimo zenechto ex iisdem expectando atque paulo inferius à nobis exponendo. Liceat mihi adhuc allegare verba *Gisleri in obs. medicar. de peste Brunsvicensi præfatione,* sic autem inquit: nemo certæ quicquam spei sibi imaginetur (nimirum tempore pestis) sive sit superstitiosum illud Paracelsi zenexeton, sive Arsenicô, aut mercuriô conflatum: Experientia enim constat, hæc supra cordis regionem, donec incaluerint gestata, multũ damni corpori dedisse; contra nescitur quosdam horũ appensione liberos à peste mansisse. Proinde *Plempii (in Loimograph. p. 2. &c.)* sententia penè contraria, (ast particulari & insufficienti demonstratione nitens) firmiori probatione indiget. Cœterũ Arsenicalia pariter quosdam damnare scribit crebrò à nobis allegatus laudatissimus Augustanorum medicus *Velschius in notis ad Gaseris observationem c. 100. p. 46.* De eodem etiam plura contineri *in suis Chiliad. curat. & centuriis consiliorum* dicit idem ille *Velschius*. Non optima quæq; similiter sentiunt de his venenatis *Sennertus de febr. l. 4. c. 5. p. 440. &c. Unzerus de lue pestifer. l. 2. c. 9. p. 201. atque idem* im Bericht von der Pestilentz *Hale-Saxon. edit. Anno 1607. Theoph. Bonetus mercurio compitalitio l. 6. p. 261. §. 32.* Idem hoc faciunt etiam *Petrus Rommelius* in den entdeckten Meuchelmörder oder Bericht von der Pest *p. 90. &c. Joan. Ammianus* im gründlichen Bericht von der Pest *p. 111.*
Exe

Exc. Just. Ortholph. Maroltus in Loimographia Schleusingæ impress. 1680 p. 63. Horat. Augenius tom. 1. Epist. 9. Crato consilio de peste, in opere consiliorum suorum f. m. 1074. &c. Et in Epistolis (vulgò ipsius appellatis) à Scholzio editis, Epist. 168. Adde his etiam *Columbam lib. 2. de febr. pestil. c. 16. & 17. Thom. Reinesium* im Bericht von der Sterbens-Seuche vor Altenburg *p. 38. ad p. 45. edit. Anno 1639. Gregor. Horstius operum tom. 3. p. 244. & Phil. Hœchstetterum decad. 3. cas. med. 2. p. 218.*

Hactenus tradidimus eos, qui inprimis arsenicalia, & venenata magis amuleta admittunt, sive aversantur; restat ut de mercurialium valore adhuc nonnulla examinemus. Videtur autem in peste mercurium & amuleta hujusmodi admittere *Collegium Wittebergense medicum*, quod venalia illa pestis tempore concessit im Bericht und Ordnung von der Pest *Anno 1626. edit. p. 44.* Confer quoque *Petr. à Castro de febr. puncticular. p. 184.* Sic mercuriô, nuci cassæ inclusô usos esse multos in obsidione Metensi Anno 1552. & 1553. testatur *Droëtius consil. de peste c. 8.* In memorata obsessione *Marsilius Ficinus* asserit, se immunem & Chirurgum suum dictô mercuriô à lue pestifera servasse. Quidam etiam se observasse asserunt, quod si gestantes istiusmodi amuletum pestis corripuerit, putamen nucis disruperit, quod tamen experientiæ committit Exc. *Helvigius l. c. p. 114.* Desideramus etiam nos experientiam de utroque, an scilicet rupta fuerint putamina, & an levamina senserint gestantes ab eôdem amuleto. Paulò post plura de annulis mercurialibus occurrent, qui pariter nigredinem contrahere, atque suum ita laudabilem effectum indicare dicuntur. Utrosque paulò ante dictos autores, scilicet *Droëtium & Ficinum* mercurialia commendantes etiam allegat, iisque consentit *Rudolph. Goclenius de peste p. 69.* quo in loco autor itidem Arsenicalium fautores quospiam attingit. Plures de prioribus iis agentes allegantur apud *Diemerbrœckium de peste p. 172.* Usum mercurii, ad mentem quorundam autorum, admittit itidem *Anton. Le Grand curioso rerum abditarum perscrutatore p. 316.* & *Joh. Dan. Mylius Antidotario med. chym. l. 1. c. 6. p. 62. Andr. Starck. tr. de peste,*

& *Theodatus.* De mercurii coagulati laude, non in peste sôlùm, sed etiam in aliis morbis *Georg. Pitschki de Zenexto vel mercurio coag.* videatur. Non dissenti ab adductorum horum laude memorata *Theodorus (communiter dictus Tabernæmontanus) tr. Germanico de peste p.35. anno 1586. impresso.* Propter laudabilem illius usum adstipulatur etiam *Ficino Platerius de febr. p. m. 223.* Præferunt pariter mercurium pestis tempore gestandum aliis venenatis ex Arsenico & auripigmento alioquin compositis *Staricius* im Helden-Schatze *part. 6. p. 527.* & *Martin.* Schmuck *in occult. mag. magnet. morb. curat p. 39.* Laudat etiam Mercurium modò allegatus *Tabernamontanus* in der Artzney und Hauß-Apotheck *p. 38.* Sic quod à peste & fascino corpora defendat mercurius, id asserens videatur *Buricellus horto genial. p. 326.* De mercurii usu quoque confer *Casp. Reiesii camp. Elys. quæst. 23. §. 17.* Patrocinatur itidem tolerabili mercurii usui illud *Beguini in Tyrocinio chym. l. 2. c. 13.* quô meminit locum illum, ubi mercurius reperitur vel è fodinis suis eruitur, pestem nunquam invasisse, quamvis à lue ista loca contermina non fuerint immunia observata. Plura testimonia idem hoc adstruentia innotescent ex Exc. *Christ. Helvigii consil. med. de peste p. 113. &c.* In Goritia tamen, mercurii fœta, pestem observatam scribit dictus autor. Non improbat contra quorundam sententiam *ibidem idem autor* mercurii usum externum loco amuleti, illumque citiùs locum invenire arbitratur, si juxta *Kircherum, Wirdigium,* & *Christ. Schroderum* Pestis à vermibus oriatur, vel in iisdem ratio ipsius consistat. Interim tamen ipsemet autor *Helv. l. c. p. 114.* omnes litus mercuriales severissimè (aliorum autorum experientiâ tristi persuasus) prohibendos putat. Plura verò testimonia, minus applaudentia mercurialibus, paulò inferius innotescent. Parum autem fidei attribuit adducto illi asserto *Beguini Joh. Guilielm. Managetta* in der Pest-Ordnung *c. 8. p. 97. à Sarbaito edit. anno 1681.* Opponitur quippe illi experientia *Helmontii ex tumulo pestis*, paulò inferiùs adducenda. Memor autem illorum *Beguini* verborum, non abhorret à mercurii usu *Agricola chirurg. parva p. 784. 440. 441.* Subscribit penè his

Pau-

Poterius de febribus l. 1. c. 15. p. 624. dum illic quærit, cur qui in argenti fodinis assiduò versentur, rarò aut nunquam febre corripiantur &c.

Hactenus dedimus eos, qui mercurii usui favent; restant autem alii etiam consulendi atque audiendi, qui desciscunt à priorum sententia: sic inefficax amuletum declarat mercurium nuci inclusum ac gestatum *Joh. Conr. Dietericus Jatreo Hippocratico p. 979. Camerius etiam in sylloge memor. cent. 20. part. 65.* cinguli mercurialis infelices successus variis exemplis & testimoniis declarat; hinc miror, cur in aliis particulis ibidem autor ille com̃endet mercurium. Sic enim de epilepticis ex hydrargyro factis ibidem legimus *cent. 4. part. 94.* De mixto usu in *cent. 5. p 89.* De nequitie mercurii etiã agunt *Hœfer. Herc. med. l. 5. c. 4. p. 261.* qui autor quoq; *l. c. p. 103.* videri potest, quid scilicet de venenatis alioquin sentiat. De mercurii atque arsenici periculoso usu in peste judicato videatur *Kircherus de peste p. 336.* Infelicem præterea mercurialium, externè pro bubonibus sanandis adhibitorum, usum observatum dicit *Diemerbrœck de peste p. 268.* Non immerito itidem taxat mercurii usum internum, à quibusdam in peste ob putredinem animatam alioquin commendatum, *Casp. Theoph. Birlingius Adversar. curios. cent. 1. obs. 58 p. 113. &c.* Sic *Franciscus de le Boe Sylvius* (cui longior annorum series exoptanda fuisset, propter commoda, quæ ab eo in medicinam redundare potuissent) *in operib. med. p. 653. §. 111. &c.* dispiciens de mercurii usu in peste aliàs commendato, obscuram quadantenus sententiam profert. Non enim rejicere illum videtur, nec magni etiam æstimare; præcipuè cùm ille de operationis ratione, atque proficui usus experimentis certis, ac continuis nondum constare indicet. Innuit insuper *l. a. §. 110.* quod nihil certi per experientiam sibi innotuerit pestis tempore de amuletorum viribus, quamvis quædam in usum convocarit. Præterit quoque ibidem autor venenata, sine dubio indigna tacitè ista censens, sicuti etiam alioquin non admodũ amuletis favere videtur. De fallaci & perniciosa mercurialium atque arsenicalium periaptorum usu, legi

quoque meretur *Nathanaël Hodges Loimologia p.239.* De mercurii noxa, dum iste ab Agyrta cuipiam contra calorem in febre maligna & ardente pulsibus utrisque impositus fuit, testimonium quoque prostat *in Actis med. philos. Danic. vol.5. obs.52. p.135.* Sunt etiam, qui tutioris atque melioris conditionis pronuntiant esse mercurium coagulatum, atque tutiâ tinctum, ex quo annulos parandos ac gestandos esse svadent. Addunt insimul notam bonitatis haberi, quod nigrescant gestati aliquandiu, si alicubi venenum præsto sit, quod iidem attrahant, & gestantem ita immunem relinquant. Verùm utrumque videtur dubium & fallax, cùm nondum sit demonstratum, quòd venenum adsciscant, aut inde nigrescantii: siquidem nigredo annulis illis à fumo, vapore, vel halitu vario facile induci potest. Imò observatum fuit, quòd ad latrinas delati isti annuli nigredinem soleant contrahere. *Georg. Pirschki in zenexto,* licet admodum laudet mercurium coagulatum, varias in formas redactum contra morbos multos, dissvadet tamen ut illud in cephalalgia sub forma monilis &c. capiti vel collo appendatur, propter mala inde metuenda. Autor hic vero suum illud amuletum extrahere præcipuè morbosam materiam ex corpore arbitratur; in dicta verò cautione censet autor, quòd in corpus ab amuletis vires immittantur. Præterea de malignitate mercurii consuli quoque potest *Jordanus pestis phænomenis, & Fallopius tom. 1. p. 347 &c.* Exempla & testimonia mercurii & Arsenici usum serio disssvadentia annotavit itidem *Johnsonius Lexico chym. p. 245. & 246.* Mercurium quidem citius, quàm arsenicum, loco amuleti adhiberi posse statuit, sed insimul ob rationes certas ipsius usum dissvadet *Anton. Deüsingius de peste p.345.* Utriusque usum minùs tutum ex autorum sententia statuit *Mart. Zeilerus miscellan. p. 260.* & allegati apud *Gregor. Horstium tom. 3. decad. 10. problem. 9. p. 110.* Idem argumentum pertractant citati apud *Joh. Laz. Gutierrez. in febrilog. curs. 8. lect. 10. p. 228.* & annotati in *Joh. Rodii comment. ad Septalii Animadversion. l. 5. p. 157.* quibus etiam annectendus est *Hermannus Grubius de arcanis medicorum non arcanis p. 54. &c.* Meminit pariter

de

de illis, quod minus benè cesserint iis, qui isthæc appenderint Anno 1636. *Andr. Mackius* im *Medicinischen Memorial. p. 12. quod prodiit Rudolphopoli 1680.* Retulit mihi quoque Lipsiæ *vir experientissimus, quem Præceptoris loco quondam venerabar*, quòd homines anno 1680. ibidem pestis insultus metuentes, à mercurio sibi suspensô artuum tremorem, ab arsenico verò cutis pustulas, & rosionem aliaque mala contraxerint. Cur mercurius aliàs tremorem efficiat rationem reddit *Ign. Thiermair consil. 10. l. 2.* Plura in hanc rem illi quoque conferunt, qui de noxa mercurialium unguentorum vel illituum in scabie, vel lue venerea agunt; quemadmodum & nos aliquando *de scabie retrò pulsâ* & *Mercurialium minus tuto ubivis usu* plura pro hac re confirmanda suppeditabimus. Aliud testimonium de mercurio, quòd vani fuerint observati illi in dicta peste Lipsiensium, qui spem in illo posuerunt, adfert *Exc. Aug. Quir. Rivinus de peste Lipsiensi p. 59.* Parem virtutem arsenici variò modô in Zenechdon redacti, se deprehendisse, idem laudatus autor innuit *l. c. & p. 121.*

Prolixum nimis foret, si plurimas, vel aliquas saltem venenatorum seu zenechtorum formulas transscribere huc vellemus ex autoribus, quæ passim apud eosdem occurrunt. Ideoq; sufficiat hoc in loco adduxisse unicum illud *Jacobi Carpensis*, cùm hic præcipuus zenechti ejusmodi autor credatur; tradit verò illud inter similia alia *Joh. Jac. Weckerus de secretis l. 5. c. 4. p. 122.* Jubens recipi Arsenici albi Crystallini partes sive uncias duas, rubei partem sive unciam unam, fiat placenta rotunda crassitudine digiti, cum albo ovi, vel mucilagine Tragacanthæ, insuatur linteolo, superaddito serico, & admoveatur cordi. Nec opus est indusium interjici (nam etsi arsenicum intrò sumtum sit lethiferum, nec etiam occultâ vi, sed solâ rosione, ut proinde venenum non sit dicendum) tamen admotum extra, venenis resistit certâ experientiâ, hactenus Weckerus. Cùm ergò non sine tædio scribendi aut legendi omnes autorum formulas, vel plurimas illius conditionis, afferre vel sistere valeamus, contenti jam erimus solâ recensione

locorum, è quibus ubertima illorum zenechtorum, vel compositorum amuletorum notitiâ peti poteſt. Conſuli itaque poſſunt de iis (inter quæ *Paracelſi* famoſum zenechton etiam reperitur) *Paracelſus in libr. 2. de Peſte c. 3. Crollius Baſil. chym. p. 237. & 240. Fel. Platerus de febr. p. 222. Martinus Forſterus in Antidoto Loëmopolemica p. m. 168. Conrad. Kunrath in medull. deſtillat. p. 345. Libavius in ſyntagm. arcan. chym. tom. 1. l. 7. c. 31. p. 345. Schenckius l. 6. obſ. 7. p. 796. Caſp. Theoph. Bierlingius Adverſar. curioſ. med. centur. 1. append. p. 179. Joh. Rhenanus antidotar. peſtilent. fol. 26. & 27. Isbrand. Diemerbrœck de peſte l. 2. c. 11. p. 172. &c. Anton. Deuſingius tr. de peſte p. 336. &c. & p 347. Mercurialis de venenis lib. 2. c. 8. Helmontius tumul. peſtis p. m. 182. Phil. Hœchſtetterus obſ. decad. 3. cap. 2. p. m. 215. &c. Rhumelius med. ſpagyr. tripart. p. 630. & Jatrochym. p. 630. n. 9. Rulandus de morbo Ungar. c. 8. qu. 78. p. 696. Sennertus de febr. l. 4 c. 5. Brunnerus conſil. med. ultimo. Rolfincius chym. in art. form. redact. p. 415. Fabric. Hildanus fol. 1321. Geckelius de peſte p. 64. & 95. Rodolph. Goclenius de peſte p. 69. Grulingius floril. chym. p. 473. Dan. Menon. Matthiæ experiment. med. chym. decad. 3. p. 25. &c. Chriſt. Franc. Paullini bufonis deſcriptione p. 117.* & alii plures. Alia compoſita annotata reperies etiam apud eos, quos paulò antè adduximus venenatorum periammatum fautores, & oſores eorundem.

Inter ejuſmodi controverſias verò circa venenatorum uſum occupatas etiam hoc referendum eſt, quod *Agricola* (paulò ſuperius quoque à nobis allegatus *l. c.*) crudum arſenicum periculoſum eſſe ducat, atque ideò ſubſtituat Antimonium, Sulphur & Arſenicum album; hujus verò præparandi modus uberior videatur *l. a.* Similes plures correctiones ab aliis etiam tentari atque præcipi, licet obſervare in autoribus quibusdam. Alii pariter in mercurio fuſionem & correctionem variam eligunt, quò majores vel tutiores vires, aut ſaltem patrocinium plauſibile illi comparent. Alii iterum perniciem eandem crudorum venenorum olfacientes, corrigere conantur ea variorum cordialium additione, de qua ubivis conſtat, & nos paulò poſt plura de hac materia addemus. Valeremus equidem hanc telam longiùs pertexere, atque plura annectere alia

alia de nequitia, & pernicioso usu venenatorum amuletorum abundè improbatorum, sed finem faciemus huj⁹ recensionis, ubi adhuc quædam circa suspectam arsenicalium originem, applicandi modum, admistionem aliorum ingredientium, vel corrigentium, continuam aut immutatam zenechtorum gestationem sive usum, atque operandi rationem absolverimus; quæ omnia de minùs tuto periammatum illorum usu testantur.

Suspicamur autem, quòd fortè ex malè intellecto vocabulo *Sandarachæ* arsenicum in usum sit inductum, quod negotium tractu temporis forsitan defensores suos nactum est. Constat verò *Arabum Sandaracham* esse juniperinum gummi; *Græcorum* verò Arsenicū, veluti hoc colligere est fusiùs ex *Exc. Ammani Medic. Critica p. 306. 482. & 484. ut & ex Benjamini Scharffii descriptione Juniperi p. 35. 44. & 26.* quo in loco etiam testimonia citantur, de auripigmenti venenata qualitate, sive intus sive extus illud adhibeatur. Idem forsitan indicare vult *Loberus in Anchora sanitatis sect. 2. p. 216.* arsenicum, inquit, Arabum videtur esse aliud quidpiam, quàm nostrum; *Zacutus* vult esse Tragacantham, ast nullas addit rationes. De illo, quòd vernicem vel juniperinum gummi velint intellectum per sandaracham *Arabes, Græci* autem auripigmentū vel arsenicum vid. *Mart. Rulandus Lexico Alchem. p. 420. Exc. Jac. Pancr. Bruno Lexic. Castelli renovato Tit. sandaraca p. 1026. Frid. Hoffmannus in Clave Schröderi p. 366. Leonh. Fuchsius paradox. medic. l. 1. c. 34. p. 62. &c. Guil. Janson. Lex. p. 206.* Hinc opportunè monent scriptores, ut cauti simus in præscriptione istiusmodi rerum, ne ex confusione nominum altera pro altera Sandaraca recipiatur, in evidentem hominum perniciem; itaque melioris perspicuitatis gratia gummi juniperi, Arsenicum, & Auripigmentum, quando usus illa exposcit, verbis suis expressis significantur, quam si sandaracæ utrivis illud nationis discrimen, non omnibus notum, addatur, scilicet *Arabum* vel *Græcorum*. Idem ferè innuit commentator *Adrianus Tollius in praxin auream Joannis Stockeri l. 1. c. 1. p. 64. &c.* ubi dicit, quòd quidam Sanda-

darax Arabum pro Sandaracha Græcorum malè intellexerint & receperint, hinc libros illos docentes usum eorundem discernendos, & pro cujusvis nationis valore vocis, illud medicamentum seligendum atque accipiendum esse vult. Sic etiam *Sennertus med. prax. l. 2. part. 3. c. 2. p. m. 347. &c. Hæferus Herc. med. l. 3. c. 2. p. 156.* refutat eos, qui in Asthmate Sandaracham Græcorum, scilicet Arsenicum usurpant, ubi Sandaracam Arabum, videlicet gummi juniperinum recipere debeant, pro suffitu absumente humores pulmonum asthma excitantes. Displicet itidem id *Paulo Zachiæ* (*quæst. medic. leg. tom 1. lib. 2. tit. 2. qu. 3. p. m. 165.*) quòd Arabes non nulli in asthmate & tussi commendent inter interna medicamenta arsenicum, verum existens venenum: atque id potius præscribentibus assumendum relinquit, & Arabes aliud quid sibi voluisse suspicatur autor, quod interpretes Arscenicum perperam transtulerint. Simili modo innumeri penè errores in materiam medicam irrepere possunt, vel nominis fallaciâ, falsâve acceptione, aut interpretatione; aut quando res non satis notæ ab autoribus vel interpretibus, per externam suam figuram, vel alias proprietates explicantur, dum conditiones ejusmodi, quæ inprimis in rebus magis notis, vel inquilinis observantur, ad alias exoticas res vel medicamenta non adeò nota applicantur; hinc, uti dictum, varii errores in medicina emergere possunt. Pro differentia etiam rerum certarum vel medicamentorum, nationis character similiter iis sæpe additus apparet, veluti cassia, manna, spodium &c. Arabum vel Græcorum distinctum notum est, quæ res invicem planè discrepant. Impossibile itaque non est, quin loco gummi juniperi (cùm varia ex junipero petita aliàs in peste usurpentur) arsenicum sit in usum admissum, ob errorem vel confusam acceptionem sandarachæ. Num planè etiam gummi istud loco amuleti, vel tanquam ingrediens sacculorum aut specierum cordialium usitatarum aliàs pestis tempore fuerit olim adhibitum, uti definire, ita negare non possum.

Præ-

Præterea offert se nobis alia dubitandi ansa circa zenechtorum suspectam originem, dum *Anton. Deusingius tract. de peste p.344.* inquit: mirum sanè, unde tantus error, vel impostura originem traxerit: verosimile est ex Arabici idiomatis ignorantia, tantum in praxi medica errorem dimanasse. Cùm enim medicus aliquis Arabs fortè commendavit sacculum *Dârseni*, hoc est, cinamomi (etenim *Darseni* Arabibus cinamomum significat) vocabulô illô Arabicô, apud Medicos Barbaros Latinô sermone servatô (ut fieri passim solebat) imperitus aliquis linguæ postmodum pro sacculo *Dârseni*, accepit sacculum *D'arsenico* eundemque errorem porrò aliis ineptâ commendatione instillavit. Idem autor de eodem etiam agens, videri potest in examine *pulveris sympathetici.* Dictum *Deusingium* autem suam sententiam ex *Nicol. Ellain de peste p.585.* mutuatum esse vult Exc. *Christ. Helvigius consilio med. de peste p.115.* cui tamen dicta opinio non arridet; non impossibile tamen quibusdam videtur, quin loco odoriferi, si non alexiterii, appensum illud aliquando sit in peste; sed plures lites circa hanc materiam movere supersedeo. Interim hactenus adductis majorem lucem accendere videntur sequentia, quę non pigrabor adhuc annotare: constat quippe, quod in venenis expellendis antidoto Indi adhibeant canellam vel cinamomum, uti constat ex *Gvilielmi Pisonis mantissa aromatica p.168. & Garciæ ab Horto historia aromatum lib. 1. cap. 15. p. m. 62.* hic autem inquit: Ormuz incolæ ementes canellam à Chinensibus, idcirco eam Darchini, quod Persis lignum Chinense sonat, appellarunt &c: Quia itaque constat, quòd Darchini seu canella fuerint alexipharmacis admixta, (uti paulò post de zenechto ejusmodi composito etiam constabit) vel sola nonnunquam contra venenatos morbos usurpata, confusæ acceptionis originem inde ortam quadantenus colligerere possumus. Quod autem per vocem *Darseni* potius canella subtilis, dulcis & aromatica, quam crassa intelligenda sit, censet *Joh. Strobelbergerus de confect. Alchermes c.8.*

Vidimus hactenus, quomodo venenata & suspecta ejusmodi periapta in medicinæ rationalis leges, & autorum multorum monita salutaria impingant; eò magis verò ista repudianda sunt, quatenus certis constellationibus conficiuntur, variisque Talismanicis figuris signantur, & sic sæpè Diaboli fraudulentiam & concursum admixtum habent; veluti ideò in præcentibus non simplici vice *Paracelsi* pestifugum amuletum rejici accepimus. Concilient interim curiosi ejusmodi monita, & ea quidem hactenus, propter materiæ urgentis necessitatem, de venenatis inprimis latiùs diducta: Summa vel conclusio ex illis emergit, quòd venenatorum periaptorum applicatio, præcipuè tempore pestis, periculô non vacet. Si enim æger moritur, quis certò dijudicabit, utrum morbi vel toxici sæviriâ id factum sit? Si verò quis effugit pestem, quis audebit certò vendicare victoriam illam à zenechto esse ortam; cùm multi superent pestem, nec istâ succumbant, etiamsi nullum planè admittant medicamentum.

Nondum autem omnis est seposita suspicio de venenatorum noxa, vel lis etiam autorum circa isthæc composita. Variant quippe iterum illorum sententiæ, circa dictorum amuletorum compositionem: dum scilicet quidam venena sola vel simplicia, alii verò propter malignam ipsorum naturam, iis alexipharmaca permixta, atque sic applicata volunt; uti formulæ passim annotatæ testantur. *Sennertus* autem *de febribus p. 440.* arbitratur, quòd nulla alia medicamenta venenatis sint admiscenda, ne vis illorum frangatur. Similiter *Duncanus Lidelius disp. medic.* monet, non temerè esse miscenda ejusmodi amuleta, quæ abstrusâ vi operantur. Plura de eodem testimonia facilè aliis in autoribus reperientur. De admiscendis alexipharmacis verò, loco plurium rationum vel testimoniorum sufficiant ea, quæ adhuc depromemus ex *Libavii syntagm. arcan. chym. t. 1. l. 7. c. 31. p. 346.* de bufonibus, ait, constat, & Scorpiis aliisque id genus, quòd suis vulneribus imposita & bubonibus applicata virus non patiantur ampliùs grassari, & in penetralia viscerum irrumpere, sed revocent

pro-

proprietate naturæ. Jam autem pestiferum venenum dicunt bufonium, vel arsenicale esse aut etiam menstruosum, ut *Paracelsus* arbitratus est. Ut ergò universale extractivum fieret excogitata compositio est ex istis basibus, quibus tamen antipharmaca adjunguntur, ne reciprocare attractum venenum possit, & in corpus flecti: quanquam aliàs calor actualis attractivus esse deprehendatur. Hoc & *Capivaccius*, præter experientiam consideravit, & ad axillas *lib.7. de venenis* amuleta conscripsit, quæ simul haberent res aromaticas & cordiales. Ita est *cap. 6. dicti libri:* quantum ad qualitatem occultam, seu ea, quæ ratione similitudinis trahunt, videndum num venenum sit in corpore, nec ne. Interdum enim, licet venenum nondum sit in corpore, utimur tamen materiâ vacuante, quæ mediam habet naturam inter corpus & venenum *cap.18. l.5.* & proinde hæc tutiùs applicantur, quam exhibentur, quale est hoc: Recipiatur Arsenici uncia una, dictamni Cretici scrupulus unus, sinapi, cinamomi, ana scrupulus semis, moschi sive Ambræ grana tria, misceantur. Rationes præterea hujus periapti, atque objectiones contra talismodi amuleta dilutæ, ex loco dicto *Libavii*, peti possunt. Cui placet præterea de alexipharmacis cum zenechtis mixtis etiam videat *Phil. Hæchstetteri dec.3. cas. 2. schol. p.216.*

Posthæc ad alia nobis jam progrediendum est, tenemur quippe adhuc iis auscultare, qui modò renovationem zenechtorum injungunt, modò continuationem unius ejusdemque alexiterii in peste imperant. Quidam verò volunt, ut renoventur subinde, vel nova applicentur corpori zenechta, quando talia aliquandiu priùs illi adhæserunt. Atque ii præcipuè, qui attrahendo venenum ex aëre vel corpore infecto credunt operari ista periapta, statuunt hæc modô dictô saturata, atque imbuta venenô attractô, ulterius ad venenum attrahendum existere inutilia, imò corpori inimica fieri. Plura de hoc modo operandi occurrunt paulò post. Interim liceat mihi quærere, contra paulò ante prolata, an non zenechta, priusquam corpori, pro fine suo dicto admoveantur, ex aëre & locis infectis ve-

venena assugere valeant, dum adhuc cruda & crassa sunt, vel etiam dum componuntur, aut quando asservantur eadem composita in Pharmacopoliis pro necessitate urgente, atque pro infecto, vel ægroto ista postea expetente. An ista itaque pro voluntate hominum, denique in usum tracta, ex infectis labem hanc extrahere, vel ex aëre absorbere contagiosa miasmata possint vel teneantur, indagent curiosi. Imò quò me verto in his zenechtorum negotiis, ex erroribus eluctari, atque consequenter opinionibus talismodi velificari nequeo. *Agricola* loco paulò superiùs memorato, dicit suam præscriptam massam tamdiu in corpore tolerandam esse, usque dum pannus iste involvens illam fiat niger vel cæruleus, quô observatô amuletum hoc comburendum, & ex novis reb⁹ simile reparandum esse scribit. *Rhenanꝰ in loco superiꝰ citato* pastillos suos venenatos dicit madefieri, si pestilens venenum præstò sit; ideòque tum igni admovendos esse monet, atque ita venenum evanescere arbitratur. Deinde alii, qui cordialia zenechtis admiscent, prætendunt renovatione propterea opus esse, quòd opitulemur hac ratione melùs spiritibus vitalibus, atque fonti eorundem scilicet cordi, de quo revolvi potest *Sennerti locus citatus.*

Altera pars patronorum ejusmodi pentaculorum, cui continua magis arridet gestatio, eaque usu & experientiá, probata (& quidem juxta relationem illorum) hæc inquam pars prætendit, quòd illa periapta venenô fortiùs impregnata, ob gestationem diuturnam, meliùs suum munus prophylacticum peragant, quàm à pestilenti veneno vacua, vel nimis jejuna. *Helmontius Tumulo pestis f. 185.* suos trochiscos validiores atq; promptiores pronuntiat, qui aliquoties in usū fuerunt admissi, quàm recentiores; quod ipsum de Saphyro etiam statuit *idem, in de magnet. vuln. curatione §. 35.* De mercurio videatur idem etiam in *ignot. actione regim. §. 19.* Ideò quoque conferri potest ipsius *tract. de herbis verbis & lapid.* Dictus *Helmontius* autem alio in loco periaptis aliis, verbi gratia ungulæ alcis &c. vires decedere ait, si aliquandiu usui inservierint. Hisce consideratis

non

non vana erit evolutio accuratior ejusmodi venenatorum amuletorum: cùm nobile nostræ medicinæ subjectum, scilicet corpus humanum mereatur, ut (sicuti in aliis medicamentis applicandis, ita præcipuè in talismodi suspectis præscribendis vel usurpandis) cautè versemur; nisi simplicitati, credulitati aut imperitiæ velificari velimus. *Droetus autem c. 8. de peste* admiratur in ejusmodi venenis salutarem, & à quibusdam admodum deprædicatum usum, Deique πρόνοιαν, quod illa perniciosa & deleteria alioquin, nostræ utilitati inserviant. Vestigiis hujus autoris quoque insistit *Rod. Goclenius de peste p. 69.* & alii plures. Quomodo verò hæc zenechta suas operationes expediant vel exserant, quando corpori appensa sunt, non eadem semper ratio vel modus autoribus placet; paulò curatiùs ideò ista contemplabimur.

Primò itaque volunt quipam fieri illam Zenehtorum operationem: quatenus in corpus effluvia & vis quæpiam transire, & expellendo venenatam materiam, aliâve ratione agere eadem creditur. *Pius Æneas Caprilio de febr putrid. l. 2.* inquit: cum arsenicum sit venenosum, materiam habebit cordis naturæ contrariam; causæ autem pestililenti similem: quocirca, quemadmodum pestilens aër arsenici ope inspiratur, ita idem (ejusdem foris appensi beneficiô) è corporis centro ad circumferentiam vicissim prolectatur, hactenus ille. Hanc verò operationem quod concernit, ea ipsa non paucos in admirationem rapit, quomodo scilicet toxicum in corpus agens, vim pestilentem expellat, quia hoc διαῤῥήδην pugnat cum natura contrariorum, uti sentit *Grataroltus de peste*. Si cui hæc non arrident, videat an sibi ex sequentibus possit satisfacere; parum autem confidentiæ zenechtis tribuit, & aniles quaspiam rationes operandi ab autoribus istis tributas examinat *Phil. Hæchstetterus Dec. 3. obs. med 2. p. 219.* quarto, inquit ille, in peste timorem & metum prohibent, quia cordis pulsum contractum causant; unde debilitas cordis ejusque vires fractæ. Certè ob amuletum magis contrahetur cor, diastoleque imbecillis erit, ob fugam veneni. Natura enim inimica aversatur omnia, si itaque

que diastole fortior esset, attraheret magis, quàm expelleret; quòd tamen *Goclenius* non vult admittere. Fovet autem inter alios sententiam illam *Heurnius de peste cap. 8.* videlicet, quòd cor propter zenechta corpori extrinsecus appensa se contrahat, & ideo systole ipsius fiat fortior diastole, ita ut validius à se expellere, quam attrahere valeat. Eadem fortassis est opinio *Grulingii Florilegio chymico pag. 473.* statuit quippe, amuleta ista pestem avertere cohibendo attractivam. Verùm displicet illa etiam expositio vel operandi ratio *Sennerto de febr. p. 440.* Qui leviter verò attendit ad dictum istum operandi modum, facilè quoque errorem in eodem deprehendet. Monent alii iterum circa ejusmodi medicamenta, quòd se insinuent in corpus, atque humorum fortiorem motum concilient, unde sudorem, (addo etiam frigidum quandoq; &c.) & cum hoc venenum intus latens potentiùs extra corpus eliminent; ut hac ratione sint quasi sudorifera extrinsecus applicata. Quid verò mercuri⁹ externè illit⁹ pro salivatione promovenda valeat, aliàs notum est; quin itaq; sanguinis motũ conciliare valeat quadantenus arsenicum, nõ planè dubitandum, si ipsius naturam accuratiùs expendamus. Utrum verò salutariter id fiat, alius est quæstionis? Imo *Hercules Saxonia de plica c. 53.* argentum vivum ex venenatis amuletis faciliùs tolerat, ejusque operationem in vi discutiendi consistere arbitratur: quâ sanguis crassus discuti & ad exitum præparari possit; uti superius inter amuleta pro lacte facientia hujus mentionem fecimus. Non immorabimur prolixiori huic considerationi, num externa ejusmodi medicamenta motum humorum, aliasq; operationes efficere valeant; cùm etiam purgantia, aliaq; medicamenta manibus detenta, vel aliis corporis partibus applicata, in corpus itidem inserant suas aperationes, atque sic dubium hoc diluere videantur. *Cardanus lib. 2. subtilitatum,* arteriis illita, majoris facit pro pulsandis venenis, quàm ore exhausta, si illa jam ventriculo exierint; docetque modum conficiendi oleum, quô inuncta extrema, mediante vomitu, purgatione, aut sudore, vel urinâ extrudant venenum. Illan

Car-

Cardani sententiam, quòd externa medicamenta & amuleta integris magis, nec adeò fractis vel imminutis viribus (uti quidem de internis medicamentis suspicatur) per partes externas ad vasa intus rapiantur & communicentur fluidis, ac solidis partibus, majori studiô & verborum ambitu declarat, *Rob. Boyle de specif. medic.*&c. Aliâ quadantenus ratione verò, ac paulò ante dictum fuit, venenata amulata in corpus agentia operari indicat *G. B. de saint Romain physica c. 9. p. 41.* ille autem, inter alia periapta, de argento vivo & bufone agens, quòd hæc duo pestis præservativa sint, forsitan ad ea respicit, dum ita operationem eorundem exponit: cùm revera fit effectum aliquod ab amuletis, id contigere per emissionem quorundam spirituum, aut atomorum, ex iis remediis egredientium, & corporis humani poros penetrantium, spiritibusque animalibus vires largientium, ad resistendum veneno interno, sive resistentium venenis externis, eaque figentium, & impedientium, ne amuleta portantibus noceant. Sic abditâ quâdam vi venena esse venenorum antidotos (uti voluit *Zoar*) refert *Joh. Anton. Saracenus de peste cap. 7. p. 215. Th. Bartholinus cista medica p. 232.* arsenici operationem hoc modô exponit: quod scilicet appensum illud subsidietur vi occultâ alexipharmacâ, seu resistendi venenis; sicut intrò sumtum vi polleat deleteriâ &c. Videatur quoque *Droëtius consilio de pestil.* & alii plures, non absimile quid statuentes. Sic etiam *Helmontius tum. pestis f. 184. &c.* aliquoties indicat zenexton per modum anditoti necare, & annihilare specificum virus, quod tam in aëre externo, magis quàm intus in Archeo est conceptum: dum scilicet tollit appropriationem adoptationemque mumialem; atque hujus usum magis in præservando, quam in sanando consistere ait. Assertum hoc verò minus convenit cum aliorum sententia, qui zenechtis nullum locum vel usum concedunt, ubi nondum præsens existit venenum, cum quo propter similitudinem suam agere vel tractare possit, de quo in subsequentibus plura continentur. Mirificè verò torquere autores hanc doctrinam reperimus passim, sed insimul valdopere hallu-

ci-

cinantur iidem non rarò; benè est interim, quòd illorum dogmata non sint articuli fidei, alioquin curiosi & malè creduli de salute æterna rarò certi essent. Non possum non præterea his addere, quæ speculantur autores de venenis, videlicet quòd quædam venena solùm in corpore operentur, extra corpus vero minùs suas exserant vires lethales, ut ideò venenorum omnium indifferenter adhibitorum non sit par ratio & operatio; de quo *Sennertus in prax. l.6. p. 232.* Imò quidam autores varietate sententiarũ sibi non rarò contrarii deprehẽdũtur in hac materia, ut ideo certi quid vix ex illis peti possit.

Sic volunt quidam, quòd venenum simili venenô sit pellendum, cui addictos scimus *Quercetanum*, *Willisium*, & *Plinium lib. 27. c. 2.* aliosque plures. Similiter de operandi modo horum venenatorum, quod propter similitudinem ex corpore trahant exteriùs admota venenum, consentiunt allegati apud *Gregor. Horstium tom. 3. dec. 20. problem. 9. p. 110. Paracelsus* & asseclæ ipsius ideò etiam arsenicum pestis tempore usurpant, quia credunt, illam arsenicalis naturæ participem esse, de quo passim autores. Verũ *Phil. Hœchstetterꝰ* (*Dec. 3. obs. med. 2. p. 218.*) attingens illam operationis rationem in venenis, à *Goclenio* etiam ex similitudine deductã, anilem istam declarat. Certè si autorum sententias percurrimus de ejusmodi operationibus consignatas, oculi, aures & reliqui sensus interni dolent quasi; imò miramur autores quosdam, quàm animosè hi (pro suis opinionibus, infirmis tamen ut plurimùm) torqueant, & aliis credendam operationem de venis injungant. Istiusmodi quoq; doctrinam, videlicet quòd venenum suâ similitudine alterum pellat vel curet, inter alia quidam ex *Ausonii Epigr. 10.* probare nituntur:

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti lethalia pondera vivi,
Congerat ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum:
Antidotum sumet, qui sociata bibet.

Ergò

Ergò inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ;
Protinus & vacuos alvi petiere recessus,
Lubrica dejectis, qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodest crudelior uxor:
Et cum fata volunt, bina venena juvant.

De verbis his videri potest explicatio *Joh. Baptistæ Sitoni in Jatrosoph. miscell. tr. 26. p. 134. Simon. Pauli de febribus p. 103 &c. Baricellus horto genial. p. 309.* ubi videtur autor postremus velle subtilius quid indicare; ait quippe venenum à dissimili extingui; à simili verò augeri. Videri de illa sententia *Ausonii* possunt etiam alii plures. Sed admodum errant, qui ex iis *Ausonii* verbis adstruere vim perpetuam pellendi venena, eamque tribuere volunt indifferenter aliis venenis. Per accidens potiùs id factum censeo, dum mercurius pondere suô alvum lubricando, & motum vehementiorem priori veneno forsan conciliando operatus est; taceo quòd mercurius crudus nondum resolutus, nec diu in corpore permanens, aut fortè nervoso vel venoso generi, secundum sua effluvia communicatus, non adeò venenatos effectus & noxam exserat. Præterea novimus, quòd venena assumta non ita noceant corpori, si statim excernantur iterum ex corpore, priusquam interioribus visceribus & vasis ingerantur, vel rosione insigni noceant; ubi tamen pro assumtis modò venenis melior est vomitus, quàm secessus; de qua materia plura continebit *nostra dissertatio de casu curatis*. Non facilè verò vadis quispiam existet, qui duo venena fortiùs juvare (uti duæ negationes apud Latinos aliàs fortiùs affirmant) adstruat. Concludo potiùs cum *Ausonio*, paucis immutatis:

Et nisi fata velint, bina venena nocent.

Ausonii illa verba ferè eodem modô denique explicata deprehendi apud *Thom. Jordanum de pestis phænom. tr. 2. c. 5. p. 574. &c.* Arbitratur tamen autor hic *l. a. p. 572. &c.* alexiteria consistere ex deleteriis & corroborantibus, quò naturæ nostræ succurrere & veneno hostili resistere possint, tanquam medium quid.

Quòd verò duo venena sese impugnent vel expellant id refutatur etiam in *Pauli Zacchiæ quæst. med. legal. l.2. tit.2. quæst.9. n. 6. & in Georg. Kirstenii Adversariis in Agricolam part.2. c.4. p.261. &c.* Rectiùs autem alexiteria simili suâ vi succurrunt spiritibus labefactatis, & contrariâ suâ potestate succidunt venenis hostilia molimina, atque illa, quôquo pollent modô, debellant. Sed non expedit jam diutiùs his immorari, quare ventilationem hanc in alium locum commodiorem, huic considerationi destinatum, differo.

Quid mirum verò, si in his non conveniant autores, quia in mitiorum medicamentorum operatione explicanda non eadem omnibus semper approbatur sententia. Reperies enim de canone illo noto diversas sententias, videlicet quod contraria contrariis curentur, & similia similibus conserventur; aut, juxta quosdam etiam, curentur. Mirificè quippe torquent multi canonem modò dictum; utrum verò Pathologia & Therapevtica semper se conforment horum opinioni, decidat aliorum ratio & experientia solidior, ab eadem non raro diversa. Interim cui placet, de canone illo medendi evolvat *Galenum de art. med. constit. item. l.10. de meth. med. & lib. de venæsect. adversus Erasistratum; Hippocratem de loc. in homine, item lib. de flatibus in initio, Grubium de med. simpl. cogn. p.135. & 136. Mearam de morb. Hæredit. p.227. Sennertum de cons. & dissens. p.377. &c. Horstium conciliat. Enucleat. p.159.160. & 204. Timeum lib.6. cas.8. p.267. & cas.29. p.292. Rulandum de morb. Ungaric. p.692. & 693. Hornungium cista medic. p.420. Petr. à Castro chiliade Aphorism. cent.5. §.33. Waleum meth. med. p.17. & 96. Petræum Nosolog. Harm. diss. 9. quæst.3. p.189. Crusium Theatro Hermet. part.1. l.1. c.8. p.30. &c. Rationem Scribanicam p.5. Riverium l.2. de febr. c.10. & 11. p.691. ibidem c.1. & 2. p.678. & eundem in cent.1. obs. 4. p.20. Kozakum de hæmorrhag. p.563. Hartmannum disp. chym. 1. thes.4. p. 8. & disp 3. p.38. ibid. disp.8. p.137. & 143. Poterium de febrib. l. 2. c.13. p.698. Hornium historia nat. l.3. c.1. p.156. Sennertum Instit. Maj. p 349. & Praxi l.1. p.765. & l.3. p.114. Casp. Hoffmannum Isag. med p.122. Ammanum Parænesi p.257. Jo. Dan. Horstium manuduct. ad med. p. 233. & 237. Pecklinum de purgantibus p.19.*

Zwelf-

Zwelfferum pharmac. Reg. p.152. Sitonum Jatrosophia p. 123. 166. 170. & 173. Plinium l. 29. c. 1. Swalvium Therapevt. p.17. 148. Dorncreilium medulla prax. à *Mollenbroccio edita p.23. &c. Frid. Hoffmannum meth. med. p.25. &c. p.28. &c. & 31. Rolfincium chymia p.72. Freitagium noct. med. cap.71. p. 298.* aliosque innumeros. Sed desino plura de hac medendi regula allegare testimonia vel loca, quæ variis modis illam exponunt, & sæpe adornata vel constituta conspiciuntur, pro autorum præconceptis opinionibus. Cui plura arrident de dictis his, adeat etiam eos, qui methodum medendi, aut facultates medicamentorum ediderunt & eruerunt.

Paulò superiùs adduximus eos, qui alexipharmacam vim venenis tribuunt, atque ideo eadem efficacia statuunt; utrum verò omnium, vel multorum suffragium auferat ista opinio, admodùm ambigo. In dictum scopum collimare quadantenùs videntur ii, qui cùm alexipharmacis, interno usui destinatis jungunt vel miscent venena, quæ alex. illi etiã in morbis venenatis ideò renuntiãt magis efficacia; de qua materia *Henr. Petræus Nosolog. Harmonic. tom. 2. p. 41. &c.* Videatur etiam *Sennertus Prax. l.6. p.258.* quomodo explicet alexiteria exteriùs imposita animalium morsibus & ictibus congrua, & illa quidem mixta ex venenis & puris alexipharmacis; arbitratur quippe autor ille, quòd modò simili, modò contrariâ vi agant ista. Ex hac alexipharmacorum conditione non pauci etiam zenechtorum vel purè venenatorum, vel ex venenatis & salutaribus mixtorum legitimum, & applausum merentem, usum defendere allaborant; propterea indulgebimus paulisper adhuc etiam huic doctrinæ, ut quivis eadem probare & postidea id, quod bonum est retinere possit. Inprimis etiam hæc doctrina tempori & maturè poscit solidam peritiam, ne in peste postea in errores istiusmodi non facilè excusandos illabamur, aut alios medicos vel ægrotos in perniciem ineluctabilem præcipitemus. De eo itaque quòd Alexipharmaca vel cordialia medium inter venena & corpora sananda debeant possidere, illud prolixè ex *Galeno* & aliis defendere conatur *Joh. Lazar. Gutierrez febrilogia cursu 1. lect. 10. p. 225.* Idem hoc satis

ſpecioſè, ſed minùs ſolidè ex *Galeno* adſtruere conatur *Joh. Anton. Saracenus de peſte c. 7. p. 198. &c. Jul. Cæſar. Claudinus de ingreſſ. ad infirm. l. 2. c. 22. p. 281. &c. Joh. Bapt. Sitonus Jatroſoph. miſcell. tr. 26. p. 155. &c.* & alii plures. Eandem ob rationem, venenata vera vel putatitia Theriacæ aliisque antidotis olim admixta videntur & creduntur, de quibus plura in ſequentibus occurrent. Hunc etiam ob finem forſitan olim zenechtis vel venenatis amuletis ſalubria Bezoardica vel cardiaca admiſcuerunt, uti paulò ſuperius plura in hanc rem occurrerunt. Huic autem opinioni de gemina Alexipharmacorum natura, manus quadantenus dare tenebimur, ſi de lapidis Bezoardici, aliorumque ſimilium natura & geneſi multiplex autorum teſtimonium nullum dubium admittit. Similiter, quòd lacryma cervi ſerpentibus (venenatis exiſtimatis communiter) paſti conſtituat Bezoardicum medicamentum, declarat *Libavius ſingular. l. 1. p. 372.* Ubi *Capivaccium* ſimul autor ille refutat ſtatuentem, venena eſſe excrementa animalium, quæ venenis vivunt. De priori verò conſule rogo minùs credulum Exc. *Ammanum de mat. med. p. 182.* Teſtantur porrò *Nicol. Monardes de ſimpl. med. l. 3. Bauhinus de lap. Bezoard. c. 20. Boët de Boot l. 2. de lap. & Gemm. c. 192.* & alii, quod animal illud Bezoar elaborans, herbas venenatas & venena devoret, unde lapis ille efficacior reddatur. De eodem repetit ejusmodi relationem die Gottorffiſche Kunſt-Kammer *p. 14.* & alii plures autores. Eò fortè etiam quidam collimant, dum voces ſequentes promiſcuè ab aliis ſumtas, accuratiùs diſtingui volunt, & rectiùs dictum ac ſcriptum arbitrantur lapidem Bazar juxta *Cardanum l. 7. p. 204.* Bezar verò denotare dicitur radicem venenoſam. Badzahar autem reſiſtens quid venenis; de quo conſulatur *Martinus in Lexico.* Dehinc *Ceſalpinus 2. metall. 46.* ex eo notam deſumit veri lapidis Bezoar, ſi dentes poſt illius uſum denigrentur; ex quo deleteriam ipſius vim concludit. Sine dubio itidem propter venenatam vim dicto lapidi inſitam, vel imputatam, exiguam portionem pro doſi requirit *Garcias ab Horto hiſtor. aromat. medic. ſimplic. Indic. l. 1. c. 45.* & alii plures. Notum præterea eſt, quòd quidam ex parva medica-

dicamentorum dosi, eadem venenata judicari soleant, de quo nihil jam movebimus; cui verò placet, de eo evolvat *Rulandum problem. chymic. 33.* Ut circa hanc materiam etiam illud inseram, arbitrantur quidam, quòd ea, quæ non in minima dosi vim deleteriam exercent, sed in majori, quod inquam ea per se venena non sint dicenda, sed solum ex accidenti; quatenus scilicet ob suam quantitatem superari à nobis nequeant: veluti *Cardanus* de opio, scammonio, cicuta & aliis statuit. Accedit & hoc ad priorem sententiam, quòd multorum suffragiô Bezoar & antidoti, præservationis gratia pro morbis avertendis, irritô ausu in usum vocentur, nisi offendant morbosum antagonistam, & de veneno suspectum quid in corpore, cum quo colluctentur eædem. Quid? quòd si Bezoar vel Bezoardica propinata non inveniunt venenatam materiem in corpore, eam potius generari ex iis, non pauci statuunt. Explanant verò illud fusè *Gabelchoverus annotat. ad Baccium de gemmis c. 34. Galenus 5. simpl. c. 18. Averrhoës collig. l. 5. c. 23. Abenzoar l. 1. Theis. tract. 13. c. 6. Rhases ad Almansl. l. 8. c. 11. Primerosius de vulg. error. l. 4. c. 36. Sennertus prax. l. 6. p. 220. & 250.* Jungantur hactenus adductis etiam allegata apud *Febrium (illustrem Germaniæ nostræ Academiæ curiosorum Præsidem heu! nuper defunct.) de Scorzonera p. 114. ad 116.* De eadem materia, quòd Alexiteria præservationis gratia tutò non possint aut debeant assumi, propter absens venenum, prolixè agit *Joh. Laz. Guttierez in febrolog. curs. 8. lect. 10. p. 225.* Adducit tamen autor etiam loco allegato *p. 224.* eos, qui in præservatione dictis medicamentis etiam vim tribuunt; sed inclinat insimul mens illius in ejusmodi nexum mutuum venenatorum & salutarium, sicuti ideò etiam *l. c. p. 228.* dissvadet alexipharmaca, quæ non admixta habent venenata.

De theriaca communis veterum etiam opinio nota est, quod propter ingredientia quæpiam, de venenata qualitate suspecta alioqui, alexipharmacam qualitatem præcipuè adipiscatur; Sicuti inter alios de hoc & illius operandi modò disserit *Scaliger Exercitat. 33, 2.* Ad imitationem fortè lapidis Bezoardici pariter quidam statuunt, quòd Ægagropoli, vel da-

marum pilæ aut calculi præcipuè consiant in dictis animalibus ex Doronici radicibus venenatis. De quo utroque ventilato, sed negato videatur doctissimus *Georg Hieron. Velschius dissertat. 1. de Ægagropilis p. 19. &c.* De doronico autem, qui cupit investigare vim ipsius venenatam subinde observatam, docebitur, quòd soli venenata conditio, eidem radici facilè communicare illam valeat, in *Joh. Nic. Pechlini de purgantibus c. 23. p. 296. &c.* ubi autor laudatus etiam alia varia circa ejusmodi venenata adducit, quatenus interdum ambigua, scilicet de veneno suspecta; & salutaria è contrario quæpiam medicamenta reperiantur, aut existimentur. Insidet itaque multorum veterum menti, quòd non possint alexipharmaca consistere sine salutarium & venenatorum nexu; velut etiam ideò *Abbatius de vipera natura c. 7. p. 36.* statuit, quòd fel & aliæ partes serpentiũ ratiõe attracti toxici ex venenosis herbis, & in serpentes illas cõversi operentur, si contra mersum serpentum applicentur; de quo etiam paulo superiùs nõ nulla dicta fuerunt. Sic de viperæ carne efficaci, quæ venenatis antea nutrita fuit, videatur *idem autor l. 4. c. 8.* Cui placet de viperarum interno usu, contra Elephantiasin, ob ejusmodi rationes commendato, ex *Libavio*, aliisque pluribus consulere potest *Camerarium in sylloge memor. cent. 4. part. 53.* Dictorum horum ductu cuivis ingenioso etiam pensitandam relinquo illorum sententiam, qui statuunt venenata insecta vel bruta propterea facta esse, ut venena ex terra, aëre, & aqua sugant, ne homini aliisque creaturis noceant. De viperis præterea non pauca istiusmodi figmenta (quibus brevi abhinc adducta non admodum sunt dissimilia) olim innotuerunt & invaluerunt, inque animis multorum radices egerunt, quæ tamen curiosè atque solidè examinat, ac refutat *Franc. Redi tr. de viperis.* Non desunt itidem ex modernis scriptoribus, qui ubi minùs licitam intelligunt misturam ingredientium dictorum in alexipharmacis, variô tamen prætextu suspecta, & ex parte vel toto, venenata atque noxia ingredientia defendere conantur. Sic constat nucem vomicam multorum suffragiô inter alexipharmaca recipi, velut

velut propugnantes & impugnentes illum usum videri possunt in Schorers *medicina peregrinant. p. 77. & 78. & Sennerti Paralipom. p. 161.* Rectè verò contra *Sennertum* aliosque plures monet (quod minùs rectè aut tutò nux vomica recipiatur inter alexipharmaca) Exc. *Paul. Ammanus de mater. medic. p. 73.* Ex eadem nuce quoque alexipharmacis quibusdam admixtâ, tempore pestis Anno 1679. Viennæ temulentiam vel capitis turbationem, vomitus, atque capitis magnam alterationem ortam esse, indicatur in *Paul. Sorbaiti* Gespräch von der Wienischen Pest/ in der 24. Frage. Conferatur præter recensita, de prohibita receptione nucis dictæ inter alexiteria, *Joh. Matthæus centur. difficult. med. qu. 61. p. 204. & 205.* ubi autor dictus nerium quoque intra corpus sumendum esse negat. Sed transeat illa opinio de dictis venatis ingredientibus Alexipharmacorum, cui nos neutiquam suffragari possumus; velut inter alios etiam illi non admodum favet *Rulandus problem. chym. 31.* Arbitratur quidem ille venena naturam suam non retinere, sed artificiosâ mixtione retusa (tot antidotorum congerie exsuperante) omnem exsuere venenositatem. Meliùs verò ex dictis medicamentis deleteriorum admistio emittitur, quàm correctio ab ingredientibus aliis, salutaribus expectatur, quæ tamen tuta vel certa sempar nemo sibi promittere potest. Displicent quoque ideò Theriaca, & similia antidota, propter venenatorum aliorumque ingredientium diversimodè operantium congeriem, *Zwelffero pharmac. Reg. p. 163.*

Non moratur etiam nos hoc loco illorum opinio, quæ paulò ante quoque fuit attacta, quòd multa simplicia & venena hominibus & pecudibus sanis adversentur, quæ ægrotantibus & venenô infectis opitulentur; velut huic sententiæ etiam addictus est *Matthiolus epistola nuncupatoria ipsius herbario præfixa,* & aliis in locis. Sententiæ *Matthioli* modò dictæ accedit quadantenus *Horstius oper. tom. 3. p. 111. & 244.* dum præfert amuleta ex Bezoarticis iis, quæ fiunt ex venenis; distinguit tamen simul inter eos, qui non coguntur esse præsentes infectis, & eos, qui ipsis præesse solent: atque his necessaria esse

esse ait amuleta è venenis conflata. Hinc etiam laudat autor experientiâ propriâ nitens mercurium per fusum saturnum calcinatum, & quidem drachmarum duarum pondere, coriaceo sacculo inclusum, ac gestatum. Rumpere verò jam teneor hanc telam, cùm non facilè ex hac venenatorum confusione, atque traditionibus mirificis autorum emergere possim, etiamsi innumera passim obvia de illis perquirere velim. Mirificè verò in illorum operatione designanda vel explicanda observamus autores ludere, uti aliquoties mentio hujus facta fuit; adeò, ut modò in risum, modò in tacitam admirationem & commiserationem, aliosve affectus deducamur isthæc legentes. Svadeat verò, vel persvadeat, qui vult & cui vult, ejusmodi venenata periapta, verè talia, loco alexipharmacorum. Invehitur ideò etiam, non immeritò in chymicum quempiam laudatissimus *Georg. Hieron. Velschius de Ægagropilis diss. 1. p. 32.* nuper, inquit, non nemo ex chemicorum grege venena omnia, peculiari arte in antidota converti posse, licentiùs affirmavit. Nobis interim verior & melior doctorum sententia de venenatis, & alexipharmacis inculpatis, eorumque operatione arridet, de quibus *Zwelfferus Pharm. Reg. p. 142. & 152.* & alii plures rectiùs scribunt. Atque hæc, prolata hucusque, nobis præcipuè elicuit illa operatio, quæ propter respectum vel nexum venenatorum cum morbis venenatis sive pestilentibus, à zenechtis in corpus transire & dictis modis operari putatur.

Priusquàm vero deseram illam paulò superius *pag. 301.* dictam operandi rationem Zenechtorum, quam isthæc in corpus immittere dicuntur, ratione suorum effluviorum, vel halituum de se sparsorũ, indulgebo adhuc alii modo explicando, quô scilicet porrò quidam autores operationẽ illam fieri contendunt. *Petrus Salius Diversus de febr. pestil. c. 20.* arbitratur hujusmodi venenata periapta, summâ suâ siccitate, resistere humiditati & corruptioni noxiæ, adoque pestis inquinamentis. *Guern. Rolfincius chym. in art. form. red. p. 415.* inquit: exsiccandi vi resistit arsenicum putredini, aëri impuro, & malignis inter-

dum

dum sordidis vaporibus inquinato. Eum in finem fortè à quibusdam venenatis ejusmodi appensis terrea subinde observantur admixta; quemadmodum pro majori & evidentiori efficacitate *Aloisius à Vicecomitibus* Auripigmento albo bolum Armeniacam, ac terram sigillatam, aut margaritas & hyacinthos addidisse dicitur, juxta testimonium *Joh. Ant. Saraceni de peste c. 7. p. 269.* Eandem autorum quorundam mentem explicat simili ferè modô *Diemerbroek de peste c. 174.* quòd scilicet venenata, suâ exsiccativâ qualitate, humores pravos ac venenatos exsiccando, absumere credantur. Assentitur pariter huic opinioni *Philibert. Marchinus tr. de Bell. Div. Rem. 10.* Sententiæ huic quoque addictus est *Thom. Jordanus de pest. phænom. tr. 3. c. 9. p. 580. &c.* Non equidm ignotum est quantum multi autores aliàs exsiccantibus, terreis, austeris, & adstringentibus tribuant in febribus variis. Quemadmodum talia etiam alexipharmacâ virtute ideò gaudere dicuntur: qualia sunt terræ sigillatæ varia genera, bolus variæ nationis aut regionis, cornu cervi ustum, unicornu fossile, lapis bezoar, radix tormentillæ, bistortæ, alumen, vitriolacea, & similia austera vel acidiuscula. Et ab his quidem videntur partes variæ intùs labefactatæ (à sero & sanguine calido, acri atque agili, salino sulphureo & vitioso) corrobari vel firmari aut figi; atque sic etiam mitior eâ ratione reddi purpureus ille ros, inque suum legitimum statum reduci potest. Dictis illis modis & mediis itidem natura vel corpus promptiùs unà se postea exonerat, molestis ab humoribus febres alentibus, mediante unà variâ excretione, si sequatur hæc ista medicamenta. Num verò isthæc dicta per modum præcipitationis agant, dijudicare nō audeò hoc in loco; nec imorabor illi sententiæ, quâ quidam terreis ejusmodi rebus altius & occulti quid, propter efficaciam salutarem, adsignant. Quantum interea polleant in febribus ejusmodi exsiccantia & adstringentia, vel quomodo, juxta aliorum mentem eadem operentur, consulantur *Willisius de febribus p. m. 129. & 239. Grubius de simplic. medic. cognosc. p. 143. 149. 167. & 182.* & alii. Non obscurè etiam autores quidam,

vim bezoarticam, aut venenis resistentem tribuunt potestati exsiccandi in Alexipharmacis residenti, de quo *Jordanus de pestis Phænom. tract. 2. c. 6. p. 337.* Hinc autor ille etiam ea medicamenta, quæ non procul abhinc recensuimus, cum aliis adhuc pluribus in peste proficua declarat. Sic Theriacam quoque vi suâ stypticâ & aromaticâ prodesse innuit *Ficinus de vita cælit. compar. l. 3. c. 12. p. 222.* Plura testimonia de his accumulare hîc supersedemus, cum nobis promittamus commodiorem ansam aliquando de *antidotis* differendi. Non attingemus præterea etiam jam gemmas, quarum vim salutarem non pauci autores unicè ferè in siccitatem illarum conjiciunt: quemadmodum hoc statuentis *Plateri* verba allegat, nec alienus planè ab ipsius sententia videtur *Sim. Pauli digress. febrium p. 92. &c.* Placet quoque idem hic operandi modus *Pictorio cent. 5. quæst. phys. 75.* Alii juxta vim exsiccandi, quoque refrigerandi potestatem inesse gemmis credunt, quæ spiritus firmare ac densare valeat; ne ab humoribus veneficis ii dissipentur, ac dissolvantur. Atque sic gemmis dictis occultam proprietatem derogant illi, quam alii olim iis inesse statuerunt, & ideò gemmas pro alexipharmacis extulerunt, de quo *Joh. Lazar. Gutierrez febrilogiæ curs. 8. lect. 10. p. 229.* & alii. Sed hæc adducta loco suo relinquo, nec assensum omnem iis derogo; utrum verò tanta exsiccandi, atque refrigerandi facultas Arsenico, & aliis venenatis appensis insit, quâ contra pestilens illud virus assurgere queant, dijudicent curiosi. Claudent interim hanc operandi rationem verba *Thom. Bartholini in cista medic. p. 233.* qui ad *Petri Salii Diversi* illam opinionem, de siccitate arsenici in peste efficaci, regerit hæc: at, inquit, ita quævis sicca hoc præstarent, quod veritati inimicum.

Non nulli quoque arsenicum, & alia similia propter frigiditatem suam efficacia censent, eamque sententiam tueri allaborant, quòd scilicet eô modô cor roboretur, spiritus dispersi in unum colligantur, atque partes contra calorem peregrinum muniantur. Alii malunt, quòd venenata illa, dictâ hac frigiditate obstruant vasa vel patentiores meatus, ne ve-

nenis

nenis adeò facilis aditus pateat vel concedatur. Hoc alii eâdem pene ratione interpretantur, statuentes sanguinem, humores, & spiritus condensari quadantenus, ne diffluant ita, atque pestis fomitem tam promptè admittant, sive concipiant. Audiamus adhuc de materia eadem *Thom Jordanum qui (de pest. Phænom. tr. 3. c. 9. p. 580. &c.)* exponens operandi rationem in venenatis periaptis, præter siccitatem paulò ante indicatam, illorum frigiditatem seriò etiam efficacem inculcat. Arbitratur insimul autor ille, majorem efficaciam dictâ ratione subministrare hydrargyrum, quòd magis evidenti frigiditate suâ cor munire, refrigerare, & siccare possit, ne contagiosum venenum, etiamsi receptum, febrim accendere valeat; imò licet cordis sinus subierit, calore tamen (ex appositu frigidi & sicci remedii) temperatô vires putrefacientes ebullitionemque instituentes minimè habere possit. Insimul tamen Arsenici caliditatem ex alio illius effectu colligens *Jordanus l. a. p. 581.* pergit ita: nec impedit, quòd inter erodentia & syptica locum sit sortitum Arsenicum, quæ calida sunt, & urentia intra corpus assumta; apposita tamen more cæterorum lapidum actu refrigerabunt. Quin etiam concalefacta, ob solidam substantiam, siccamque, non tantum ab se halitus emittent, qui cutis spiracula clanculum permeare, & viscerum nobilissimi tecta perreptare possint. Miramur autem iterum hoc loco *Jordanum*, tantum refrigerandi actum Arsenico, vel efficaciam alexipharmacam frigori nudo tribuentem, quem autorem alioquin non adeò simplicitatis vel credulitatis arguunt ipsius scripta. Verùm exigua arsenici & mercurii quantitas, eaque raro sine velamine corpori appensa, vix magnum frigus pollicetur. Et eccur non infinita frigida alia, silices, crystalli, aliive lapides, metalla aut glacies tutiùs conferrent frigus, quam arsenicum, si à frigora tanta vis alexipharmaca speranda foret. Plura de hac materia commentari supersedemus in præsenti; quivis interim facilè deprehendet, cujus valoris sint istiusmodi recensita, si leviter saltem ad veritatis normam talia dogmata revocat atque examinat. Noluimus autem ejusmodi sen-

tentias adductas etiam intactas prætermittere, ut quisque rationem haberet venenatorum periaptorum, num scilicet licitè in usum vocari possint.

Restat adhuc aliud patrocinium & ratio vel operatio zenechtorum memoranda, dum quippe non pauci de iis statuunt, quòd natura paulatim assvescat uni veneno appenso, unde postea non à peste ita afficiatur, tanquam Arsenicali venenô consimili, de quo *Th. Bartholinus cista med. p.222. & 233.* Loquitur etiam de hoc ex mente quorundam *Sennertus de febr. p.439. Exc. Ioh. Helvigius consil. med. de peste p.112. Herm. Follinus amuleto Antoniano p.204. Diemerbræk de peste p.174. Herm. Grubius de arcan. med. non arcan. p.59. &c. Rolfincius chym. in art. form. red. p. 414. Anton. de Guevara horolog. princip. à Wanckelio edito lib. 2. c. 25. f. 327. Saracenus de peste c. 7. p. 215.* & alii plures. Permulti, qui huic sententiæ sunt addicti, Mithridatem aliosque plures loco exempli sistunt, quemadmodum de illo etiam versus hi noti sunt ex *Martialis lib. 5.*

Profecit potô Mithridates sæpe venenô,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Sed quale venenum illud fuerit ignoro, modò veri veneni nomen meritum illud sit. Quòd verò à zenechtis (simul physico metaphysicis existentibus à sculpturis in positu siderum incisis) neutiquam gestantes muniantur & obfirmentur ita, ne assvefactos eos pestilens virus invadet aut lædat, id statuit, & zenechta ista Christianô philosophô indigna pronuntiat *Phil. Hœchstetterus Dec. 3. obs. med. 2. schol. p. 215. &c.* Asserti verò illius (quô quis assvescere dicitur venenis) rationem vel speciem veri desumunt quidam ab eo, quòd ii, qui semel peste laborarunt, non ulteriùs in anno, vel toto vitæ tempore eâdem corripiantur. Volunt enim, quòd cor priori pugnæ cum veneno pestilenti assvetum, eludat postmodum pestis insultus, ac despiciat illius minas. Sed hoc evertere experientiam, nec immunes semper esse ab insultu pestis, qui semel illam passi sunt, erudimur à *Diemerbræckio l. c. p. 292.* Eò ferè itidem recidit, quòd credant quidam ex fœtore cadaverum, aliarumque

que rerum putridarum exsurgente, homines ita obfirmari ac muniri contra pestilens virus, ut innoxie deinde contagiosis rebus iidem interesse possint; quòd tamen impugnat variis rationibus *Diemerbræckius l.a. lib.2.c.3. p.114.* de quo etiam nos aliquando plura *dissertatione de fœtore & fœtidis* depromemus. Quòd verò homines venenis aliis etiam aliàs assvescere possint longô illorum usu, ne postea lædantur à quocunque alio; hi verò suô halitu, attactu, vel præsentiâ alios lædere facilè polleant, innumeri penè statuunt autores; suffragia vel testimonia allegata hujus asserti colliges ex jam dicendis autoribus, qui tamen non omnes æquè benè de iis sentiunt. Evolvantur autem de his *Diemerbræckius* laudatus *ibidem lib. 4. histor.90. p.340. &c. & p.345. Galenus l.7. meth. med. c. 6. f. 364. & 365. Joh. Jacobi problem.32 p.60. Scaliger Exercit. 175. f. 1. Od. Barbosa, Ludov. Bartoema reb. Indic. Porta in mag. nat. l.8. c. 14. p.359. Baricellus hort. genial. p. 328. Pontanus Bellar. Attic. l. 1. syntagm. 8. §. 14. p. 299. Albertus Magn. l.1. de animal. c.8. Hartmannus disput. chym. medic. 1. hypomnemat. 2. p. 6. Jonstonus Thaumatograph. p. 434. Grubius de med simpl. p.166. Mendoca l.4. probl.22. p.253. Zwelferus pharmac. August. Animadvers. p.480. Mich.Bapst* im Artzney Kunst und Wunder-Buche *part. 1. pag. 19. &c. Rattray theatr. sympath. pag. 136. Voigtius delic. physic. pag. 177. Hornius histor. natur. lib. 2. cap. 12. p. 112. & lib. 3. cap. 20 p. 203. Joh. Dan. Horstius manud. ad med. p. 199. Joh. Dan. Mylius Antidotat. med. chym. lib. 1. cap. 6. p. 80. Joan. Bruyerinus de re cibar. l. 1. c. 22. p. 57. Henr. Salmuthus comment. in Panciroli memorabil. l. 2. p. 301. &c. Andr. Laurent. oper. Therapeut. tr. de strumar. sanat. l. 1. c. 4. f. m. 9. Sennertus prax. med. lib. 3. pag. 85. &c. & lib. 6. pag. 224. Erastus de occultis pharmacor. potestatibus cap. 9. p 15. & 16. & cap. 12. p. 30. Joh. Laz. Gutierez. febrilogiæ cursu 8. lect. 10. p. 225. &c. Jac. Pontanus Bellar. Attic. p. 299. Sam. Pomarius de consensu & dissensu corp. nat. disp. 10. p. 180. &c. Henr. Petraus Nosolog. Harm. tom. 1. p. 53. Grembsius arb. integr. & ruinos. l. 2. c. 4. §. 11. Reinesius var. lect. l. 1. c. 10. Libavius singular. l. 1. p. 366. Higmorus disquisit. anat. l. 1. part. 2. c. 3. Hæferus Herc. med. l. 2. p. 189. Schottus Physica curiosa p. 525. Nobilissimus nostra nuper Acad. Leo-*

 poldino-

poldino Cæsar. curios. Præses Febrius de scorzonera qv. 2. p. 155. Reies campo Elys. qv. 63. &c. ac *Etzlerus Isagog. phys. mag. med. c. 1. p. 12.* Hic ultimus autor rationem hujus in saturnum præsidem venenorum conjicit. Sic de operario quopiam, qui diu in fodinis mercurii laboravit, quòd halitu suo oris, ac digiti affrictu dealbaverit cupri frustum, videatur *Morhofius de metall. transmutat. p. 43.* De iis quoque, qui veneno assevisse dicuntur, & qui in dubium vocant hoc, legi meretur *Valent. Henr. Voglerus Diæteticor. commentar. p. 22. & 23.* & in paginæ huic addendis *ibidem p. 285.*

Nolumus similibus recensendis immorari ulterius, dum quidam arbitrantur, quòd ii, qui laborant maniâ, piciâ, furore, & similibus affectibus, ob morbosum quoddam virus, non afficiantur bufonibus, araneis aliisve ejusmodi venenatis insectis aut rebus devoratis; sicuti de gravidarum absurdis istiusmodi cibis laudatus *Chr. Franc. Paullini in Bufone descripto p. 73.* & alii plures abunde commonstrant. *Laur. Catelanus de unicornu p. 139.* scribit, quod illorum mumiæ, quorum corpora infirma, morbosa, vel leprâ affecta fuerint, multò efficaciores sint ad usum medicum, quàm si virginis pulchræ, puræ vel sanæ personæ exstiterint; cui tamen vix adstipulamur, velut de eodem etiam fusiùs inposterum disquiret nostra *dissertatio de mumia.* Non morantur quoque nos argumenta varia alia, quæ pro adstruenda illa sententia inferunt autores, dum lue venereâ & aliis similibus ulceribus venenatis reputatis, affecti, uti & ii, qui venenatis fœtoribus aliquandiu assveverunt, dũ inquã imunes à peste creduntur; quæ tamẽ secundũ quid vera, sæpe non videntur penitùs id probare, quod probare debent; de quibus nos etiam in *tractatu nostro de peste* suo tempore plura. Sed de his quoque meretur audiri *Reies l. c. qv. 43. §. 7.* venenis, inquit, hujusmodi assvefieri nec pronum, nec facilè. Exponimus non immeritò etiam hoc loco mentem nostri *Exc. Franc. Paullini l. c. p. 74.* omninò, tamen ait, ἀδύνατον, puris venenis nutriri hominem, ut solidè probat *Grevin. L. de venen. c. 1. & Scharfius de venen. p. 38.* Præterea trahendus videtur etiam huc de sententia pari *Joh. Anton. Saracenus de peste c. 7. p. 296.* qui scribit:

constat

constat sanè Arrhenicum non occultâ vi, sed solâ rosione esse lethiferum, ac proinde haud quaquam in venenis haberi oportere, eosque turpiter errare, ac decipi, qui aut venenum venenô aliô pelli, aut venenô, (quod nusquam est, ubi solum est arrhenicum) cor paulatim assvefieri temerè credunt. In hanc rem etiam adducendum credo loquentem *Cratonem Epist. 168. & de peste fol. 282.* (*in Epistolis scilicet à Scholtzio collectis*) in sacculis de arsenico, inquit, nullam rationem reperio, præter illam, ut cor veneno assvescat. Quàm autem hæc infirma & periculosa sit, & hominem rectæ conscientiæ studiosum minimè eô uti deceat, ipse *Monavi* intelligis. Etiamsi igitur sexcentos autores, qui idem fecerint commemores, mihi non persvadebis, hactenus *Crato*. Eandem quoque sententiam *Theodosii*, quòd quis venenis assvefieri possit, impugnat *Thom. Jordanus de pestis Phænom. l. 3. c. 9. p. 579. &c.* Exempla vel testimonia verò de iis adducta, qui assvevisse venenorum usui innoxio dicuntur, eadem sæpe non adeò de propriè dictis, aut talibus existentibus venenis loquuntur, & sufficienter id probant, quod probare debent curiosis. Si jocum licet his interferere, idem fortè hoc multis expectandum erit, qui scilicet venenis assvescere cupiunt; quòd contigit illi equo, quem quis esurire docuit, qui tamen equus postea desiit vivere, ubi exorsus est artem penè comprehendere. De circumforaneorum verò fraude, vel stratagematibus, quibus se tutos à venenis assumtis reddant, & quod luant isti non rarò suam temeritatem morte vel jacturâ sanitatis, jam nihil movebimus. Evolvantur etiam ea, quæ respondet illi consvetudini cum venenis ineundæ, *Phil. Hæchstetterus decad. 3. observ. med. 2. p. 219.* Quod concernit verò talismodi à nobis hactenus examinatum negotium: recordor Altenburgi Anno 1680. chirurgum quempiam persvasum istiusmodi traditione infeliciter tentasse veneni usum, ut assvesceret pestis (tunc tempore aliis in locis) grassantis veneno innoxio futuro, vel forte adventuro. Hic enim post vehementia symptomata adscita vix mortis fauces effugit;

git; quod itidem pistori cuipiam, idem illud secretum attentanti, & indaganti, juxta svasum, Chirurgi istius, contigit.

Trademus porrò jam illorum opiniones, qui zenechta è corpore virus pestilens trahere foris, aut aliô modô avertere arbitrantur, de quibus *Th. Bartholinus in cista. med. p. 233.* Idem autor laudatus in *Epistola de transplantatione morborum p. 4.* repetere hanc suam sententiam videtur his verbis: Arsenicum, Auripigmentum & Hydrargyrum pestem trahit. Atque hanc tractionem propter similitudinem & mutuum respectum inter venenata periapta, & pestis virus fieri, non paucorum est opinio; sicut de hoc etiam paulò superiùs plura sunt tradita. *Petr. Sal. Diversus de febr. pest. cap. 20.* dicit hanc operationem profluere à totius substantiæ similitudine, quâ venenata ejusmodi è corpore æquè extrahant virus, ac scorpio externè impositus locis, quæ prius percussit; cui sententiæ favet etiam *Digbæus orat. de pulv. sympath.* Jungantur quoque his plura in *Bartholini l. c. p. 20.* reperienda. Intendunt id pariter *Mercatus l. 7. de febribus pestil. & malign. p. 482. Galenus l. 5. de simpl. medicam. & lib. 1. de nat. facult. Straussius apud Rattrayum theatr. sympath. p. 136. Joh. Dan. Major inventis medic. Agricola chirurg. parv. p. 440. & 785. Rolfincius chym. in art. form. redact. p. 414. & 415.* Laudatus hic *Rolfincius* ex autoribus deducit, quòd virus istud attractum dissipabile postea fiat, quemadmodum in præcedentibus etiam reminiscimur quosdam allegatos, qui extractum ex corpore vel aëre venenum svaserunt ac docuerunt iterum separare sive demere à contaminatis periammatibus. Nominandus quoque nobis est *Willisius, qui de febr. p. 234. &c.* periaptis dictam etiam vim tractoriam ob similitudinem tribuit, atque statuit quod medicamenta intùs assumta, ob caussam eandem ex corpore educant pariter venenata corpuscula. Similē vim priorē tractoriā amuletis pariter adscribunt *Andr. Cæsalpinus, Henr. Wolfius in febris malign. anotomia. p. 61.* & alii plures. Atque ex iis, qui dictam similitudinis actionem vel operationem defendunt, quidam ideò etiam hujusmodi zenechtis alexipharmaca admisceri volunt, velut ex *Rolfincii l. c.* innotescit

notescit; jungatur etiam idem ille, *de febribus p. 355.* Plura de eodem in præcedentibus quoque dedimus. Analogiam verò illã inter zenechta & pestem, atque hinc dependentem operationem, admittit quoque *Joh. Hartmannus disput. chym. med. 10. de peste §. 88. & 114.* Qui ideò zenechta per modum extractionis, non nisi corruptis, vel peste affectis corporibus prodesse statuit; minùs verò ad προφυλάζειν eadem conferre sanis corporibus arbitratur. Verum num magnetica illa vis Arsenicalium, vel aliorum similium venenatorum amuletorum veritati sit consona, quivis sensatorum, & malè credulorum dijucabit. Aversatur autem illam opinionem ideò meritò cum aliis autoribus *Herm. Grubius de arcanis med. non arcanis p. 55.*

In citato modò loco laudatus autor eatenus præcipuè venenatorum dictam operationem in dubium vocat, quatenus illa ex aëre venena attrahere debent, vel dicuntur; modò alioquin etiã possint & velint. Non paucos tamẽ alios huic sententiæ addictos reperies; quemadmodũ pro sententia illa confirmanda sequuntur, aut testimonii loco ii citant illud apud *Herm. Follinum in amuleto Antoniano p. 204.* qui scribit: spiritus Arsenici attrahunt ad se vi magneticâ spiritum pestilentem homogeneum, velut è proprio corpore errabundum &c. Nam sicut flamma major ad se trahit minorem, aut lumen majus obscurat minus: ita quicquid in aëre extat virulentiæ, tanquam ad sui simile confugit, nempe ad arsenicum, vel ab hac virulentia pellicitur, & illi mordicus obversando spiratione minimè attrahitur intra corpus; ut de olido hirco referunt, ea propter pestifero cœlo ali, ut quicquid est sordidorum odoramentorum eò se recipiat. Hæc inter alios etiam allegat *Straussius epistola apud Sylv. Rattrayum theatro sympath. p. 136.* ubi autor dictus plura de hac materia tradit; uti & quod nõ nulli propter venenum aëre attractum, amuletum ex mercurio metallorum coagulato gestatum sæpius in die purgari injungant, sicuti apud citatum *Rattrayum p. 102.* videri potest *Digbæus in oratione de pulvere sympathetico.* Prostat idem hoc annotatum apud *Jordanum tr. 3. de pestis phænom. c. 9. p. 581.* Sed quid sentiat de opinione

git; quod itidem pistori cuipiam, idem illud secretum attentanti, & indaganti, juxta svasum Chirurgi istius, contigit.

Trademus porrò jam illorum opiniones, qui zenechta è corpore virus pestilens trahere foris, aut aliô modô avertere arbitrantur, de quibus *Th. Bartholinus in cista. med. p.233.* Idem autor laudatus in *Epistola de transplantatione morborum p.4.* repetere hanc suam sententiam videtur his verbis: Arsenicum, Auripigmentum & Hydrargyrum pestem trahit. Atque hanc tractionem propter similitudinem & mutuum respectum inter venenata periapta, & pestis virus fieri, non paucorum est opinio; sicut de hoc etiam paulò superiùs plura sunt tradita. *Petr. Sal. Diversus de febr. pest. cap. 20.* dicit hanc operationem profluere à totius substantiæ similitudine, quâ venenata ejusmodi è corpore æquè extrahant virus, ac scorpio externè impositus locis, quæ prius percussit; cui sententiæ favet etiam *Digbæus orat. de pulv. sympath.* Jungantur quoque his plura in *Bartholini l. c. p. 20.* reperienda. Intendunt id pariter *Mercatus l. 7. de febribus pestil. & malign. p. 482. Galenus l. 5. de simpl. medicam. & lib. 1. de nat. facult. Straussius apud Rattrayum theatr. sympath. p. 136. Joh. Dan. Major inventis medic. Agricola chirurg. parv. p. 440. & 785. Rolfincius chym. in art. form. redact. p. 414. & 415.* Laudatus hic *Rolfincius* ex autoribus deducit, quòd virus istud attractum dissipabile postea fiat, quemadmodum in præcedentibus etiam reminiscimur quosdam allegatos, qui extractum ex corpore vel aëre venenum svaserunt ac docuerunt iterum separare sive demere à contaminatis periammatibus. Nominandus quoque nobis est *Willisius, qui de febr. p. 234. &c.* periaptis dictam etiam vim tractoriam ob similitudinem tribuit, atque statuit quod medicamenta intùs assumta, ob caussam eandem ex corpore educant pariter venenata corpuscula. Similẽ vim priorẽ tractoriã amuletis pariter adscribunt *Andr. Cæsalpinus, Henr. Wolfius in febris malign. anotomia. p. 61.* & alii plures. Atque ex iis, qui dictam similitudinis actionem vel operationem defendunt, quidam ideò etiam hujusmodi zenechtis alexipharmaca admisceri volunt, velut ex *Rolfincii l. c.* innotescit

notescit; jungatur etiam idem ille, *de febribus p. 555.* Plura de eodem in præcedentibus quoque dedimus. Analogiam verò illã inter zenechta & pestem, atque hinc dependentem operationem, admittit quoque *Joh. Hartmannus disput. chym. med. 10. de peste §§.88. & 114.* Qui ideò zenechta per modum extractionis, non nisi corruptis, vel peste affectis corporibus prodesse statuit; minùs verò ad προφύλαξιν eadem conferre sanis corporibus arbitratur. Verum num magnetica illa vis Arsenicalium, vel aliorum similium venenatorum amuletorum veritati sit consona, quivis sensatorum, & malè credulorum dijucabit. Aversatur autem illam opinionem ideò meritò cum aliis autoribus *Herm. Grubius de arcanis med. non arcanis p. 55.*

In citato modò loco laudatus autor eatenus præcipuè venenatorum dictam operationem in dubium vocat, quatenus illa ex aëre venena attrahere debent, vel dicuntur; modò alioquin etiã possint & velint. Non paucos tamẽ alios huic sententiæ addictos reperies; quemadmodũ pro sententia illa confirmanda sequuntur, aut testimonii loco ii citant illud apud *Herm. Follinum in amuleto Antoniano p. 204.* qui scribit: spiritus Arsenici attrahunt ad se vi magneticâ spiritum pestilentem homogeneum, velut è proprio corpore errabundum &c. Nam sicut flamma major ad se trahit minorem, aut lumen majus obscurat minus: ita quicquid in aëre extat virulentiæ, tanquam ad sui simile confugit, nempe ad arsenicum, vel ab hac virulentia pellicitur, & illi mordicus obversando spiratione minimè attrahitur intra corpus; ut de olido hirco referunt, ea propter pestifero cœlo ali, ut quicquid est sordidorum odoramentorum eò se recipiat. Hæc inter alios etiam allegat *Straussius epistola apud Sylv. Rattrayum theatro sympath. p. 136.* ubi autor dictus plura de hac materia tradit; uti & quod nõ nulli propter venenum aëre attractum, amuletum ex mercurio metallorum coagulato gestatum sæpius in die purgari injungant, sicuti apud citatum *Rattrayum p. 102.* videri potest *Digbæus in oratione de pulvere sympathetico.* Prostat idem hoc annotatum apud *Jordanum tr. 3. de pestis phænom. c. 9. p. 581.* Sed quid sentiat de opinione

illa autor, non apertè admodum docet; dùm verò verba de lumine majori, & hirco adducit, tandē non ineptè concludit: nisi, inquit, dicas fœtorem hircinum superare alios fœtores, & obtundere usque adeò, ne percipiantur, quod videtur rationi magis consonum. Verùm de materia hac applausum minùs merente videatur etiam nostri Germani Leipziger Pest-Schade f. 25 Ibidem taxatur quoq; svasus à quibusdam cloacarum fœtor, qui juxta illorum opinionem item præservare dicitur à peste; ex quibus recensitis utravis ætiologia aut expectatio adducta sui generis, vel non magni momenti displaelscit. Pro adstruenda sententia istiusmodi arbitratur quoque *Jordanus* paulò ante citatus, quòd quævis plantæ, & sensitiva suum peculiare nutrimentum requirant: allium scilicet fœtidos succos è terra sugat &c. & insecta, uti & aves non eôdem aëre vel nutrimentô conserventur. Atqve ita videtur autor ille citatus eorum fovere sententiam, qui venenata animalia, & plantas venenatas venenis solùm nutriri atq; augeri variis in locis, arbitrantur; de qua materia in præcedentibus etiam quæpiam occurrerunt. Addi ideò quoque potest *Jordanus l. 2. tr. 1. cap. 12. p. 107. &c.* Pro illa verò sententia, quòd venena trahant vena alia, citat *Rodolphus Goclenius tr. de peste p. 78.* (suô unà consensu vel calculo additô) verba *Galeni ex ipsius lib. 1. de potent. natur. c. 14.* quòd scilicet inveniantur pharmaca, quæ venena certa, non autem quælibet, magnetis instar ad se adtrahant, eaq; super ipsis pharmacis reperta ac visa fuerint. Qui alioquin atomorum vel corpusculorum doctrinæ indulgent, speciosè de venenatorum illorum actione differunt, sicut *Willisius de febribus p. 234.* de eo ita sentit: effluvia seu corpuscula atmoidea è corporibus, modò his emergentia, modo super illis residentia per totam aëris regionem circumvolitare superius innuitur: hæc cùm diversimodè sint figurata, eorum alia cum aliis optimè cohærent. Sin verò in quædam alius formæ impingant, eadem oppugnant & evertunt, hinc pestilentis miasmatis particulæ, quæ nostris adversantur, cum istis veneni corpusculis juxta positis optimè conveniunt, iisque promtè affiguntur. Quare

faciunt

faciunt amuleta à veneno conflata, scilicet pestilentiæ semina nobis occursantia propter similitudinem partium in se excipiunt, etiam à corpore nostro eadem in amplexus suos alliciendo, infectos quodammodo à malignitate liberant. Sed hoc negotium circa operationem illam venenatorum amuletorum non minùs scatet difficultate & diffidentiâ penes curiosos, quàm aliæ similes traditiones â nobis vel antea propositæ, sive adhuc in futuris excutiendæ. Ecquis verò non credat ista pentacula priùs venenô pestilenti imbuta vel saturata esse posse, præcipuè cùm tempore pestis sunt confecta, vel aliquandiu asservata, (& quidem si tanta necessitas absorbendi vel excipiendi venenum pestilens inest venenatis appensis) quàm ut demum, pro intentione hominum quorundam, debeant eadem venena ex aëre scuti instar excipere, aut spongiæ loco assugere; & quidem iterum eô fine, ut homo gestans ista à pestis vel venenorum insultu immunis relinquatur. Indicant verò autores, quòd res variæ tempore pestis contagiô facilè inficiantur, de quo *Kircherus de peste p. 248.* Sic panem etiam præ aliis facilè contaminari aëre pestilenti, docet *Zwelfferus Append. Animadvers. Pharm. Aug. p. 25* De quo calido tamen quadantenus dubito, uti & de eo, quòd antimonium diaphoreticum vim emeticam & venenatam recuperet ex aëre, si aliquandiu asservetur, idque eò magis tempore pestis, de quo iterum *Zwelfferus Pharmac. Reg. p. 96. 315. 366. & aliis in locis.* Autoritatem & rationem autem, quæ mihi dictum illud persvadent, jam prætermitto. Quòd verò zenechta scuti instar excipiant aëris venenata miasmata, vel cœli impressiones, inter alios etiam *Grulingius Florilegio chym. p. 473.* aliiq; plures docent. Artifices (qui interdum plus justò fortè curiosi sunt) ad ejusmodi periapta efficacia magis procuranda, certas res aptiores præ aliis quoque censent, & eligunt. Huic negotio etiam omni ex parte suffragantur ii, qui characteribus certis sigilla signant, atq; eadē ad certam cœli constitutionē efformant, putantes sic infallibiles & incredibiles vires ab astris deduci, & in Telesmas istas induci: ratio etiam illorum est, quòd in symbola habentia

tia, scilicet ejusmodi signata, facilis sit transitus, aut nexus, & operatio, in respectu morbi edomandi. Sed de Tilsemis in genere alio in loco nostro scrutinii prolixiùs soliciti sumus; sicuti etiam zenechta ejusmodi signata exiguam autoritatem apud plures Medicos invenire in præcedentibus accepimus. Dehinc positô, quòd polleant simplicia venenata ista luis pestilentis aërem infectum imbibere per similitudinem, totam substantiam, aliosve modos ac prætextus; quæritur non immeritò, utrum portiuncula illa, quæ placentulam venenatam constituit, sufficiat pro excipiendo aëre venenato hominem ubivis ambientem. An itaque pestilens contagium tale, vel per aërem latè, aut in domo quapiam saltem diffusum, non potiùs se habeat instar majoris lucis ac flammæ; exigua verò zenechti portio loco minoris, pensitent curiosi! Si tractoria itẽ istiusmodi vis locũ invenit, & si vi suâ magneticâ majorem copiam contaminati aëris alliciunt zenechta, quæritur an non majori perniciei exponantur gestantes ista homines, liberi forsan aliàs à magno contagii insultu. Interim modum illum attrahendi venenum pestilens ex corpore vel ex aëre, videtur non admodum in zenechtis admittere *Phil. Hæchstetterus dec. 3. obs. med. 2. p. 219. &c.* Sed umbram hanc relinquo iis, qui delectantur eadem.

Alia præterea opinio autorum videtur etiam eò inclinare, ac si hujusmodi venenata periammata aërem pestilentem, in hominem alias irruentem, explodant, atque sic hominem & spatium, quo continetur homo, liberum ab insultu pestilentis aëris reddant. Sed effectum hunc dictis periaptis non immeritò denegat *Kozakus de Sale c. 2. sect. 29. p. 190. &c.*

Præter dictos operandi modos, *Petr. Sal. Diversus de febr. pest. c. 20.* statuit, quòd talismodi venenata ratione caliditatis suæ agant, cùm attrahat arsenicum propter causticam suam facultatem, quòd paulò superiùs etiam *Jordanum* approbasse indicavimus. Atque ideò laudat *Gratarolus* arsenici usum, si cuti vesiculas vel ulcuscula inducat. Causticam autem vel corrodendi vim inesse venenis mineralibus, præter alios etiam

docet.

docet *Zwelfferus Pharmacop. Reg. p. 143.* aliisque in locis pluribus. Suffragatur eidem sententiæ *Grubius de simplic. medic. facult. p. 141. 164. 169.* Plura similia autorum suffragia de eodem, hoc loco accumulare supersedeo, cum experientia de eodem non lateat facilè eos, qui peritiâ medicâ aliquali imbuti sunt. Taceo quod ob vim causticam arsenicum etiam non facultate occultâ, sed solâ rosione lethiferum esse, ac proinde istud haud quaquam in venenis haberi oportere censeat *Joh. Anton. Saracenus de peste cap. 7. p. 269.* Abit in illius sententiam etiam *Septalius in Animadversionum l. 5. p. 58.* aliique plures autores à nobis in præcedentibus allegati. His licet ego non omninò reclamem, non tamen satis intelligo, quid *Saraceno* propriè sit venenum. Constat interim de mineralibus venenis, & arsenico præcipuè, quòd modò cum caustica sua potestate, modò sine hac, in distans etiam effluvia venenata spargat, quæ ex variis observatis & inductis symptomatibus aut effectis malignis liquidò de causa alia etiam venenata, præter causticam istam admissam, testantur. Adduximus quoque paulò superius exempla, quæ in arsenico aliisque similibus, citra causticam illam vim dictam, etiam venenatam aliam malitiam subdolam manifestant. Illi verò *Diversi* opinioni minùs favet *Bartholinus in cista medica*: dicit quippe quod raro ulcus excitetur ab arsenico, cum non semper cuti nudæ istud applicetur. Sic etiam *Phil. Hæchstetterus Dec. 3. obs. med. 2. schol. p. 220.* hæc depromit: nescio inquit, quid arsenici pasta latitans ad regionem cordis agat sub tot indumentis, quibus aër vehiculum seminarii pestiferi excluditur, ut se invicem tangere non possit; aëri ergò exponatur, & ori aut naribus admoveatur, ut externum virus arceat, aut ad se rapiat, ut *Columba* vult. Etsi ex corpore trahere virus, & à corde sevocare venenum amuleta dixeris; tamen nihil agent scias, nisi à calore avocentur in actum; at calefactum arsenicum rodit cutim, quod *Crato docet 1. Epist. 7.* &c. Ex his, & quòd nuci cassæ inclusus mercurius nequeat vires suas spargere per putamẽ, concludit *Hæchstetterus l. c. p. 221.* & alii plures statuentes, quod irritô ausu in usum eã

ratione expetantur zenechta. Verùm enim non est exigua sæpe partio venenorum ingredientium in istiusmodi plurimis amuletis, quæ ideò etiam componuntur & vulgo expetuntur; unde itidem zenechta illa, etiamsi occultentur in vestibus, non semper sunt tuta vel in inefficacia, licet eadem non semper actu sint caustica. Non licet itidem de venenatis istiusmodi argumentari, si forte eadem validis vel sanis non noceant, (dum isthæc involucris abscondita gestantur, quod pariter peste laborantibus & decumbentibus nullas vires vel virus noxium impertiant; aut quod eos salubri admodum effectu beent. Aut saltem talia impingunt in aliorum autorum dogmata, quocunque modò ferè adhibeantur, vel conentur eitam ipsorum patroni isthæc defendere.

Diversas autorum sentias circa hoc negotium in antecedentibus etiam attigimus, ubi pars quædã autorum vim causticam in amuletis venenatis commendat, quædam verò condemnat eandem, omnique studiô istam prohibendam esse inculcat. Ut ut verò nos neutiquam vesicatoria, fonticulos, aliaque media serum educentia è corpore in malignis morbis aversamur; nequaquam tamen bono pro hoc fine pessimum ejusmodi causticum cōmendabimus. Quid autē fonticuli aliàs polleant in malignis febribus & peste, docent fusè *Kircherus de peste p. 315. Diemerbræckius lib. 2. de peste c. 8. observationum, Septalius animadvers. & caut. med. l. 5. §. 42. &c. & 45. Febrius de scorzonera p. 88. Petr. à Castro de febr. puncticul. p. 143. Willis de febrib. c. 13. p. 233. Alex. Massarias, Christ. Benedictus Theatr. tabid. exerc. 29. p. 97. &c. Hieronym. Mercurial. de peste cap. 23. Gieselerus obs. de peste in præfatione, Fabr. Hildanus cent. 2. obs. 22. Timaus consil. de peste p. 440.* Schorer *medicina perigrinant. p. 124. & idem* im Berichte von den Fontanellen/ *Gockelius de peste c. 19. p. 74. & cum Galeno Rod. Goclenius de peste p. 104. & 133.* item *Paræus, Jul. Cæsar Claudinus lib. de peste. Quercetanus, Ingrassias, uti & Lindenius colleg. MS. ad Hartmanni Prax. chym. c. 244. §. 15.* Qui postremus autor primô ferè locô recensendus nobis fuisset, ob insignem fonticulorum inustorum usum dilaudatum. Non minùs celebres etiam,

vel

vel proficui sunt Phœnigmi vel vesicatoria, in malignis æquè ac mitioribus febribus, quorum salubrem successum hactenus medici curiosi in peste deprehenderunt. Nec absurdo negotio se accingunt ministri naturæ, scilicet medici, in applicandis iisdem: constat quippe quòd natura similem ejusmodi ausum vel criticum motum non rarò moliatur, dum exanthemata, pustulas, vel crustas circa os, faciem, aliasque partes in morbis interdum protrudit, non sine bona spe morbi futuri tolerabilis vel finiendi. Cui placet inter plures alios de hac materia evolvat *Vasserium Epist. de Sylviano humore triumvirali p.53. Riverium Prax. med. l.17. c.3. f.522. Hæferum Hercul. med. l. 6. c. 2. p. 282. Rolfincium meth. med. spec. p. 481.* den Leipzigischen Pest-Schaden und Gottes Gnade §. 21. & *Sitonum Jatrosoph. miscellan. tr. 44. p. 273.* quo in loco ultimo insimul recensentur autores, qui in malignis febribus approbant vel improbant vesicantia. Utilem præterea vesicantium usum in malignis febribus testari, quòd malignitas in sero hæreat, arbitratur *Excell. Ol. Borrichius in dissertat. de somno & somniferis p. 29. §. 28.* Cæterùm quid in quartana etiam vesicantia, nimirum, rannunculus, & alia similia efficiant, patebit ex *Sennerto de cons. & diss. chym. c.18. p. 646.* Cui placet plura itidem de hac materia in superioribus, inter febrifuga periapta tradita legere potest; velut etiam multi autores alii non steriles sunt quoad hanc doctrinam. Imò referente *Hafenreffero de affect. cutis l.1. c. 16.* scabie affecti, uti à variolis & aliis morbis, ita à peste præcipuè immunes censentur. Prostant etiam exempla confirmantia illud apud *Forestum l.6. obs.21. sect.1.* & alios autores plures, quorū numerus aliqualis collectus prostat apud *Paul. Zachiam quæst. med legal. lib. 3. tit. 3. qv. 2.* Proinde exathemata ejusmodi orta sponte, vel à morbifica causa, videntur quasi à visicatoriis facta, quæ ideò ad eadem artificilia invitare possunt, si quid veri illi doctrinæ inest. Si Deus vitam viresque nobis largietur, inposterum majori studiô prosequemur omnem illam medelam *in tract. de febrifugis,* & *de peste,* uti & in *Pisone nostro reviso & aucto, de colluvie serosa.* Hactenus verò data nobis elicuit

Petr.

vim bezoarticam, aut venenis resistentem tribuunt potestati exsiccandi in Alexipharmacis residenti, de quo *Jordanus de pestis Phænom. tract. 2. c. 6. p. 337.* Hinc autor ille etiam ea medicamenta, quæ non procul abhinc recensuimus, cum aliis adhuc pluribus in peste proficua declarat. Sic Theriacam quoque vi suâ stypticâ & aromaticâ prodesse innuit *Ficinus de vita cœlit. compar. l. 3. c. 12. p. 222.* Plura testimonia de his accumulare hîc supersedemus, cum nobis promittamus commodiorem ansam aliquando de *antidotis* differendi. Non attingemus prætereа etiam jam gemmas, quarum vim salutarem non pauci autores unicè ferè in siccitatem illarum conjiciunt: quemadmodum hoc statuentis *Plateri* verba allegat, nec alienus planè ab ipsius sententia videtur *Sim. Pauli digress. febrium p. 92. &c.* Placet quoque idem hic operandi modus *Pictorio cent. 3. quæst. phys. 75.* Alii juxta vim exsiccandi, quoque refrigerandi potestatem inesse gemmis credunt, quæ spiritus firmare ac densare valeat; ne ab humoribus veneficis ii dissipentur, ac dissolvantur. Atque sic gemmis dictis occultam proprietatem derogant illi, quam alii olim iis inesse statuerunt, & ideò gemmas pro alexipharmacis extulerunt, de quo *Joh. Lazar. Gutierrez febrilogia curs. 8. lect. 10. p. 229.* & alii. Sed hæc adducta loco suo relinquo, nec assensum omnem iis derogo; utrum verò tanta exsiccandi, atque refrigerandi facultas Arsenico, & aliis venenatis appensis insit, quâ contra pestilens illud virus assurgere queant, dijudicent curiosi. Claudent interim hanc operandi rationem verba *Thom. Bartholini in cista medic. p. 233.* qui ad *Petri Salii Diversi* illam opinionem, de siccitate arsenici in peste efficaci, regerit hæc: at, inquit, ita quævis sicca hoc præstarent, quod veritati inimicum.

Non nulli quoque arsenicum, & alia similia propter frigiditatem suam efficacia censent, eamque sententiam tueri allaborant, quòd scilicet eô modô cor roboretur, spiritus dispersi in unum colligantur, atque partes contra calorem peregrinum muniantur. Alii malunt, quòd venenata illa, dictâ hac frigiditate obstruant vasa vel patentiores meatus, ne venenis

nenis adeò facilis aditus pateat vel concedatur. Hoc alii eâdem pene ratione interpretantur, statuentes sanguinem, humores, & spiritus condensari quadantenus, ne diffluant ita, atque pestis fomitem tam promptè admittant, sive concipiant. Audiamus adhuc de materia eadem *Thom Jordanum qui* (*de pest. Phænom. tr. 3. c. 9. p. 580. &c.*) exponens operandi rationem in venenatis periaptis, præter siccitatem paulò ante indicatam, illorum frigiditatem seriò etiam efficacem inculcat. Arbitratur insimul autor ille, majorem efficaciam dictâ ratione subministrare hydrargyrum, quòd magis evidenti frigiditate suâ cor munire, refrigerare, & siccare possit, ne contagiosum venenum, etiamsi receptum, febrim accendere valeat; imò licet cordis sinus subierit, calore tamen (ex appositu frigidi & sicci remedii) temperatô vires putrefacientes ebullitionemque instituentes minimè habere possit. Insimul tamen Arsenici caliditatem ex alio illius effectu colligens *Jordanus l. a. p. 581.* pergit ita: nec impedit, quòd inter erodentia & syptica locum sit sortitum Arsenicum, quæ calida sunt, & urentia intra corpus assumta; apposita tamen more cæterorum lapidum actu refrigerabunt. Quin etiam concalefacta, ob solidam substantiam, siccamque, non tantum ab se halitus emittent, qui cutis spiracula clanculum permeare, & viscerum nobilissimi tecta perreptare possint. Miramur autem iterum hoc loco *Jordanum*, tantum refrigerandi actum Arsenico, vel efficaciam alexipharmacam frigori nudo tribuentem, quem autorem alioquin non adeò simplicitatis vel credulitatis arguunt ipsius scripta. Verùm exigua arsenici & mercurii quantitas, eaq; raró sine velamine corpori appensa, vix magnum frigus pollicetur. Et eccur non infinita frigida alia, silices, crystalli, aliive lapides, metalla aut glacies tutiùs conferrent frigus, quam arsenicum, si à frigora tanta vis alexipharmaca speranda foret. Plura de hac materia commentari supersedemus in præsenti; quivis interim facilè deprehendet, cujus valoris sint istiusmodi recensita, si leviter saltem ad veritatis normam talia dogmata revocat atque examinat. Noluimus autem ejusmodi sen-

tentias adductas etiam intactas prætermittere, ut quisque rationem haberet venenatorum periaptorum, num ſcilicet licitè in uſum vocari poſſint.

Reſtat adhuc aliud patrocinium & ratio vel operatio zenechtorum memoranda, dum quippe non pauci de iis ſtatuunt, quòd natura paulatim aſſveſcat uni veneno appenſo, unde poſtea non à peſte ita afficiatur, tanquam Arſenicali venenô conſimili, de quo *Th. Bartholinus ciſta med. p. 222. & 233.* Loquitur etiam de hoc ex mente quorundam *Sennertus de febr. p. 439. Exc. Ioh. Helvigius conſil. med. de peſte p. 112. Herm. Follinus amuleto Antoniano p. 204. Diemerbrœk de peſte p. 174. Herm. Grubius de arcan. med. non arcan. p. 59. &c. Rolfincius chym. in art. form. red. p. 414. Anton. de Gvevara horolog. princip. à Wanckelio edito lib. 2. c. 25. f. 327. Saracenus de peſte c. 7. p. 215.* & alii plures. Permulti, qui huic ſententiæ ſunt addicti, Mithridatem alioſque plures loco exempli ſiſtunt, quemadmodum de illo etiam verſus hi noti ſunt ex *Martialis lib. 5.*

Profecit potô Mithridates ſæpe venenô,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Sed quale venenum illud fuerit ignoro, modò veri veneni nomen meritum illud ſit. Quòd verò à zenechtis (ſimul phyſico-metaphyſicis exiſtentibus à ſculpturis in poſitu ſiderum inciſis) neutiquam geſtantes muniantur & obfirmentur ita, ne aſſvefactos eos peſtilens virus invadet aut lædat, id ſtatuit, & zenechta iſta Chriſtianô philoſophô indigna pronuntiat *Phil. Hœchſtetterus Dec. 3. obſ. med. 2. ſchol. p. 215. &c.* Aſſerti verò illius (quô quis aſſveſcere dicitur venenis) rationem vel ſpeciem veri deſumunt quidam ab eo, quòd ii, qui ſemel peſte laborarunt, non ulteriùs in anno, vel toto vitæ tempore eâdem corripiantur. Volunt enim, quòd cor priori pugnæ cum veneno peſtilenti aſſvetum, eludat poſtmodum peſtis inſultus, ac deſpiciat illius minas. Sed hoc evertere experientiam, nec immunes ſemper eſſe ab inſultu peſtis, qui ſemel illam paſſi ſunt, erudimur à *Diemerbrœkio l. c. p. 292.* Eò ferè itidem recidit, quòd credant quidam ex fœtore cadaverum, aliarum-

que

que rerum putridarum exsurgente, homines ita obfirmari ac muniri contra pestilens virus, ut innoxie deinde contagiosis rebus iidem interesse possint; quòd tamen impugnat variis rationibus *Diemerbræckius l.a. lib.2.c.3.p.114.* de quo etiam nos aliquando plura *dissertatione de fœtore & fœtidis* depromemus. Quòd verò homines venenis aliis etiam aliàs assvescere possint longô illorum usu, ne postea lædantur à quocunque alio; hi verò suô halitu,attactu, vel præsentiâ alios lædere facilè polleant, innumeri penè statuunt autores; suffragia vel testimonia allegata hujus asserti colliges ex jam dicendis autoribus, qui tamen non omnes æquè benè de iis sentiunt. Evolvantur autem de his *Diemerbræckius* laudatus *ibidem lib. 4. histor.90. p.340.&c. & p.345. Galenus l.7. meth.med. c.6. f.364. & 365. Joh. Jacobi problem.32 p.60. Scaliger Exercit.175.f.1. Od. Barbosa, Ludov. Barthema reb. Indic. Porta in mag.nat. l.8. c.14.p.359. Baricellus hort. genial. p.328. Pontanus Bellar. Attic. l.1. syntagm. 8. §.14. p. 299. Albertus Magn. l.1. de animal. c.8. Hartmannus disput. chym. medic. 1. hypomnemat. 2. p. 6. Jonstonus Thaumatograph. p. 434. Grubius de med simpl. p.166. Mendoca l.4. probl.22. p.253. Zwelferus pharmac. August. Animadvers.p.480. Mich.Bapst* im Artzney Kunst und Wunder-Buche *part. 1. pag. 19. &c. Rattray theatr. sympath. pag. 136. Voigtius delic. physic. pag. 177. Hornius histor. natur. lib. 2. cap. 12. p. 112. & lib. 3. cap. 20 p. 203. Joh. Dan. Horstius manud. ad med. p. 199. Joh. Dan. Mylius Antidotat. med. chym. lib. 1. cap. 6. p. 80. Joan. Bruyerinus de re cibar. l.1. c.22. p.57. Henr. Salmuthius comment. in Panciroli memorabil. l. 2. p. 301. &c. Andr. Laurent. oper. Therapeut. tr. de strumar. sanat. l. 1. c. 4. f. m. 9. Sennertus prax. med. lib. 3. pag. 85. &c. & lib. 6. pag. 224. Erastus de occultis pharmacor. potestatibus cap. 9. p 15. & 16. & cap. 12. p. 30. Joh. Laz. Gutierez febrilogiæ cursu 8. lect. 10. p. 225. &c. Jac. Pontanus Bellar. Attic. p. 299. Sam. Pomarius de consensu & dissensu corp. nat. disp. 10. p. 180. &c. Henr. Petræus Nosolog. Harm. tom. 2 p. 53. Grembsius arb. integr. & ruinos. l. 2. c. 4. §. 11. Reinesius var. lect. l. 1. c. 10. Libavius singular. l. 1. p. 366. Higmorus disquisit. anat. l. 1. part. 2. c. 3. Hœferus Herc. med. l. 2. p. 189. Schottus Physica curiosa p. 525. Nobilissimus nostræ nuper Acad. Leopoldino-*

poldino Cæsar. curios. Præses Febrius de scorzonera qv. 2. p. 155. Reies campo Elys. qv. 63. &c. ac *Etzlerus Isagog. phys. mag. med. c. 1. p. 12.* Hic ultimus autor rationem hujus in saturnum præsidem venenorum conjicit. Sic de operario quopiam, qui diu in fodinis mercurii laboravit, quòd halitu suo oris, ac digiti affrictu dealbaverit cupri frustum, videatur *Morhofius de metall. transmutat. p. 43.* De iis quoque, qui veneno assevisse dicuntur, & qui in dubium vocant hoc, legi meretur *Valent. Henr. Voglerus Diæteticor. commentar. p. 22. & 23.* & in paginæ huic addendis *ibidem p. 285.*

Nolumus similibus recensendis immorari ulterius, dum quidam arbitrantur, quòd ii, qui laborant maniâ, piciâ, furore, & similibus affectibus, ob morbosum quoddam virus, non afficiantur bufonibus, araneis aliisve ejusmodi venenatis insectis aut rebus devoratis; sicuti de gravidarum absurdis istiusmodi cibis laudatus *Chr. Franc. Paullini in Bufone descripto p. 73.* & alii plures abunde commonstrant. *Laur. Catelanus de unicornu p. 139.* scribit, quod illorum mumiæ, quorum corpora infirma, morbosa, vel leprâ affecta fuerint, multò efficaciores sint ad usum medicum, quàm si virginis pulchræ, puræ vel sanæ personæ exstiterint; cui tamen vix adstipulamur, velut de eodem etiam fusiùs inposterum disquiret nostra *dissertatio de mumia.* Non morantur quoque nos argumenta varia alia, quæ pro adstruenda illa sententia inferunt autores, dum lue venereâ & aliis similibus ulceribus venenatis reputatis, affecti, uti & ii, qui venenatis fœtoribus aliquandiu assveverunt, dũ inquã im̃unes à peste creduntur; quæ tamẽ secundũ quid vera, sæpe non videntur penitùs id probare, quod probare debent; de quibus nos etiam in *tractatu nostro de peste* suo tempore plura. Sed de his quoque meretur audiri *Reies l. c. qu. 43. §. 7.* venenis, inquit, hujusmodi assvefieri nec pronum, nec facilè. Exponimus non immeritò etiam hoc loco mentem nostri *Exc. Franc. Paullini l. c. p. 74.* omninò tamen ait, ἀδύνατον, puris venenis nutriri hominem, ut solidè probat *Grevin. L. de venen. c. 1. & Scharfius de venen. p. 38.* Præterea trahendus videtur etiam huc de sententia pari *Joh. Anton. Saracenus de peste c. 7. p. 296.* qui scribit: constat

constat sanè Arrhenicum non occultà vi, sed solâ rosione esse lethiferum, ac proinde haud quaquam in venenis haberi oportere, eosque turpiter errare, ac decipi, qui aut venenum venenô aliô pelli, aut venenô, (quod nusquam est, ubi solum est arrhenicum) cor paulatim assvefieri temerè credunt. In hanc rem etiam adducendum credo loquentem *Cratonem Epist. 168. & de peste fol. 282.* (*in Epistolis scilicet à Scholtzio collectis*) in sacculis de arsenico, inquit, nullam rationem reperio, præter illam, ut cor veneno assvescat. Quàm autem hæc infirma & periculosa sit, & hominem rectæ conscientiæ studiosum minimè eô uti deceat, ipse *Monavi* intelligis. Etiamsi igitur sexcentos autores, qui idem fecerint commemores, mihi non persvadebis, hactenus *Crato.* Eandem quoque sententiam *Theodosii*, quòd quis venenis assvefieri possit, impugnat *Thom. Jordanus de pestis Phænom. l.3. c.9. p.579. &c.* Exempla vel testimonia verò de iis adducta, qui assvevisse venenorum usui innoxio dicuntur, eadem sæpe non adeò de propriè dictis, aut talibus existentibus venenis loquuntur, & sufficienter id probant, quod probare debent curiosis. Si jocum licet his interferere, idem forte hoc multis expectandum erit, qui scilicet venenis assvescere cupiunt; quòd contigit illi equo, quem quis esurire docuit, qui tamen equus postea desiit vivere, ubi exorsus est artem penè comprehendere. De circumforaneorum verò fraude, vel stratagematibus, quibus se tutos à venenis assumtis reddant, & quod luant isti non raro suam temeritatem morte vel jacturâ sanitatis, jam nihil movebimus. Evolvantur etiam ea, quæ respondet illi consvetudini cum venenis ineundæ, *Phil. Hœchstetterus decad. 3. observ. med. 2. p. 219.* Quod concernit verò talismodi à nobis hactenus examinatum negotium: recordor Altenburgi Anno 1680. chirurgum quempiam persvasum istiusmodi traditione infeliciter tentasse veneni usum, ut assvesceret pestis (tunc tempore aliis in locis) grassantis veneno innoxio futuro, vel forte adventuro. Hic enim post vehementia symptomata adscita vix mortis fauces effugit;

git; quod itidem pistori cuipiam, idem illud secretum attentanti, & indaganti, juxta svasum Chirurgi istius, contigit.

Trademus porrò jam illorum opiniones, qui zenechta è corpore virus pestilens trahere foris, aut aliô modô avertere arbitrantur, de quibus *Th. Bartholinus in cista. med. p.233.* Idem autor laudatus in *Epistola de transplantatione morborum p.4.* repetere hanc suam sententiam videtur his verbis: Arsenicum, Auripigmentum & Hydrargyrum pestem trahit. Atque hanc tractionem propter similitudinem & mutuum respectum inter venenata periapta, & pestis virus fieri, non paucorum est opinio; sicut de hoc etiam paulò superiùs plura sunt tradita. *Petr. Sal. Diversus de febr. pest. cap. 20.* dicit hanc operationem profluere à totius substantiæ similitudine, quâ venenata ejusmodi è corpore æquè extrahant virus, ac scorpio externè impositus locis, quæ prius percussit; cui sententiæ favet etiam *Digbæus orat. de pulv. sympath.* Jungantur quoque his plura in *Bartholini l. c. p. 20.* reperienda. Intendunt id pariter *Mercatus l. 7. de febribus pestil. & malign. p. 482. Galenus l. 5. de simpl. medicam. & lib. 1. de nat. facult. Straussius apud Rattrayum theatr. sympath. p. 136. Joh. Dan. Major inventis medic. Agricola chirurg. parv. p. 440. & 785. Rolfincius chym. in art. form. redact. p. 414. & 415.* Laudatus hic *Rolfincius* ex autoribus deducit, quòd virus istud attractum dissipabile postea fiat, quemadmodum in præcedentibus etiam reminiscimur quosdam allegatos, qui extractum ex corpore vel aëre venenum svaserunt ac docuerunt iterum separare sive demere à contaminatis periammatibus. Nominandus quoque nobis est *Willisius, qui de febr. p. 234. &c.* periaptis dictam etiam vim tractoriam ob similitudinem tribuit, atque statuit quod medicamenta intùs assumta, ob caussam eandem ex corpore educant pariter venenata corpuscula. Similẽ vim priorẽ tractoriã amuletis pariter adscribunt *Andr. Cæsalpinus, Henr. Wolfius in febris malign. anotomia. p. 61.* & alii plures. Atque ex iis, qui dictam similitudinis actionem vel operationem defendunt, quidam ideò etiam hujusmodi zenechtis alexipharmaca admisceri volunt, velut ex *Rolfincii l. c.* innotescit

notescit; jungatur etiam idem ille, *de febribus p. 355.* Plura de eodem in præcedentibus quoque dedimus. Analogiam verò illā inter zenechta & pestem, atque hinc dependentem operationem, admittit quoque *Joh. Hartmannus disput. chym. med. 10. de peste §. 88. & 114.* Qui ideò zenechta per modum extractionis, non nisi corruptis, vel peste affectis corporibus prodesse statuit; minùs verò ad προφυλάξιν eadem conferre sanis corporibus arbitratur. Verum num magnetica illa vis Arsenicalium, vel aliorum similium venenatorum amuletorum veritati sit consona, quivis sensatorum, & malè credulorum dijucabit. Aversatur autem illam opinionem ideò meritò cum aliis autoribus *Herm. Grubius de arcanis med. non arcanis p. 55.*

In citato modò loco laudatus autor eatenus præcipuè venenatorum dictam operationem in dubium vocat, quatenus illa ex aëre venena attrahere debent, vel dicuntur; modò alioquin etiā possint & velint. Non paucos tamē alios huic sententiæ addictos reperies; quemadmodū pro sententia illa confirmanda sequuntur, aut testimonii loco ii citant illud apud *Herm. Follinum in amuleto Antoniano p. 204.* qui scribit: spiritus Arsenici attrahunt ad se vi magneticâ spiritum pestilentem homogeneum, velut è proprio corpore errabundum &c. Nam sicut flamma major ad se trahit minorem, aut lumen majus obscurat minus: ita quicquid in aëre extat virulentiæ, tanquam ad sui simile confugit, nempe ad arsenicum, vel ab hac virulentia pellicitur, & illi mordicus obversando spiratione minimè attrahitur intra corpus; ut de olido hirco referunt, ea propter pestifero cœlo ali, ut quicquid est sordidorum odoramentorum eò se recipiat. Hæc inter alios etiam allegat *Straussius epistola apud Sylv. Rattrayum theatro sympath. p. 136.* ubi autor dictus plura de hac materia tradit; uti & quod nō nulli propter venenum aëre attractum, amuletum ex mercurio metallorum coagulato gestatum sæpius in die purgari injungant, sicuti apud citatum *Rattrayum p. 102.* videri potest *Digbæus in oratione de pulvere sympathetico.* Prostat idem hoc annotatum apud *Jordanum tr. 3. de pestis phænom. c. 9. p. 581.* Sed quid sentiat de opinione

faciunt amuleta à veneno conflata, scilicet pestilentiæ semina nobis occursantia propter similitudinem partium in se excipiunt, etiam à corpore nostro eadem in amplexus suos alliciendo, infectos quodammodo à malignitate liberant. Sed hoc negotium circa operationem illam venenatorum amuletorum non minùs scatet difficultate & diffidentiâ penes curiosos, quàm aliæ similes traditiones â nobis vel antea propositæ, sive adhuc in futuris excutiendæ. Ecquis verò non credat ista pentacula priùs venenô pestilenti imbuta vel saturata esse posse, præcipuè cùm tempore pestis sunt confecta, vel aliquandiu asservata, (& quidem si tanta necessitas absorbendi vel excipiendi venenum pestilens inest venenatis appensis) quàm ut demum, pro intentione hominum quorundam, debeant eadem venena ex aëre scuti instar excipere, aut spongiæ loco assugere; & quidem iterum eô fine, ut homo gestans ista à pestis vel venenorum insultu immunis relinquatur. Indicant verò autores, quòd res variæ tempore pestis contagiô facilè inficiantur, de quo *Kircherus de peste p. 248.* Sic panem etiam præ aliis facilè contaminari aëre pestilenti, docet *Zwelfferus Append. Animadvers. Pharm. Aug. p. 25* De quo calido tamen quadantenus dubito, uti & de eo, quòd antimonium diaphoreticum vim emeticam & venenatam recuperet ex aëre, si aliquandiu asservetur, idque eò magis tempore pestis, de quo iterum *Zwelfferus Pharmac. Reg. p. 96. 315. 366. & aliis in locis.* Autoritatem & rationem autem, quæ mihi dictum illud persvadent, jam prætermitto. Quòd verò zenechta scuti instar excipiant aëris venenata miasmata, vel cœli impressiones, inter alios etiam *Grulingius Florilegio chym. p. 473.* aliiq; plures docent. Artifices (qui interdum plus justò fortè curiosi sunt) ad ejusmodi periapta efficacia magis procuranda, certas res aptiores præ aliis quoque censent, & eligunt. Huic negotio etiam omni ex parte suffragantur ii, qui characteribus certis sigilla signant, atq; eadē ad certam cœli constitutionē efformant, putantes sic infallibiles & incredibiles vires ab astris deduci, & in Talismas istas induci: ratio etiam illorum est, quòd in symbola haben-

tia, scilicet ejusmodi signata, facilis sit transitus, aut nexus, & operatio, in respectu morbi edomandi. Sed de Tilsemis in genere alio in loco nostro scrutinii prolixiùs soliciti sumus; sicuti etiam zenechta ejusmodi signata exiguam autoritatem apud plures Medicos invenire in præcedentibus accepimus. Dehinc positô, quòd polleant simplicia venenata ista luis pestilentis aërem infectum imbibere per similitudinem, totam substantiam, aliosve modos ac prætextus; quæritur non immeritò, utrum portiuncula illa, quæ placentulam venenatam constituit, sufficiat pro excipiendo aëre venenato hominem ubivis ambientem. An itaque pestilens contagium tale, vel per aërem latè, aut in domo quapiam saltem diffusum, non potiùs se habeat instar majoris lucis ac flammæ; exigua verò zenechti portio loco minoris, pensitent curiosi! Si tractoria itẽ istiusmodi vis locũ invenit, & si vi suâ magneticâ majorem copiam contaminati aëris alliciunt zenechta, quæritur an non majori perniciei exponantur gestantes ista homines, liberi forsan aliàs à magno contagii insultu. Interim modum illum attrahendi venenum pestilens ex corpore vel ex aëre, videtur non admodum in zenechtis admittere *Phil. Hœchstetterus dec. 3. obs. med. 2. p. 219. &c.* Sed umbram hanc relinquo iis, qui delectantur eadem.

Alia præterea opinio autorum videtur etiam eò inclinare, ac si hujusmodi venenata periammata aërem pestilentem, in hominem alias irruentem, explodant, atque sic hominem & spatium, quo continetur homo, liberum ab insultu pestilentis aëris reddant. Sed effectum hunc dictis periaptis non immeritò denegat *Kozakus de Sale c. 2. sect. 29. p. 190. &c.*

Præter dictos operandi modos, *Petr. Sal. Diversus de febr. pest. c. 20.* statuit, quod talismodi venenata ratione caliditatis suæ agant, cùm attrahat arsenicum propter causticam suam facultatem, quòd paulò superiùs etiam *Jordanum* approbasse indicavimus. Atque ideò laudat *Gratarolus* arsenici usum, si cuti vesiculas vel ulcuscula inducat. Causticam autem vel corrodendi vim inesse venenis mineralibus, præter alios etiam docet:

docet *Zwelfferus Pharmacop. Reg. p. 143.* aliisque in locis pluribus. Suffragatur eidem sententiæ *Grubius de simplic. medic. facult. p. 141. 164. 169.* Plura similia autorum suffragia de eodem, hoc loco accumulare supersedeo, cum experientia de eodem non lateat facilè eos, qui peritiâ medicâ aliquali imbuti sunt. Taceo quod ob vim causticam arsenicum etiam non facultate occultâ, sed solâ rosione lethiferum esse, ac proinde istud haud quaquam in venenis haberi oportere censeat *Joh. Anton. Saracenus de peste cap. 7. p. 269.* Abit in illius sententiam etiam *Septalius in Animadversionum l. 5. p. 58.* aliique plures autores à nobis in præcedentibus allegati. His licet ego non omninò reclamem, non tamen satis intelligo, quid *Saraceno* propriè sit venenum. Constat interim de mineralibus venenis, & arsenico præcipuè, quòd modò cum caustica sua potestate, modò sine hac, in distans etiam effluvia venenata spargat, quæ ex variis observatis & inductis symptomatibus aut effectis malignis liquidò de causa alia etiam venenata, præter causticam istam admissam, testantur. Adduximus quoque paulò superius exempla, quæ in arsenico aliisque similibus, citra causticam illam vim dictam, etiam venenatam aliam malitiam subdolam manifestant. Illi verò *Diversi* opinioni minùs favet *Bartholinus in cista medica*: dicit quippe quod rarò ulcus excitetur ab arsenico, cum non semper cuti nudæ istud applicetur. Sic etiam *Phil. Hæchstetterus Dec. 3. obs. med. 2. schol. p. 220.* hæc depromit: nescio inquit, quid arsenici pasta latitans ad regionem cordis agat sub tot indumentis, quibus aër vehiculum seminarii pestiferi excluditur, ut se invicem tangere non possit; aëri ergò exponatur, & ori aut naribus admoveatur, ut externum virus arceat, aut ad se rapiat, ut *Columba* vult. Etsi ex corpore trahere virus, & à corde sevocare venenum amuleta dixeris; tamen nihil agent scias, nisi à calore avocentur in actum; at calefactum arsenicum rodit cutim, quod *Crato docet 1. Epist. 7.* &c. Ex his, & quòd nuci cassæ inclusus mercurius nequeat vires suas spargere per putamē, concludit *Hæchstetterus l. c. p. 221.* & alii plures statuentes, quod irritô ausu in usum eā

ratione expetantur zenechta. Verùm enim non est exigua fæpe partio venenorum ingredientium in istiusmodi plurimis amuletis, quæ ideò etiam componuntur & vulgo expetuntur; unde itidem zenechta illa, etiamsi occultentur in vestibus, non semper sunt tuta vel in inefficacia, licet eadem non semper actu sint caustica. Non licet itidem de venenatis istiusmodi argumentari, si forte eadem validis vel sanis non noceant, (dum isthæc involucris abscondita gestantur, quod pariter peste laborantibus & decumbentibus nullas vires vel virus noxium impertiant; aut quod eos salubri admodum effectu beent. Aut saltem talia impingunt in aliorum autorum dogmata, quocunque modò ferè adhibeantur, vel conentur eitam ipsorum patroni isthæc defendere.

Diversas autorum sentias circa hoc negotium in antecedentibus etiam attigimus, ubi pars quædã autorum vim causticam in amuletis venenatis commendat, quædam verò condemnat eandem, omnique studiô istam prohibendam esse inculcat. Ut ut verò nos neutiquam vesicatoria, fonticulos, aliaque media serum educentia è corpore in malignis morbis aversamur; nequaquam tamen bono pro hoc fine pessimum ejusmodi causticum comendabimus. Quid autẽ fonticuli aliàs polleant in malignis febribus & peste, docent fusè *Kircherus de peste p.315. Diemerbrœckius lib. 2. de peste c.8. observationum, Septalius animadvers. & caut. med. l.5. §. 42. &c. & 45. Febrius de scorzonera p. 88. Petr. à Castro de febr. puncticul. p.143. Willis de febrib. c.13. p. 233. Alex. Massarias, Christ. Benedictus Theatr. tabid. exerc. 29. p.97. &c. Hieronym. Mercurial. de peste cap. 23. Gieselerus obs. de peste in præfatione, Fabr. Hildanus cent. 2. obs. 22. Timæus consil. de peste p. 440.* Schorer *medicina perigrinant. p.124. & idem* im Berichte von den Fontanellen/ *Gockelius de peste c.19. p.74. & cum Galeno Rod. Goclenius de peste p.104. & 133.* item *Paræus, Jul. Cæsar Claudinus lib. de peste. Quercetanus, Ingrassias, uti & Lindenius colleg. MS. ad Hartmanni Prax. chym. c. 244. §. 15.* Qui postremus autor primô ferè locô recensendus nobis fuisset, ob insignem fonticulorum inustorum usum dilaudatum. Non minùs celebres etiam,

vel

vel proficui sunt Phœnigmi vel vesicatoria, in malignis æquè ac mitioribus febribus, quorum salubrem successum hactenus medici curiosi in peste deprehenderunt. Nec absurdo negotio se accingunt ministri naturæ, scilicet medici, in applicandis iisdem: constat quippe quòd natura similem ejusmodi ausum vel criticum motum non raro moliatur, dum exanthemata, pustulas, vel crustas circa os, faciem, aliasque partes in morbis interdum protrudit, non sine bona spe morbi futuri tolerabilis vel finiendi. Cui placet inter plures alios de hac materia evolvat *Vasserium Epist. de Sylviano humore triumvirali p. 53. Riverium Prax. med. l. 17. c. 3. f. 520. Hæferum Hercul. med. l. 6. c. 2. p. 282. Rolfincium meth. med. spec. p. 481.* den Leipzigischen Pest-Schaden und Gottes Gnade *§. 21.* & *Sitonum Jatrosoph. miscellan. tr. 44. p. 273.* quo in loco ultimo insimul recensentur autores, qui in malignis febribus approbant vel improbant vesicantia. Utilem præterea vesicantium usum in malignis febribus testari, quòd malignitas in sero hæreat, arbitratur *Excell. Ol. Borrichius in dissertat. de somno & somniferis p. 29. §. 28.* Cæterùm quid in quartana etiam vesicantia, nimirum, ranunculus, & alia similia efficiant, patebit ex *Sennerto de cons. & diss. chym. c. 18. p. 646.* Cui placet plura itidem de hac materia in superioribus, inter febrifuga periapta tradita legere potest; velut etiam multi autores alii non steriles sunt quoad hanc doctrinam. Imò referente *Hafenreffero de affect. cutis l. 1. c. 16.* scabie affecti, uti à variolis & aliis morbis, ita à peste præcipuè immunes censentur. Prostant etiam exempla confirmantia illud apud *Forestum l. 6. obs. 21. sect. 1.* & alios autores plures, quorũ numerus aliqualis collectus prostat apud *Paul. Zachiam quæst. med legal. lib. 3. tit. 3. qv. 2.* Proinde exathemata ejusmodi orta sponte, vel à morbifica causa, videntur quasi à visicatoriis facta, quæ ideò ad eadem artificilia invitare possunt, si quid veri illi doctrinæ inest. Si Deus vitam viresque nobis largietur, inposterum majori studiô prosequemur omnem illam medelam *in tract. de febrifugis, & de peste,* uti & in *Pisone nostro reviso & aucto, de colluvie serosa.* Hactenus verò data nobis elicuit

Petr.

Petr. Sal. Diversus, qui amuletum arsenicale, propter vim causticam, utile pronuntiavit, quod curiosi lectoris indagationi vel judicio pleniori committimus.

Dehinc fortis imaginatio atque confidentia erga talismodi venenata nō parum creditur cooperari, de quo inferiùs agetur in specie uberiùs, ubi de imaginatione nobis differendi ansa peculiaris itidem superererit. Interim audiemus in hanc rem loquentem Exc. *Christ. Helvigium consil. med. de peste p. 110.* amuleta, inquit, in peste usitata sunt vel venenata vel Alexipharmaca. Utraque juvant delendo imaginem pestilentem, & confirmando spiritus fiduciam. Confer *Galenum 3. simpl. 17.* Non est absimilis his sententia *Facultatis medicæ Wittebergensis in Mich. Siricii Victrice veritate contra Wirdigium p. 84.* ita statuentis: amuleta, inquit, periapta in tantum approbamus, in quantum agendi virtute sine superstitione prædita sunt, ut mercurialia, camphorata &c. Item quatenus iisdem gestatores muniti securiores redduntur, ne tempore pestis, & in aliis morbis, vel actionibus timidi nimis sint, & terrore afficiantur; sed omnia intrepidè aggrediantur, ita sæpe per accidens aliquid præstant. Non longè etiam post hæc sequetur argumentum quoddam de eadem sententia, quando audiemus, quòd bufones portati singularem animositatem conciliasse dicantur. Videri præterea in hanc rem potest *Helmontius tumulo pestis fol. 181. &c.* quid videlicet zenechti possessores de animositate inculcent. *Reinesius l. 1. var. lect. c. 8.* arbitratur quòd audacia in aliquibus usu confirmata immunes eosdem à venenorum noxa reddere possit. *Isbr. Diemerbræck l. c. l. 4. hist. 51. p. 306.* de venenatis iis, & qui gestant isthæc, loquens: illam, inquit, unam utilitatem ex his amuletis, per se noxiis, habent, quòd, dum se optime præservatos credunt, pestem minùs timeant; ita, ut quamvis per illa nullam immunitatem à peste adipiscantur, saltē à timore magis liberi sint, qui alioqui corpora ad pestilentem labem potenter disponere solet. Nō malè de zenechtis, & quidē adjutoriô confidentiæ stipatis, atq; ideò plebi & credulis (nisi evidenter sint noxia) concedendis legi meretur

meretur *Phil. Hœchſtetterus l.a. p. 221. &c.* Sic conſtat ex *Grembſii arbore integra & ruin. l. 2. c. 4. §. 43. & 44. &c.* quòd urinæ potatio peſtis tempore vulgò decantata, non adeò ex vi alexiteria, quàm perſvaſione, ac ſpe de eadem concepta operetur. Sed his inhærere jam minùs conſultum duco; tantùm non omnes enim de peſte agentes autores, doctrinam illam de affectibus trutinantes docent, quid timor, ira, triſtitia, imaginatio atque fiducia efficiant, lue iſtâ graſſante. Sed noſtras ſpeculationes cùm dictis iſtis non planè conſonas alio loco & tempore pleniùs exponemus; quemadmodum plura etiam de imaginatione huc facientia inferiùs occurrent.

Alii zenechtorum operationem occultis qualitatibus, aut toti ſubſtantiæ vindicant; Sic *Diemerbræckius l. a. p. 174.* dicit *Simonem Simoneum* velle venenum peſtilens occultâ qualitate extingui. Sed de totius ſubſtantiæ operatione inferiùs in generali operandi conſideratione amuletorum plura proponenda reſtant. Cui lubet interea hanc in rem legat *Zwelfferi Pharmac. Reg. p. 141.*

Sunt etiam, qui doctrinæ zenechtorum difficultatem conſiderantes, ſimpliciter experientiæ hac in parte credendum eſſe arbitrantur; utpote quæ à longo tempore docuerit hujusmodi amuleta conducere ad præſervationem, velut hæc verba repetit *Diemerbræckius l. a. p. 174.* Quanti verò experientia illa ſit æſtimanda, alia ratio & experientia, & fortaſſis melior ſuperiùs à nobis adducta, non obſcurè docet. Hoc argumentum, & alia non nulla hactenus adducta, de venenatorum laudibus & operationibus quibusdam memoratis, refutata etiam reperies in *Joan. Ammiani* gründlichen Berichte von der Peſt *p. 109. &c.* Junge ſis huic etiam *Phil. Hœchſtetterum dec. 2. obſ. med. 2. in ſcholio p. 212. &c.* qui pariter ſimilia varia examinat & explodit.

Denique non pauci ſunt, qui, ubi talismodi amuletorum operandi modos & rationes non ſatis percontari valuerunt, eò confugerunt, ut ſicuti peſti, ita etiam periaptis, & his zenechtis τὸ θεῖον ineſſe ſtatuerent, de quo conſulatur *Theodorum*

rus Tabernæmontanus l. c. p. 38. Confer etiam *Pistorium p. 43.* qui magni æstimare zenechta scribit Italos, eosque illa inventum divinum nuncupare ac censere meminit. Jungatur his etiam *Petrus Forestius l. 9. obs. 52. p. m. 301.* item allegati apud laudatum *Zwelfferum l. d. p. 140.* Testem illius quoque agit *Plinius lib. 28 c. 17.* & alii plures. Inprimis autem Pontificii alioquin promti sunt tempore pestis in inveniendis & communicandis ejusmodi variis reculis, reliquiis, & consecratis rebus, vel pentaculis, quæ suas operationes dictô modô exerere exclamant. Sed speculationi huic curiosi pro lubitu ulteriùs indulgere possunt. Mirum interim non est, quin venena (ob inditam noxam alioquin suspecta) Deo id dirigente, non noceant; quemadmodum disserit in hanc rem *Libavius in singular. l. 1. p. 367.* ibi ille concludit suum discursum his verbis: quòd venena, ex testimonio spiritus sancti, non nocuerint, θεῖον in talibus imperavit. De voce & materia τοῦ Θείου nobis non licet amplius jam disquirere, quomodò aliàs ab autoribus id soleat accipi; veremur enim prolixitatem majorem, ideoque in alium locum peculiarem commodiorem illud differimus. Paucula adhuc quædam de his inferiùs *in capitis 3.* fine occurrent, quæ pro lubitu evolvi possunt. Hi fuerunt modi varii, & plurimi, quibus autores operationes zenechtorum complectuntur. Prolixitati verò huic adhibitæ hactenus veniam exorabit hoc, si quæ lux doctrinæ eidem periculosæ, atque ideò cognitu maximè necessariæ, accessit.

Restant verò adhuc quædam venenatis his absolutis annectenda, de araneis & bufonibus, quam rem tamen, si non penitùs toxicorum classi quis annumerare velit, ei dicam neutiquam scribemus. Admodum frequens autem est usus insectorum dictorum, periammatis loco adhibitorũ, temporibus suspectis vel peste sæviente. Araneum enim magnum vivum duobus corticibus nucis includunt, eos filo probe colligant, atque collo suspendunt; quod amuletum quidam tanti faciunt in peste, quasi ex Deorum scriniis depromtum esset, ceu allegat hoc *Diemerbræck. l. a. p. 172.* Cur verò hic usus araneo-

rum

rum minùs tutus sit, edisserit idem autor *l. c. p. 174.* De araneo autem illo dilaudato aliàs agit etiam *Mart. Zeilerus cent. 3. var. quæst. 66. p. 352.* De eodem araneo magno, quod cruce notatus esse debeat, & nuci excavatæ includi, item quòd quidam pro spatio reliquo nucis explendo, mercurium currentem addant, agit *Mart.* Schmuck *occult. mag. magn. curat. p. 32. &c. & p. 42.* Ineptis verò accensent quidam hoc, quòd araneæ, pestis tempore venenatorum miasmatum devorandorum causa, tolerandæ sint propè homines, quòd rectè itidem rejicit *Diemerbrœkius l. a. l. 2. c. 5. p. 132.* Plura interim testimonia de araneo pestis tempore commendato, veluti equidem possemus, jam aggregare supersedemus.

Majori studiô verò dilaudant plures bufones, modò recentes, modò exsiccatos, modò illorum pulverem, modò cineres, aliasve formulas ex iis paratas, ac portatas, aut locis certis affixas, variôque modô applicatas, vel adhibitas; de quo non nulla communicat laudatus *Christ. Helvigius consil. medic. de peste p. 115.* ubi insimul autor dissensum quorundam aliorum de usu bufonum proficuo vel tolerando adducit. Quo autem æstimiô sit habendum bufonium amuletum, patebit ex sequentibus, quorum prolixitatem excusabit iterum materiæ necessitas, & autorum atque rationum diversitas, quæ de ista nobis innotuit. Inter bufonum encomiastas autem chorum ducit *Kircherus* (bonum equidem in hac re oratorem, sed fortè non æque Medicum expertum agens) *de peste p. 344.* Maximè, inquit, admirari licet abditum naturæ consilium, dum vel maximè pestiferum animal, pestis tamen antidotum ritè præparatum hominum necessitati constituerit, atque adeò occultis naturæ characterismis signaturisque in eo pestis naturam & proprietates expresserit, &c. Non immeritò & nos miramur laudatam alexipharmacam & amuleticam virtutem in bufonibus, cùm tantum venenum illis inesse communiter dicatur; quod ipsum speciosè etiam explanat, celeberrimus alioquin, citatus *Kircherus l. a. p. 345.* ubi bufonem venenô turgidam bursam, vel venenum attrahentem bestiam vocat; & cum aliis

autoribus pluribus eò inclinat, quòd venenata insecta propterea sint creata, ut venea ex terra, aëre, aqua aliisque rebus exsugant; quam doctrinam verò nobis displicere aliquando in *exercitatione Academica de insectis* ostendimus. Quòd autem ranæ & bufones certis muscis aut insectis nec non vegetabilibus vescantur, minus verò venenis solis, innotescit ex *Helvigii l. c. p. 118. &c.* Vero consonum omninò videtur, quòd bufones vix certum semper selectum insectorum instituere valeant, cùm terrâ, & reptilibus iis inprimis, quæ in buccã veniunt, cõtenti esse teneantur. Qui præterea vermiculis istis circa oculos bufonum subinde repertis, & ab iisdem materiæ vomitu rejectæ vendicant magnam efficaciam pro bufonio hoc amuleto, eos rogatos velim, ut meliorem experientiam consulant, meq; diffidentem quadantenus in hujusmodi rebus pleniùs erudiant. De bufonum verò incredibili veneno reperies nonnulla in *Camerarii memor. med. cent. 7. part. 82. cent. 9. part. 28. & cent. 12. part. 99.* de quo alio loco mentem postea fortè exponemus. Plura de bufonum veneno, & symptomatibus ex eodem observatis, (quæ tamen ex iratis iisdem simul fortè orta fuerunt) prostant ap. *Exc. Chr. Francisc. Paullini bufone descripto p. 63. &c. p. 74. &c.* Singulare etiam odium, contra homines directum, inesse bufonibus scribit *Kircherus* & alii plures. Imò, uti paulò inferiùs innuemus, venenum in bufonibus augeri, atque sic illud aptius ad amuletum hoc reddi dicitur: si flagellis agitentur iidem, & quidem ita, ut isti flagellantes intueri, majoremq; furorem vel vindictam contra illos concipere possint. Minùs ratum ducimus hoc in loco memorare, vel exscribere formulas varias in autoribus passim reperiendas, quæ bufones recipientes, amuleti loco adhiberi solent; plurimi quippe autores, paulò superius adducti de phylacteriis venenatis agentes bufonum, etiam non ultimô locô mentionem faciunt. His memoratis, de bufonibus etiam scribentes autores sequentes, qui varias ejusmodi formulas simul tradunt, addi possunt: nimirũ *Guilh. Fabr. Hildanus oper. Epist. 96. f. 1321. Helvigius l. a. p. 115. Camerarius l. c. cent. 9. part. 27. Rolfincius chym. p. 416. Heurnius l. de febr. f. 83. Crato*

Consil.

consil. l. 4. de peste fol. 505. Casp. Schottus Thaumaturg. Physic. f. 42. Paracelsus de pestil. tract. 1. Digby de sympath. f. 86. Exc. *Paul. Ammanus de mat. med. p. 151. &c. Krembs in cura pestis fol. 441. Gockelius de peste c. 19. p. 74.*

Quòd etiam enecati bufones & suspensi in domo profligare valeant pestis noxam, indicat *Mart. Zeilerus cent. 3. quæst. var. 66. p. 352.* Idem hoc, quòd in Bavaria rustici bufones pro peste avertenda intra fenestras suas pendere soleant, id tamen infirmæ efficaciæ simul censens, testatur *Petr. Rommelius* im Bericht von der Pest *p. 90. &c.* Notum quoque est, quòd communiter bubonibus arefacti bufones imponantur (quorum loco quidam svadent imponi ranas vivas) idque aliquoties repetendum esse volunt, atque his pestilens bubonum sanies mirificè allici creditur; cujus rei certitudo vel testimonia peti possunt ex *Isbr. Diemerbrœkio de peste l. 3, c. 12. p. 248. &c.* Imo *Gulhelm. Magistrii Isagog. therapevt. sect. 2.* sententia est, ut vivus bufo in sacculo collo appendatur, atque hinc peste contaminatum hominem ab ista liberatum iri ille asserit. Non recensebo prolixè autores eos, qui bufones exsiccatos pro bubonibus curandis imponi jubent; cùm omnes penè autores veteres bubonum curationem tradentes, eorum quoque mentionem faciant. Cum dictis tamen, (præcipuè propter operationis illorum ætiologiam redditam,) non facio melioribus vel minùs suspectis æquè efficacibus inhians. Sic etiam non immorabor iis testimoniis, quæ contra morsus venenatorum animalium, videlicet pro veneno extrahendo commendant bufones; de quo inter alios legi meretur *Georg. Hier. Velschius Hecatostea med. 2. obs. 53. p. 30.* Nec retardabunt me alia medicamenta varia alexicaca ex bufonibus, juxta quorundam sententiam, petita. Id solùm adhuc attingam, quod etiam combusti bufones in pulverem redacti, & in duobus sacculis inclusi contra pestem laudentur à *Tabernæmontano* in der Artzney und Hauß-Apotheke *p. 72. & 73. & Joach. Bechero Parnass. medicin. illustr. part. 1. c. 91. f. 86.* Cineres hos plures alii etiam amuleti loco præferunt bufonibus integris; sed

illos, uti venenata omnia, exiguæ vel parum utilis efficaciæ existere credo. Forteant frustra in bufonibus calcinatis venenum, atque consequenter, contra quorundam mentem, emergens exinde Zenechton inquiritur. Ne forte intactum quid prætermittamus, quod curiosus Lector circa materiam hanc desiderare possit, trademus etiam hæc, quæ nobis innotuerunt ex *Staricii* Helden-Schatz *part. 6. p. 531.* putat quippe illic autor, quòd alia venenata periapta non adeò nuda vel simplicia, quàm cum bufonibus mixta toleranda sint. Eligit præterea dictus autor magis illos bufones, quorum capita, nec venter baculis acuminatis transfixa sunt; nimirum quod ii venenum fortiùs attrahant è corporibus peste contaminatis. Illud prius verò, quòd Zenechton fortius reddatur, si addatur illi bufo, indicat quoque *Rod. Goclenius de peste p. 69.* Hoc verò, quòd bufo per caput transfixus efficacior sit, & quòd iste aliquandiu gestatus ac turgidus factus ex veneno attracto, removeri & in terram immitti, novusque vel alius dictô modô præparatus imponi debeat, injungit quoque *Mart.* Schmuck *occult. mag. magnet. curatione p. 42. &c.* Quod porrò concernit *Hyberni Butleri Zenechton bufonium ab Helmontio in tum: pestis f. m. 185.* patefactum, atque commendatum, quia hoc ipsum, quoad suam compositionem ex loco dicto, atque aliis adhuc dicendis abundè notum est, supersedeo descriptionem ipsius prolixè huc transscribere. Præterea *Zwelfer⁹ Pharm. Reg. p. 140.* ex *D. Irmbleri* observatione bufones eos pro Zenechto efficacissimo eligendos esse dicit, quibus vermiculi ex naribus & oculis proserpant. Ejusdem *Helmontiani* Zenechti mentionem quoque faciunt *Grembsius arb. integr. & ruin. l. 2. c. 4. §. 46. Matth.* Gottfriedt Purmann in der Anweisung von der Cur pestilenzischer Drüsen. *p. 92. &c.* (qui autor peculiarem modum capiendi & suspendendi bufones docet) & *Kircherus de peste p. 344. & 352.* Ex hoc ipso autore non pauci alii deprædicant istud periapton, inter quos ante aliquot annos etiam deprehensus est *Mich. Wez in appendice* des Berichts von der Pestilenz vor Regenspurg und Nürnberg *1680. edit. p. 25.* Non

reti-

reticendus nobis est etiam *Joh. Ilr. Oelerus vicaetoxico Loimico p. 37. &c.* & *Joh. Hisk. Cardilucius* von der Pestilentz *p. 61. &c.* dicit quippe postremus hic autor, se præparasse illud amuletum ad *Helmontii* normam præscriptam, sed ex pluribus bufonibus unicum saltem terram cum vermiculis coloratis, & adeò commendatis eructasse. Indicat insimul ille placentulas ejusmodi confectas se & alios in eâdem domo secum habitantes gestasse, atque omnes à peste immunes mansisse, sine ullo alio medicamento admisso; licet hi proximi extiterint subinde peste affectis, vel conversati cum ipsis fuerint. Utrum verò verè placentulis istis præservati illi fuerint à lue dicta, affirmare non audet autor, quod nec ego asserere auderem. Non ignota enim sunt exempla de iis, qui mirabiliter per Dei providentiam in peste sunt conservati sine medicamento ullo, etiamsi contagiosam materiam tractarint, imô in corpus interdum admiserint. Proinde à peste, morborum reliquorum tyraño, Dei vindicis flagellũ peculiare, seu τὸ θεῖον excludi æq; non potest, quàm à reliquis morbis; uti nostra *Dissertatio de divino in medicina* aliquando latiùs hoc exponet. Vermiculos autem à bufonibus cum terra ex ore illorum ejici perraró, cõquesti sunt mihi etiã alii, qui in hoc negotio desudarunt. Ab hoc min⁹ quoq; dissona sunt testimonia apud Exc. *Christ. Franc. Paullini bufonis descript. p. 113.* Eructant autem interdum bufones non nihil terræ, cui insectorum devoratorum nigricantes alæ & exuviæ, (nitentis interdum atq; iridis, vel pavonum caudæ, simili colore interspersô, præditæ) cōmixtæ deprehenduntur. Non nulla de hujusmodi insectis etiam, si placet, videantur apud laudatum *Paullini l. c. p. 45.* Inserimus his statim illud monitũ *Helmontii*, ipsiusq; asseclarum statuentiũ, ut ad rejectanea ista captanda vel asservanda diligens cura adhibeatur, cùm ex invidia facilè iterum devorent ista bufones. Proh! simplicitatem, variis notis in hoc asserto se prodentem. An suspensus bufo veniam descendendi de funiculo & devorandi isthæc facilè nanciscatur, & an odiumillud æquè verum sit, (ac de aliis amuletis vel lapidibus animaliũ dicitur) quod eos facilè

facilè iterum deglutiant animalia invidentia hominibus istos, pensitent curiosi! Hæc & similia circa zenechtum hoc operosa injuncta collimare videntur in existimationem magnam expetitam; uti pro magicis illicitis etiam aliàs gravia varia molimina & apparatus injunguntur, quò minùs accuratè observatis iis, postea excusatio inefficacibus istis & doctoribus illorum accedat vel oriatur. Ut ad bufonii amuleti ingredientia vel requisita paulisper revertamur, impossibile quoque non est, circa oculos bufonum minuta ejusmodi memorata insecta, vel pediculos reperiri quandoque; (de quo etiã experientiâ adstruens id videri potest Exc. *Chr. Franc. Paullini Bufone descripto p. 25. 26.*) licet sint, qui in venenatis animalib⁹ vermes generari negent, de quo *Matthaeus centur. difficult. medic. quæst. 36. p. 128.* Dictum autem illud, quòd, vel an venenô adeô turgeant bufones (ceu vulgaris fert traditio) suo loco, vel speculationi aliorum relinquo. Regerunt quippe quidam, quòd non adeò venenati sint isti, uti etiam reliqua insecta, scilicet serpentes &c. nisi in furorem agantur, vel irritentur, aut eædem bestiæ cum horrore aut aversatione assumantur. Adhibentur enim externè præcipuè, & per anates vorantes istos internè quandoque, atque præter vim hydragogam, vel diureticam, uti & sistendi sangvinem, parum sinistri de iis ab autoribus memoratur. Quid, quòd famis tempore non rarò cibi loco usurpati dicuntur bufones: Veluti de innoxio bufonum usu loquuntur fere allegata apud laudatum *Paullini l. c. p. 71. &c. & p. 76.* Varia alioquin etiam de vermium cum venenis nexũ vel dissensu autores tradunt, quibus inquirendis jam inhiare supersedemus. Interim num etiam in venenatis morbis vermes adsint, & in peste putredo verminata locum semper habeat, (quia non nulli autores in venenatis animalibus nullos vermes generari volunt) non omnes fortè simpliciter concesserint; licet *Kircherus de peste*, & alii ipsius asseclæ illud adstruant. Liberum interim etiam sit cuique, quid sentiat de *Harvei* opinione, dùm (*de generat. animal. exercit. 27. p. 107.*) Hippocratis τὸ θεῖον aliàs in peste accusatum, explicat per venenum vel

vel contagium, cui vita quædam insit, principiumque divinum; Sed de his cum Deo fortè in *tractatu nostro de peste* plura occurrent ventilanda. Dicuntur alioquin bufones singulari odiô in homines vehi, quô judicio vel interpretatione id verò innotescat nondum comperi; citius credimus homines non adeò blandô vel gratô aspectu dignari invisum istud animal. Præcipiunt inter alia verò artifices in amuleto illo è bufonibus conficiendo (ceu paulò ante leviter hoc attigimus) ut bufones in conspectu hominum suspendantur, &, juxta quorundam mentem, flagellis in majus odium contra hominem incitentur, quô ipsô efficacius zenechton ex iis postidea expectandum esse asserunt. *Grembsius l. c. §. 51.* putat, non omnes bufones aptos ad negotium dictum esse, cujus rationem reddit hanc: quia non omnes bufones ex irritatione & verberibus concipiant terrorem, uti mulieres non omnes prægnantes ex phantasia fœtui notas imprimant &c. Ideoque svadet autor dictus accuratam præparationem, & usus continuationem. De præparatione hac modò dicta, atque ideò efficacibus bufonibus pro amuleto, legi quoque potest paulò *ante laudatus Paullini l. c. p. 116.* Non possum non præparationi bufonum etiam hanc cautelam annectere, cùm tragicum exemplum de quopiam annotatum prostet, qui rubetam deformem diutiùs aspexit, de quo & explicatione hujus ex *Libavio* petita, plura prostant apud beat: *Febrium de scorzonera p. 106. & 107.* Ex hoc loco mihi verò optima ratio illa consignata videtur illius effectus, quod timida contemplatio, & vapores noxii per aërem attracti ab homine illo infecto, dicantur malum illud in eodem excitasse. Svaderem itaque, ne in conclavi clauso præparatio bufonum istiusmodi injuncta, vel expetita institueretur; sed potiùs in loco aprico, si quis salubre periamma ex bufonibus expeteret & expectaret: ne fortè læderetur angusto in loco, si venenatus halitus & effluvia à bufone venenato, & furioso præprimis reddito emanarent. Restat ut adhuc consideremus operationis modum, quomodo scilicet autores bufones & ex iis petita pendacula

operari velint. *Kircherus l. c. p.346.347. &c. & p.354. uti & in Regn. magnet. p.66. &c. & idem in Arte magnet.* per sympathiam vult bufonem extrahere venenum ex corpore, idque eò potentiùs, si exaggeratum sit venenum, ubi bufo priùs plagis irritatus, & ad furorem fuit concitatus; quô factô arbitratur *Kircherus* in hominem à bufone emitti radios, & postmodum eò melius συγγένιον extrahi, ex homine lue pestiferâ contaminato, eumque ita liberari mediante bufone impositô. Hunc & similem in modum ratiocinantur autores de hoc periapto; qui plures verò verborum ambages de eodem periamate desiderat, *Helmontium* & alios plures, ejusdem & Kircheri mentem sequentes, adeat. Liberum interim cuiq; sit judicium, utrum fortè hæc etiam limam in quibusdam mereantur. Circa bufonum dictam præparationem id adhuc intactum prætermittere nolumus, si quid certi vel boni forsitan inde sperandum sit: indicat quippe *Marcus Marci*, quòd non parùm referat, in qua dispositione animalia moriantur, quorum partes ad usum medicum quæruntur. Modi autem operationum ejusmodi, per sympathiam efficaces & expositi, sæpe cùm occultis qualitatibus vel operationibus coincidunt: hinc alii bufonum vires ex aliis causis & rationibus deducere allaborant, quarum considerationi adhuc paulisper indulgebimus ad ductum quorundam autorum. Plurimi verò autores (juxta illud tritum: ubi virus, ibi virtus) ex iisdem animalibus lædentibus medelam petunt. Opem quoq; illam, vel operationem deducunt multi iterum ex similitudine, quâ simile volunt sibi appetere simile, atque sic à *Kircheri* stant partibus, qui tamen per sympathiam illud negotium exponit; de quibus paulò post plura in hanc rem subnectemus, ubi præmiserimus priùs autorum loca & testimonia, de medelis petitis ex venenatis & lædentibus animalibus agentia. Exponunt autem eadem dicta disertis verbis *Sennertus de consf. & diss. chym. c.18. p.349. Idem in prax. med. l.6. p.338. Crollius de signatur. int. p. 69. Basso l. de action. intent. 1. art.2. Abbatius de viper. nat. c. 21. p. 91. Simon Pauli quadripart. febr. p.52. §. 39. Camerarius mem. cent.6. part. 98. Casp. Theoph.*

Bierlingius adversarior. curiosor. cent. 1. obs. 4. p. 15. &c. Joh. Adam Weberus discurs. curios. & fruct. 39. propos. 6. p. 638. Febrius de scorzonera p. 129. Zwelferus Pharm. Reg. p. 143. Porta mag. nat. l. 1. c. 18. p. 41. 132. &c. Atque idem autor *in Phytognomonicis l. 3. c. 2. p. 142.* peculiarem titulum de hac materia habet: videlicet de herbis & animalibus, quæ damna & remedia præstant. Jungantur adductis autoribus idem sentientes *Thom. Bartholinus dissertat. Epistolica de transplantatione morborum p. 9. &c. Schwimmerus curiositat. phys. p. 138. §. 14. & 15. Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. dec. 1. Ann. 1. obs. 57. p. 153. Wilh. ten Rhyne medit. in Hippocrat. text. 24. de veteri medic. p. 111. Gregor. Horstius operum tom. 3. decad. 10. problem. 8. p. m. 110. & Velschius observat. Episagmat. 92. p. 60.* qui postremus autor in scorpionis ictu scarificationem præmittendam esse svadet, priusquam scorpio imponatur ictui. Legi quoque in hanc rem potest *Sitonus Jatrosoph. miscell. tr. 26. & tr. 28. p. 153.* In loco modò dicto quorundam autorum sententiæ etiam adducuntur, qui modò per antipathiam, modò per sympathiam animalia venenosa, proprio sive suo veneno mederi statuunt. Denique quia nemo penè hactenus ejusmodi dogmatibus obloqui facilè ausus est, citandus nobis adhuc (simplicitate, vel credulitate minùs contentus, sed solidæ veritati curiosè intentus) *Franc. Redi Epistola de viperis* (quæ adhæret etiam *dec. 1. anno. 1. misc. nat. curios.*) *p. m. 18. vel p. 44.* & quidem in editione, quæ adhæret laudati autoris *experimentis circa res Indicas.* Laudabile erit, ait ille, fidem non dare ejusmodi nugis, quales invenire est apud *Plinium, Aëtium, & Quintum Serenum Sammonicum,* quòd caput recenti viperæ avulsum, sicque calidum & cruentum morsicaturæ impositum antidotum sit mirabile ejusdem veneni. Plura alia ejusmodi figmenta ad veritatis stateram examinata reperies in ipsius scriptis; cui, propter plura ejusmodi salutaria ab ipsius industria inposterum expectanda, vitam longævam & sanitatem inconcussam comprecor. Licet verò illa adducta multò errore & obscuritate scateant; quòd scilicet venenata animalia, & horum partes variæ exterius corpori, vel partibus læsis appensæ aut applicatæ, propter similitudinem,

virus extrahere, aut ab insultu venenorum tueri polleant; id tamen rationi aliquali etiam minùs consonum videtur, quòd venenata varia, præcipuè ex animalibus venenatis lædentibus petita, morbo illato ab iis mederi itidem debeant, si intus admittantur, vel assumantur in corpus. Notum enim est, quòd in morsu canis rabidi ejusdem canis hepar, (juxta *Gregor. Horstium tom. 2. p. 334.* allegatos apud Exc. *Christ. Franc. Paullini cynographia c. 5. p. 134. Schorerum medicin. peregrinant. p. 154.* aliosque autores) & alias partes pro interno usu commendent; de corde videatur iterum laudatus *Paullini l. c.* Quidam sanguinem caninum quoque in curanda Hydrophobia juxta *Galenum*, *Serapionem* & alios recipiunt. Carnes salitas animalium rabidorum ab ægrotis comestas similiter commendat *Jacob. Caranta lib. 2. decad. medico-phys. c. 8.* Plura de similibus prostant in catalogo nostro amuletorum de hydrophobia, & paulò inferiùs sequentibus non longè ab his. De dictis & aliis partibus ejusdem canis lædentis, laudatis tamen in morbo dicto, plura quoque suppeditat *Joh. Bapt. Porta phytognom. l. 3. c. 2. p. 144.* Hujusmodi verò medelas â similitudine itidem pendere (quâ scilicet sese invicem venenata aggrediantur, & è corpore moveant, vel extrahant) miror statuere, ex neotericis, (cum antiquarint ista) *Willisium de febr. p. 236. Kircherum regno magnet. p. 70.* & alios plures. De operatione sanguinis canini dicti, vide sîs rationem *Ficini apud Baricellum horto genial. p. 160.* & sine dubio miraberis ipsius simplicitatem. Multi hanc doctrinam illustrant lepidô illô simili, cujus superius etiam mentionem fecimus inter venenatorum amuletorũ operationem ventilatam *p. 321.* quòd scil. lumen majus trahat minus, atque pari ratione debile venenum trahatur à fortiori. Eodem scopo fusiùs hanc doctrinam pertractat *Jacob. Gaffarellus curiositat. inauditis Latinè redditis p. 95. &c.* Sed quæ in modò dicto loco superiori ad hanc doctrinam respondimus, ea denuò hîc repetere supersedemus. Utrum interim hæ traditiones curiosis omnibus satisfaciant, dum pro arbitrio quorundam hominum medicamentis vel amuletis ejusmodi vires affinguntur, vel attribuntur, quas neutiquam

possident:

possident, vel sibi vendicant, addubitamus. Per accidens etiam nonnunquam medicamentis illis effectus tribui potest, qui neutiquam ex vi peculiari appropriata & alexipharmaca oritur, uti paulò post veritatis indagandæ gratia dispiciemus; plura meditata reservaturi in locum commodiorem, ubi agemus de oleis, & oleo scorpionum inprimis, quomodo ictui illorum & venenis resistere videantur, uti & quomodo butyrum in peste prodesse arbitremur. Non minùs nobilis quæstio huc spectat de venenatis animalibus, in quibus venenata qualitas cessare vel evanescere creditur à quibusdam, post ipsorum mortem. Notum enim est ideò proverbium, cujus *Helmontius* aliquoties in suis scriptis mentionem facit: *Morta la bestia, morto il veneno*; quòd mortuus non mordeat. Si verum illud esset, intentio illorum & ipsius Helmontii vana foret, qui scilicet venenatam qualitatem exaltatam sua in præparatione bufonini amuleti, propter flagellationem bufonum, comparare satagunt, & quidem post extinctos bufones etiam non perituram, unde quoque pentacula ista efficacia censent. Atque sic hoc in loco, uti in aliis non paucis suorum scriptorum non satis memor, & tenax propositi atque curiositatis videtur *Helmontius*. Sicuti autem illorum ausus neutiquam probare possumus, qui scientes, ac volentes verè venenatorum animalium partes, (cum aliàs non semper venenatæ putatæ bestiæ in furore succumbant, aut eôdem furoris vel venenatæ qualitatis gradu extremô laborent) contra eorundẽ morsus aut mala ab illis illata vel metuenda extollunt: ita nec eos temerarios vel incautos esse volumꝰ, qui post mortem venenatarum bestiarũ (præcipuè in furorem variò modô antea concitatarum) venenô omni destitutas illarum partes pronuntiant, atq; pro alexicacis potiùs efferunt & usurpant. Laudare hac in materia iterum deprehendes quospiam autores, venenatas illas partes, ac si à similitudine sua virus, & nescio quâ ratione alia, attrahere valeant; de qua operatione etiam paulò superius quæpiam adduximus. Caute potiùs mercari discant ex proximè dicendis ii, quorum studium incautum vel confidentia circa

ejusmodi bestias rabidas vel venenatas, uti & amuleta, vel alia medicamenta, interna inprimis, ex iis conficienda occupatum est. Hac in sententia, uti alioquin amicitiâ, ita consensu addictum habemus *Exc. Christ. Francisc. Paullini Cynographia curiosa p. 134.* Non desunt autem ea exempla, quæ testantur animalia rabida extincta similes affectus induxisse iis hominibus vel animalibus, quæ carnes illorum devorarunt. Stramen etiam, in quo rabida animalia cubarunt, devoratum ab aliis animalibus, (de quo etiam *laudatus Paullini l. a.*) item gladium quo plures ante annos rabida bestia fuit interempta, nec non oscula, vel halitus similem labem intulisse, testimoniis probatur apud *Eberh. Gockelium* von denen wütenden Hunds-Bissen. Salivam, etiam citra morsum corporis, cuti illitam minùs tutam censet *Ambr. Pareus operib. chirurgic. l. 20. c. 13. f. 583.* Illam perniciem itidem inculcans svadet ut saliva ista confestim salsugine eluatur, *Lev. Lemnius mirac. occ. nat. l. 3. c. 5. p. m. 305. & 306.* Sic phlebotomum, quô balneator antea partem à cane rabido morsam scarificavit, fœminæ ejusque lactenti infanti similem labem excitasse notavit *Petr. Rommelius tr. de de peste part. 2.* Notabilis est quoque illa historia *Bauhini* ab *Isbr. Diemerbræckio de peste l. 2. c. 3. p. 118.* allegata, quòd suem rabidam occisam, ac minùs altè in terra defossam vulpes eruerint, atque de illa vorarint, unde istæ in rabiem actæ, similem istam labem morsu suô aliis pecoribus & hominibus communicarint. Alias plures talismodi stupendas historias reperies annotatas *l. a. c. 6. p. 144.* Hactenus recensita & alia plura, de veneno in partibus rabidorum animalium enecatorum residuo, reperire itidem licet in citati *Gœkelii tr. de venenis p. 92. &c.* De cane rabido parem relationem, ac paulò ante ex *Diemerbræckio* adduximus, annotat *Crusius* in der Schwäbischen Chronik *part. 3. lib. 11. c. 10. p. 628.*

Notatu dignũ etiam est, quod contra quorundam opinionem res venenatæ coctæ, vel bruta rabie in vita affecta, non omnem vim veneni exuant, sed (exemplis id attestantibus) comesa pausam vitæ vel rabiem similem intulerint, de quo iterum *Diemerbræckius l. c.* & ex *Minsteri Cosmograph. August. Etzlerus*

in

in Isagoge phys. mag. med. c. 7. p. 163. Sic lepram etiã à coctæ carnis leprosæ usu ortã consignavit *Joan. Scultetus armament. chir. part. p. 2. obs. 100. p. 138. Borellus cent. 1. obs. 75. Kircher. de peste p. 206.* Notatu digna etiam sunt, quæ recenset *Ristius* oder der Rüstige im allerredelsten Nasß *p. 43. &c.* quod duodecim personæ unica in domo rabiem contraxerint à lactis (fine dubio cocti) usu, quod à vacca rabida petitum fuit; cui adde similiter *Timeum l. 7. cas. 23. p. 44. &c.* Innuit insimul *Ristius l. c.* quod in vicu quopiam comitatus Pinnenbergii equus rabidus glande plumbea trajectus ac enectus, minùs decenter terrâ obrutus vel absconditus, sed in aprico campo jacuerit; de quo omnes penè canes illius loci vorantes rabiem contraxerint, qui postea multos homines atrociter, vel in templis etiam, invaserint ac momorderint, unde bimestri spatiô plures quam quinquaginta homines rabiem contraxerint & à *Ristii* pulvere viperino composito curati fuerint. Locum hic etiam invenit illa quæstio, an animalium, contagiô pestilenti vel aliis morbis interemptorum, pinguedine vel sebô ad candelarum fabricam, vel smegma adhibitô tutò uti possimus, de quo *Sitonus iatrosophia p. 37.* Nos arbitramur cautè eo in negotio procedendum, & declinandum id potius, atque ideò in Rebus publicis in opifices istiusmodi attendendũ esse; utpote qui à carnificibus vel aliis ex locis istiusmodi materiam suspectã sæpe vili pretiô acquirunt atque coëmunt, & ideò inter alia adminicula citiùs ditescunt. Annotat de hac re historiam *Wierus lib. 3. de præstig. dæmon. c. 39. & lib. de lamiis cap. 19. §. 4.* quod in Ducatu Wirtenbergico, non procul à Tubinga, Carnifex veneficii non ignarus, anno 1564. in pecoribus tollendis suæ artis specimen ediderit. Etenim cum ex pacto huic cederent morticinorũ animalium coria, atque alia, quæ huic usui esse possent, hic nequam boves, oves & porcos in pascua ex more deductos, venenô clam peremit; unde hic frequenti nimis pellium numerô, sevi item & pingvedinis copiâ infinitis fere talentis Augustæ Vindelicorum & Argentinæ venum expositis distractisq;, dives brevi evasit. Proinde suspicione oborta, veneficii accusatus,

quæ-

quæstionibus ipsi antea familiaribus subditus, rem universam confessus est, deditque pœnas forcipibus ignitis distractus in principio Augusti. Dum verò attigimus bruta contagiosô vel morbô gravi extincta, & pericula inde metuenda, non obstat fortè illa objectio, quod lues varia hominum non æq; pecora, vel vice versâ horum morbi homines afficiant; cui objectioni aliâ commodiori occasione satisfaciemus. Sed ad rabidorum & verè venenatorum animalium partes revertemur, quas tutò neutiquam (ob confidentiam vel ætiologiam priscorum) forinsecus etiam morsibus vel vulneribus ab iisdem inflictis, imponendas esse censemus: propter insitum enim suum virus, vel salivâ solùm, aliâve ratione conspurcati pili, aut partes aliæ periculô non vocant. Novi enim, vel demum inde modò metuendi, veneni communicationem corpus inde concipere potest, quod venenum antea non ita corpori morsu immissum vel communicatum potuit esse. Paulò ante adducta pericula à rabidorum animalium partium externo usu, vel contrectatione solùm, orta cautè nos omninò versari in illarum tractatione jubent; etiamsi à plebejis æquè, ac peritis viris in morsu canis rabidi modò hepar, modò cor, modò pili, aliæve partes exterius impositæ commendentur. De dictarum partium usu isto alioquin noto, si placet consulantur *Ambros. Paræus oper. Chir. lib. 20. c. 14. p. 584. Christ. Francisc. Paullini cynograph. c. 5. p. 134. c. 8. p. 137.* aliique autores pene innumeri. Quod pili dicti alias medelam morsus rabidi canis constituere debeant, videtur etiam tritum illud *Germanorum* (sine dubio ex eo usu deductum) indigitare, dum hesternam vel contractam ebrietatem novô potu repetendo curari innuunt: Hundes Hare drauf legen. De qua usitata loquendi formula non nulla disseruimus *disputatione nostra de literatorum potu c. 2. §. 57.*

Ecquid boni itidem sperabimus à partibus venenatorum vel rabidorum animalium, cùm internus usus etiam sangvinis sanorum animalium ideò inter alia prohibeatur, ne cum illo mores animalium hominibus inducantur; movet id etiam quosdam, ut dictum sangvinē mitium & minùs suspectarum bestiarum in transfusione rejiciendum censeant. Mirabamur autem

autem ante viginti & tres annos circiter illam doctrinam infusionis & transfusionis in medicinā irrepentem, cui nos, non admodum eô tempore in medicina versati, exiguum usum vel perseverantem existimationem, æquè ac Sylvianæ physiologiæ atque pathologiæ (sit honor verò therapevticæ) pollicebamur. Ut pauca quæpiam adhuc de sangvine bestiarum adjiciamus, referunt fide digni autores, quod ex potu sangvinis felini (quem felem non adeò labe quapiam affectum fuisse colligo ex locis allegandis) mores felini in puero quopiam fuerint excitati; de quo *Beckerus in microcosmo ex Weinrichii de monstris c. 15. Sennertus prax. l. 6. f. 661. & Institut. l. 2. part. 3. sect. 1. c. 7. p. 386. Libavius singular. l. 2. p. 164. ad 182. Bartholinus de sangvine vetito, Reinesius var. lect. p. 34. 35.* & Exc. *Garmannus de miracul. mort. l. 1, p. 23. §. 12.* & *Hier. Jordan. de div. in morbis c. 24. p. 93.* De quopiam pene dementato ex usu crerebri felis *Phil. Salmuth cent. 3. obs. 99.* De plurimis hactenus memoratis variorum rabidorum animalium adjunctis, partibusque variis eorundem similem labem & contagium multis modis propagantibus, legi merentur collectanea apud *Joh. Schenckium observ. med. l. 7. f. m. 860. & c. 860.* Addi his potest de felis dicti, aliorumve animalium & humani sangvinis usu pernicioso atque vetito, crebrò à nobis citatus *Paullini l. a. cap. 14. p. 152.* Plures alios idem argumentum pertractantes jam prætereo, ne nimis longe recedam à materia periammatum; interim materiam illam examine majori haud indignam censeo. Atque hæc huc usque ventilata suspicionem & cautionem meritò cuivis suggerent de animalibus furiosis vel in furore extinctis, eorumque partibus variis; ne ambiguam escam vel medelam ex periculosa illorum nassa quis facilè capiat. Dubius proinde hæreo, legens illā relationem pharmacopæi apud *Sim. Pauli quadrit ртito Botanico p. 331.* de gramine Norvegiæ ossifrago, quòd si devorent istud bruta, ossa eorundem ceræ instar mollescant; liberentur verò ab hac labe, si ossa animalium simili malô extinctorum contusa loco medelæ applicentur; utrum hoc veritati, vel traditioni vanæ annumerem, dubius inquam hæreo. Plura de eadem planta, à se

 equidem

equidem visa, sed nondum satis explorata vi tradit *Th. Bartholinus*, & in hujus verba in scholio *Celeb. Sachsius in Miscell. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. Ann. 1. obs. 38. p. 125. & 126.*

Quòd v. post mortẽ in hominib⁹ ac brutis venenata qualitas remaneat, quæ à rabie vel morbis venenatis, aut a venenis ipsis pri⁹ illis fuit illata in vita, id inter alia etiam comprobant funera vel cadavera peste interemtorum; veluti erronea nobis etiam adhuc lis hæc dirimenda & quibusdam ansa periculorum eximenda est in mox sequentibus. *Rondeletius autem lib. de curandis febrib. cap. de febre pestilenti*, & cùm eo *Carolus de la Font. dissertation. de peste 1. cap. 21. p. 113. &c.* nec non plures alii statuunt, quòd cadavera peste sublatorum non sint contagiosa, quòd tamen vix respondet experientiæ. Arbitrantur autem illi prius statuentes, quòd propterea cadavera dicta non sint venenata vel contagiosa, quia non ampliùs respirant, vel exhalant virulenti quid. Verùm num hoc argumentum sufficiat probandâ illi pro quæstione, prudens quilibet facilè subsumet. Non applaudunt etiam *Rondeletii*, aliorumque idem statuentium, sententiæ *Isaac. Roët, in peste adumbrata l. 1. Aphor. 56. &c. Casp. Hoffmannus de febr. c. 57. p. 339. Francisc. Plempius tr. de peste p. 9. & 10. Casp. Rties*, & quos allegat in suo *campo Elys. quæst. 65. n. 10. & 11. p. 888. &c.* & *Diemerbræckius de peste l. 4. p. 272.* Nequaquam autem ejusmodi funeribus vel cadaveribus peste interemtis omne contagium denegari potest, licet corpus alterum alterô majus venenum, putredinem, atq; contagiô suô inficiendi potestatẽ contineat. Ecquid enim respondebimus iis, qui experientiâ edocti testantur, quòd vestes post longa tempora ex cistis resumtæ, vel sepulchra retecta, (in quibus tumulati fuerunt longè ante peste defuncti,) denuò pestem excitarint. Utrum ergò hæc contagii potestas non æquè insit funeribus, subsumant curiosi naturæ scrutatores. Taceo infinita, quæ pariter hoc probare possent. Eccur libitinarii multi sæpe pereunt funerib⁹ humandis destinati, quos tamẽ ante novem años in peste experientia docuit in celebri quopiam loco citiùs conservatos fuisse, postquam funera omnia capulis inclusa, & non nuda sepulta.

pulta, nec manibus nimiùm tractata fuerunt. Non temnendum quoque videtur illud monitum, quòd funera peste interemta non ita diffudisse observata fuerint pestilens contagium, quæ linteô madefactô obvoluta fuerunt. De quæstione sequenti, cui volupe est, evolvere potest *Diemerbræckium l. c. p. 299.* aliosque plures, videlicet: an contagium sit fortius in morientibus vel statim mortuis, aut fortiter adhuc spirantibus; ubi autor posterius magis adstruit. Utut hoc non omninò impugno, neutiquam tamen cadavera illa immunia contagii pestilentis disseminandi arbitror; de quibus plura etiam prostant apud modò citatum autorem *lib. 2. c. 3. not. 12. p. 116. &c.* Peste confectorum corpora non ita inficere suô contagiô, nisi putrescant, arbitratur atque sic deterius quid de corporibus defunctorum statuit *Grulingius* von der Pest *p. 59.* Docet item *Th. Jordanus in pestis phænom. tract. 1. c. 18. p. 194. &c.* quòd cum peste infectis conversatio sit periculosior, quàm si cadavera illorum tractemus. Sed funera dicta etiam inficere peste indicat *Greg. Horstius tom. 2. l. 7. p. 364. Th. Bartholinus de anatom. pract. p. 13. &c. Mart.* Hammer *in Dei sagitta pestilentia* in der 4. Predigt *p. 97.* Similiter mortuum corpus citiùs, quàm vivum contaminare sana corpora docet, ac simul quôpiã exemplo id illustrare conatur *Herm. Follinus Amuleto Antoniano p. 175.* Vid. etiã *Exc. Joh. Christian. Mackius* in der Schutz und Nothwehre gegen die Pestilentzische Seuche *edit. Schneeberga 1680. cap. 3. memb. 3. §. 16.* Autor hic ventilans quæstionem illam de mortuorum corporum contagioso statu, tres conditiones vel tempora illorum constituit, quandò scilicet illa modò exspirarunt & adhuc calent atque varios venenatos halitus aut vapores emittunt; deinde quando post hunc statum rigent, nec adeò copiosa effluvia virulenta emittunt; ac denique quando iterum putrescere incipiunt, atque sic majorem, imò maximam contagii sævitiam ista minari ait. Uti his non audeo refragari, ita etiam nullum statum ex his periculô vocare a[illegible]umo: cùm experientiâ docente, alterum funus alterô veneni majorem portionẽ continere, atque ideo excrementa & contagii majora adminicula

 sparge-

ſpargere polleat. Cùm etiam ex ſanis alia perſona præ altera citiùs inficiatur, aliosque inficiat facilius, prout ſcilicet adminicula congrua huic negotio intercedunt; ideoq; funera hujusmodi omninò cautè tractanda ſunt, velut hujus aſſerti teſtimonia plura ex ſubſequentibus patebunt. Hinc à quibusdam meritò rejicitur mos ille ſepeliendi corpora in templis tempore peſtis, de quo nos alia occaſione pluribꝰ acturi ſumus. Scitu non minùs neceſſarium eſt etiam illud monitum, quo ſvadent funera, & cadavera peſte ſuccumbentia ſatis profundè in terra ſepelienda eſſe, ne adeò iſtorum putredo, fœtor, & contagium aëri atq; conſequenter ſanis communicetur. Taceo, quod corporum peſte mortuorum Anatomia ſit periculoſa & prohibita, de quibus benè agit *Thom. Bartholinus conſilio de anatomia Pract. p. 12. &c.* Pro mea ſententia confirmanda & *Rondeletii* opinione unà refutandanda, locus etiam extat apud *Rod. à Caſtro de peſte Hamburgenſi;* qui ſimul ſvadet, ne cadavera peſte extincta nimis diu in ædibus relinquantur. Taxat quoq; laudatus autor *l. c.* Germanorum morem, quòd communiter apud illos tertiò demum die à morte corpora ſepeliantur. De eodem monito, quòd citiſſimè cadavera mortuorum ſepulchris mandanda, & altè defodi debeant, agit *Paul. Zachias quæſt. med. leg. lib. 3. tit. 3. qv. 4.* Verum omninò eſt, quòd funerum corruptio, atque hinc fœtor & contagium majus oriri poſſit, ſi eadem inhumata nimis diu aſſerventur. Intendunt illud etiam verba *Naſonis*, dum canit:

Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ,
Mira loquor, non illa canes, avidæque volucres,
Non cani tetigere lupi, dilapſa liqveſcunt,
Afflatuque nocent, & agunt contagia latè.

Svaderem ergò, ut juxta aliorum quoque ſcriptorum monita, funera à morbis malignis & contagioſis relicta proximè loculis inferrentur, & terræ mandarentur, dilatâ funeris deductione, pompâ, vel exequiis in aliud tempus. Idque inter alia ideò etiam ſvadeo, ne nauſea, timor, aliave mala iis perſonis, præcipuè verò gravidis concitentur, quæ exequiis interſunt. Dis-

plice-

plicere eò magis debet populo passim usitata funerũ ostensio & ostentatio ante & inter exequias in ædibus, templis, cœmeteriis, &c. Licet etiam pestis tempore quidam post horas aliquot revixerint, resurgentibus fortè spiritibus vitalibus antea sufflaminatis, & circulatione sanguinis revertente, antea aliquandiu cohibitâ; rarò tamen id contingit, vel aliis etiam cautionibus omne illud periculum antevertere possumus, ne fortè maturâ sepulturâ perire sinamus eos, quorũ vitam seria mors nondum delevit. De quibus omnibus fusius aget noster *tractatus* aliquando edendus *de peste*, si Deo vitæ datori & conservatori placuerit. Nationibus quibusdam mos fuit, ut oscularentur mortuos, quòd verò taxat & prohibet *Concilium Antisiodorense*, videlicet, ne mortuis Eucharistia aut osculum detur; atque id inter alia rectè prohibitum credo propter metuenda subinde contagia.

Acclamare autem huic nostræ prolixitati videtur finis nostri hactenus dicti discursus, quòd ad scopum sit properandum: Veniam verò à Benevolo Lectore expectamus, si interea aliud fortè, & quidem non minùs utile vel curiosum quid, nobiscum reputavit, aut ex insertis reportavit. Demonstrare quippe hisce dictis & adhuc dicendis intendimus, quòd etiam venenatarum bestiarum partes non omni periculô sint destitutæ, hinc cautam illarum tractationem & applicationem facilè quivis colliget. Admodum frequenter verò hæc materia in medicina, & inprimis in doctrina amuletorum occurrit. Sic dentes solitarios viperarum non usurpari posse, cùm lethale sit, si quis dente viperæ, etiam mortuæ tangatur, astruit *Claudinus de ingressu ad infirmos appendice p. 456.* Dentes istiusmodi equidem venenatos esse in vivis vel mortuis viperis, contra quosdam non facilè concedit *Franc. Redi*, (*in Epistola ad oppositiones in suas observat: circa viper. ascripta, & in dictis iis observationibus*) non negat tamen *ibidem*, quòd interdum capita resecta à trunco viperarum post aliquot dies demùm adhuc vivant; etiamsi denique non vivant illa, morsu tamen vel punctu suô dentium virus in vulnera immittere, vel ex ore emittere materiam citrinam & venenatam possint. Non dirimam

mam verò jam litem, utrum dentes dicti viperarum in furorem concitatarum, æquè ac animalium aliorum irritatorum & furiosorum, lædere & venenatam qualitatem propagare possint, citra ejusmodi humorem à domino Redi accusatum. Id solùm ex h ctenus dictis colligo & concludo, quòd partes rabiosorum animalium, & quibus furor vel virus est inductum per irritationem, verbera, aliaque plura adminicula, non tutò usurpari, vel tractari possint, ob suspectam illorum constitutionem; veluti plenius aliquandò dissertatione *de morsu rabidorum* hoc ventilabimus. *Galenus* equidem adstruit animalia venenatis telis necata comedi posse, uti & pisces, coccô rebus aliis admixtô, inebriatos, juxta *Reies*; verùm inductionem, ab indemni unico usu, vix tutò constituendam aut deducendam esse putamus. Si itaque tantum venenum etiam inest bufonibus, & longè quidem auctum per modum illum *à Kirchero* aliisque injunctum: miror, cur salubres adeò pronunciet istos venerandus ille Pater, penitùs aliàs dissvadens mineralia venena, quæ Zenechta ingrediuntur. Posthæc nescio, quem in scopum *Joh. Hiskias Cardilucius* von der Pestilenz *p. 80.* præcipiat, ut bufones arefacti latique facti vel tusi lapide aut malleô, madefiant acetô rosaceô, priusquam imponantur buboni? Plures, qui similem bufonis præparationem, vel inunctionem oleô M. Ducis Hetruriæ factam, illique adhibitâ pro dicto usu & in febribus malignis tradunt, consignavit *Exc. Chr. Francisc. Paullini in bufone descripto p. 120.* Num verò venenata qualitas bufonis priori dictâ ratione quadantenus corrigi, vel acetum veneno bubonum fortiùs resistere, illudque domare debeat, (uti *Cardil.* dictus aliàs crebrò pesti curandæ acida opponit, licet acidum insimul non rarò pro causa efficiente accuset) ignoro. Interim ut obiter his inseram, constat Lipsiæ anno 1680. bufones dictô modô præparatos, ac bubonibus pestilentibus impositos minùs intumuisse, aut profuisse; quemadmodum etiam Zenechta ex bufonibus, aliisve rebus præparata multos à morte nequaquam liberarunt, teste autore des Leipzischen Pestschadens

und Gottes Gnade *ſ.21.&25.* Confer etiã *Excell. Aug. Quir. Rivini tr. de peſte Lipſienſi p.124.* Similiter quòd Dresdæ anno 1679.&c. eadem & ſimilia periapta venenata non conduxerint, fidem faciunt, qui curationi peſtis illic præfuerunt.

Horũ ductu devolvimur iterũ in conſiderationem operationis bufonũ,&bufonini Zenechti,quã operationẽ quidam in nudam ſimilitudinem mutuumve reſpectum veneni curantis & curandi referunt; veluti paulò ante autorum ſententias de his tradidimus. *Helmontius tumulo peſtis f.184.&c.* dicit bufonem præſervando magis,quàm ſanando in peſte prodeſſe; quam intentionem irritam magis alii declararent, qui Zenechta fruſtranea, vel noxia dicunt, niſi infectis corporibus applicentur. Imò verba illa non concordant cum reliqua ſententia ipſius autoris circa hoc amuletum declarata. Alii tamen efficaciam illam bufonum in alias evidentes magis cauſas rejicere malunt. Dominus Cardilucius *in citati libri appendice* von der Peſtilenz *p.108.* putat bufones operari propter frigiditatem & ſiccitatem, quâ ſimile venenum peſtilens illi è corpore trahant; non aliâ ratione,quàm poma,ova, rapæ aliæque hujusmodi res gelu tactæ & induratæ corriguntur, & reſtituuntur quadantenus priſtino ſtatui,quando in nivem vel aquam frigidam iſtæ immittuntur;vel ſicuti ambuſtæ partes ignis calore &c. curantur. De his judicium relinquo curioſo Lectori, meam ſententiam de eodem jam ſuſpendens. Annectere præterea quoque allàtis his lubet de bufonis Zenechti operatione verba Nob. *Joh. à Felde in tract. de peſte p.163.* legenda: Attractiva venenorum, inquit, ſunt bufones in ſole exſiccati vel etiam aliô modô præparati, quemadmodum Helmontius ſuum Zenechton confecit; ſed hoc amuletum nihil attrahit,præter venenum ſimile illi,quod bufones habent,ſeu quod ſaturninũ eſt,& cũ ſummâ frigiditate conjunctũ. Confer etiã *ibid.p.185.&189.* Loco ultimo memorato itidẽ indicatur duplex peſtis differentia,quod ſcil.eadem arſenicalis vel bufonia ſit,&ideò cuiq; congruum ſuum amuletũ tribuitur;verba verò

illic:

illic reperienda ita habent: pestis ea causam habet venenum arsenicale, cujus symptomata sunt sitis, æstus vehemens, paralysis, spasmus, tussis sicca, ulceratio interiorũ viscerum. Quòd si ergo hæc symptomata sese offerant, conducet amuletum arsenicale (juxta *Quercetanum* superius indicatum;) sin verò pestis communiter sit conjuncta cum stupore, inflatione membrorum, vapore stupefaciente, & sideratione, signum est pestem oriri à veneno saturnino, & tunc adhibendum erit amuletum bufoninum. Cæterùm etiamsi diversa, vel contraria symptomata in peste observentur, ad unicam causam primariam tamen ista refert non malè tandem autor des Leipzigen Pest-Schadens §. 4. Interim verò ii promptiùs rationes probabiles de operatione bufonum reddent, qui in peste, ulceribus, pustulis, scabie, & cæteris ejusmodi affectibus acidum, tanquam præcipuam causam vel agens accusant; cui doctrinæ mustea salium tamen nunquam me totùm mancipare volui hactenus aliquot annis præterlapsis, propter varias difficultates, quibus eadem ab autoribus hactenus tradita (& perfectè nondum fortè absoluta) laborat. Fateor, quòd veri species citiùs dictô modô affingi possit illi operationi, quàm si cum aliis (rectiùs fortè statuentibus) arbitrer, pestem consistere in materia vel causa quapiam salino-sulphurea subtili, penetrante, attenuante, rodente, atque ad corruptiones disponente non sine specifica malignitate. Id obiter simul hoc loco circa dictam doctrinam salium à *Tachenio* reparatam moneo, ne cœco impetu tyrones medicinæ in ejusmodi novas sectas & opiniones, nondum satis excultas, irruant, aut à doctoribus etiam ad illas ducantur. Fit quippe hac ratione, ut principia dubia illis suggerantur, & principiorum veterum cognitione (quia tædiosa ipsis illa reddita sunt) iidem destituantur, atque ideò dubii reddantur, quid credere, quidve statuere debeant! De doctrina enim ista salium, in paucis primò consistente, dici nõ inique illud tritum *Aristotelis* posset: quod *qui ad pauca respiciunt, facilè fallantur*. Proh! quot nova, & sectæ medicæ paucis ab hinc lustris ortæ sunt, quot itidem asseclas & patronos ipsæ nactæ,

&

& quas mutationes, ecclipses, refutationes, ruinas & interitus iterum passæ sunt eædem, imò sæpe etiam ab iis, qui doctrinas illas S. Evangeliô pene certiores aut firmiores prius amplexi sunt, atque istas propagarunt. *Pauli* itaque monitum seqv. salutare nobis esse potest in multis dubiis: *omnia probate, & quod bonum est, retinete.*

Utrùm verò alcali vel acidum in peste dicta magis accusari mereatur, suo tempore & loco commodiori accuratius dispiciemus. Interim insecta communiter ex alcali volatili constare, moderni salium doctores pleniùs exponunt. Omnia etiam insecta dicuntur dolorē sopire, statuente id *Cardano*, cui nimium indignari videtur *Scaliger Exercitat. 193.* Multa verò insecta citiùs, quàm omnia istâ dictâ vi prædita esse admitterem. Bufonibus etiam vim dolorem sistendi tribuit *Helmontius tumul. pestis;* de quo dubitare videtur *Scaliger l. a.* Alioquin etiam *Helmontius* inde sumit indicium pestis, si buso applicatus dolorem sedet. Egregiô quoque narcoticô constare bufones asserit itidem *Aug. Etzlerus in Isagoge phys. mag. med. c. 7. p. 164.* Qui itaque pestem, bubones, & dolorem ex acido deducunt, facilè probabilem rationem operationis in peste de bufonibus reddent; de quo tamen, quid veri subsit huic doctrinæ, aliquando in *tractatu de peste* accuratiùs dispiciemus. Verùm enim, sive hæc, sive opposita causa salium peccet & abundet in peste, quæritur non immeritò, quomodo exigua ejusmodi pentaculi particula, trochiscus, vel placentula ex bufonibus præparata, adeò insignes effectus præstet in peste, si loco amuleti geratur. Ranas præterea cum bufonibus plurimùm convenire credo, uti etiam in præcedentibus promiscuum usum quibusdam medicis in peste familiarem indicavi; ranis & similibus animalibus itidem vim paregoricam denegare videtur *Scaliger l. c.* In bubonibus sine dubio conferunt bufones, vel ranæ etiam, quatenus substantiâ suâ spongiosâ, fotu, calore, vi maturante & alcalinâ, imò anodynâ quadantenus inserviunt curationi bubonum. Confer insimul de ranarum simili usu *Schröderi Pharmac. med. chym. l. 5. p. 331.* Vix autem persvasum mihi habeo, vim specificam, & à ranis alioquin

aliisque infectis vel animalibus quibusdam distinctam, inesse bufonibus. *Exc. Just. Ortholph. Marolius in Loëmographia p. 81. &c.* pariter non sibi persvadet arefactos bufones in bubonibus curandis aliâ ratione operari, quàm siccitate & spongiosâ substantiâ suâ, quâ conveniant cum ipsis ranæ vel alia similia animalia. Dehinc si tantum bufonibus illis inesset virus, uti communiter statuunt, neutiquam tutum eorum usum censerem, præcipuè si respicio ad paulò ante dicta de venenatis bestiis; quemadmodum ideò etiam bufonum æque, ac aliorum venenorum usum minùs tutum censet *Diemerbroeckius de peste p. 174. &c.* Sic etiam venenatorum periaptorum operationem, exploratu aliàs difficilem perpendens *Francisc. Plempius de peste p. 22.* inquit: quâ vi amuleta ista pestem arceant, incertum est; imò an arceant, incertum itidem est. Atq; ideò is de illis etiam incertam ibi autorũ mentem adducit; imò quia quosdam nõ observavit læsos illorum gestatione, tandem non omittenda ista censet. Isthæc etiam amuleta ex bufonibus parata tandem & ego non rejicerem, si à veneno vel suo, vel alio ingrediente libera essent pronuncianda; fiduciam enim interdum in his ponunt homines, atque sic minùs timent mala à peste; sed ne in idololatriam, vel temerariam confidentiam abeat illa spes, probè insimul attendendum est. Similiter animadvertat quivis, ne in morbo hoc sævissimo, atque celerrimo spem suam collocet solum in pendaculis iis, & quibuscunqne aliis, ne moras ita concedens morbo, negligat præsidia legitima interna; quæ sæpe, tamẽ infirma & irrita sunt, licet justô tempore & maturè à peritis medicis adhibeantur. Ecquid ergò ab externis nobis promittemus, cùm etiam validæ doses probatorum & optimorum alioquin elexipharmacorum internorum sæpissime suô fine salubri destituantur truculento isto in morbo, & titulis suis minùs respondeant. *Doctor Irmblerus in Epistola ad Zwelfferum data (apud Zwelf. in Pharm. Reg. p. 140.)* dicit trochicos ex bufonibus confectos, & ad mammam sinistram ligatos, animositatem quandam indicibilem contulisse, atque ita miasmata & effluvia pestilentialia abercuisse. Id si pluries

con-

contigit, sine dubio ex firma confidentia erga dictum Zenechtum concepta ortum traxit; de confidentiæ verò vel imaginationis effectu in pentaculis juxta autorum ductum, in præcedentibus & subsequentibus plura adducuntur. Intactam etiam hoc loco prætermittere nolumus cautionem, annotatam *à Grülingio in floril. chym. p.473.* ubi prohibet, ne venenata ejusmodi (inter quæ sine dubio bufones inprimis numerat) mulieribus appendantur, instantibus mensibus; cùm nonnulla vim sistendi sangvinem habeant, uti de bufonibus inter hæmarrhagiæ periammata plura occurrunt.

Nostra hactenus adducta solicita inprimis fuerũt de Zenechto illo *Butleri* ab *Helmontio* divulgato; in adductis nihil reperimus, quod periamma hoc præ aliis excellens aut salubre reddat, nisi fortè alicubi lateat experientia iterata, de qua tamen nihil solidi adhuc nobis innotuit. Si præterea *Helmontii* doctrinam de illo Zenechto examinamus, illi omninò fabulas physicas nonnullas intersertas deprehendimus, & lusus Rhetoricos vel svasorios. Admodum dubitamus insimul, an *Helmontius* tàm reliquæ curationis pestis, quàm efficaciæ suæ Zenechti peritiâ firmâ, & probatô usu instructus fuerit. Num vero alii etiam conscii fuerint quondam, quod *Butlerus* Londini aliquot millia hominum à peste liberarit *amuletô illo*, & quòd ipse *Helmontius* longè validissimum amuletum illud repererit, nullus alius autor hactenus nos certiores reddidit. Ob certas ergò rationes, brevitatis gratia jam reticendas, ambigimus tam diu de mediocri illius efficacia, usque dum quis manus nostras oculatas decenter saturet, vel expleat veris experimentis; atque tunc (stupescentes nos illud inventũ) efferemus Dei im̃ensam misericordiam, quòd medicamentum istud arcanum, tantumque thesaurum pro arcendo morborum isto tyrañо hominibus adeò clementer revelarit. Addimus insimul his, quod admodum rara existere credamus istiusmodi amuleta, quæ animi motus varios suscitare valeant suâ vi insita. De Zenechto illo paulò ante memorato dubium quoque videtur, utrùm legitimũ fuerit, quod *Butlerus* dilaudavit,

si possedit talismodi; cùm illè maturè ab Helmontio in exilium secesserit. Præterea cur *Helmontii filios duos* lues pestilens è vita sustulerit, nec ancillæ illius pepercerit, hariolentur causam alii, & de istius amuleti absentia vel impotentia subsumant. Silet quoque hujus Zenechti laudabilem usum, & invehitur potiùs in illud aliaque periammata similia, Londini Anno 1665. inania, & perniciosa magis reperta *Nath. Hodges Loimologia p. 239.* Non applaudit etiam huic Zenechto *Dan. Ludovici de medicin. moderna disp. 1. p. 303.* & allegati apud *Exc. Christ. Franc. Paulini de Bufonis descriptione p. 117.* Minus quoque sibi satisfacere rationes *Helmontii*, de magneticis suis Zenechtis productas, indicat *Joh. Joh. Georgii* von der Pest und Cometen Lust und Natur-Saltzes Magneten *p. 45.* quibus, si vis, junge non admodum applaudentia loca consignata apud *Exc. Christ. Helvigium consil. medic. de peste p. 123.* Quòd verò domini *Cardilucii* testimonium de hoc Zenechto concernit, illud dubio fundamento, uti forte etiam alia ipsius dogmata de peste, innituntur. Est & alius *Medicus, qui in tractatulo suo edito* insigniter commendavit illud periamma; sed vereor, ne ille *Kircheri* solùm vestigia legens, & facilè huic credens, facilè quoque fallatur, aliosque fallat; & quidem titulô gaudet dictum scriptum Untersuchung der Pestilentz. Prodierunt itidem año 1680. Dresdæ tres plagulæ (quarum autor creditur Dominus *Schochwitius*) illic p. B. 2. commendatur singulariter itidem *Bnleri* illud amuletum, exteriùs circa orificium superius ventriculi appensum; adducuntur etiam ibidem non nulla experimenta, ac si in peste, febribus malignis, ungarico aliisque similibus morbis contulerit illud; quod si pluribus testimoniis inposterum confirmabitur, admirabor id, & majoris, quàm hactenus, æstimabo. Nodus tamen videtur adhuc in citato loco latere, dicit quippe dictus autor, quòd præservet amuletum istud juxta Dei assistentiam à pestis insultu, nisi temerariùs quis se periculo pestis exponat. Verùm si quis semper periculum, & contagii periculum vitare, & ab eo abesse potest, non facilè peribit in eodem: Procul enim à Jove procul

cul à fulmine. Vix etiam alias à terrore, imaginatione vel somnio concipit quis pestem, si absit omnis contagionis pestilentis, sive latentis, sive patentis ansa & suspicio. Idem autor paulò antè dictus *l.a. p. B.7.* excipit quoque de operatione illius sui amuleti, quòd vincatur à forti imaginatione vel timore, infectionem aliàs facilè admittente. Meminit etiam hic autor, quòd dictum amuletum timorem propellat à gestantibus hoc; quod si iterata experientia verè hoc comprobaret, magni æstimandum foret illud. Vereor tamen ego, ne evidens contradictio in dictis verbis lateat; fortè autoritas *Irmleri, Helmontii*, aliorumque à credulitate stipata ibidem plus valet, quàm solidior experientia. Lucem etiam autor ille suæ doctrinæ non parùm conatur fœnerari ex *Cardilucii* allegatis libellis, quod alios itidem autores video facere, & inposterum facturos esse credo; idque ideò, quia imperiti rerum medicarum & Latinæ lingvæ, Germanis scriptis contenti esse solent, aut novis rebus & opinionibus nimis properè se addicunt. Si quis *Kircherum* de hac materia evolvit *l. c. sect. 3. c. 6.* inibi quidem verborum lepórem, sed nullum ferme leporem veritatis atque experientiæ de dicto amuleto (vel ipsô fatente autore) venabitur. Hisce absolutis, breviclaudemus materiam amuletorum ex bufonibus & venenis compositorum; si verò hactenus adducta ratiocinia nostra de Zenechto non cuivis arrident, materiæ difficultatem pensitabit, & quòd juxta tritum, in magnis voluisse sat sit. De Zenechtis enim idem fortè dici potest, quod de venenis: sic autem *Faber Lynceus in animal. novæ Hispaniæ Nardi Antonii Recchii p.782.* ut semel, inquit, simulque dicam, in tota arte medica vix quidquam magis controversiis implicitum, quàm venenorum materiam existimo; cùm nondum constet, quibus rebus etiam veneni vox propriè competat; adeò inter se digladiantur doctores atque ductores nostri &c. De eadem difficultate conqueritur etiam celeberrimus *Thom. Reinesius Epist. ad Nesteros Ep. 1. p. 1.*

Aggredimur posthæc etiam memoranda mitiora atque tutiora in peste à multis laudata periammata. Cardiaca itaque

que & Bezoartica meritò præferuntur suspectis & venenatis, de quo videatur consentiens *Gockelius de peste c.19.p.71.* & alii plures. Non omittendus hoc loco nobis videtur benè in hanc rem scribens *Joh. Anton Saracenus in commentar. de peste c.19.p.17. &c.* Consentaneum autem dicit esse, periamata, cardiaca, vel alexiteria collo subnexa pestis tempore cordi robur conferre, spiritus vitales excitare, & colligere: dum vires languidas farciant, & vitæ illud principium ad venenenatæ materiæ expulsionem excitent, & opem ferant non mediocrem. Consentit cum his adductis *Petr. Rommelius* im Bericht von der Pest *p.92.* & plures alii. In loco eodem citato etiam composita quædam ex mitioribus ejusmodi medicamentis pestifuga consignata prostant. De spirituosorum ac fœtidorum laude & operandi ratione videatur *Horstius l.2.p.555.* Plura *de fœtore & fœtidis* etiam nos aliquando peculiari dissertatione depromemus. *Platerus de febr. p.m. 223.* ait: Saphyrus, Hyacinthus, Smaragdus, Unicornu & Ebur collo gestata, ut nudum pectus attingant, in peste præstare putantur; sicuti etiam pentaphylli, & dictamni radices; Betonica item cum radice, si manibus gestetur. De vegetabilibus his confer etiam *Bartholinum in cista medica p.230.* Betonicæ radicem gestatam cor ab omni veneni genere sartum tectumque tueri, literis prodit etiam *Saracenus de peste c.7. p.229.* Loci hujus ductu commentatur non nihil de radice dicta crebro laudatus *Helvigius l.a.p.140.* Porrò Lysimachia altera, eaque lutea *Ruellio teste lib.3.c.78.* paulò supra bubonem alligata (forsitan, quia multa pollet adstringendi vi) deorsum pestilens virus depellit, & ad subditas partes exprimit, inibiq; id tandem collectũ sursum regredi, vel partes principes repetere hoc nõ patitur, unde pestifuga vulgò appellatur. Aster Atticus etiam non tritus modò, & impositus, sed & inguini ipsi adalligatus, earum sedium inflammationibus non mediocri est auxilo: qua de causa βουβωνὶς nomen quoque obtinuit ante & nunc, etiam hodiè retinebit; hactenus adducta annotavit *Saracenus l.a, p.241.* A bubonibus itẽ nusquam corripi eum, qui hyoscyamum secum habeat, ex *Mizaldo* (*de memor. cent.3. Aph. 86.*)

86.) refert *Joh. Jac. Weckerus de secretis l.5. c.4. p.201.* & *Schenckius in obs. l.6. p.800.* Sed de binis his postremis periaptis inter amuleta bubonibus opposita etiam quæpiam continentur. Alii porrò conyzam seu pulicariam gestatam contra pestem valere asserunt, memorante *Saraceno l.a. c.7. p.240.* Sic etiam *Helvigius l.a. p.140.* radicem chelidoniæ majoris in novilunio vel plenilunio collectam colloque appensam à *Minderero & Paracelso* laudari scribit; de quo itidem *Eberh. Gockelius de peste p.72.* Addit ibi quoque autor quod periapton illud fœminis summè profit. De peculiari ejusdem radicis interni usus laude pro curanda peste, & quòd ideò radix illa quasi cœlidonia dicatur, legi meretur *Casp. Keglerus* im Regiment wider die Pest *Lipsiæ edito 1566. p. F.11.* Idem laudatus *Helvigius l.a. p.141* juxta locum non procul ab his adductum *Saraceni*, inquirit in conyzam, qualẽ speciem ille amuleti loco commendet, & cæruleam (alioquin contra puerorum fascinum à *Sennerto, Rolfincio* aliisque pluribus admissam) existere autumat. *Helvigius* iterum *l.a.* juxta quorundam autorum ductum annulum ex brancæ Ursinæ radice, & quidem certò tempore ac modô collectæ, præparare docet, quem *Tenzelius* in peste, *Turnheuserus* verò in melancholia, tristitia &c. salubrem pronuntiet. Teste *Rod. Goclenio de peste p.70.* salubriter quoque collo alligantur radices Petasitis Angelicæ, Valerianæ, Ostrutii &c. Sunt autẽ modò dictæ radices, juxta instructionem ibidem additam, leviter priùs deradendæ, acetôque intingendæ. Similiter Angelicæ radicem, tanquam aptum periaptum ad arcendam pestem, etiam pronuntiat *Schröderus Pharmac. l.4. p.16.* Dehinc *Uratislavienses Medici* in der infections-Ordnung *edit. 1680. fol. part.2. p.9.* docent à quibusdam etiam amuleti loco commendari radicem carthami & lapathi acuti. Sic (ille, Ecclesiastici doctoris ferè, vel oraculi domestici instar, in Germania à multis plebejis existimatus) *Joh. Colerus in œconomia rural. & domest. part.2. l.3. c.35. p.318.* eandem forsitan radicem intelligit (licet radicem lappatii cornuti exprimat ille locus) quam cum radice plantaginis & cichorii cuti nudæ appensam prodesse in peste ait. Autor idem.

idem ibidem quoque innuit, quòd divites frustulum unicornu in ore abscondere vel detinere possint salubriter, atque id nullum venenum in os penetrare vel ingredi permittere vult. Ex *Bald. Ronssei venatione medica p. 97.* habemus hæc:

Est animal, quod habet tantum unum in vertice cornu,
Cujus si quisquam resecans de tergore zonam,
Gestet, percipiet pestis contagia nulla.

Annectere his etiam lubet, quæ citatus *Colerus l. a. c. 17.* confidenter asseverat, quòd sani facilè à muliere infecta lue pestilenti affici possint, si hæc eos intueatur; basilisci enim naturam illam induere asserit. Imò si mulier ejusmodi lunam adspiciat, & sani postea eandem oculis usurpent, similiter hos pestem contrahere statuit dictus autor. Muniri autem contra periculum istud metuendum vult autor eos, qui chelidoniam collo appensam circumferant. Præterea lappæ, carthami, & plantaginis aquaticæ majoris radicem laudari ab aliis, memorat etiam *Tob. Heinsius* im Unterricht wegen der Pest-Fieber *p. 19. Berolini edit. 1680.* De iisdem, & colchici radicibus itidem svasis loco amuletorum, agit kurtzer Unterricht von der ansteckenten Seuche und Pestilentz *ibidem edit. eodem anno.* Sic si sapphirus, & succini lucidi frustum periapti vice collo appendatur, posteaquam priùs per septem planetarios pulsus confrictum fuerit, tanquam zenexton verum in peste laudat *Helmontius de magnet. vuln. curat. §. 34. 35. & 37. & in tumul. pest. p. 182.* &c. Utrum verò numero frictionis insint scintillæ superstitionis, judicent alii. *Helmontius* inter alia etiam de Sapphiro memorat in loco priori citato, quod potentior reddatur, si sæpius exsuxerit venenum. Quomodo Sapphirus vel Hyacinthus eô modô adhibita operetur, vide sis opinionem *Marc. Marci philos. veter. restit. p. 494.* Magni præterea quoque æstimanda foret Sapphirus, si carbunculi pestilentiales exciderent brevi, posteaquam (videlicet vicesies aut trigesies circiter) gemma illa circa carbunculum fricandi actu ducta fuerit, velut docet *Joh. Hisk. Cardilucius* von der Pestilentz *p. 84.* Statuit quoque ibidem autor, quòd loco Sapphiri etiam crystallus

stallus ad negotium dictum adhiberi possit, & ita quidem, ut solis radii per illam una ducantur circa carbunculum pestilentem; in quibus dictis fortassis tamen difficultas quæpiam adhuc, minùs jam attingenda, latet. Porrò *Schroderus in pharmacop. l. 3. p. 511.* de succino ita: alii, inquit, commendant illud pro amuleto in peste, si eo pulsus sæpe fricentur. Magnopere etiam laudat succinum *Bernh. Croneburgius lib. de peste*, *Cnœffelius in appendice Miscellaneorum Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 1. Anni 6. & 7. p. 65. Matth. Zach. Pillingius de bitumine p. 112. Joh. Guiliel. Managetta* in der Pest-Ordnung *c. 8. p. 98.* Exc. *Christ. Helvigius l. a. p. 134.* Inseram his, quæ circa succinum aliave periapta pesti opposita monet Medicus insignis, beat *Conr. Victor Schneiderus disputatione de peste Witteb. 1680. habita c. 6. §. 16.* de amuletis, inquit, quæ magni apud multos æstimantur, tribus verbis monemus, eorum alia, ut characterismi & scripturæ varii generis esse superstitiosa, magica & illicita; alia, ut succinum album, & composita varia ex camphora, angelica, cornu cervi, sale Ammoniaco &c. collo appensa parum prodesse, aut saltem id agere, quod non noceant. Ut de gemmis adhuc non nihil præmissis addamus, *Muncerus Euporistis Cratonian. p. 801.* mallem, ait, loco arsenici Hyacinthum magnum, Smaragdum aut Sapphirum circa cordis regionem gestare; cùm Hyacintho præcipuè magna vis à veteribus tribuatur. Gemmas has recensitas laudibus etiam evehit *Plinius*. De hyacinthi quoque laude, si collo suspendatur, aut digito gestetur, vid. *Aëtius tetra. 1. Serm. 2. c. 35. Frid. Hoffmannus clave Schröderi p. 153.* item *Schroderus pharmacop. med. chym. l. 3. p. 328.* ac *Rueus l. 2. de gemmis.* qui citatus autor ultimus, & quos jam recensebo, etiam superstitiosum gemmæ dictæ usum frequentem aliàs in peste attingunt, ac vituperant: nimirum *Hieron. Kromayerus comment. ad Apocal. p. 557. Alstedius Theol. natur. p. 384. & Lilius* im Himml. Jerusalem *p. 40. &c.* Quoad licitum usum, laudat quoque Hyacinthum *Manardus*, Smaragdum *Avicennas*, Saphirum *Cardanus*, Topasium *Serapion*. Mirandum etiam foret hoc negotium, quod refert *Laur. Scholtzius Aphorismor. medicinal. sect. 1. Aph. 697. p. 286.*

 Smarag-

Smaragdus, inquit, in febribus pestilentibus, si non potest vincere morbum, frangitur. De modò enumeratis gemmis, quibus placet evolvant etiam *Grulingium* von der Pest *p. 23. Gockelium de peste c. 19. p. 72. & eundem de venenis p. 30.* item *Quercetanum.* Gemmas easdem memoratas, ut & Carbunculum, Adamantem, Achatem, Rubinum, & Jaspidis speciem, Turchinam dictam, à venenis corpus sartum tectum tueri, tradit ex autoribus itidem *Saracenus l. a. p. 210. &c.* Idem autor ibidem *p. 250.* Corallii rubri efficaciam simili modô proficuam in peste explicat. Non dissvadet item corallia in peste, (quia eadem alba à mulierculis gestata subinde observavit facta,) laudatus *Helvigius l. a. p. 138.* Jaspidem collo appensum ab aëre immundo & pestilenti gestantem immunem reddere, ex aliorum relatione refert *Bald. Ronsseus Epist. med. 22. p. 65.* De gemmarum dictarum & aliarum potestate, contra venena & pestem deprædicata, trahi potest huc etiam *Bartholinus de lap. Nephrit, c. 10. p. 23. §. 3.* uti & allegati autores in *Diemerbræckii tr. de peste p. 177.* Recenset quoque gemmas ejusmodi *Mars. Ficinus de vita cœlit. compar. l. 3. c. 12. p. 215.* arbitratur insimul autor, quòd illæ, atque unicornu & lapis bezoar ideò à venenis & peste tueantur, quia carnem tangunt, & calefacta hinc virtutem suam promant, nimirum vim cœlestem spiritibus inserendo; vim autem illam à spiritu mundi per radios stellarum singulariter proficisci, iisque rebus infundi statuit autor. De unicornu v. venenis propellendis apto, inter venenorum amuleta paulò inferiùs agemus; illud non raro enim in peste commendant autores, veluti de fossili eodem, commodo magis ad amuletum pestifugum, propter suam siccam & attractivam facultatem, videri potest iterum *Helvigius l. c. p. 129.* Reliquum unicornu in peste, quale amuletum autores velint, cum sententia id approbante *Helvigii* videatur in ipsius *l. a. p. 136. &c.* Trahimus huc non immeritò etiam locum sequentem ex *Ol. Borrichii Hermetis sapientia p. 322.* de topazio, inquit, apud Ambrosium *Michaël Mercatus* narrat, temporibus Gregorii XI. Pontif. Max. fuisse Medicum Romæ, qui peste correptos solô tactu topazii curabat. Porrò nec hæc

intac-

intacta sinam, si fortè major efficia ex gemmis, partibus certis decenter applicatis, expectanda sit: Monet quippe *Rodolph. Goclenius de peste p. 70. &c.* ut hyacinthum gestent collo, adamantem sinistro brachio, sapphirum digito annulari, smaragdum vel hyacinthum indice, turcosiam & rubinū aňulari vel auriculari seu minimô &c. Varios etiam autores in peste aliisque morbis amuletorum loco gemmas laudantes consignat *Christ. Helvigius l. c. p, 123.* Quale verò amuletum vel pestifugum medicamentum existere quidam velint lapidem Bezoar, ex allegatis quibusdam colligere licebit apud citatum *Helvigium p. 137.* ibidem etiam autor de margaritis agit, quale in peste præbeant amuletum. Dictus lapis bezoarticus, uti alias contra pestẽ, ita etiã cõtra alia venena, à quibusdam laudatur; de quo inter amuleta venenis resistentia, subsequentia à nobis adducenda, plura continebūt. Inter alios verò istum lapidem etiam *Joh. Anton. Saracenus de peste c. 7. p. 217.* ex cervice suspensum, vel ita alligatum, ut nudam carnem sinistri lateris contingat, præsidium adversus venena censet. Sed gemmis hujusmodi recensitis, & lapidi bezoar paucam, vel nullam alexipharmacam vim in peste commendabilem, tam quoad internum, quàm etiam externum usum, & quidem autorum quorundam ductu, tribuit *Joh. Lazar. Gutierrez in febrilog. tom. 1. curs. 8. lect. 10. p. 229.* Parum quoque efficaciæ iisdem & aliis amuletis, atq; inter hæc lapidi quoque bezoar tribuit (etiamsi quis sacco cuipiam eô repleto immittatur) *Joh. Guilielm. Managetta* in der Pest-Ordnung *à Sorbaito edit. cap. 8. p. 97.* Imò omnis penè vis amuletis ibi derogatur, & potius internis medicamentis ritè præparatis tribuitur. Vim tamen aliqualem à siccitate gemmarum dependentem admittit citatus *Gutierrez*, qui simul in loco dicto ideò legi meretur; utpote qui illic unà refutat eos, qui divinam, & absurdum efficaciam gemmis tribuunt. Dehinc *Petrus Monavius in Cratonis Consil. & Epist. l. 2. f. 408.* à Chirurgo Viennensi se didicisse fatetur, quòd multi sint usi, locô amuleti, radice plantaginis majoris cum admixto pulvere lavendulæ, quam collo appenderint, non sine laudabili effectu.

De eadem radice, in sacculo cordis regioni adaptata, & commendata in peste, agit etiam *Jonstonus Thaumatograph. n. 1. class. 5. c. 34.* De encomio dictæ radicis quoque legenda quæpiam prostant in *Helvigii l.c. p. 142. Petr. Rommelii* Bericht von der Pestilentz. *p. 92. Camerarii Syllog. mem. cent. 3. part. 34. in Timæi consil. de peste* im Weymarischen Artzney-Buche *lib. 2. part. 2. p. m. 111.* Plura testimonia de eadem radice paulò inferiùs quoque recensebimus. Confer etiam de eadem radice *Andr. Schillingii Loimographiam tripartitam p. 212.* quo in loco autor quoque memorat laudati ab aliis notam melis pellem, & gemmas gestatas paulò ante à nobis dictas. *Autor* des kurtzen Berichts / wie sich in Sterbens-Läufften zu præserviren *An. 1628. edit.* Augspurg 120. præfert etiam venenatis aliàs commendatis dictam pellem, & radicem illam non longe antè commendatam, uti & ostrutii, bardanæ, chelidonii, valerianæ & gentianæ; gemmas item aliquot, & unicornu frustulum. Porrò Rutam appensam, sed certô tempore prius collectam, in peste prodesse dicit *Hybnerus myster. sigill. p. 67.* Autor citatus *l. a. p. 132.* docet item ex saturninis, martialibus, & solaribus herbis sumere plantam unicam, atque componere amuletum contra pestem proficuum; de modo v. ritè applicandi ac præparandi istud, consulatur locus dictus. Vereor autem insimul, ne dicto illi amuleto superstitiosi quid intersit. Sic porrò etiam aliis placet recipere inter periapta pesti opposita radicem solisequii, seu cichorii, lappæ cornutæ, & levistici. De duabus his prioribus, & radice taraxici in taleolos secta, colloque appensa, sine superstitiosa collectione, inter alios vide *Balth.* Summern im Unterricht von der Pestilentz *Witteberga 1597.* Deinceps *Schroderus (in pharm. l. 4. p. 41.)* contagiosô aëre in conclavibus cepam suspensam, contagium attrahere dicit quosdã velle. Sunt etiam alii, præter allegatos à nobis paulò ante, qui pellẽ taxi pilosam volunt collo gestari tempore pestis, contestante illud *Timæô l. c. & Casp. Jugeliô* im Maulwurffs-Fange *p. 56.* Mox sequentia jam petita sunt ex *Gockelii l. c. p. 71. &c.* dum inquit: in peste lingva serpentis, lunâ plenâ, ex vivo isto desumta & gestata, summè prod-

prodest: Spatiô mensis alia succrescit serpenti, quod testatur *Hartmannus disp. chym med. 10. de peste agente §. 88.* Verùm admodum credulos vel simplices homines asserto illi fidem impertiri, non malè monet *Exc. Christ. Helvigius consil. med. de peste p. 127.* Arbitratur etiam laudatus autor *l. c.* quod loco lingvarum illarum glossopetræ sint intelligendæ, de quarum origine minerali, & usu amuleti instar in peste commendato, plura etiam occurrunt *ibidem.* Porrò *Gockelius* proficua pronuntiat cor bufonum ex vivo desumtum, similiter cor ranarum, exuvium serpentis gestatum, pellem leonis & felis collo appensam, cor item upupæ, lupi, talpæ, taxi, in plenilunio si excerpantur & collo appendantur. Hactenus citatus *Gockelius.* De tribus illis cordibus prioribus memoratis, iisque cum lingua serpentis laudatis contra infectionem, à mulieribus menstruatis inprimis metuendam, agit etiam *Mart. Forsterus in Antidoto Löimo-polem. p. m. 169.* Paulò antè citatus Exc. *Helvigius l. a. p. 137. ex Gockelio* aliisque autoribus de exuviis serpentum, pelle melis, leonis & felis, in peste loco amuleti laudatis agens, eadem partim experientiæ committit, partim suspecta censet propter pelliceam suam (ob contagium pestilens promptè suscipiendum) commodam constitutionem, quam fomitis loco communi aliorum sententiâ suspectam censet. Si quis tandem boni quid credat vel experiatur mitioribus ejusmodi periaptis inesse, illi licebit citiùs hæc adhibere, quàm venenata. Docet verò inter alia *Paracelsus de pestil. tract. 1.* quòd præter bufonem etiam rana, tinca, angvilla, murena, passer, gallus, pavo, cornix, & cervus pestiferum venenum ex homine extrahant & eliciant. Subsumit verò de his, & aliis similibus dictus *Paracelsus* ita: quæ enim conditio ac natura digestionis in animali est, quod venena digerit in materiam non venenatam: per eandem naturam eandem quoque materiam idem animal, seu vivum, seu mortuum sit, per integram hominis cutem exsugit & extrahit. Videtis enim, pergit ille, merulam, araneas & venenosos vermes digerere, velut & gallinam gallumque, & in aquis lucium, & ciconiam cum aliis animalibus pluribus:

Et cur hæc vobis non exemplo & documento sunt, quòd hæc animalia conceptum venenum ab homine prolectent, & extrahant? Docet quoque autor eodem in loco, quomodo pro diversitate pestis (dum scilicet hanc quadruplicem esse, & elementis quatuor illam respondere statuit) diversa recensita bruta pro curatione pestis adhiberi debeant. Sed vereor paucos assensum præbere ipsius conclusioni ita habenti: nam hæc omnia conferre, usus & experientia dictitat. Ulterius, quòd inter pestis alexiteria commendetur etiam lapis ex aspidis capite prodiens, sive illum suspensus aspis evomuerit, sive etiam è dissecto capite sit erutus. Sic quòd *Picus* etiam ætate sua venenatæ illius bestiolæ linguâ usus sit, legimus apud *Saracenum de peste cap.7. p.219.* Quid v. de lapillo modò dicto sentiat Exc. *Helvigius, l. a. p.127.* legi poterit. Non minorem vim contra exitialem pestem inesse lapillis aranearum & bufonum, accipimus à *Crollio Basilica chym. p. m. 293.* Lapillos hos duos, licet exigui sint, admirandum tamen pestis avertendæ remedium pronuntiat *Herm. Follinus Amuleto Antoniano p.205.* Lapidem aranearum, sine dubio etiam, uti araneam nuci avellanæ inclusam contra pestem militare arbitratur *Conr. Dietericus Antiqvit. Bibl. f.423.* ubi autor plura de hoc Arachnite, casu aliquando observato, tradit. Majoris quoque efficaciæ creduntur esse lapilli dicti, si mediante linteô, in quo primum menstruum virginis est exceptum, adpendantur. *Saracenus l.c.* mentionem etiam facit lapidis bufonii, vulgò crapaudina dicti, eumque perperam nonnullos cum chelonite confundere dicit; addit item autor, quòd hic lapis solùm in annosioribus bufonibus reperiatur, qui dudum in arundinibus rubetisve, inter sentes & vepres delituerint, & lapidem inde contraxerint vel asciverint, terram hinc inde circumlambentes. Modò non, ejusmodi lapis subinde in bufonibus reperiendus, ab iisdem cum terra sit prius deglutitus: veluti de gallorum, & hirundinum lapillis etiam suspicionem nostram similem in præcedentibus & subsequentibus aperimus. De dicto verò bufonum lapide in peste ac morsu venenato dilaudato

vi-

videatur etiam *Guil. Fabricius Hildanus in operum Epist. 96. f 1321.* Commendatur itidem bufonius lapis quispiam dictus, quinque libras ac tres uncias penè æquans, uti pro variis aliis effectibus ita etiam pro veneno, ex corde, ex carbunculis & anthracibus pestilentibus extrahendo, quod ex *Crusii Annalib. Suevic. tradit. Joh. Adam. Weberus part. 1.* der Unterredungs-Kunst *p. 430.* Plura in hanc rem inferiùs inter venenorum amuleta sequentur. Porrò viperæ ossa omnia, si ad collum in purpurea sindone colligata deferantur, ab omni venenato affectu pariter deferentem defendunt, & à peste liberant, velùt memorat *Abbatius de viper. nat. c. 21. p. 88. & 90.* Indos quoque se credere immunes ab aëris marini infectione & pestilentia, si gestent brachio armillam, factam ex albis setis in cauda elephanti (non nunquam inter nigras illic frequentiores) reperiendis, ostendit *Franc. Redi experimentis natural. p. 115. &c.* Non minus commendantur pestis tempore ossa cordis cervi circa cordis regionem appensa ab allegatis apud *Joh. Georg. Agricolam de cervo cap. 7. p. 154. & 158.* De camphoræ usu externo in peste deprædicato ex *Khunrathi medulla destill.* videatur *Mœbius de camphora, p. 55.* Camphoram etiam, uti & araneum cruce notatum, & avellanæ nuci inclusum, item frustum ligni fraxinei, atque consiliginem *Plinii* pro amuletis pestem fugantibus communicat *Staricius* im Helden-Schatze *part. 6. p. 530. &c.* Eadem extant, ex *Staricio* fortè petita (quem sequens sibi pro fonte aliàs familiarem habet) in *Mart.* Schmucks *occult. magic. magnet. morb. curat. p. 39. &c.* Illic etiam autor hoc experimentum adhùc annectit, quòd consiliginis radix extrinsecus amuletum; in corpus verò assumta venenum fit.

Tradunt alii præterea autores bulbum colchici venenatis morbis & pesti mederi, si instar amuleti collo adaptetur, de quo das Medicinische Bedencken wegen der Seuchen vor Zeitz *impress. Ann. 1680. p. 17.* De radice illa verò in æquinoctio autumnali colligenda, allegata quæpiam habet *Helvigius l. c. p. 138.* Eandem radicem Dresdæ añô 1680. ob multivagam & multivoram pestem multi collo appendisse dicuntur. Relatum, vel injunctum quoque accepi, quòd si primô locô gestata

ra-

radix madorem contrahat, alia in illius locum recipienda
fit. Sed de peculiari comperta efficacia illius nondum certi
quid accepi; admodum etiam dubito firmi quid auditum iri.
Easdem radices Pragæ atque Viennæ, non longè ab hinc præ-
teritis annis, pro peste avertanda sibi appendisse homines, te-
statur *Joh. Christian. Mackius* im Medicinalischen Bericht we-
gen der Pestilentz-Seuche *impress. Schneberga 1680. c. 3. memb. 1.*
Laudari etiam hanc radicem ait *Andr.* im medicinischen *me-
morial p. 12. quod prodiit Rudolphopoli 1680.* Commendatam itidem
sibi fuisse radicem istam loco certissimi amuleti dicit *Exc. Aug.
Quirin. Rivinus de peste Lipsiensi p. 63.* sed pro confidentia tandem
facere arbitratur. Recordor hanc radicem amuleti loco ante-
annos aliquot (ubi pestis Dresdam occupabat, illiusq; metus
partim perterrebat Misniam ac Thuringiam, aut ipsamet per-
reptabat) à Pharmacopæo quopiam eum in finem Philologo
atque Theologo cuipiam non vulgari in Thuringia, nec sine
encomio amplo datam fuisse; Verùm ille à domesticis suis de-
cumbentibus febrim malignam facilè colligens, solus inter-
istos, subitò morti parere fuit coactus. Parum efficaciæ quo-
que dictæ radici, tanquam infallibili aliàs amuleto in peste-
commendato, tribuit *Joh. Gulielm Monagetta* in der Pest-Ord-
nung *c. 8. p. 96.*

Non majori in æstimio est penes eundem autorem-
millefolium flore albô præditum, & in Austria pro pestilen-
ti aëre corrigendo laudatum, ac ante fenestras ab iisdem-
suspensum. Parvi quoque pendit autor ibidem *p. 97.* allium-
& cepas in conclavis alto loco suspensas; videlicet quòd vene-
num æquè, ac hircus (propter similitudinem vel mutuum re-
spectum) venenatos fœtores assumere vel sugere quasi debe-
ant. Cæterùm recordor in Thuringia, & Misnia à multis ho-
minibus præcedentibus annis corollas ex millefolio factas, &
in ædibus pro peste arcenda suspensas fuisse; in locis verò il-
lis, quæ pestis non invasit experientia de ejus successu laudabi-
li muta est. Utrum auxilium contulerit istud amuletum locis
aliis peste contaminatis ignoro, imò ambigo. Interim istud
ut superfluum, minùs noxium, neque superstitiosum tandem,
non

non est rejiciendum. *Guerner. Rolfincius in meth. medic. special. commentator. l. 11. sect. 1. c. 4. p. 87.* à vulgo corollas illas januarum postibus & ædium laquearibus appendi solere scribit. De hujusmodi periaptis aliquot recensitis videri quoque potest *Sennertus de Febr. p. 441.* Præterea non parum utilis censetur radix filicis è terra eruta, in cujus confinia ad passus unius amplitudinem vel spatium, nulla similis alia radix reperiatur, de quo das Weymarische Artzney-Buch *lib. 2. part. 2. p. m. 111.* Modò non circumstantia illa suspicionem superstitionis suggerat.

Dehinc inter composita occurrit sequens apud *Guil. Rondeletium in consil. 17. p. m. 87.* Recipiantur Rosarum rubr. cortic. citri, sicci coriandri, santalorum omn. ana uncia una, cyperi, usneæ in furno siccatæ, ana uncia una, styracis calamitæ drachmæ sex, mosci scrupulus unus, gummi Tragac. infusi in aqua rosarum q. s. f. sphærales globuli, quos gestari jubet tempore pestis. *Rolfincii* periaptum fuisse sequens dicitur: Recipe spec. cordial. temperat. drachmas tres, Theriacæ electæ drachmam unam, olei cinnam. citri, ana guttas sex, fiat massa balsamica. Ad normam ejusmodi apotropæi ex antea dictis simplicibus, aliisque congruis rebus, innumeræ formulæ compositæ confieri possent, si quis desideriô harum teneretur. Tutò etiam hæc composita, renovanda tamen subinde, in usum vocari possunt, si non maculâ superstitionis, vel veneni ingredientis laborant. Sublevant nos recensione prolixâ ejusmodi formularum alii autores non pauci, qui largâ manu offerunt cuivis illas desiderãti: Velut ideò evolvi quoq; possunt *Hæfer9 Herc. medic. p. m. 103. & 104. Gockelius de venenis p. 29. & de peste idem p. 72. 73. & 95. Sennertus de febrib. p. 458. Grülingius floril. chym. p. 476. Ludov. Hornink* im Würg-Engel *qv. 197. p. 276.* Ex superiùs recensitis rebus utilibus constant etiam Mithridatium Olympicum, Theriaca cœlestis, & suffuf æthereum *Schenemanni apud Paracelsum de morb. mercurial. contagiosis c. 5. p. 42.* Verùm hæc modò dicta medicamenta præsupponere non nulla, de quibus dubitandum adhuc sit, an dentur vel facile comparari possint, statuit *Helvigius loco sæpius citato p. 147.* Consulatur etiam si volupe

Annotata verò hæc reperies in *Diemerbræckii l.c. lib. 4. hist. 77. p. 329.* Saniores autē inter Pontificios doctores illicita ejusmodi neutiquam amplectuntur; sed potius rejiciunt. Potuissemus circa paulò ante proposita mitiora, & alexipharmaca nonnulla excurrere in eorundem operationem, nisi præter spem incrementa sumsisset nostrum scrutinium; aliam itaque occasionem pro eorum consideratione nobis pollicemur. Cui volupe interim est, elegantem disquisitionem de pharmacis videat apud *Zwelferum pharm. Reg. p. 142. &c. Claudinum de ingressu ad infirmos lib. 2. c. 22. p. 274. &c.* & alios plures.

Restant à nobis memoranda adhuc quædam autorum testimonia vel judicia de amuletis pestis tempore licitis aliàs & usitatis, magnique æstimatis à non paucis: *Palmarius de morb. contagios. l. 1. c. 7. p. 39.* statuit nullum pestilentis febris satis efficax amuletum hactenus deprehensum esse. Non procul ab hujus sententia recedit *Kozakus de sale p. 311.* inquiens: solus Deus per angelos moderatur pestis motum, & quidem ita, ut non fortuitò casu inficiantur infecti, vel moriantur morientes, vel à contagionis labe immunes serventur, alicujus extrinseci remedi vel amuleti adminiculô; sed solius Dei providentiâ & curâ; Conferatur etiam *ibidem p. 111.* De difficili pestis curatione, & non nisi à Dei clementia atque benedictione dependente, benè etiam disserit *Martinus Fabricius paradoxo loimode.* Conspirant cum sententia illa verba *Cratonis* allegata apud *Casp. Hoffmannum post officinal. medicamenta in Paralipomenis c. 80. p. 545.* Atque ibi inter alia de gemmarum interno atque externo usu, aliàs in peste adeò decantato, agens tandem concludit ita: Ex libro de peste inquit, anni 1585. *Norib.* (addo in peste proxima Noribergensi) peste mortui sunt sex medici. Putas tu prætermisisse illos aliquid in tutela proprii corporis? hactenus laudatus autor. Merentur quoque tandem huc trahi verba *Nathan Hodges Loimologia p. 239.* invehitur autem illic autor inprimis in zenechta pestis tempore commendata, atque ideò in hæc prorumpit: Proh! ait, dementiam, in tanta calamitate, inanibus & fictitiis, si non funestis inniti sustentaculis;

hæc ille. Moneo etiam fideliter, ne securum nimis quis se gerat in gestandis illis pendaculis, atque confidentiam inanem ponat in illis, & sic fortè ansam pesti appropinquanti, atque incrementa sumenti concedat: novimus enim, quod Alexipharmaca multâ experientiâ probata, largâque dosi porrecta suum finem & effectum sæpe non consequantur; quid rogo sola externa ejusmodi, exigua in quantitate appensa, promittent in tanta luis dictæ sævitia. Hinc Medici ingemiscere mecum tenentur:

Heu! miserè ludit nos, nostraque pharmaca pestis,
Isthæc auxiliô ni Deus ipse beet!

Deus verò pollet suos potenter tueri, ut à peste conserventur æquè, ac Israëlitæ, Mosis vel Dei jussu, januarum postes aut partes superiores ovium vel agnorum sangvine notantes vel inficientes *Exodi 12. v. 7. 13. 21.* Plura etiam de amuletis pestis mitioribus vel tolerabilibus, parvi tamen æstimatis, & parum utilibus repertis in Neomagensi peste testem consule *Isbr. Diemerbræckium l. a. lib. 7. c. 11. p. 171.* Quid Lipsiæ ante octo annos eadem periammata præstiterint, paulò antè ductu zenechti bufonii indicavimus. Absolutis itaque his in peste usitatis amuletis jam progrediemur ordine Alphabeti ad reliquam amuletorum classem, & porrò sistimus:

Philtra constituentia.

JAm solùm animi ferme gratia, animorum vincula vel philtra quædam significabimus, quæ tamen sine magicis artibus vix respondebunt suis viribus indicatis. Antirrhinum autem sylvestre philtri loco à mulieribus Cretēsibus adhiberi ex *Honorii Belli epistola ad Clusium p. 304.* allegat *Velschius in notis ad Hieronymi Reusneri obs. med. 7. p. 8. &c.* Post hæc viva herba, sicuti legitur apud *Garciam ab Horto*, cujuscunque virginis amorem concitare creditur, si gestetur; sed propter ceremonias in collectione herbæ illius Indis usitatas, suspectum & magicum censet hoc opus autor laudatus. Sic etiam cor & renes turturis exemti, venere in libra existente, die & hora veneris, venere

Smaragdus, inquit, in febribus pestilentibus, si non potest vincere morbum, frangitur. De modò enumeratis gemmis, quibus placet evolvant etiam *Grulingium* von der Pest *p.23. Gockelium de peste c.19. p.72. & eundem de venenis p.30.* item *Quercetanum.* Gemmas easdem memoratas, ut & Carbunculum, Adamantem, Achatem, Rubinum, & Jaspidis speciem, Turchinam dictam, à venenis corpus sartum tectum tueri, tradit ex autoribus itidem *Saracenus l. a. p. 210. &c.* Idem autor ibidem *p. 230.* Corallii rubri efficaciam simili modô proficuam in peste explicat. Non dissvadet item corallia in peste, (quia eadem alba à mulierculis gestata subinde observavit facta,) laudatus *Helvigius l. a. p. 138.* Jaspidem collo appensum ab aëre immundo & pestilenti gestantem immunem reddere, ex aliorum relatione refert *Bald. Ronssæus Epist. med. 22. p.65.* De gemmarum dictarum & aliarum potestate, contra venena & pestem deprædicata, trahi potest huc etiam *Bartholinus de lap. Nephrit, c. 10. p. 23. §. 3.* uti & allegati autores in *Diemerbræckii tr. de peste p.177.* Recenset quoque gemmas ejusmodi *Mars. Ficinus de vita cœlit. compar. l.3. c.12. p.215.* arbitratur insimul autor, quòd illæ, atque unicornu & lapis bezoar ideò à venenis & peste tueantur, quia carnem tangunt, & calefacta hinc virtutem suam promant; nimirum vim cœlestem spiritibus inserendo; vim autem illam à spiritu mundi per radios stellarum singulariter proficisci, iisque rebus infundi statuit autor. De unicornu v. venenis propellendis apto, inter venenorum amuleta paulò inferiùs agemus; illud non raro enim in peste commendant autores, veluti de fossili eodem, commodo magis ad amuletum pestifugum, propter suam siccam & attractivam facultatem, videri potest iterum *Helvigius l. c. p.129.* Reliquum unicornu in peste, quale amuletum autores velint, cum sententia id approbante *Helvigii* videatur in ipsius *l. a. p. 136. &c.* Trahimus huc non immeritò etiam locum sequentem ex *Ol. Borrichii Hermetis sapientia p. 322.* de topazio, inquit, apud Ambrosium *Michaël Mercatus* narrat, temporibus Gregorii XI. Pontif. Max. fuisse Medicum Romæ, qui peste correptos solô tactu topazii curabat. Porrò nec hæc

inta-

intacta sinam, si fortè major efficia ex gemmis, partibus certis decenter applicatis, expectanda sit: Monet quippe *Rodolph. Goclenius de peste p. 70, &c.* ut hyacinthum gestent collo, adamantem sinistro brachio, sapphirum digito annulari, smaragdum vel hyacinthum indice, turcosiam & rubinũ añulari vel auriculari seu minimô &c. Varios etiam autores in peste aliisque morbis amuletorum loco gemmas laudantes consignat *Christ. Helvigius l. c. p, 123.* Quale verò amuletum vel pestifugum medicamentum existere quidam velint lapidem Bezoar, ex allegatis quibusdam colligere licebit apud citatum *Helvigium p. 137.* ibidem etiam autor de margaritis agit, quale in peste præbeant amuletum. Dictus lapis bezoarticus, uti alias contra pestẽ, ita etiã cõtra alia venena, à quibusdam laudatur; de quo inter amuleta venenis resistentia, subsequentia à nobis adducenda, plura continebũt. Inter alios verò istum lapidem etiam *Joh. Anton. Saracenus de peste c. 7. p. 217.* ex cervice suspensum, vel ita alligatum, ut nudam carnem sinistri lateris contingat, præsidium adversus venena censet. Sed gemmis hujusmodi recensitis, & lapidi bezoar paucam, vel nullam alexipharmacam vim in peste commendabilem, tam quoad internum, quàm etiam externum usum, & quidem autorum quorundam ductu, tribuit *Joh. Lazar. Gutierrez in febrilog. tom. 1. curs. 8. lect. 10. p. 229.* Parum quoque efficaciæ iisdem & aliis amuletis, atq; inter hæc lapidi quoque bezoar tribuit (etiamsi quis sacco cuipiam eô repleto immittatur) *Joh. Guilielm. Managetta* in der Pest-Ordnung *à Sorbaito edit. cap. 8. p. 97.* Imò omnis penè vis amuletis ibi derogatur, & potius internis medicamentis ritè præparatis tribuitur. Vim tamen aliqualem à siccitate gemmarum dependentem admittit citatus *Gutierrez*, qui simul in loco dicto ideò legi meretur; utpote qui illic unà refutat eos, qui divinam, & absurdum efficaciam gemmis tribuunt. Dehinc *Petrus Monavius in Cratonis Consil. & Epist. l. 2. f. 408.* à Chirurgo Viennensi se didicisse fatetur, quòd multi sint usi, locô amuleti, radice plantaginis majoris cum admixto pulvere lavendulæ, quam collo appenderint, non sine laudabili effectu.

De eadem radice, in sacculo cordis regioni adaptata, & commendata in peste, agit etiam *Jonstonus Thaumatograph. n. 1. class. 5. c. 34.* De encomio dictæ radicis quoque legenda quæpiam prostant in *Helvigii l. c. p. 142. Petr. Rommelii* Bericht von der Pestilentz *p. 92. Camerarii Syllog. mem. cent. 3. part. 34. in Timæi consil. de peste* im Weymarischen Artzney-Buche *lib. 2. part. 2. p. m. 111.* Plura testimonia de eadem radice paulò inferiùs quoque recensebimus. Confer etiam de eadem radice *Andr. Schillingii Loimographiam tripartitam p. 212.* quo in loco autor quoque memorat laudati ab aliis notam melis pellem, & gemmas gestatas paulò ante à nobis dictas. *Autor* des kurtzen Berichts / wie sich in Sterbens-Läufften zu præserviren *An. 1628. edit.* Augspurg 120. præfert etiam venenatis aliàs commendatis dictam pellem, & radicem illam non longe antè commendatam, uti & ostrutii, bardanæ, chelidonii, valerianæ & gentianæ; gemmas item aliquot, & unicornu frustulum. Porrò Rutam appensam, sed certô tempore prius collectam, in peste prodesse dicit *Hybnerus myster. sigill. p. 67.* Autor citatus *l. a. p. 132.* docet item ex saturninis, martialibus, & solaribus herbis sumere plantam unicam, atque componere amuletum contra pestem proficuum; de modo v. ritè applicandi ac præparandi istud, consulatur locus dictus. Vereor autem insimul, ne dicto illi amuleto superstitiosi quid intersit. Sic porrò etiam aliis placet recipere inter periapta pesti opposita radicem solisequii, seu cichorii, lappæ cornutæ, & levistici. De duabus his prioribus, & radice taraxici in taleolos secta, colloque appensa, sine superstitiosa collectione, inter alios vide *Balth.* Summern im Unterricht von der Pestilentz *Witteberga 1597.* Deinceps *Schroderus (in pharm. l. 4. p. 41.)* contagiosô aëre in conclavibus cepam suspensam, contagium attrahere dicit quosdā velle. Sunt etiam alii, præter allegatos à nobis paulò ante, qui pellē taxi pilosam volunt collo gestari tempore pestis, contestante illud *Timæô l. c. & Casp. Jugeliô* im Maulwurffs-Fange *p. 56.* Mox sequentia jam petita sunt ex *Gockelii l. c. p. 71. &c.* dum inquit: in peste lingva serpentis, lunâ plenâ, ex vivo isto desumta & gestata, summè prod-

prodest: Spatiô mensis alia succrescit serpenti, quod testatur *Hartmannus disp. chym med. 10. de peste agente §. 88.* Verùm admodum credulos vel simplices homines asserto illi fidem impertiri, non malè monet *Exc. Christ. Helvigius consil. med. de peste p. 137.* Arbitratur etiam laudatus autor *l. c.* quod loco lingvarum illarum glossopetræ sint intelligendæ, de quarum origine minerali, & usu amuleti instar in peste commendato, plura etiam occurrunt *ibidem.* Porrò *Gockelius* proficua pronuntiat cor bufonum ex vivo desumtum, similiter cor ranarum, exuvium serpentis gestatum, pellem leonis & felis collo appensam, cor item upupæ, lupi, talpæ, taxi, in plenilunio si excerpantur & collo appendantur. Hactenus citatus *Gockelius.* De tribus illis cordibus prioribus memoratis, iisque cum lingua serpentis laudatis contra infectionem, à mulieribus menstruatis inprimis metuendam, agit etiam *Mart. Forsterus in Antidoto Lömo-polem. p. m. 169.* Paulò antè citatus Exc. *Helvigius l. a. p. 137. ex Gockelio* aliisque autoribus de exuviis serpentum, pelle melis, leonis & felis, in peste loco amuleti laudatis agens, eadem partim experientiæ committit, partim suspecta censet propter pelliceam suam (ob contagium pestilens promptè suscipiendum) commodam constitutionem, quam fomitis loco communi aliorum sententiâ suspectam censet. Si quis tandem boni quid credat vel experiatur mitioribus ejusmodi periaptis inesse, illi licebit citiùs hæc adhibere, quàm venenata. Docet verò inter alia *Paracelsus de pestil. tract. 1.* quòd præter bufonem etiam rana, tinca, angvilla, murena, passer, gallus, pavo, cornix, & cervus pestiferum venenum ex homine extrahant & eliciant. Subsumit verò de his, & aliis similibus dictus *Paracelsus* ita: quæ enim conditio ac natura digestionis in animali est, quod venena digerit in materiam non venenatam: per eandem naturam eandem quoque materiam idem animal, seu vivum, seu mortuum sit, per integram hominis cutem exsugit & extrahit. Videtis enim, pergit ille, merulam, araneas & venenosos vermes digerere, velut & gallinam gallumque, & in aquis lucium, & ciconiam cum aliis animalibus pluribus:

Et cur hæc vobis non exemplo & documento sunt, quòd hæc animalia conceptum venenum ab homine prolectent, & extrahant? Docet quoque autor eodem in loco, quomodo pro diversitate pestis (dum scilicet hanc quadruplicem esse, & elementis quatuor illam respondere statuit) diversa recensita bruta pro curatione pestis adhiberi debeant. Sed vereor paucos assensum præbere ipsius conclusioni ita habenti: nam hæc omnia conferre, usus & experientia dictitat. Ulterius, quòd inter pestis alexiteria commendetur etiam lapis ex aspidis capite prodiens, sive illum suspensus aspis evomuerit, sive etiam è dissecto capite sit erutus. Sic quòd *Picus* etiam ætate sua venenatæ illius bestiolæ linguâ usus sit, legimus apud *Saracenum de peste cap. 7. p. 219.* Quid v. de lapillo modò dicto sentiat Exc. *Helvigius, l. a. p. 127.* legi poterit. Non minorem vim contra exitialem pestem inesse lapillis aranearum & bufonum, accipimus à *Crollio Basilica chym. p. m. 293.* Lapillos hos duos, licet exigui sint, admirandum tamen pestis avertendæ remedium pronuntiat *Herm. Follinus Amuleto Antoniano p. 205.* Lapidem aranearum, sine dubio etiam, uti araneam nuci avellanæ inclusam contra pestem militare arbitratur *Cunr. Dietericus Antiquit. Bibl. f. 423.* ubi autor plura de hoc Arachnite, casu aliquando observato, tradit. Majoris quoque efficaciæ creduntur esse lapilli dicti, si mediante linteô, in quo primum menstruum virginis est exceptum, adpendantur. *Saracenus l. c.* mentionem etiam facit lapidis bufonii, vulgò crapaudina dicti, eumque perperam nonnullos cum chelonite confundere dicit; addit item autor, quòd hic lapis solùm in annosioribus bufonibus reperiatur, qui dudum in arundinibus rubetisve, inter sentes & vepres delituerint, & lapidem inde contraxerint vel asciverint, terram hinc inde circumlambentes. Modò non, ejusmodi lapis subinde in bufonibus reperiendus, ab iisdem cum terra sit prius deglutitus: veluti de gallorum, & hirundinum lapillis etiam suspicionem nostram similem in præcedentibus & subsequentibus aperimus. De dicto verò bufonum lapide in peste ac morsu venenato dilaudato

vi-

videatur etiam *Guil. Fabricius Hildanus in operum Epist. 96. f 1321.* Commendatur itidem bufonius lapis quispiam dictus, quinque libras ac tres uncias penè æquans, uti pro variis aliis effectibus ita etiam pro veneno, ex corde, ex carbunculis & anthracibus pestilentibus extrahendo, quod ex *Crusii Annalib. Suevic. tradu. Joh. Adam. Weberus part. 1.* der Unterredungs-Kunst *p. 430.* Plura in hanc rem inferiùs inter venenorum amuleta sequentur. Porrò viperæ ossa omnia, si ad collum in purpurea sindone colligata deferantur, ab omni venenato affectu pariter deferentem defendunt, & à peste liberant, velut memorat *Abbatius de viper. nat. c. 21. p. 88. & 90.* Indos quoque se credere immunes ab aëris marini infectione & pestilentia, si gestent brachio armillam, factam ex albis setis in cauda elephanti (non nunquam inter nigras illic frequentiores) reperiendis, ostendit *Franc. Redi experimentis natural. p. 115. &c.* Non minus commendantur pestis tempore ossa cordis cervi circa cordis regionem appensa ab allegatis apud *Joh. Georg. Agricolam de cervo cap. 7. p. 154. & 158.* De camphoræ usu externo in peste deprædicato ex *Khunrathi medulla destill.* videatur *Mœbius de camphora. p. 55.* Camphoram etiam, uti & araneum cruce notatum, & avellanæ nuci inclusum, item frustum ligni fraxinei, atque consiliginem *Plinii* pro amuletis pestem fugantibus communicat *Staricius* im Helden-Schatze *part. 6. p. 530. &c.* Eadem extant, ex *Staricio* fortè petita (quem sequens sibi pro fonte aliàs familiarem habet) in *Mart.* Schmucks *occult. magic. magnet. morb. curat. p. 39. &c.* Illic etiam autor hoc experimentum adhuc annectit, quòd consiliginis radix extrinsecus amuletum; in corpus verò assumta venenum fit.

Tradunt alii præterea autores bulbum colchici venenatis morbis & pesti mederi, si instar amuleti collo adaptetur, de quo das Medicinische Bedencken wegen der Seuchen vor Zeitz *impress. Ann. 1680. p. 17.* De radice illa verò in æquinoctio autumnali colligenda, allegata quæpiam habet *Helvigius l. c. p. 138.* Eandem radicem Dresdæ año 1680. ob multivagam & multivoram pestem multi collo appendisse dicuntur. Relatum, vel injunctum quoque accepi, quòd si primô locô gestata ra-

radix madorem contrahat, alia in illius locum recipienda fit. Sed de peculiari comperta efficacia illius nondum certi quid accepi; admodum etiam dubito firmi quid auditum iri. Easdem radices Pragæ atque Viennæ, non longè ab hinc præteritis annis, pro peste avertanda sibi appendisse homines, testatur *Joh. Christian. Mackius* im Medicinalischen Bericht wegen der Pestilentz-Seuche *impress. Schneberga 1680. c. 3. memb. 1.* Laudari etiam hanc radicem ait *Andr.* im medicinischen *memorial p. 12. quod prodiit Rudolphopoli 1680.* Commendatam itidem sibi fuisse radicem istam loco certissimi amuleti dicit *Exc. Aug. Quirin. Rivinus de peste Lipsiensi p. 63.* sed pro confidentia tandem facere arbitratur. Recordor hanc radicem amuleti loco ante annos aliquot (ubi pestis Dresdam occupabat, illiusque metus partim perterrebat Misniam ac Thuringiam, aut ipsamet perreptabat) à Pharmacopæo quopiam eum in finem Philologo atque Theologo cuipiam non vulgari in Thuringia, nec sine encomio amplo datam fuisse; Verùm ille à domesticis suis decumbentibus febrim malignam facilè colligens, solus inter istos, subitò morti parere fuit coactus. Parum efficaciæ quoque dictæ radici, tanquam infallibili aliàs amuleto in peste commendato, tribuit *Joh. Gulielm Monagetta* in der Pest-Ordnung *c. 8. p. 96.*

Non majori in æstimio est penes eundem autorem millefolium flore albô præditum, & in Austria pro pestilenti aëre corrigendo laudatum, ac ante fenestras ab iisdem suspensum. Parvi quoque pendit autor ibidem *p. 97.* allium & cepas in conclavis alto loco suspensas; videlicet quòd venenum æquè, ac hircus (propter similitudinem vel mutuum respectum) venenatos fœtores assumere vel sugere quasi debeant. Cæterùm recordor in Thuringia, & Misnia à multis hominibus præcedentibus annis corollas ex millefolio factas, & in ædibus pro peste arcenda suspensas fuisse; in locis verò illis, quæ pestis non invasit experientia de ejus successu laudabili muta est. Utrum auxilium contulerit istud amuletum locis aliis peste contaminatis ignoro, imò ambigo. Interim istud ut superfluum, minùs noxium, neque superstitiosum tandem,

non

non est rejiciendum. *Guerner. Rolfincius in meth. medic. special. commentator. l. 11. sect. 1. c. 4. p. 87.* à vulgo corollas illas januarum postibus & ædium laquearibus appendi solere scribit. De hujusmodi periaptis aliquot recensitis videri quoque potest *Sennertus de Febr. p. 441.* Præterea non parum utilis censetur radix filicis è terra eruta, in cujus confinia ad passus unius amplitudinem vel spatium, nulla similis alia radix reperiatur, de quo das Weymarische Artzney-Buch *lib. 2. part. 2. p. m. 111.* Modò non circumstantia illa suspicionem superstitionis suggerat.

Dehinc inter composita occurrit sequens apud *Gvil. Rondeletium in consil. 17. p. m. 87.* Recipiantur Rosarum rubr. cortic. citri, sicci coriandri, santalorum omn. ana uncia una, cyperi, usneæ in furno siccatæ, ana uncia una, styracis calamitæ drachmæ sex, mosci scrupulus unus, gummi Tragac. infusi in aqua rosarum q. s. f. sphærales globuli, quos gestari jubet tempore pestis. *Rolfincu* periaptum fuisse sequens dicitur: Recipe spec. cordial. temperat. drachmas tres, Theriacæ electæ drachmam unam, olei cinnam. citri, ana guttas sex, fiat massa balsamica. Ad normam ejusmodi apotropæi ex antea dictis simplicibus, aliisque congruis rebus, innumeræ formulæ compositæ confieri possent, si quis desideriô harum teneretur. Tutò etiam hæc composita, renovanda tamen subinde, in usum vocari possunt, si non maculâ superstitionis, vel veneni ingredientis laborant. Sublevant nos recensione prolixâ ejusmodi formularum alii autores non pauci, qui largâ manu offerunt cuivis illas desiderãti: Velut ideò evolvi quoq; possunt *Hæfer9 Herc. medic. p. m. 103. & 104. Gockelius de venenis p. 29. & de peste idem p. 72. 73. & 95. Sennertus de febrib. p. 458. Grülingius floril. chym. p. 476. Ludov.* Hornink im Würg-Engel *qv. 197. p. 276.* Ex superiùs recensitis rebus utilibus constant etiam Mithridatium Olympicum, Theriaca cœlestis, & suffuf æthereum *Schenemanni apud Paracelsum de morb. mercurial. contagiosis c. 5. p. 42.* Verùm hæc modò dicta medicamenta præsupponere non nulla, de quibus dubitandum adhuc sit, an dentur vel facile comparari possint, statuit *Helvigius loco sæpius citato p. 147.* Consulatur etiam si volupe

 est

est *Zwelfferus* & plures alii, dispensatoria vel medicamentorum formulas tradentes, quæ sit sacculorum cordialium, pomorũ ambræ, pastarum odoratarum & antiloimicorum aliorum medicamentorum materia approbanda vel toleranda. *Diemerbræckius de peste p. 176. &c.* ex aliis autoribus hujusmodi formulas attingens & tradens, taxat in iisdem svaveolentiam ex fragrantibus ac benè olentibus ingredientibus, quam minùs proficuam tempore pestis se observasse dicit. Verùm hujusmodi formulæ potiùs ad poma ambræ, epithemata, sacculos cordiales & similia fragrantium atque confortantium medicamenta, quàm pendacula referendæ videntur. Videatur etiam de hac re *Gregor. Horstius in operum tom. 2. l. 7. obs. 28. p. 340.*

Non erimus posthæc prolixi in recensione superstitiosorum amuletorum, ad quæ impii & simplices in peste non rarò confugiunt. Miramur proinde non nullos autores orthodoxæ religioni addictos, qui inter pestem fugantia periapta etiam superstitiosa admittunt, & commendant; idque tanquam Medicos se facere ajunt, quibus non adeò Theologica curæ aut cordi esse debeant. Verùm Medicus quivis etiam christianè philosophori, nec bona in medicina attendere debet, ut mala inde conscientiæ, saluti æternæ, sacræque scripturæ inferantur, de quo monito inter alia loca vid. *ad Romanos 3. v. 8.* Ideoque Christianos ægrotantes pariter ac medentes dedecet omnis superstitiosorum moliminum & suspectarum curationum supellex. Cæterùm infinitorum aliorum autorum locô unicum illud de dicta materia producemus jam effatum *Paul. Zachiæ quæst. med. legal. l. 8. tit. quæst. 3.* remedia, inquit, superstitiosa neque Medicus sine mortali culpa præscribere aut consulere, neque alius quisquam, neque admittere infirmus potest. Mentionem autẽ quorundam superstitiosorum pestifugorum facit *Zwingerus theatr. vit. human. f. 369.* Rejicit insimul autor sequẽs illa meritò, & istud præcipuè (apud *Marf. Ficinum in Epid. antidot. c. 7.*) quod ex hæmatite paratur, & figurâ hominis ac serpentis notatur, juxta sceleratos quosdam doctores, de quo *Theodorus Tabernamontanus* in der Artz-

ney-

ney- und Hauß-Apothecken *p. 39.* & hoc periapton quidem ipsi inter alia ideò sordet, quia originem apud Persas traxit. Idem ferè de eodem sentit *Saracenus de peste p. 214.* Similiter carmina & alias ejusmodi magicas ac Diabolicas artes non nunquam à superstitiosis & impiis usurpatas pro peste profliganda, ad inferorum domicilia ablegandas meritò censet *Diemerbrœckius l. a. lib. 2. c. 2. p. 109.* De versu illo noto contra pestilentiam à quibusdam gestato:

Ananisapta ferit mortem, quæ lædere quærit:

Fel: Malleolus malleolo maleficiorum, Delrio l. 3. p. 46 Serarius in Jos. c. 4. qv. Indignantes quoque horum mentionem faciunt *Ernest. Stockmannus in Hodegetico pestilent. qv. 48. p. 298. Martinus* Hammer *in Dei sagitta pestilentia* in der 6. Predigt *p. 113. Martinus Fabricius paradoxo Loimode p. 120. &c. Managetta l. c. Joan. Ammianus* im gründlichen Berichte von der Pest *p. 111.* De carbonis sancti Johannis viribus à quibusdam dilaudatis, vide quid sentiat *Ludov.* Hornigk *l. c. qv. 359. p. 678.* De carbonibus sub artemisiæ radicibus in vigilia S. Johannis Baptistæ quæsitis, quod ii illos, qui deferant eos, à peste, carbunculo, fulgure, quartana, aliisque febribus pluribus, uti & incendiis, epilepsia &c. tueantur juxta quorudã sententiam; quod juxta aliorum mentem verò ii stultorum lapides dicantur, nulliusque valoris reputentur, constat ex laudati *Helvigii l. c. p. 139.* Superstitio autem non exsulat à dicto hoc amuleto. De ejusdem farinæ periaptis superstitiosis, quæ alias pestis tempore Pontificiis in usu sunt, scilicet de reliquiis sanctorum, Agno Dei, Evangelio Johannis, Psalmis Davidicis, characteribus & similibus aliis, quæ etiam collo volunt affigi atq; gestari, agit inter alios plures *Delrio disquisit. mag. l. 1. c. 4.* Malè verò sentit de ejusmodi pontificiorum artficiis *Helmontius tumul. pestis.* Talis modi res, videlicet imagines, reliquias sanctorum, schedas benedictas, & similia de collo pendula inefficacia deprehendens (cum non multò post moriturus esset violentiâ pestis) *Jesuita Pater de Bruyn* dictus, cum indignatione ista irridens dixit: o inania fulcra, in quibus confisus sum! quid jam mihi prodestis &c.

Annotata verò hæc reperies in *Diemerbræckii l.c. lib. 4. hist. 77. p. 329.* Saniores autē inter Pontificios doctores illicita ejusmodi neutiquam amplectuntur; sed potius rejiciunt. Potuissemus circa paulò ante proposita mitiora, & alexipharmaca nonnulla excurrere in eorundem operationem, nisi præter spem incrementa sumsisset nostrum scrutinium; aliam itaque occasionem pro eorum consideratione nobis pollicemur. Cui volupe interim est, elegantem disquisitionem de pharmacis videat apud *Zwelferum pharm. Reg. p. 142. &c. Claudinum de ingressu ad infirmos lib. 2. c. 22. p. 274. &c.* & alios plures.

Restant à nobis memoranda adhuc quædam autorum testimonia vel judicia de amuletis pestis tempore licitis aliàs & usitatis, magnique æstimatis à non paucis: *Palmarius de morb. contagios. l. 1. c. 7. p. 30.* statuit nullum pestilentis febris satis efficax amuletum hactenus deprehensum esse. Non procul ab hujus sententia recedit *Kozakus de sale p. 311.* inquiens: solus Deus per angelos moderatur pestis motum, & quidem ita, ut non fortuitô casu inficiantur infecti, vel moriantur morientes, vel à contagionis labe immunes serventur, alicujus extrinseci remedi vel amuleti adminiculô; sed solius Dei providentiâ & curâ; Conferatur etiam *ibidem p. 111.* De difficili pestis curatione, & non nisi à Dei clementia atque benedictione dependente, benè etiam disserit *Martinus Fabricius paradoxo loimode.* Conspirant cum sententia illa verba *Cratonis* allegata apud *Casp. Hoffmannum post officinal. medicamenta in Paralipomenis c. 80. p. 545.* Atque ibi inter alia de gemmarum interno atque externo usu, aliàs in peste adeò decantato, agens tandem concludit ita: Ex libro de peste inquit, anni 1585. *Norib.* (addo in peste proxima Noribergensi) peste mortui sunt sex medici. Putas tu prætermisisse illos aliquid in tutela proprii corporis? hactenus laudatus autor. Merentur quoque tandem huc trahi verba *Nathan Hodges Loimologia p. 239.* invehitur autem illic autor inprimis in zenechta pestis tempore commendata, atque ideò in hæc prorumpit: Proh! ait, dementiam, in tanta calamitate, inanibus & fictitiis, si non funestis inniti sustentaculis;

hæc

hæc ille. Moneo etiam fideliter, ne securum nimis quis se gerat in gestandis illis pendaculis, atque confidentiam inanem ponat in illis, & sic fortè ansam pesti appropinquanti, atque incrementa sumenti concedat: novimus enim, quod Alexipharmaca multâ experientiâ probata, largâque dosi porrecta suum finem & effectum sæpe non consequantur; quid rogo sola externa ejusmodi, exigua in quantitate appensa, promittent in tanta luis dictæ sævitia. Hinc Medici ingemiscere mecum tenentur:

Heu! miserè ludit nos, nostraque pharmaca pestis,
Isthæc auxiliô ni Deus ipse beet!

Deus verò pollet suos potenter tueri, ut à peste conserventur æquè, ac Israëlitæ, Mosis vel Dei jussu, januarum postes aut partes superiores ovium vel agnorum sangvine notantes vel inficientes *Exodi 12. v. 7. 13. 21.* Plura etiam de amuletis pestis mitioribus vel tolerabilibus, parvi tamen æstimatis, & parum utilibus repertis in Neomagensi peste testem consule *Isbr. Diemerbræckium l. a. lib. 7. c. 11. p. 171.* Quid Lipsiæ ante octo annos eadem periammata præstiterint, paulò antè ductu zenechti bufonii indicavimus. Absolutis itaque his in peste usitatis amuletis jam progrediemur ordine Alphabeti ad reliquam amuletorum classem, & porrò sistimus:

Philtra constituentia.

JAm solùm animi ferme gratia, animorum vincula vel philtra quædam significabimus, quæ tamen sine magicis artibus vix respondebunt suis viribus indicatis. Antirrhinum autem sylvestre philtri loco à mulieribus Cretēsibus adhiberi ex *Honorii Bells epistola ad Clusium p. 304. allegat Velschius in notis ad Hieronymi Reusneri obs. med. 7. p. 8. &c.* Post hæc viva herba, sicuti legitur apud *Garciam ac Horto*, cujuscunque virginis amorem concitare creditur, si gestetur; sed propter ceremonias in collectione herbæ illius Indis usitatas, suspectum & magicum censet hoc opus autor laudatus. Sic etiam cor & renes turturis exemti, venere in libra existente, die & hora veneris, venere

item in decima sphæra microcosmica exaltatata, si à casto mare gestantur, amorem mulieris conciliare dicuntur, juxta *Etzlerum l. a. c. 5. p. 118.* Rubetæ ossiculum amorem etiam comparare refert *Andr. Laurentius oper. therapevt. tr. de strumar. sanat. l. 1. c. 5. f. 11.* Narcissi quoque radicem virginum amorem lucrari asserit *Etzlerus l. a. c. 5. p. 114.* Sic de herba quapiam contrita, & priùs in alteriùs manu detenta, quòd alterius amorem contrahat, si hic demum illam manu includat, usque dum incalescat, refert *Helmontius de magnet. vuln. curat. §. 27.* Sunt verò, qui herbam illam quinquenervium vel plantaginem esse arbitrantur; alii verò persicariam, hyoscyamum aut cicutam esse suspicantur. Dari etiam philtra, si intra corpus sumantur certa quæpiam simplicia, statuit idem *Helmontius Duumviratu §. 54.* Sic *Paracelsus tract. 1. de morb. ament. c. 5.* herbam charsiam vult Philtri explere vicem, si nim. brachiis alligetur; quam tamen plantam non nisi nominetenus notam esse dicit *Costæus de univers. stirpiũ historia.* Alii similiter disceptant de ejusmodi planta, quòd detur, & potiùs suspicantur aliud quid sub illa intelligi. Post hæc laudatur ũbilicꝰ maris vel veneris (ideò etiam ita dictus) quòd à puellis gestatus gratiã iis conciliare, illas amabiles, pulchras, virisque optatas reddere, illarumque morbos profligare credatur, uti habet die Gottorffische Kunst-Kammer *p. 64. Ans. Boët. de Boot in histor. gemmar. l. 2. c. 177.* & Appendix *omissorum in Pharmacop. med. chym. Joh. Schröderi p. 19.* Sed æquè forsitan alliciunt hæc ornamenta viros, iisque mediantibus masculino sexui mulieres gratiores redduntur, ac quidem de conchis venereis appensis speculatur autor citati tractatus der Kunst-Kammer *p. 59.* Cui placet de materia philtrorum, quòd scilicet venefici ad illa comparanda admittant animalium (& quidem præ aliis in venerem pronorum) certas partes: videlicet cor, testiculos, priapum, matricem, sperma, &c. adeat *Mich. Bapstium* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney-Buche *parte 1. p. 194.* Multi etiam ad amorem conciliandum magnetem album facere fabulantur. Fœnerare verò magnetem conjugi, gestanti illum, amorem alterius, ex

Mor-

Mirbodæo, Anſ. Bootio l. 2. c. 253. Muſæo Calceolario ſect. 3. aliisque pluribus addiſcimus. Philtrum fortius comparandi amoris verò eſt aurum, pulchritudo, albedo vel nitor corporis, & inſignes animi dotes: hæc ſunt, quæ citius magnetis albi, aliusve ſuperant virtutem ejusmodi omnem: veluti etiã hunc in modum loquitur *P. Faber panchym. l. 4. p. 532. & 533.* Nolumus inſimul ſequentia reticere de magnete, cum peculiariter veritatem illius, aliarumque gemmarum efficaciam non inanem adſtruere allaboret *Porta magia nat. l. 2. c. 21. Albertꝰ Magn. l. 2. c. 12. aliiq; plures:* ſtatuunt autẽ, quòd magnes dormientis uxoris pulvinari ſuppoſitus eandem excitet, ut amplectetur ſvaviter maritum, amorisque indicia edat, ſi ſcilicet ſit caſta & proba; ſin verò minùs talis exiſtat, illa effugiat è lecto & camera, tanquam violentiâ quapiam abacta. Paulò ſuperiùs inter amuleta concordiam procurantia ſimiliter mentionem fecimus magnetis. Præterea de eodem lapide hæc leguntur apud *Caſp. Barthium comment. ad Claudianum p. 999:* candidus inquit magnes etiam invenitur, ſed rarò, quem propterea magicis, amatoriisque viribus donant circulatores. De omni magnete talia *Orpheus* canit, & Gallis hodie inde amantis vocabulum retinet. Sed alio in loco noſtri ſcrutinii tropicum etiam magnetem ab autoribus quibusdam comẽndatum opinamur pro ejusmodi effectu facere. De auri verò paulò ante attacto uſu, vires gemmarum in amore conciliando ſuperante, & cum philtro certante, id inter alia eluceſcit ex *Tibulli l. 1. El. 1.*

Donis vincitur omnis amans!

Dicto huic geminum videtur illud Græcum: χρυσὸς ἔρωτος ἀκεσώνιος aurum medetur amori, vel remedium eſt amoris. Sed de philtris paulò ante memoratis, & adhuc aliis minùs indicatis, uti & eorundem ventilatione agit *Caſp. Reies camp. Elyſ. qu. 29. §. 12. &c.* Adhæc ex *Cornelio Agrippa* refert *Joh. Jac. Weckerus de ſecretis lib. 4. c. 1. p. 88.* quòd annuli aliquandiu in nido paſſerum, ſive hirundinum poſiti, poſtea ad amorem vel benevolentiam uſurpentur. Idem *Weckerus l. c. pag. 99.* ex *Mizaldo*

zaldo memorat, quòd *Orpheus* in libello de lapidibus jubeat sponsum cervinum cornu gestare, sic enim perpetuam ei cum sponsa futuram concordiam polliceatur. Ex eodem *Orpheo* idem hoc indicat *Mich. Bapstius* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part. 1. pag. 45.* Sed iterũ vereor, ne cornu cervi hoc à sponso gestatum tropicam significationem involvat, & veneris organa mascula denotet! minusque languentia. Non obscurè forsitan physica illa fabula, nota de monocerote, ductu dictorum dilucidari posset, quod animal illud ferox in sinu virginis mitiꝰ reddi ac requiescere dicatur.; qui verò cupit facilè ista capiet, aut interpretabitur. Idem etiam *Bapstius l. c. ex Mizaldo* refert, quòd cor coturnicis discordiã non patiatur persistere inter conjuges. Idem hoc ex eodem recenset pariter *Weckerus l. a. c. 7. p. 255.* sed injungitur illic simul ut cor masculinæ coturnicis à viro, & fœminæ à fœmina gestetur. Indicatur etiam ibidem, quòd si cor turturis gestetur à quopiam, non capiatur illecebrô appetitu rerum venerearum; alius verò, & penè contrarius effectus ex loco *Etzleri* paulò ante allegato innotescit. Ex *Alexio* quoq; citat *Weckerus l. a. lib. 4. c. 1. p. 108.* quòd si vir secum portaverit cor cornicis masculi, & mulier cor ejusdem fœminæ benè inter se conveniant semper. *Mizaldus* etiam tradit ex *Alberti* fabulosis narrationibus, quòd omnes eum diligant, qui cor hirundinis secum habeat. Sic & linguam hirundinis exsiccatam & sub lingua detentam, exosculatis philtrum esse, refert ex aliis *Rattray in theatro sympathetic. p. 19.* Chelidonium rufum, erutum ex hirundine amabilem idoneumque reddere ex *Dioscoride* memorat *Mars. Ficinus de vit. cœlitus comparanda l. 3. c. 15. p. 240.* Paulò superius añuli, philtri loco commendati, fecimus mentionem, atq; ejusmodi similes magici sine dubio reperiuntur plures: Sic de annulo isto, quo Carolus Magnus Imperator dicitur mirificè ad amorem esse concitatus à muliercula quapiam, prolixè agit *Kirchmannus de annulis p. 157.* De quo etiam *Petrarcha* citatus apud *Kornmannum de mirac. mort. p. 2. c. 14.* Sed de ejusmodi philtris hoc in loco majorem prolixitatem declinamus

namus, cùm fortè commodior differendi occasio alia nobis inposterum prostet. Miramur interim non immeritò effectum herbæ Flabiæ, in Insulæ Zethir monte Arcadio reperiendæ, ex qua planta excisa dicitur liquor emanare, qui sangvinem tepefaciat, & eô modô si quispiam tepore affectus contingat aliquem, occultâ quadam ratione hic in illius amorem trahatur; ubi verò refrixerit succus iste, eoque quisquam contingatur, amoris refrigerationem benevolentiæque aversionem inducat; de quo non dubiam fidem allegat *Joh. Scultetus plantar. cultur. oratione exculta p. 36.* De pluribus hujusmodi amuletis vel sigillis, nec incantationis immunibus vid. *Casp. Bravo disp. apologet. p. m. 232.*

Philtra infringentia.

CONtra philtra verò radicem leontopodii, amuleti ratione alligatam, prodesse docet *Dioscorides l. 4. c. 131.* qui in capite præcedenti *130.* etiam de phytevmate videatur. Exiguam autem fidem his impertit *Sanctorius de error. vitand. l. 8. c. 11. f. 161. &c.* Sic contra philtra à fascino ex *Alexio* memorat *Weckerus l. c. l. 4. c. 1. p. 108.* quòd si in calamum, vel avellanam vacuam immittatur argentum vivum, obturando illam cerâ, & si ponatur sub pulvinari seu cervicali maleficiatorum, vel etiam ponatur sub limine ostii, per quod in domum vel cameram introitus paratur, solvatur maleficium. Porrò *ex Joh. Bapt. Porta Weckerus l. a. p. 109.* jubet ut secum portent de collo pendulos lapides, scilicet carbunculum, hyacinthum, & saphirum contra fascinum amoris; alyssum etiam in domo suspensum eum in finem commendat, uti & rhamnum ac phu. Opiferum etiam putat amuletum *Dioscorides* hyssopum & lilium. Alii annulum quoque volunt ex ferro ungulæ onagri vel asini domestici factum idem illud præstare. Sic etiam satyrion, quæ radix orchis fœmina quoque dicitur, annumeratur hactenus dictis. Rutam quoque simili dote præditam esse, perhibet *Aristoteles.* Non malè forsitan huc trahemus verba ex *Jos. Laurentii Polymathia l. 1. diss. 14. f. 34.* in maleficiis amatoriis inquit

laurus virens in ignem conjici solebat, ut quæ maximos crepitus edat, tanquam amantium querimonias repræsentans.

Daphnis me malus urit, ego hanc in daphnide laurum,

unde proverbium, clamosior lauru. Item *Ovidius in Transformationum libris*

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis mediamque tuebere quercum.

Plura alia in hanc rem notata inter amuleta fascino opposita inquiri possunt.

Pleuritidi succurrens.

Lapis ex India occidentali allatus, Hispanicè dellahiiada dictus, ut smaragdi plasma, brachio gestatus ex argento, amuletum Pleuritidis prædicatur, indicante *Portâ magia nat. l.8. c.6. p.344.*

Podagram consopientia.

Antipodagricum amuletum juxta quorundam mentem consistit in radice hyoscyami, de quo *Schröderus pharmac. l.4.p.83.* colligendam autem quidam censent hanc radicem lunâ existente in aquario, aut piscibus, ante solis occasum, eamque non attingendam, sed osse cujuscunque animantis mortui effodiendam, atque peculiaris adjurationis verba addenda esse; quæ cùm superstitionem redoleant, indigna censeo prolixiori recensione, vel usu. *Schröderus* autem *l. a.* hujus adducti facit autorem *Trallianum l.11. cap. de podagra p.314.* Cæterùm quid hyoscyamus in doloribus, variô modô applicatus, conferat, non indiget nostrâ expositione; eum in finem etiam ad periapta bubonum regredi licet, si libet; atque ideò forsitan sine magna jactura abesse possent ceremoniæ inutiles aut illicitæ. Laudatus *Schroderus l.d. p.77.* scribit etiam gramen trium nodorum decrescente lunâ evulsum, ac collo circumligatum in tumoribus podagricis discutiendis prodesse; de gramine septem nodorum in aliarum partium dolore commendato eodem in loco agitur. Porrò pedem leporis, & quidem vivo illi amputatum plurimum prodesse, videre est apud *Waldungum*.

gium in *Lagograph. p. 73. & 74.* De quo etiam *Bald. Ronsseus venat. med. p. 8.* De pedibus dictis, quod perfectè podagram & chiragram curent, id pariter pernotescit ex *Kirani Kiranidibus p. 86.* Sed autor hic genio suo noto indulgens, superstitiosa quædam simul observanda illi usui annectit *l. a.* Notant alii, quòd pes dexter leporis, dextro lateri affecto Ischiadicô dolore, sinister verò sinistro lateri appensus medeatur, de qua curatione inter alios videatur *Plinius l. 28. c. 16.* Atque idem *Kiranus* cornicis etiam pedes pro dolore pedum profligando dilaudans, annectit huic medelæ iterum quampiam superstitionis notam *l. a. p. 120.* Similiter ille *p. 129.* ibidem præcipit Ciconiæ viventi aufferri nervos pedum, crurum, ac alarum, eosque adaptari podagricis & chiragricis: similes quippe similibus partibus annectendo, atque illos inde sublevari affirmat. De annulo ex mercurio colorato, & coagulato facto, quòd in pollice pedum ac manuum gestatus polleat adversus podagram ac chiragram, innuit *Rolfincius Chymia p. 384. & meth. medic. speciali consultator. l. 13. consf. 1. p. 943.* Sic nervi vulturis, si eximantur lunâ existente in scorpio, & quidem, si dextri pedis nervi dolenti dextro, sinistri verò vulturis pedis, sinistro pedi alligentur, & quidem calci per pedis longitudinem, inde leniri podagram intelligimus ex *Aug. Erzleri Isagoge phys. mag. med. cap. 3. p. 80.* Idem hoc ex *Tralliano* memorat *Michaël. Bapst. l. c. p. 189.* Vulturis verò corium dextri calcanei, dextro podagrici pedi impositum, vel lævo, articulorum dolores lenire ex aliorum relatione indicat *Bald. Ronsseus in Epist. med. 22. p. 65.* Pergit citatus *Erzlerus l. a. cap. 5. p. 122.* aliqui, inquit, magicâ curâ podagræ mederi student, exemtis nervis è passerum pedibus, & certâ constellatione alligatis. De solutaribus, seu calceamentis ex hyænæ & castoris corio paratis, ac pedibus substratis, iisque podagræ adversantibus agit *Kiranus l. c. p. 83. & 97.* Porrò etiam testudinis pedes mederi podagræ scribit *Burggravius de Biolychnio p. 39.* Idem hoc indicant *Rein. Solenander sect. 1. consil. 20. §. 86. Mich. Bapstius l. a. p. 193.* Injungit ille simul, ut paritas pedis appendendi respondeat pedi dextro vel sinistro recipienti illum pedem,

De eadem radice, in sacculo cordis regioni adaptata, & commendata in peste, agit etiam *Jonstonus Thaumatograph. n. 1. class. 5. c. 34.* De encomio dictæ radicis quoque legenda quæpiam prostant in *Helvigii l. c. p. 142. Petr. Rommelii* Bericht von der Pestilentz p. 92. *Camerarii Syllog. mem. cent. 3. part. 34. in Timæi consil. de peste* im Weymarischen Artzney-Buche *lib. 2. part. 2. p. m 111.* Plura testimonia de eadem radice paulò inferiùs quoq; recensebimus. Confer etiam de eadem radice *Andr. Schillingii Loimographiam tripartitam p. 212.* quo in loco autor quoque memorat laudati ab aliis notam melis pellem, & gemmas gestatas paulò ante à nobis dictas. *Autor* des kurtzen Berichts / wie sich in Sterbens-Läufften zu præserviren *An. 1628. edit.* Augspurg 110. præfert etiam venenatis aliàs commendatis dictam pellem, & radicem illam non longe antè commendatam, uti & ostrutii, bardanæ, chelidonii, valerianæ & gentianæ; gemmas item aliquot, & unicornu frustulum. Porrò Rutam appensam, sed certô tempore prius collectam, in peste prodesse dicit *Hybnerus myster. sigill. p. 67.* Autor citatus *l. a. p. 132.* docet item ex saturninis, martialibus, & solarib⁹ herbis sumere plantam unicam, atque componere amuletum contra pestem proficuum; de modo v. ritè applicandi ac præparandi istud, consulatur locus dictus. Vereor autem insimul, ne dicto illi amuleto superstitiosi quid intersit. Sic porrò etiam aliis placet recipere inter periapta pesti opposita radicem solisequii, seu cichorii, lappæ cornutæ, & levistici. De duabus his prioribus, & radice taraxici in taleolos secta, colloque appensa, sine superstitiosa collectione, inter alios vide *Balth.* Summern im Unterricht von der Pestilentz *Witteberga 1597.* Deinceps *Schroderus* (*in pharm. l. 4. p. 41.*) contagiosô aëre in conclavibus cepam suspensam, contagium attrahere dicit quosdã velle. Sunt etiam alii, præter allegatos à nobis paulò ante, qui pellẽ taxi pilosam volunt collo gestari tempore pestis, contestante illud *Timæô l. c. & Casp. Jugelio* im Maulwurffs-Fange *p. 56.* Mox sequentia jam petita sunt ex *Gockelii l. c. p. 71. &c.* dum inquit: in peste lingva serpentis, lunâ plenâ, ex vivo isto desumta & gestata, summè

prod-

prodest: Spatiô mensis alia succrescit serpenti, quod testatur *Hartmannus disp. chym med. 10. de peste agente §. 88.* Verùm admodum credulos vel simplices homines asserto illi fidem impertiri, non malè monet *Exc. Christ. Helvigius consil. med. de peste p. 127.* Arbitratur etiam laudatus autor *l. c.* quod loco lingvarum illarum glossopetræ sint intelligendæ, de quarum origine minerali, & usu amuleti instar in peste commendato, plura etiam occurrunt *ibidem.* Porrò *Gockelius* proficua pronuntiat cor bufonum ex vivo desumtum, similiter cor ranarum, exuvium serpentis gestatum, pellem leonis & felis collo appensam, cor item upupæ, lupi, talpæ, taxi, in plenilunio si excerpantur & collo appendantur. Hactenꝰ citatus *Gockelius.* De tribꝰ illis cordibus prioribus memoratis, iisque cum lingua serpentis laudatis contra infectionem, à mulieribus menstruatis inprimis metuendam, agit etiam *Mart. Forsterus in Antidoto Lœmo-polem. p. m. 169.* Paulò antè citatus Exc. *Helvigius l. a. p. 137.* ex *Gockelio* aliisque autoribus de exuviis serpentum, pelle melis, leonis & felis, in peste loco amuleti laudatis agens, eadem partim experientiæ committit, partim suspecta censet propter pelliceam suam (ob contagium pestilens promptè suscipiendum) commodam constitutionem, quam fomitis loco communi aliorum sententiâ suspectam censet. Si quis tandem boni quid credat vel experiatur mitioribus ejusmodi periaptis inesse, illi licebit citiùs hæc adhibere, quàm venenata. Docet verò inter alia *Paracelsus de pestil. tract. 1.* quòd præter bufonem etiam rana, tinca, angvilla, murena, passer, gallus, pavo, cornix, & cervus pestiferum venenum ex homine extrahant & eliciant. Subsumit verò de his, & aliis similibus dictus *Paracelsus* ita: quæ enim conditio ac natura digestionis in animali est, quod venena digerit in materiam non venenatam: per eandem naturam eandem quoque materiam idem animal, seu vivum, seu mortuum sit, per integram hominis cutem exsugit & extrahit. Videtis enim, pergit ille, merulam, araneas & venenosos vermes digerere, velut & gallinam gallumque, & in aquis lucium, & ciconiam cum aliis animalibus pluribus:

Et cur hæc vobis non exemplo & documento sunt, quòd hæc animalia conceptum venenum ab homine prolectent, & extrahant? Docet quoque autor eodem in loco, quomodo pro diversitate pestis (dum scilicet hanc quadruplicem esse, & elementis quatuor illam respondere statuit) diversa recensita bruta pro curatione pestis adhiberi debeant. Sed vereor paucos assensum præbere ipsius conclusioni ita habenti: nam hæc omnia conferre, usus & experientia dictitat. Ulterius, quòd inter pestis alexiteria commendetur etiam lapis ex aspidis capite prodiens, sive illum suspensus aspis evomuerit, sive etiam è dissecto capite sit erutus. Sic quòd *Picus* etiam ætate sua venenatæ illius bestiolæ linguâ usus sit, legimus apud *Saracenum de peste cap.7. p.219.* Quid v. de lapillo modò dicto sentiat Exc. *Helwigius, l. a. p.127.* legi poterit. Non minorem vim contra exitialem pestem inesse lapillis aranearum & bufonum, accipimus à *Crollio Basilica chym. p. m. 293.* Lapillos hos duos, licet exigui sint, admirandum tamen pestis avertendæ remedium pronuntiat *Herm. Follinus Amuleto Antoniano p.205.* Lapidem aranearum, sine dubio etiam, uti araneam nuci avellanæ inclusam contra pestem militare arbitratur *Cunr. Dietericus Antiqvit. Bibl. f.423.* ubi autor plura de hoc Arachnite, casu aliquando observato, tradit. Majoris quoque efficaciæ creduntur esse lapilli dicti, si mediante linteô, in quo primum menstruum virginis est exceptum, adpendantur. *Saracenus l.c.* mentionem etiam facit lapidis bufonii, vulgò crapaudina dicti, eumque perperam nonnullos cum chelonite confundere dicit; addit item autor, quòd hic lapis solùm in annosioribus bufonibus reperiatur, qui dudum in arundinibus rubetisve, inter sentes & vepres delituerint, & lapidem inde contraxerint vel assciverint; terram hinc inde circumlambentes. Modò non, ejusmodi lapis subinde in bufonibus reperiendus, ab iisdem cum terra sit prius deglutitus: veluti de gallorum, & hirundinum lapillis etiam suspicionem nostram similem in præcedentibus & subsequentibus aperimus. De dicto verò bufonum lapide in peste ac morsu venenato dilaudato

vi-

videatur etiam *Guil. Fabricius Hildanus in operum Epist. 96. f. 1321.* Commendatur itidem bufonius lapis quispiam dictus, quinque libras ac tres uncias penè æquans, uti pro variis aliis effectibus ita etiam pro veneno, ex corde, ex carbunculis & anthracibus pestilentibus extrahendo, quod ex *Crusii Annalib. Suevic. tradit. Joh. Adam. Weberus part. 1.* der Unterredungs-Kunst *p. 430.* Plura in hanc rem inferiùs inter venenorum amuleta sequentur. Porrò viperæ ossa omnia, si ad collum in purpurea sindone colligata deferantur, ab omni venenato affectu pariter deferentem defendunt, & à peste liberant, velut memorat *Abbatius de viper. nat. c. 21. p. 88. & 90.* Indos quoque se credere immunes ab aëris marini infectione & pestilentia, si gestent brachio armillam, factam ex albis setis in cauda elephanti (non nunquam inter nigras illic frequentiores) reperiendis, ostendit *Franc. Redi experimentis natural. p. 115. &c.* Non minus commendantur pestis tempore ossa cordis cervi circa cordis regionem appensa ab allegatis apud *Joh. Georg. Agricolam de cervo cap. 7. p. 154. & 158.* De camphoræ usu externo in peste deprædicato ex *Khunrathi medulla destill.* videatur *Mœbius de camphora p. 55.* Camphoram etiam, uti & araneum cruce notatum, & avellanæ nuci inclusum, item frustum ligni fraxinei, atque consiliginem *Plinii* pro amuletis pestem fugantibus communicat *Staricius* im Helden-Schatze *part. 6. p. 530. &c.* Eadem extant, ex *Staricio* fortè petita (quem sequens sibi pro fonte aliàs familiarem habet) in *Mart.* Schmucks *occult. magic. magnet. morb. curat. p. 39. &c.* Illic etiam autor hoc experimentum adhuc annectit, quòd consiliginis radix extrinsecus amuletum; in corpus verò assumta venenum fit.

Tradunt alii præterea autores bulbum colchici venenatis morbis & pesti mederi, si instar amuleti collo adaptetur, de quo das Medicinische Bedencken wegen der Seuchen vor Zeis *impress. Ann. 1680. p. 17.* De radice illa verò in æquinoctio autumnali colligenda, allegata quæpiam habet *Helvigius l. c. p. 138.* Eandem radicem Dresdæ año 1680. ob multivagam & multivoram pestem multi collo appendisse dicuntur. Relatum, vel injunctum quoque accepi, quòd si primò locò gestata ra-

radix madorem contrahat, alia in illius locum recipienda sit. Sed de peculiari comperta efficacia illius nondum certi quid accepi; admodum etiam dubito firmi quid auditum iri. Easdem radices Pragæ atque Viennæ, non longè ab hinc præteritis annis, pro peste avertanda sibi appendisse homines, testatur *Joh. Christian. Mackius* im Medicinalischen Bericht wegen der Pestilentz-Seuche *impress. Schneberga 1680. c. 3. memb. 1.* Laudari etiam hanc radicem ait *Andr.* im medicinischen *memorial p. 12. quod prodiit Rudolphopoli 1680.* Commendatam itidem sibi fuisse radicem istam loco certissimi amuleti dicit *Exc. Aug. Quirin. Rivinus de peste Lipsiensi p. 63.* sed pro confidentia tandem facere arbitratur. Recordor hanc radicem amuleti loco ante annos aliquot (ubi pestis Dresdam occupabat, illiusq; metus partim perterrebat Misniam ac Thuringiam, aut ipsamet perreptabat) à Pharmacopæo quopiam eum in finem Philologo atque Theologo cuipiam non vulgari in Thuringia, nec sine encomio amplo datam fuisse; Verùm ille à domesticis suis decumbentibus febrim malignam facilè colligens, solus inter istos, subitò morti parere fuit coactus. Parum efficaciæ quoque dictæ radici, tanquam infallibili aliàs amuleto in peste commendato, tribuit *Joh. Gulielm Monagetta* in der Pest-Ordnung *c. 8. p. 96.*

Non majori in æstimio est penes eundem autorem millefolium flore albô præditum, & in Austria pro pestilenti aëre corrigendo laudatum, ac ante fenestras ab iisdem suspensum. Parvi quoque pendit autor ibidem *p. 97.* allium & cepas in conclavis alto loco suspensas; videlicet quòd venenum æquè, ac hircus (propter similitudinem vel mutuum respectum) venenatos fœtores assumere vel sugere quasi debeant. Cæterùm recordor in Thuringia, & Misnia à multis hominibus præcedentibus annis corollas ex millefolio factas, & in ædibus pro peste arcenda suspensas fuisse; in locis verò illis, quæ pestis non invasit experientia de ejus successu laudabili muta est. Utrum auxilium contulerit istud amuletum locis aliis peste contaminatis ignoro, imò ambigo. Interim istud ut superfluum, minùs noxium, neque superstitiosum tandem,

non

non est rejiciendum. *Guerner. Rolfincius in meth. medic. special. commentator. l. 11. sect. 1. c. 4. p. 87.* à vulgo corollas illas januarum postibus & ædium laquearibus appendi solere scribit. De hujusmodi periaptis aliquot recensitis videri quoque potest *Sennertus de Febr. p. 441.* Præterea non parum utilis censetur radix filicis è terra eruta, in cujus confinia ad passus unius amplitudinem vel spatium, nulla similis alia radix reperiatur, de quo das Weymarische Artzney-Buch *lib. 2. part. 2. p. m. 111.* Modò non circumstantia illa suspicionem superstitionis suggerat.

Dehinc inter composita occurrit sequens apud *Gvil. Rondeletium in consil. 17. p. m. 87.* Recipiantur Rosarum rubr. cortic. citri, sicci coriandri, santalorum omn. ana uncia una, cyperi, usneæ in furno siccatæ, ana uncia una, styracis calamitæ drachmæ sex, mosci scrupulus unus, gummi Tragac. infusi in aqua rosarum q. s. f. sphærales globuli, quos gestari jubet tempore pestis. *Rolfincu* periaptum fuisse sequens dicitur: Recipe spec. cordial. temperat. drachmas tres, Theriacæ electæ drachmam unam, olei cinnam. citri, ana guttas sex, fiat massa balsamica. Ad normam ejusmodi apotropæi ex antea dictis simplicibus, aliisque congruis rebus, innumeræ formulæ compositæ confieri possent, si quis desideriô harum teneretur. Tutò etiam hæc composita, renovanda tamen subinde, in usum vocari possunt, si non maculâ superstitionis, vel veneni ingredientis laborant. Sublevant nos recensione prolixâ ejusmodi formularum alii autores non pauci, qui largâ manu offerunt cuivis illas desiderāti: Velut ideò evolvi quoque possunt *Hæferus Herc. medic. p. m. 103. & 104. Gockelius de venenis p. 29. & de peste idem p. 72. 73. & 95. Sennertus de febrib. p. 458. Grülingius floril. chym. p. 476. Ludov. Hornick* im Würg-Engel *qv. 197. p. 276.* Ex superiùs recensitis rebus utilibus constant etiam Mithridatium Olympicum, Theriaca cœlestis, & suffuf æthereum *Schenemanni apud Paracelsum de morb. mercurial. contagiosis c. 5. p. 42.* Verùm hæc modò dicta medicamenta præsupponere non nulla, de quibus dubitandum adhuc sit, an dentur vel facile comparari possint, statuit *Helvigius loco sæpius citato p. 147.* Consulatur etiam si volupe

est *Zwelfferus* & plures alii, dispensatoria vel medicamentorum formulas tradentes, quæ sit sacculorum cordialium, pomorũ ambræ, pastarum odoratarum & antiloimicorum aliorum medicamentorum materia approbanda vel toleranda. *Diemerbræckius de peste p. 176. &c.* ex aliis autoribus hujusmodi formulas attingens & tradens, taxat in iisdem svaveolentiam ex fragrantibus ac benè olentibus ingredientibus, quam minùs proficuam tempore pestis se observasse dicit. Verùm hujusmodi formulæ potiùs ad poma ambræ, epithemata, sacculos cordiales & similia fragrantium atque confortantium medicamenta, quàm pendacula referendæ videntur. Videatur etiam de hac re *Gregor. Horstius in operum tom. 2. l. 7. obs. 28. p. 340.*

Non erimus posthæc prolixi in recensione superstitiosorum amuletorum, ad quæ impii & simplices in peste non rarò confugiunt. Miramur proinde non nullos autores orthodoxæ religioni addictos, qui inter pestem fugantia periapta etiam superstitiosa admittunt, & commendant; idque tanquam Medicos se facere ajunt, quibus non adeò Theologica curæ aut cordi esse debeant. Verùm Medicus quivis etiam christianè philosophori, nec bona in medicina attendere debet, ut mala inde conscientiæ, saluti æternæ, sacræque scripturæ inferantur, de quo monito inter alia loca vid. *ad Romanos 3. v. 8.* Ideoque Christianos ægrotantes pariter ac medentes dedecet omnis superstitiosorum moliminum & suspectarum curationum supellex. Cæterùm infinitorum aliorum autorum locô unicum illud de dicta materia producem⁹ jam effatum *Paul. Zachias quæst. med. legal. l. 8. tit. quæst. 3.* remedia, inquit, superstitiosa neque Medicus sine mortali culpa præscribere aut consulere, neque alius quisquam, neque admittere infirmus potest. Mentionem autẽ quorundam superstitiosorum pestifugorum facit *Zwingerus theatr. vit. human. f. 369.* Rejicit insimul autor sequẽs illa meritò, & istud præcipuè (apud *Marf. Ficinum in Epid. andidot. c. 7.*) quod ex hæmatite paratur, & figurâ hominis ac serpentis notatur, juxta sceleratos quosdam doctores, de quo *Theodorus Tabernæmontanus* in der Artz-

ney=

ney- und Hauß-Apothecken *p. 39.* & hoc periapton quidem ipsi inter alia ideò sordet, quia originem apud Persas traxit. Idem ferè de eodem sentit *Saracenus de peste p. 214.* Similiter carmina & alias ejusmodi magicas ac Diabolicas artes non nunquam à superstitiosis & impiis usurpatas pro peste profliganda, ad inferorum domicilia ablegandas meritò censet *Diemerbrœckius l. a. lib. 2. c. 2. p. 109.* De versu illo noto contra pestilentiam à quibusdam gestato:

Ananisapta ferit mortem, quæ lædere quærit:

Fel: Malleolus malleolo maleficiorum, Delrio l. 3. p. 46 Serarius in Jos. c. 4. qv. Indignantes quoque horum mentionem faciunt *Ernest. Stockmannus in Hodegetico pestilent. qv. 48. p. 298. Martinus* Hammer *in Dei sagitta pestilentia* in der 6. Predigt *p. 113. Martinus Fabricius paradoxo Loimode p. 120. &c. Managetta l. c. Joan. Ammianus* im gründlichen Berichte von der Pest *p. 111.* De carbonis sancti Johannis viribus à quibusdam dilaudatis, vide quid sentiat *Ludov.* Hornigk *l. c. qv. 359. p. 678.* De carbonibus sub artemisiæ radicibus in vigilia S. Johannis Baptistæ quæsitis, quod ii illos, qui deferant eos, à peste, carbunculo, fulgure, quartana, aliisque febribus pluribus, uti & incendiis, epilepsia &c. tueantur juxta quorũdã sententiam; quod juxta aliorum mentem verò ii stultorum lapides dicantur, nulliusque valoris reputentur, constat ex laudati *Helvigii l. c. p. 139.* Superstitio autem non exsulat à dicto hoc amuleto. De ejusdem farinæ periaptis superstitiosis, quæ alias pestis tempore Pontificiis in usu sunt, scilicet de reliquiis sanctorum, Agno Dei, Evangelio Johannis, Psalmis Davidicis, characteribus & similibus aliis, quæ etiam collo volunt affigi atq; gestari, agit inter alios plures *Delrio disquisit. mag. l. 1. c. 4.* Malè verò sentit de ejusmodi pontificiorum artificiis *Helmontius tumul. pestis.* Talismodi res, videlicet imagines, reliquias sanctorum, schedas benedictas, & similia de collo pendula inefficacia deprehendens (cum non multò post moriturus esset violentiâ pestis) *Jesuita Pater de Bruyn* dictus, cum indignatione ista irridens dixit: o inania fulcra, in quibus confisus sum! quid jam mihi prodestis &c.

Annotata verò hæc reperies in *Diemerbræckii l.c. lib. 4. hist. 77. p.329.* Saniores autẽ inter Pontificios doctores illicita ejusmodi neutiquam amplectuntur; sed potius rejiciunt. Potuissemus circa paulò ante proposita mitiora, & alexipharmaca nonnulla excurrere in eorundem operationem, nisi præter spem incrementa sumsisset nostrum scrutinium; aliam itaque occasionem pro eorum consideratione nobis pollicemur. Cui volupe interim est, elegantem disquisitionem de pharmacis videat apud *Zwelferum pharm. Reg. p. 142. &c. Claudinum de ingressu ad infirmos lib. 2. c. 22. p. 274, &c.* & alios plures.

Restant à nobis memoranda adhuc quædam autorum testimonia vel judicia de amuletis pestis tempore licitis aliàs & usitatis, magnique æstimatis à non paucis: *Palmarius de morb. contagios. l.1. c.7. p.30.* statuit nullum pestilentis febris satis efficax amuletum hactenus deprehensum esse. Non procul ab hujus sententia recedit *Kozakus de sale p.311.* inquiens: solus Deus per angelos moderatur pestis motum, & quidem ita, ut non fortuitò casu inficiantur infecti, vel moriantur morientes, vel à contagionis labe immunes serventur, alicujus extrinseci remedi vel amuleti adminiculô; sed solius Dei providentiâ & curâ; Conferatur etiam *ibidem p.111.* De difficili pestis curatione, & non nisi à Dei clementia atque benedictione dependente, benè etiam disserit *Martinus Fabricius paradoxo loimode.* Conspirant cum sententia illa verba *Cratonis* allegata apud *Casp. Hoffmannum post officinal. medicamenta in Paralipomenis c. 80. p.545.* Atque ibi inter alia de gemmarum interno atque externo usu, aliàs in peste adeò decantato, agens tandem concludit ita: Ex libro de peste inquit, anni 1585. *Norib.* (addo in peste proxima Noribergensi) peste mortui sunt sex medici. Putas tu prætermisisse illos aliquid in tutela proprii corporis? hactenus laudatus autor. Merentur quoque tandem huc trahi verba *Nathan Hodges Loimologia p.239.* invehitur autem illic autor inprimis in zenechta pestis tempore commendata, atque ideò in hæc prorumpit: Proh! ait, dementiam, in tanta calamitate, inanibus & fictitiis, si non funestis inniti sustentaculis;

hæc

hæc ille. Moneo etiam fideliter, ne securum nimis quis se gerat in gestandis illis pendaculis, atque confidentiam inanem ponat in illis, & sic fortè ansam pesti appropinquanti, atque incrementa sumenti concedat: novimus enim, quod Alexipharmaca multâ experientiâ probata, largâque dosi porrecta suum finem & effectum sæpe non consequantur; quid rogo sola externa ejusmodi, exigua in quantitate appensa, promittent in tanta luis dictæ sævitia. Hinc Medici ingemiscere mecum tenentur:

Heu! miserè ludit nos, nostraque pharmaca pestis,
Isthæc auxiliô ni Deus ipse beet!

Deus verò pollet suos potenter tueri, ut à peste conserventur æquè, ac Israëlitæ, Mosis vel Dei jussu, januarum postes aut partes superiores ovium vel agnorum sangvine notantes vel inficientes *Exodi 12. v. 7. 13. 21.* Plura etiam de amuletis pestis mitioribus vel tolerabilibus, parvi tamen æstimatis, & parum utilibus repertis in Neomagensi peste testem consule *Isbr. Diemerbræckium l. a. lib. 7. c. 11. p. 171.* Quid Lipsiæ ante octo annos eadem periammata præstiterint, paulò antè ductu zenechti busonii indicavimus. Absolûtis itaque his in peste usitatis amuletis jam progrediemur ordine Alphabeti ad reliquam amuletorum classem, & porrò sistimus:

Philtra constituentia.

JAm solùm animi ferme gratia, animorum vincula vel philtra quædam significabimus, quæ tamen sine magicis artibus vix respondebunt suis viribus indicatis. Antirrhinum autem sylvestre philtri loco à mulieribus Cretēsibus adhiberi ex *Honorii Belli epistola ad Clusium p. 304.* allegat *Velschius in notis ad Hieronymi Reusneri obs. med. 7. p. 8. &c.* Post hæc viva herba, sicuti legitur apud *Garciam ab Horto*, cujuscunque virginis amorem concitare creditur, si gestetur; sed propter ceremonias in collectione herbæ illius Indis usitatas, suspectum & magicum censet hoc opus autor laudatus. Sic etiam cor & renes turturis exemti, venere in libra existente, die & hora veneris, veneri

item in decima sphæra microcosmica exaltatata, si à casto mare gestantur, amorem mulieris conciliare dicuntur, juxta *Etzlerum l. a. c. 5. p. 118.* Rubetæ ossiculum amorem etiam comparare refert *Andr. Laurentius oper. therapevt. tr. de strumar. sanat. l. 1. c. 5. f. 11.* Narcissi quoque radicem virginum amorem lucrari asserit *Etzlerus l. a. c. 5. p. 114.* Sic de herba quapiam contrita, & priùs in alteriùs manu detenta, quòd alterius amorem contrahat, si hic demum illam manu includat, usque dùm incalescat, refert *Helmontius de magnet. vuln. curat. §. 27.* Sunt verò, qui herbam illam quinquenervium vel plantaginem esse arbitrantur; alii verò persicariam, hyoscyamum aut cicutam, esse suspicantur. Dari etiam philtra, si intra corpus sumantur certa quæpiam simplicia, statuit idem *Helmontius Duumviratu §. 54.* Sic *Paracelsus tract. 1. de morb. ament. c. 5.* herbam charsiam vult Philtri explere vicem, si nim. brachiis alligetur; quam tamen plantam non nisi nominetenus notam esse dicit *Costæus de univers. stirpiũ historia.* Alii similiter disceptant de ejusmodi planta, quòd detur, & potiùs suspicantur aliud quid sub illa intelligi. Post hæc laudatur ũbilicꝰ maris vel veneris (ideò etiam ita dictus) quòd à puellis gestatus gratiã iis conciliare, illas amabiles, pulchras, virisque optatas reddere, illarumque morbos profligare credatur, uti habet die Gottorffische Kunst-Kammer *p. 64. Ans. Boët. de Boot in histor. gemmar. l. 2. c. 177.* & Appendix *omissorum in Pharmacop. med. chym. Joh. Schröderi p. 19.* Sed æquè forsitan alliciunt hæc ornamenta viros, iisque mediantibus masculino sexui mulieres gratiores redduntur, ac quidem de conchis venereis appensis speculatur autor citati tractatus der Kunst-Kammer *p. 59.* Cui placet de materia philtrorum, quòd scilicet venefici ad illa comparanda admittant animalium (& quidem præ aliis in venerem pronorum) certas partes: videlicet cor, testiculos, priapum, matricem, sperma, &c. adeat *Mich. Bapstium* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney-Buche *parte 1. p. 194.* Multi etiam ad amorem conciliandum magnetem album facere fabulantur. Fœnerare verò magnetem conjugi, gestanti illum, amorem alterius, ex

Mor-

Marbodeo, Anſ. Bootio l. 2. c. 253. Muſæo Calceolario ſect. 3. aliisque pluribus addiſcimus. Philtrum fortius comparandi amoris verò eſt aurum, pulchritudo, albedo vel nitor corporis, & inſignes animi dotes: hæc ſunt, quæ citius magnetis albi, aliusve ſuperant virtutem ejusmodi omnem: veluti etiã hunc in modum loquitur *P. Faber panchym. l. 4. p. 532. & 533.* Nolumus inſimul ſequentia reticere de magnete, cum peculiariter veritatem illius, aliarumque gemmarum efficaciam non inanem adſtruere allaboret *Porta magia nat. l. 2. c. 21. Albertq Magn. l. 2. c. 12. aliiq; plures:* ſtatuunt autẽ, quòd magnes dormientis uxoris pulvinari ſuppoſitus eandem excitet, ut amplectetur ſvaviter maritum, amorisque indicia edat, ſi ſcilicet ſit caſta & proba; ſin verò minùs talis exiſtat, illa effugiat è lecto & camera, tanquam violentiâ quapiam abacta. Paulò ſuperiùs inter amuleta concordiam procurantia ſimiliter mentionem fecimus magnetis. Præterea de eodem lapide hæc leguntur apud *Caſp. Barthium comment. ad Claudianum p. 999.* candidus inquit magnes etiam invenitur, ſed raro, quem propterea magicis, amatoriisque viribus donant circulatores. De omni magnete talia *Orpheus* canit, & Gallis hodie inde amantis vocabulum retinet. Sed alio in loco noſtri ſcrutinii tropicum etiam magnetem ab autoribus quibusdam comẽdatum opinamur pro ejusmodi effectu facere. De auri verò paulò ante attacto uſu, vires gemmarum in amore conciliando ſuperante, & cum philtro certante, id inter alia elucescit ex *Tibulli l. 1. El. 1.*

Donis vincitur omnis amans!

Dicto huic geminum videtur illud Græcum: χρυσὸς ἔρωτος ἀεὶ παιώνιος aurum medetur amori, vel remedium eſt amoris. Sed de philtris paulò ante memoratis, & adhuc aliis minùs indicatis, uti & eorundem ventilatione agit *Caſp. Reies camp. Elyſ. qu. 29. §. 12. &c.* Adhæc ex *Cornelio Agrippa* refert *Joh. Jac. Weckerus de ſecretis lib. 4. c. 1. p. 88.* quòd annuli aliquandiu in nido paſſerum, ſive hirundinum poſiti, poſtea ad amorem vel benevolentiam uſurpentur. Idem *Weckerus l. c. pag. 99.* ex *Mizaldo*

zaldo memorat, quod *Orpheus* in libello de lapidibus jubeat sponsum cervinum cornu gestare, sic enim perpetuam ei cum sponsa futuram concordiam polliceatur. Ex eodem *Orpheo* idem hoc indicat *Mich. Bapstius* im wunderbarlichen Leib-und Wund-Artzney-Buche *part.1. pag.45.* Sed iterũ vereor, ne cornu cervi hoc à sponso gestatum tropicam significationem involvat, & veneris organa mascula denotet! minusque languentia. Non obscurè forsitan physica illa fabula, nota de monocerote, ductu dictorum dilucidari posset, quod animal illud ferox in sinu virginis mitiꝰ reddi ac requiescere dicatur; qui verò cupit facilè ista capiet, aut interpretabitur. Idem etiam *Bapstius l.c. ex Mizaldo* refert, quod cor coturnicis discordiã non patiatur persistere inter conjuges. Idem hoc ex eodem recenset pariter *Weckerus l.a. c.7. p.255.* sed injungitur illic simul ut cor masculinæ coturnicis à viro, & fœminæ à fœmina gestetur. Indicatur etiam ibidem, quòd si cor turturis gestetur à quopiam, non capiatur illecebrô appetitu rerum venerearum; alius verò, & penè contrarius effectus ex loco *Etzleri* paulò ante allegato innotescit. Ex *Alexio* quoq; citat *Weckerus l.a. lib. 4. c.1. p.108.* quod si vir secum portaverit cor cornicis masculi, & mulier cor ejusdem fœminæ benè inter se conveniant semper. *Mizaldus* etiam tradit ex *Alberti* fabulosis narrationibus, quòd omnes eum diligant, qui cor hirundinis secum habeat. Sic & linguam hirundinis exsiccatam & sub lingua detentam, exosculatis philtrum esse, refert ex aliis *Rattray in theatro sympathetic. p.19.* Chelidonium rufum, erutum ex hirundine amabilem idoneumque reddere ex *Dioscoride* memorat *Mars. Ficinus de vit. cœlitus comparanda l.3. c.15. p.240.* Paulò superius añuli, philtri loco commendati, fecimus mentionem, atq; ejusmodi similes magici sine dubio reperiuntur plures: Sic de annulo isto, quo Carolus Magnus Imperator dicitur mirificè ad amorem esse concitatus à muliercula quapiam, prolixè agit *Kirchmannus de annulis p.157.* De quo etiam *Petrarcha* citatus apud *Kornmannum de mirac. mort. p.2. c.14.* Sed de ejusmodi philtris hoc in loco majorem prolixitatem declinamus

mamus, cùm fortè commodior differendi occasio alia nobis inposterum prostet. Miramur interim non immeritò effectum herbæ Flabiæ, in Insulæ Zethir monte Arcadio reperiendæ, ex qua planta excisa dicitur liquor emanare, qui sangvinem tepefaciat, & eô modô si quispiam tepore affectus contingat aliquem, occultâ quadam ratione hic in illius amorem trahatur; ubi verò refrixerit succus iste, eoque quisquam contingatur, amoris refrigerationem benevolentiæque aversionem inducat; de quo non dubiam fidem allegat *Joh. Scultetus plantar. cultur. oratione exculta p. 36.* De pluribus hujusmodi amuletis vel sigillis, nec incantationis immunibus vid. *Casp. Bravo dissp. apologet. p. m. 232.*

Philtra infringentia.

Contra philtra verò radicem leontopodii, amuleti ratione alligatam, prodesse docet *Dioscorides l. 4. c. 131.* qui in capite præcedenti *130.* etiam de phytevmate videatur. Exiguam autem fidem his impertit *Sanctorius de error. vitand. l. 8. c. 11. f. 161. &c.* Sic contra philtra à fascino ex *Alexio* memorat *Weckerus l. c. l. 4. c. 1. p. 108.* quòd si in calamum, vel avellanam vacuam immittatur argentum vivum, obturando illam cerâ, & si ponatur sub pulvinari seu cervicali maleficiatorum, vel etiam ponatur sub limine ostii, per quod in domum vel cameram introitus paratur, solvatur maleficium. Porrò *ex Joh. Bapt. Porta Weckerus l. a. p. 109.* jubet ut secum portent de collo pendulos lapides, scilicet carbunculum, hyacinthum, & saphirum contra fascinum amoris; alyssum etiam in domo suspensum eum in finem commendat, uti & rhamnum ac phu. Opiferum etiam putat amuletum *Dioscorides* hyssopum & lilium. Alii annulum quoque volunt ex ferro ungulæ onagri vel asini domestici factum idem illud præstare. Sic etiam satyrion, quæ radix orchis fœmina quoque dicitur, annumeratur hactenus dictis. Rutam quoque simili dote præditam esse, perhibet *Aristoteles.* Non malè forsitan huc trahemus verba ex *Jos. Laurentii Polymathia l. 1. diss. 14. f. 34.* in maleficiis amatoriis inquit

laurus virens in ignem conjici solebat, ut quæ maximos crepitus edat, tanquam amantium querimonias repræsentans.

Daphnis me malus urit, ego hanc in daphnide laurum,

unde proverbium, clamosior lauru. Item *Ovidius in Transformationum libris*

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis mediamque tuebere quercum.

Plura alia in hanc rem notata inter amuleta fascino opposita inquiri possunt.

Pleuritidi succurrens.

LApis ex India occidentali allatus, Hispanice dellahiiada dictus, ut smaragdi plasma, brachio gestatus ex argento, amuletum Pleuritidis prædicatur, indicante *Portâ magia nat. l. 8. c. 6. p. 344.*

Podagram consopientia.

ANtipodagricum amuletum juxta quorundam mentem consistit in radice hyoscyami, de quo *Schröderus pharmac. l. 4. p. 83.* colligendam autem quidam censent hanc radicem lunâ existente in aquario, aut piscibus, ante solis occasum, eamque non attingendam, sed osse cujuscunque animantis mortui effodiendam, atque peculiaris adjurationis verba addenda esse; quæ cùm superstitionem redoleant, indigna censeo prolixiori recensione, vel usu. *Schröderus* autem *l. a.* hujus adducti facit autorem *Trallianum l. 11. cap. de podagra p. 314.* Cæterùm quid hyoscyamus in doloribus, variô modô applicatus, conferat, non indiget nostrâ expositione; eum in finem etiam ad periapta bubonum regredi licet, si libet; atque ideò forsitan sine magna jactura abesse possent ceremoniæ inutiles aut illicitæ. Laudatus *Schroderus l. d. p. 77.* scribit etiam gramen trium nodorum, decrescente lunâ evulsum, ac collo circumligatum in tumoribus podagricis discutiendis prodesse; de gramine septem nodorum in aliarum partium dolore commendato eodem in loco agitur. Porrò pedem leporis, & quidem vivo illi amputatum plurimum prodesse, videre est apud *Waldungum.*

gium in Lagograph. p. 73. & 74. De quo etiam *Bald. Ronsseus venat. med. p. 8.* De pedibus dictis, quod perfectè podagram & chiragram curent, id pariter pernotescit ex *Kirani Kiramidibus p. 86.* Sed autor hic genio suo noto indulgens, superstitiosa quædam simul observanda illi usui annectit *l. a.* Notant alii, quòd pes dexter leporis, dextro lateri affecto Ischiadicô dolore, sinister verò sinistro lateri appensus medeatur, de qua curatione inter alios videatur *Plinius l. 28. c. 16.* Atque idem *Kiranus* cornicis etiam pedes pro dolore pedum profligando dilaudans, annectit huic medelæ iterum quampiam superstitionis notam *l. a. p. 120.* Similiter ille *p. 129.* ibidem præcipit Ciconiæ viventi aufferri nervos pedum, crurum, ac alarum, eosque adaptari podagricis & chiragricis: similes quippe similibus partibus annectendo, atque illos inde sublevari affirmat. De annulo ex mercurio colorato, & coagulato facto, quòd in pollice pedum ac manuum gestatus polleat adversus podagram ac chiragram, innuit *Rolfincius Chymia p. 384. & meth. medic. speciali consultator. l. 13. cons. 1. p. 943.* Sic nervi vulturis, si eximantur lunâ existente in scorpio, & quidem, si dextri pedis nervi dolenti dextro, sinistri verò vulturis pedis, sinistro pedi alligentur, & quidem calci per pedis longitudinem, inde leniri podagram intelligimus ex *Ang. Etzleri Isagoge phys. mag. med. cap. 3. p. 80.* Idem hoc ex *Tralliano* memorat *Michaël. Bapst. l. c. p. 189.* Vulturis verò corium dextri calcanei, dextro podagrici pedi impositum, vel lævo, articulorum dolores lenire ex aliorum relatione indicat *Bald. Ronsseus in Epist. med. 22. p. 65.* Pergit citatus *Etzlerus l. a. cap. 5. p. 122.* aliqui, inquit, magicâ curâ podagræ mederi student, exemtis nervis è passerum pedibus, & certâ constellatione alligatis. De solutaribus, seu calceamentis ex hyænæ & castoris corio paratis, ac pedibus substratis, iisque podagræ adversantibus agit *Kiranus l. c. p. 83. & 97.* Porrò etiam testudinis pedes mederi podagræ scribit *Burggravius de Biolychnio p. 39.* Idem hoc indicant *Rein. Solenander sect. 1. consil. 20. f. 86.* *Mich. Bapstius l. a. p. 193.* Injungit ille simul, ut paritas pedis appendendi respondeat pedi dextro vel sinistro recipienti illum pedem,

quod allegat etiam *Joh. Scheuckius obs. l. 5. p. 689. &c. Joh. Löselius de podagra artic. 2. subsect. 3. p. 48. Snebergius catalogo med. contra podagram p. 132. Et Mœbius instit. med.* Similia pene exhibet de dictis pedibus *Gotfr. Smollius memor. med. cap. 24. p. 148.* jubet tamen simul, ut pes pedi, manus manui, & dextræ quidem dextra, sinistræ verò læva suspendatur. De iisdem injunctis observandis metro inclusa verba prostant apud *Bald. Ronsseum venat. med. p. 88.* Memorat eadem ex aliorum relatione *Joh. Joachim. Becherus Parnassi medicinal. part. 1. c. 92. f. 86. &* ex *Alberto Magno Joh. Jac. Weckerus de secretis l. 5. c. 4. p. 181.* Subjungit *idem ibidem* non mirum videri debere, de quo etiam paulò ante actum, quòd corium calcanei dextri vulturis ligatum super pedem dextrũ, & sinistrum super sinistrum podagrici, dolores podagricos levare possit. Atque ob ejusmodi partium analogiam vel sympathiã multi volunt amuleta quædam operari. Si *Kirano in Kiranidibus p. 83.* fides est adhibenda, perhibet pellem canis fluvialis seu castoris pro sotularibus gestatam podagricos sanare. Puto etiam tandem amuletum indigitare *Bald. Ronsseum l. a.* dum hunc in modum canit:

Nec minùs heic confert pes quem dat rana coaxans.

Utrum verò unicum ex his periaptis, vel omnia recensita simul in usum vocata expleant autorum promissionem, vel podagrâ afflictorum expectationem, experiantur alii. Notus tandem etiam est catulorum accubitus sive præsentia in lecto podagrici commendatus, quâ ratione podagra in dictos catellos (in modum amuleti vel transplantationis) derivari dicitur; de quo videatur mentio facta in *Kirani Kiranidibus p. 82. & 83.* De eadẽ materia paucula quæpiam etiã disseruimus *p. 93.*

Sangvinis fluxum excitantia.

NOn frustra forsitan etiam hoc loco & ordine amuletorum sequentia producemus, si fides asserto illi tribuenda est, quòd hæmorrhagia illa non possit sisti, quæ cuipiam ex casu aut ictu contingat, qui caudæ pavonis pennas secum defert, nisi illæ auferantur, velut refert hoc *Rattray Theatro sympath. p. 114.*

p. 11. Deinceps *Henr. Petræus nosol. Harm. tom. 1. dissert. 12. p. 237.* videtur etiam vim eliciendi sangvinem tribuere moscho, iridi, & hyssopo exteriùs admotis. *Sylv. Rattray l. c. p. 21.* inquit: planta Indica sangvinalis Panucea curat omnes morbos carpis applicata per sudorem sangvinis. De hæmagoga herba, aliàs (cujus *Galenus mentionem facit lib. de purgant. med. fac. cap. 4.*) etiam memorat quædam citatus *Petræus l. a. Paul. Zachias quæst. med. legal. tom. 1. l. 3. tit. 2. quæst. 3. f. 246. Joh. Schenckius observat. l. 7. f. 877.* & *Val. And. Mœllenbroccio in cochleariæ curiosæ pref. p. 12.* quo in loco autor adstruentes atque scriptores illud negantes allegat. Citatus modò *Schenckius l. a. f. 873.* etiam meminit cantharides in bursa vel pera solùm gestatas mictum cruentum intulisse. Restarent nobis infinita penè alia testimonia alleganda, quæ volunt illud, vel alia vesicæ & genitalium partium mala, ab iisdem cantharidibus (& quidem variô modô corporis diversis partibus admotis) orta; qualia testimonia non nulla *in dissertation: de mictione cruenta allegavimus*, & plura alio loco forsitan inposterum recensebimus. Arbitramur porrò etiam id monendum esse, si experientiæ respondet, quòd rubra oculis exposita sangvinem commoveant; vel quod ruber pannus sangvinem ad corporis exteriora provocet, uti loquitur *Th. Bartholinus dessert. Epistolica de transplantatione morbor. p. 9.* Inferiùs *cap. 3. de amuletorum operatione* trademus plura de simili penè argumento: quòd exanthemata & variolas elicere dicantur panni rubri, idque præstare rubra similia alia oculis solùm exposita. Atque illud ratio non omnis destituere videtur, præcipuè in prælio, si quis sangvinem ex alius & sui ipsius corpore manare persentiscit; furore namque sic majori ille exæstuabit, & sangvinis profluvium promovebitur. In illo negotio tamen vindicta & excandescentia fortè proxenetriam potiorem agit; quantumvis etiam constet, quod terror ingens & furor nimiùs subinde in quibusdam sauciatis sangvinis fluxum potiùs sufflaminet: veluti Germanorum ideò etiam proverbia nota sunt de excandescentibus, dicentibus se vix guttam sangvinis profundere valuisse, si corpus suum sectum vel

apertum post insignem indignationem fuisset. Dilucidat hoc quadantenus etiam illud *Virgilii Æneid.*

Obstupui steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Scabiem sanantia.

SEquuntur porrò scabiem profligantia; atque contra hanc tutò ex mercurio præparari posse amuleta, comunicat *Joh. Michaelis Colleg. MS.* super *Rolfincii chym.* De mercurialis cinguli laude agit etiã, *Rulandus problẽ. chym 49 & Jo. Phar. Rumelius in medic. milit. dogmat. Hermet. Magic. c. 18.* Verùm mercurialis hujus cinguli usum suspectum pronuntiat *Hildanus cent. 5. obs. 113.* Varia mala itidem inde, & ab inunctione illius oriri docet *Herm. Grubius de arcan. medic. non arcan. p. 59.* Quibus jungantur allegati apud *Th. Bonetum medic. septentr. part. 2. f. 232. &c.* De lethali planè illius usu observato *Phil. Hœchstetterus decad. 3. c. 7. p. m. 242. &c.* & *Misc. Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. Dec. 2. Anni 6. obs. 107. p. 204.* Non temnenda quoque sunt, quæ circa ejusdem cinguli & mercurialium, pro salivatione aut pediculis abigendis, applicatorum usum cautè tractandum monet *Fr. Sylvius prax. med. appendice tr. 3. §. 316. &c.* Si quis plura pericula ab eodem mercurii usu, & cautelas circa illum, scitu necessarias expetit, consignatas illas reperiet apud *Th. Bartholinum cent. 3. hist. anatom. 79.* Licet impunè subinde quipiam mercuriale cingulum aut inunctionem in scabie & lue venerea, sive tandem etiam usum internum pro vermibus, ileo &c. admissum consignarint, nequitiæ illius tamen ubivis ideò minimè fidendum est, cùm monente *Theophrasto Paracelso lib. de curatione luis Gallicæ* mille mala, morbis curandis deteriora, concitare dictus mercurius possit & soleat non rarò. Annulos etiam ex Mercurio coagulato factos ac gestatos alioquin in scabie laudat *Georg. Pischi in zenexto.*

Scrofulas sive strumas imminuentia.

SEquuntur jam alia capitis & colli malis externis opposita: Radices autem arnoglossi suspenduntur collo ad scrofulas, inquit

inquit *Rattray l. c. p. 21.* Notari hoc loco a. potest quod Græca vox ἀρνογλώσσον synonymum sit plantaginis, cujus ignari quidam duo distincta constituunt amuleta. Sic etiam radicem verbenæ collo patientis appensam præsidium afferre in dicto malo memorat ex *Durantis herbario Baricellus hort. genial. p. 89. & ex Mizaldi cent. 4. Mich. Bapst part. 3.* des wunderb. Leib und Wund-Artzney Buchs *p. 201.* De eadem radice ex *Durante* agit etiam *Ant. le Grand. curiosa arcanor. naturæ perscrutatore p. 81.* De verbenæ viribus iisdem & applicandi modo (quadantenus forsitan suspecto) videatur quoque *Schröderus pharmac. l. 4. p. 172.* Præterea *Muncerus Euporistis Cratonian. p. 591.* commendat, si collo gestentur herba scrofulariæ, eryngium, radix agrimoniæ, verbenæ vel acetosæ. Bufo etiam vel ranula viridis, pridie novilunii occisa & collo gestata non destitui effectu creditur. Allubescit nobis annectere his verbis *Joh. Schenckium obs. medicinal. l. 3. ∫. 437.* hunc in modum scribentem: bufonium lapidem, ait, (citandus Lemnius) tumores atque inflationes quasvis crebrô suô attritu discutere, & hujus exitum se multoties expertum profitetur naturæ occultorum scientissimus & cumprimis elegans autor *Lemnius.* Inferiùs inter amuleta *Tumorum* plura itidem in hanc rem occurrent. Porrò pedes omnes magnæ rubetæ ab ea vivente abscissi, dum Luna vacua ad conjunctionem properat, colloque strumas patienti suspensi, adeò conferunt, ut persæpe etiam à morbo patientem liberent, quod ex *Cardano* depromit *Joh. Jac. Weckerus l. c. lib. 5. c. 4. p. 152. & 201.* de quo etiam *Joan. Jonstonus lib. 5. de quadrup. c. 1. tit. 2. punct. 1. p. 188.* Sic etiam amuleti instar lacertum totum, vel cor ejusdem vasculo seu lupino argenteo inclusum & à collo suspensum, adversus strumas præclarè auxiliari constat ex *Joh. Schenckii lib. 3. obs. med. f. 436.* Præterea interprete *Anton. Mizaldô ex hort. med. p. 124.* innotescit, tradere nonnullos, quod si quis radicem plantaginis in licio alligatam è collo suspenderit, strumas discutiat illa, & crescere prohibeat. De quo etiam *Dioscorides l. 2. c. 115. Æmil. Macer de herbar. virib. c. 6. p. 19.* Similiter quod arnoglossæ, (seu plantaginis) & acetosæ radix suspensa (de

quâ

qua utraq; etiã in præcedentibus dictum) strumas discutiat, adstruit quoque *Andr. Laurentius oper. therapevtic. tr. de strumar. sanat. l.1. c.5 f.9. Idem autor l.c & f. 10* ita pergit: Condurdum herba solstitialis, flore rubrô, suspensa in collo comprimere dicitur strumas. Similiter radicem scrofulariæ recentem, lunâque decrescente effossam, ac nodis imparibus præditam, nec non filô mediante collo appensam contra scrofulas eximiâ vi præditam deprædicat *Mart.* Schmuck *mag. magnet. morb. curat. p. 20.* Porrò scrofulas primula veris & fabaria discutit dorso vel ventri appensa, teste *Thom. Bartholinô dissert. epist. I. de transplant. morbor. p.5. & 6.* De radicibus his, si placet, repetatur locus de hæmorhoidibus in præcedentibus agens. Sic immaturâ morte raptorum manus, attactu suô strumas & parotides sanare, refert *Plinius l. 28. c. 4.* De virgine hoc modô liberata à malo illo, aliis medicamentis frustra adhibitis, videatur *Francisc. Ulmus de occult. medic. proprietat.* Confer sîs etiam *Miscell. Acad. Leopoldino-Cesar. Curios. Dec. 2. Ann. 2. obs. 141. p 309.* & *Weberum in anchora sauciator. p. 21.* Deprehendo etiam alios autores simili ratione, nimirum affrictu manus funeris cujus cunque humani tentasse & obtinuisse tumorum remotionem; veluti de scirrho lienis, & excrescentia palpebrarum ingentis magnitudinis exempla cum operationis ratione quapiam datâ consignavit *Excell. Georg. Wolffg. Wedelius in physiolog. med. sect. 3. c. 27.* Illud autor idem laudatus exponit fusiùs in *Miscellan. Academ. natur. curios. decur. 2. Ann. 1. obs. 11. p. 23. &c. & in obs. 140.* Porrò *Ann. 2. p. 309.* De eadem medela strumarum, verrucarum, tumorum, excrescentiarum, & macularum confer sîs etiam *disp. de qualitat. occult. (c.5. §. 46.) Lipsiæ ab Exc. Lic. Cypriano & Hulsio habit. anno 1682.* uti & *Laurentium l.a f. 11. Acta philos. Anglicana Anni 1666. mense majo p.m. 156.* ex quib9 etiã locus repetitus prostat apud *Theoph. Bonetũ in medicina septentr. part. 2. f. 322.* adde his *Thom. Bartholinum dissertat. epistol. de transplantat. morbor. p. 51.* qui postremus autor dicit, vulgo Daniæ persvasum esse strumas tumoresque sensim aboleri, prout cadaver putret. Huc proinde etiam trahimus locum ex *Helmontii tumulo pestis p. 41.* verrucæ, inquit, & stigmata à per-

à perturbatione prægnantis fœtui inducta, attactu cadaveris sensim ac sponte mortui, donec pars stigmatis intimè refrixerit, sponte etiam stigma evanescit. Idem autor hoc etiam repetit paulò aliis verbis in reliquo suo opere *p. 285. c. 2. n. 46* Scrophulosum tumorem colli istiusmodi cadaveris manus frigidæ crebrô attactu adhibitô curatum annotavit *Rob. Boyle de specific. medicam. p. 96. etsʃ.* Loco allegato p. 98. autor dictus non *Helmontio* solùm, sed veteribus etiam, scilicet *Plinio* notam fuisse hujusmodi medelam scribit. Deinceps ex *Cornelio Agrippa* tradit hæc *Joh. Jac. Weckerus l. c. lib. 5. c. 4. p. 201.* mirum, ait, de septenario experimentum, quòd masculus omnis septimus, absque fœmella intermedia natus, vim habet curandi scrophulas, solô tactu, vel verbô. De septimo (continuâ, nec à filia interruptâ serie) nato, uti & à parentibus utrisque, nec diverso aut fortè alterutro parente edito, prolixiꝰ recensitam tradit ex *Limnæo* istam curationem *Mart. Zeilerus* im Hand-Buch *part. 2. p. 136.* Addatur his quoq; *Theod. Hopingius de insign. jure c. 18. §. 7. f. 907.* Recensitum hoc equidem apud multos scriptores se reperisse, nescire autem, an verum sit, hinc à sapientibus se experiri illud velle, ait *Anton. le Grand in curioso reabditar. perscrutatore p. 214.* In Hispania salutatores etiam, seu certos homines existere, qui incredibilia ferè præstent salutationibus; & tales virtutes præstare quoque dictum filium ejusmodi septimum ex *Vairi de fascino l. 1. cap. 11.* recenset *Henr. Kornmannus de mirac. vivor. p. 219. etsʃ.* Plura in hanc rem suggerent autores de septenario numero agentes. De eo etiam attactu filii septimi, & Regibus Galliæ, vel variis membris primogenitorum Magnatum, aliisque partibus & rebus ab hominibus petitis strumas sanantibus, annotata merentur evolvi apud *Joh. Limneum in Juris publ. tom. 4. p. 671. etsʃ.* De eodem attactu agit item *Andr. Laurentius* allegatus in peculiari tractatu *de mira strumar: sanatione.* Alios plures, idem argumentum de attactu Regum dictorum pertractantes, & quidem peculiaribus in scriptis aut dissertationibus Academicis, allegare vel exscribere hoc in loco lubens supersedeo. Præ-

terea nudam virginem ac jejunam, itidem suô attactu manus curare strumas ex *Gaudentio Merula scribit Mich. Bapst* im Artzeney Kunst und Wunderbuche *parte 1. p. 157.* Illud autem sequens ibi annotatum, quòd scilicet quis ter debeat verba quædam recitare, toties exspuere, suôque sudore strumas illinire, id superstitioni vendicamus: de quo, & aliis similibus videatur idem autor im wunderb. Leib- und Wund Artzneybuche *part. 1. p. 48. &c.* Deinde de fune, quô quis suspensus periit, vel de globulis plumbeis, quibus cervus trajectus ac occisus fuit, à quibusdam commendatis loco amuleti nihil memorabimus. Denique, an cera ista astralis amuletis annumeranda sit, ignoramus, cujus *ex Joh. Aubrii epistol. de quinta essentia* mentionem facit *Exc. Christ. Franc. Paullini de bufonis descriptione p. 98.* Dicuntur autem strumæ istâ cerâ dissalvi quàm lenissime, nullâ ibi relictâ notâ vel cicatrice.

Singultum compescentia.

AD singultum cohibendum serpentis senectam, idest exuvias liciô alligatas & vulso circumdatas mirè conferre, ex *Marcello Empirico (cap. 17.)* recenset *Ger. Joh. Vossius de Idololatr. l. 4. c. 62. p. 1522.* Sic singultum desinere, si manu solùm teneatur alyssum, vel si quis herbam eam etiam intueatur, annotavit *Mich. Bapst.* im wunderb. Leib- und Wund-Artzneybuche *part. 1. p. 199.* Illud de effectu indicato etiam ex *Plutarch. sympos.* recenset *Jo. Langius, l. 2. Epist. 37.* Si in manum solùm recipitur dictum alyssum, à singultu liberari affectos eôdem, constat ex *Andr. Laurentii oper. Therapeut. tr. de strumar. sanatione l. 1. c. 3.* Si quoque olfiat vel solùm teneatur, aut in eduliis exhibeatur illud itidem laudat *Dioscorides l. 3. c. 105. p. 218. 219.* Denique ex *Bald. Ronssei venat. med. p. 73.* huc quoque trahimus:

Amphibii appendunt stomacho glomeramina fibri.

Sitim extinguentia.

PRoponendum jam venit quidpiam, quod propinant vel sitientibus inservire dicitur: Alectorium autem lapidem in capo inventum, gestantis sitim vehementis

ſedare, ſi in ore contineatur, indicat *Joh. Henr. Alſtedius Encyclop. l. 7. part. 4. c. 1. p. 491. Anſ. Boët. de Boot in Gemmar. hiſtor. l. 2. c. 169. p. 342.* & allegati in *Henr. Kippingii inſtit. phyſ. lib. 6. c. 5. p. 245. &c.* De alectorii origine & uſu aliis in affectibus etiam commendato, brevi poſt hæc inter amuleta *victoriam* &c. comparantia plura reperientur. Similiter, quod Limacius in ore volutatus ſitim ſedet, ſignificat *Andr. Laurentius l. a.* Cùm verò de operatione dictorum adminiculorum ſitis reſtinguendæ alius locus noſtri ſcrutinii ſit occupatus, ſuperſedemus jam de eadem adhuc ſemel agere.

Somnia excitantia.

JUngimus his adductis hactenus pauca quæpiam, quæ ſomnia excitare creduntur: Amethyſtum verò ſuperſtitioſos quoſdam geſtare, ut ſomnia ipſis contingant futuri prænuncia, perhibet *Hier. Jordanus de divino in morbis c. 16. p. 64.* Deinde *Gotfr. Smollius l. c.* ranæ, ait, & bufo efficiunt loquacem, & ex his maxime lingua & cor. Sic lingua ranæ aquaticæ ſuppoſita capiti, facit loqui in ſomnis, & cor bufonis impoſitum mammæ mulieris dormientis ſiniſtræ, fertur efficere, ut eadem omnia ſecreta pronuntiet. Hoc quoque affirmatur de corde noctuæ, & ſevo leporis poſito ſupra pectus dormientis. Suggerit nobis præterea *Mizaldus memorab. cent. 3. aph. 42.* quod lapis, qui in nido upupæ reperitur, ſecretorum proditor effeꝛatur, pectori dormientis ſuperpoſitus, autore *Albertô.* Lapis cornu Ammonis, ſeu Hammonis dictus repræſentare prædivina ſomnia, ſubjectus capiti incubantium dicitur; ſed id fabulæ veriſimilius rectè pronuntiat *Joh. Jacob. Wagnerus in hiſtor. natural. Helvetiæ p. 328.* Similia alia pluries obſervata in autorum lectione, tanquam incredibilia, lubens prætermiſi; nec digna cenſui annotatione. Hoc autem recenſione dignum puto, quod ſcribit *Pleſkentus in deſcriptione Islandiæ p. 51.* videlicet, quod incolæ in Islandia ſua habitacula ædificent ex oſſibus balænæ, unde, qui in illis dormiant, ſemper de naufragiis ſomnient. Demum folia lauri ſub pulvinari poſita vera ſomnia

nia gignere putantur, de quo poëtarum versus allegatos tradit *Mylius in horto philos. p. 282.* Similia ferè plura, pro auguratione quæ facere quidam somniant, in hujus peculiari titulo in præcedentibus adducta fuerunt.

Somnia inhibentia.

NE patiens verò somniet, aut ne somniantes horrenda & terribilia videant, quædam etiam, licet forsan superstitiosa, suspendi notum est. Sequentia hæc nobis suppeditat *Wolffg. Gabelchoverus cent. 4. curat. med. 1. in annotatione p. 5.* inquiens: Exemplum primum habetur *libro 3. de medic. facilè parab.* in quo hoc scribitur: ut homo noctu somniet, rutæ semen caligæ ipsius nescientis suspendito. Exemplum secundi habetur *in libr. de incantatione Galeno* adscripto, in quo docet autor, sardam viginti granorum pondere, collo suspensam, aut in digito gestatam, prohibere, ne homines in somno terribilia videant. Idem præstat suspensio corallorum rubrorum ad collum, radix nymphææ, pentaphylli, & portulaca lecto supposita vel suspensa, hactenus *Gabelchoverus* Recensita illa quædam etiam prostant apud *Maccasium prompt. mat. med. sect. 13. c. 20.* Juxta *Cardani* verba, referunt quidam, quòd si dentes equi masculi, seu collo, seu brachio sinistro appendantur, ii curentur, qui soleant mala somnia videre, de quo *Weckerus l. c. l. 5. c. 7. p. 261.* De aliis pavorem infantium in somno prohibentibus, repeti ea possunt, quæ circa infantium morbos superius adducta fuerunt.

Somnum efficientia.

ACcedimus jam ad ea, quæ somnum procurare dicuntur: *Rattray in Theatr. sympath. p. 19.* ad accersendum illum dicit valere cor vespertilionis gestatum. Sic de capite vespertilionis statuere *Carolum Stephanum*, quòd dextro brachio alligatum inducat lethargum, annotat *Alexander Venturinus medicina ab animal. desumta.* Alii volunt, quòd si caput vespertilionis aridum ponatur super dormientem, faciat ut non excitari possit, donec depositum fuerit; quæ verba cum contrario

planè

planè hujus effectu reperies etiam annotata apud *Gotfr. Smollium manuali rer. admirand. c. 24. p. 150.* Si *Rhases* audiendus, ala upupæ dextra hominis dormientis capiti appensa, facit ne expergisci possit ille. Postmodum *Sextus Philos. Platonicus de med. animali part. 1. c. 8 p. 63.* inquit: caput lupi supponito sub pulvino, & dormiet æger. *Forestus lib. 16. obs. 52. p. 38.* indicat pellem lupinam efficere ut suaviter & sine ullo formidinis incursu edormiant, qui illâ contegantur. Memorat *idem autor ibidem* quod gestantes à collo pyritem, non timeant larvas & lemures. Similiter quòd aizoum sive sedum panno nigro involutum, ac ignorantis pulvino subjectum morbosæ vigiliæ auxilietur, autor est *Plinius l. 26. c. 11.* Porrò *Andr. Laurentius oper. therapevt. tr. de strumar. sanat. l. 1. c. 5. f. 10* hæc refert: *Diodorus Siculus*, ex narratione cujusdam Jamboli mercatoris, scribit in Arabia fœlici reperiri plantam, supra quam qui dormiant svavissimô sopore corripiantur, & ita intereant. Sic refert etiam *Joh. Neuhofi9* quòd in provincia Hunquam crescentis arbusculæ Manghoæ ramulus nudæ carni alligatus somnum conciliet. De pelle leporina recenti & adhuc sanguinolenta pulvinari supposita, quod profuerit in vigiliis; de quo tamen crebriorem experientiam captandam simul censet Exc. *Hagendornius Miscellan. Academ. natur. curios. dec. 1. Ann. 5. obs 94. p. 200.* Somnum inter alia quoque conciliare quidam credunt aures leporis obscissas, cranium humanum, aut pulverem seminis & foliorum hyoscyami sacculo immissum, ac pulvinari suppositum, de quibus *Miscellan. Academ. natur. curios. dec. 1. Anni 6. & 7. obs. 171. p. 235.* Aurium dictarum usum paulò prolixius delineat *Bald Ronssens venat. med. p. 3.*

Auriculas vivo lepori resecare memento,
Pulvilloq; ægri tacitus supponere, ne quid
Sentiat; ille alta pressus longaq; quiete
Gaudebit, jussis curis longum inde valere.

De hyoscyamo viridi apto itidem declarato ad somnum conciliandum, si cervicali supponatur, agit *Cardanus* teste *Joh. Jac. Weckerô de secretis lib. 5. c. 7. p. 288.* Præterea Lapis ceraunius provocat

vocat etiam somnum, juxta *Bartholinum de lap. nephr. c. 10. p. 24.* Sic ardeæ rostrum in asini corio fronti alligatum dicunt contrahere somnum; & rostrum illud solùm vinô ablutum vires easdem edit, juxta *Plinium.* Alii jubent rostrum hoc cum felle cancri corio asini involvi atque appendi, quorum mentionem injicit *Mich. Bapst.* im wunderbarl. Leib, und Wund = Artzneybuche *part. 1. p. 189.* Communicat sequens *Bald. Ronssæus venation. Medic. p. 4.*

Allicit, & somnum coccyx, si pelle lepuscli
Implicitus quâvis patientis parte ligetur.

De croco nihil in præsenti adferemus, cùm fortè non adeò ad amuleta pertineat. De aliis illicitis & superstitiosis somnum conciliantibus non ero solicitus; quemadmodum ideò etiam non inquiram, qualia extiterint phylacteria, quæ eum in finem apud Judæos puerulis imponi solent juxta *Hottingerium Jur. Ebr. p. 388.* Quæ pavorem alioquin in somno arceant, peculiari suo loco in præcedentibus continentur *p. 271. & s.*

Spasmum mitigantia.

OFferunt nobis se jam ea, quę spasmo resistere putantur: recensentur inter ea verò ungula alces annulo inclusa, vel quocunque modò gestata, tendines item illius, radix eryngii, tormentillæ, & bistortæ de collo appensa; magnes item, corallia rubra, & lignum visci querni, de quibus videre licet *Sennertum in prax. l. 1. p. 586.* Plurimorum horum etiam mentio fit apud *Petræum nosol. l. 1. diss. 8. p. 168. §. 43.* De ungula alces verò repetitam laudem reperies in *Sennert. de consensu & dissensu Galen. cum Aristot. c. 18. p. 342.* Suam atque alius medici crebram experientiam de annulo ex ungula vera alces parato & proficuo observato in spasmo allegat *Rob. Boyle de specificis medicament. p. 95.* Miratur insimul hic autor, quòd dictus annulus pedum spasmum etiam sustulerit, ubi solùm digito is applicuerit illum. Sic porro *Joh. Schroderus pharm. med. chym. l. 5. p. 268.* inquit: alces nervi circumligantur membris spasmô obnoxiis. Non desciscit ab hoc, quoad verba ac sententiam, *Apollonius Menabenus c. 5. de alce, Olaus Wormius museo p. 337.* & alii plures autores.

tores, quos superiùs (inter amuleta comitiali morbo opposita,) de alces ungula scribentes dedimus. De operationibus verò medicamentorum ex alce desumtorum adeas, nî grave est, *Keckermannum in cursu philosoph. disp. 18. probl. 15.* ubi ex vi resolvente, calefaciente & adstringente deducit dictos illius effectus. Neutiquam autem qualitatibus primis aut secundis, sed totâ substantia isthæc agere, affirmat citatus *Menabenus l. 11. de alce.* Mox sequentium autor est *Joh. Prævotius in selectioribus remediis p. 75.* spasmum flatuosum, inquit, sanat & præservat (vulgò il granfo) corium anguillæ parti circumdatum, præparatur autem, ut aliæ pelles. Experimentum illustriss. Episcopi Bremensis de Volkaurtain. Porrò de visco querno, & annulo ex bubalorum cornubus parato, ac laudato consulas *Baricellum horto genial. p. 98. & 99.* Utriusque hujus amulti autorem etiam esse *Cardanum* testatur *Ant. le Grand curioso naturæ arcanorum perscrutatore p. 89. &c.* Sic Acori radicem collo appensam amuleticâ vi pollere in affectibus nervinis, præcipuè in spasmo tradunt; colligi etiam hanc volunt in mense majo, ante solis exortum, die mercurii. Sed respectus hic ad diem videtur hanc medelam superstitionis quadantenus arguere. Radicem gladioli lutei eum in finem gestatam laudat quoque *Mart.* Schmuck *in occult. mag. magn. morb. curat. p. 26.* Idem facit *Staricius* im helden Schatz *part. 6. p. 515.* Dehinc vitis albæ radicem circumaptatam collo, spasmoticos sanare memoriæ prodidit *Kiranus Kiranid. lib. p. 8.* Optimum etiam, ac tutissimum amuletum fieri ex dentibus equi marini, sæpe laudatus *D. Joh. Michaelis* communicat in *collegio MS. ad Rolfincii Chymiam.* Particulam equi dentis excrescentis, & alia contra spasmum allegata vide apud *Bartholinum de lap. Nephrit. c. 9. p. 20.* Verùm alienus est plane à laude dicti dentis *Joh. Cornel. Weberus in Anchora sanciatorum p. 119.* Fallunt, ait, & falluntur illi, qui annulos ex dente equi marini confectos spasmodicis doloribus vexatis, solamen afferre credunt. Sic porro, quòd cohibeant crurum, vel digitorum pedis spasmum lapides mustelæ piscis, si nudam cutim contingant, addisces ex Collegii nostri

nostri naturæ curiosorum Primicerii desideratissimi, videlicet *Sachsii Gammarologia p. 309.* Non diffitetur idem hoc *Frid. Hoffmannus in clave Schröderi p. 701.* Similiter quod *D. Petr. à Castro in MSS. prax. cap. de convulsione*) annulo, ex ungula onagri, præferat Indorum annulum, Frabaca dictum &c. id pluribus te docebunt id comunicata apud laudatum *Sachs. p 660.* Post hæc, quòd annulus ex ungula rhinocerotis factus, digitoque affixus, in obstructione nervorum levamen adferat, pronuntiat ex *Marcello Empirico Alexander Venturinus medicin. ab animal. desumta.* Annulum verò ex rhinocerotis cornu tornatum in India contra venena & spasmum adhiberi ac gestari, colligimus ex *Bontii meth. med. Indic. conveniente.* Sic os de collo lupi ligatum ad collum ὀπισθοτονικῷ, seu qui posteriorem spasmum habet, ad pristinam sanitatem eum reducere, docet *Kiranus l. c. p. 85.* Officulum etiam è poplite leporis, tanquam amuletum gestatum, suâ laude non destitui in spasmo certior redderis ex *Rattray Theatr. sympath. p. 19.* Dehinc os alæ phasiani gestatum in manu partis affectæ, spasmô sublevare onustos, tradit *Mullerus mirac. chym. p. 120.* Nec latet nos, partibus malô illô affectis nervos humanos circumligare solere: Veluti etiam de corii humani viribus non vulgaribus in spasmo manuum, pedumque, uti & de chirothecis inde factis, in ariduris & contracturis apprimè utilibus, evolvi potest *Th. Bartholinus cent. 3. histor. anat. 87.* De corio dicto ipsiusque viribus, hunc in modum loquitur *Joh. Frid. Helvetius Diribitorio medico p. 119.* ex hominis sani, inquit, sive in prælio interempti, sive præcipuè suspensi pelle aut dorso, fortia exciduntur non nunquam lora, quorum si quis unum circa corpus suum gestaverit, nunquam ipsius manus ac pedes rursus spasmô cruciabuntur. Similiter Molochiten spasmum abigere, invenies in *Casp. Bartholini de lap. nephrit. c. 10. p. 15.* Denique nequitiam, atque irritam medelam istam in transitu attingimus, dum agyrtæ vendunt, ac simplices homines usurpant, annulos ferreos triplici crucis signô notatos; quos persvasi illi credunt ex catenis, quibus fures strangulati vel suspensi, confectos esse; licet ejusmodi

modi nugivendi nequam vix affricuerint sæpe patibulo catenas aut ferrum pro dictis anilibus annulis receptum. Amuletis superstitiosis ac vetitis etiam accenset istos annulos *Raym. Mindererus Threnodia medica c. 12. p. 282.* Sed linquimus hæc iis, qui cum mundo decipi volunt; insimul tamen animadversionem in variis locis Magistratus exoptaremus in ejusmodi res superstitiosas publicè non raró vendibiles.

Sterilitatem procurantia.

SEqvuntur jam, quæ sterilitatem procurare creduntur: Indicat verò *Costa ben Luca de ligaturis physicis, & Porta mag. nat. leg. 4. c. 20. p. 580.* quòd digitus auricularis fœtûs abortu exclusi, & collo adaptatus steriles reddat suâ præsentiâ. Sic etiam dentes pueri, inprimis cùm cadunt, antequam ad terram deveniunt, si ponantur in lamina argenti, & suspendantur supra mulieres, eas prohibent impraegnari & parere, annotante hoc *Dan. Beckerô microcosmo medic. p. 262.* Eadem verba ex *Alberto Magno* allegat *Joh. Jac. Weckerus de secretis l. 5. c. 4. p. 175.* Dentem verò pueri septem annorum auro aut argento inclusum, ac brachio suspensum efficere ne mulier concipiat, annotatum reliquit *Sext. Phil. Platonicus de medic. animal. l. 2. c. 17. p. 89.* Porrò Asplenon herba spem partus adimere putatur, tum per se, tum etiam cum muli liene, instar amuleti adalligata. Verùm in eum usum tradunt nocte quapiam illam effodiendam esse, velut constat ex *Dioscoride l. 3. c. 151.* Quòd hoc ipsum etiam *Serapion & Avicenna* scribant, colligere licet ex *Mich. Bapstii* wunderbarl. Leib- und Wund-Artzneybuche *part. 1. p. 95.* Quo in loco *p. 94.* etiam autor allegat alia, videlicet quòd pariter conceptionis ineptitudinem procurent ungula muli, ossa circa cervi cor & testiculos illius reperta, atque brachio appensa, idque juxta *Sextum Platonicum de medicin. animal. p. 8.* De muli cerumine auris alligando, item de lampyridibus, vel muscis noctu lucentibus, in mulæ matrice involvendis ac mulieri appendendis, deque superstitiosis aliis, quæ dictum effectum excitare debeant, ac in sacris prohibita sint, agit idem cita-

tus *Bapstius l. 4. p. 95.* Utrum eadem verbis sequentibus intendat *Kiranus Kiranidibus p. 125.* indaget qui vult: si ergo, inquit, ligaveris lampyridem in matrice vulvæ & suspenderis ad mulierem, inconceptivum est omninò. *Dioscoridis* autem illum locum paulò antè allegatum etiam recenset *Remb. Dodonæus in stirp. Histor. pemptad. 3. l. 5. c. 8. p. 465.* annectit quippe verbis illis hæc: Simile, ait, etiam *Theophrastus* habet: folium Hemionii, inquit, sterilitatem mulieribus facere volunt, & aliquid ungulæ muli ac σπέρματος, aliàs δέρματος, id est cutis, miscendum præcipiunt. *Plinius* etiam non dandum Asplenium fœmininis ait, quoniam sterilitatem faciat &c. Paulò post ea pergit idem ille autor: hoc inter aniles fabulas referendum, unà cum eò, quòd *Dioscorides* de Aspleno colligendo noctu refert &c. Sic si semen acetosæ ligetur in panno & suspendatur super tympanum sinistrum mulieris, non concipere illam, donec permaneat super ipsam, docet ex *Alberto Magno Joh. Jac. Weckerus l. 4, lib. 5, c. 4. p. 175.* Idem hic autor *ibidem* ex eodem *Alberto* adfert, quòd si quis extrahat calcaneum mulieris mustelæ, ipsâ existente vivâ, & suspendat super mulierem, non concipiat illa, donec maneat super eam; & quando removeatur, imprægnetur. Vel si accipiantur duo testiculi mustelæ, & stringantur vel ligentur in crucem mulieris, & si secum habeat eos, illam non concipere, itidem ex *Alberto* memorat *Weckerus.* Post hæc *Kiranus in Kiranidibus p. 19.* dicit, quòd si mulier nolit concipere, se circumcingere debeat herbæ divinæ vel Pæoniæ seminibus cum cerumine auris mulæ. Scribit etiam ille ibidem autor *pag. 79.* quòd cerumen auris mulæ in pelle ejusdem animalis ligatum, ac suspensum collo, inconceptivum fit. De dicti ceruminis efficacia hac, si scilicet in pelle cervi, vel lana alba absconditum, mulieri post illius menstruam purgationem appendatur, agit quoque *Mich. Bapstius in Pimelotheca p. 201.* Prius illud *Kirani* paulò aliter effert *Ottho Brunsfeldius Jatr. l. 4.* docet enim, quòd grana pæoniæ cum pilis auris mulæ à mulieribus gestata in corpore nudo, conceptioni resistant. Dehinc fimus leporinus ligatus super mulierem, non finit

illam

illam concipere, atque hæc desumta sunt ex *Matthiolo*. Contrarium verò petitum ex *Ronsseo* (*de venat. medic. p.* 4.) prostat apud *Waldungum lagographia p.* 80. vide etiam *Rattray theatr. sympathet. p.* 11. Vitandæ, juxta hæc, etiam sunt aliorum sterilium animalium partes, qui non vult in sterilitatem incurrere, cùm illa dictis iis variis partibus contrahi credatur, de quo legatur *Baricellus hort. genial. p.*167. *Anton. le Grand curioso rer. abdit. perscrutatore p.*.155. *Burggravius de Biolichnio p.*39. atque *Corn. Agrippa de occult. phil. lib.* 1. *c.* 15. qui postremus inculcat, quòd illud præstent, ex sterilibus desumti testiculi, matrix, & urina. Suffragantur his dictis etiam verba *Bald. Ronssei Epist.* 22. *pag.* 66. ita scribentis: sic mula sterilis quum sit, si ejus auriculæ à muliere ferantur, vel bibantur non concipiet. Idem citatus autor *venatione medica p.* 82. ita canit:

Auriculas etiam mulæ deferre nocivum est.
Ossiculum in medio vulvæ reperitur asellæ,
Quod steriles coitus faciet, si quando feratur.
Suspecta & matrix, quæ nondum fœta capellæ
Est, illam mulier si portet corpore nudo.
Cor quoque semiasini fertur non absque periclo.

Posthæc cor muri viventi exemptum, & brachio mulieris suspensum efficit, ut non concipiat, inquit *Sextus Philos. Platonicus de medicin. animal. part.* 1. *c.*21. *p.* 97. Similiter quod hyoscyamus concipere non permittat, si collo mulieris appendatur, constat autore *Andr. Laurentiô oper. therapeut. tr. de strumarum sanatione l.* 1. *c.* 5. *f.*10. Porrò radix verbasci virginis gestata, non prodest fœminis, quia conceptum impedit, quam diu gestatur; remotâ verò illâ restituitur concipiendi potestas, juxta *Hartmannum in prax. chimiatr. l.* 2. *c.* 21. Indicat etiam *Baricellus hort. genial. p.* 324. quod umbilici infantis spontè decidentis particula in brachialibus gestata à muliebribus conceptum elidat. Idem hoc ex *Alexandri Benedicti lib.* 30. *de curand. morb.* allegat *Anton. le Grand. in curioso rerum abditar. perscrutatore p.*313. Eundem umbilicum autem, quoquô modô in cibo sumtum, si ignorave-

rit mulier, ad conceptum facere innotescit ibidem. Plura, classem hanc amuletorum, mox deferendorum, concernentia occurrent inferiùs inter periapta venerem compescentia. Cùm sine dubio etiam vana declaret quæpiam amuleta insequentibus *Jac. Primerosius* (*de vulg. erroribus l. 4. c. 7. p. 548.*) ex eodem quæpiam huc transferemus : non credant mulieres dari ulla medicamenta, quæ occultâ vi & proprietate sterilitatem inducant. Recensentur ab Aëtio plurima, ut radix filicis fœminæ pota, pulvis hederæ, os de corde cervi, matrix mulæ & capræ, lapis gagates, ætites, smaragdus, sapphyrus, camphora, cicindelæ, acetum, sisimbrium aquaticum, faba, aliaque plurima. Prædicta quæ sterilitatem facere dicuntur sunt mera mendacia; sicut & id, quod veteres scripserunt, tempore belli mentham ne seras; quod torquet nostros interpretes, cum sit mera stultitia &c. Dictis verò his suffragium nostrum neutiquam derogamus, ut ideò virgines iis fidentes neutiquam conjugalia experimenta tutò facere possint. Quæ autem demum sterilitati opposita creduntur, inter fœcunditatem & venerem promoventia amuleta inquirantur.

Sternutationem impediens.

ADducimus porrò sternutationi oppositum remedium: ex *Aëtio verò* scribit *Joh. Jac. Weckerus l. c. p. 153.* quòd infans non sternutet in domo illa, in qua ciconiæ pennæ fuerint; *Aëtium* verò illud ex *Apollonio* deducere colligimus ex *Mich. Pabsts* wunderbarl. Leib- und Wund-Artzneybuche *part. 1. p. 154.* Verùm hæc, de penna & integra ciconia in domo asservata admodum dubia videtur experientia.

Stranguriam solvens.

NOlumus à dictis hactenus abesse, quod habet *Felix Platerus prax. tract. 3. c. 10. p. 855.* qui aspectum solùm floris cardui lactei, quem mariæ vocant, in stranguria profuisse militi, ex ipsiusmet relatione memorat. Similia alia verò, quæ solô intuitu vim medicam remittere in ægrotos variæ conditionis dicuntur, alius nostri scrutinii locus continet inferiùs in *c. 3.*

Sur-

Surditati resistens.

POsthæc descendimus ad surditatem: *Franciscus Redi* autem *in experiment. natural. p. 114. & seq.* dicit elephantos in parva sua cauda nigros aliquot pilos vel setas transparentes osseas, sed flexiles obtinere, inter quas nigras utplurimum, si alba quæpiam reperiatur, hanc magno apud Indos Orientales pretio esse; illosq; populos contra surditatem frustulum illius instar turundæ in aures immittere. Verùm vanum hoc medicamentum deprehendit autor citatus in surdo quopiam.

Torporem inducentia.

IN præcedentibus varia communicavimus, quæ doloribus pausam imperare vel imponere ab aliis autoribus accepimus; proinde jam non possumus non etiam huc trahere torpedinem piscem, qui piscatorum manus, vel alias extimas partes torpore afficit, autoribus non paucis id affirmantibus; quod ipsum eò citiùs efficiet dictus piscis, si propinquiùs corpori admoveatur: videantur verò de torpedine *Jonstonus in thaumatograph. class. 9. c. 20.* *Caspar. Dornavius Amphitheatr. sapient. tom. 1. p. 613.* *Georg. Hornius hist. nat. l. 2. c. 18. p. 136.* *Job. Schenckius observat. lib. 7. p. 861.* & *Ath. Kircherus de arte magnet. l. 3. c. 1. §. 4. f. 524.* Capiti admota eadem Torpedo viva instar opii ejus dolores sistere vult *Galenus de simpl. medic. fac. l. 11. p. m. 347.* Rationem autem illius actionis, quòd scilicet torpedo nervis inimica sit, redditam offendes apud *Rattray l. a. p. 185. 171. & 648.* De siccata atque mactata verò torpedine vim ejusmodi stupefaciendi atque nocendi negat *Georg. Hier. Velschius in Episagmat, med. 92. p. 60.* Hinc frustra à quibusdam autoribus inter somnum conciliantia ac dolorem placantia medicamenta istam recipi; innoxiè itidem pro cibo à veteribus eam admissam esse idem docet. *Galenus* quoque torporem vel stuporem non advertit oriri ex mortua torpedine in capitis dolore, unde vivâ istâ adhuc illud voluit experiri, juxta annotata *Erasti de occultis pharmacorum proprietatibus p. 42.* De dicto hoc verò adhuc non nulla inter amuleta capitis dolori opposita videantur. Idem *Erastus l. c. p. 43.* ait etiam, quod in viva ista deprehen-

derit vim illam *Galenus*, se verò, aliosque minùs hoc potuisse observare. Sic quoque non nulla de operandi modo in torpedine edisserens, concludit quosdam negare dictum affectum *Libavius singular. l.* 1. *p.* 371. Alia de hoc pisce inculcat *Rondeletius in meth. lib.* 1. *c.* 5. inquiens: Torpedo per baculum tacta tangenti manuum stuporem inducit, ejus vim dirigente & deducente baculô ad manum, ne per aërem divagetur; quam vim alioqui non habet, etiamsi manui quàm proximè admoveatur. Varia quoque similia de torpedinis hoc effectu, quòd illum in vivo pisce cum aliis observaverit, etiam ex remota sede, & quod idem illud experti sint in captura piscatores; non æquè verò ex mortuo illo, ventilata reperies in *Franc. Redi experiment. natur. p.* 60. & 69. Prostant etiam *ibidem* quædam de pondere & anatomia piscis dicti. De dicta illa efficacia torpedinis dextram piscatorum afficiente, & quod piscis iste hamum ex manu excidere cogat, atque suâ præsentiâ pisces langvidos redditos devoret; Item quòd si quis liquorem Cyrenaicum teneat, nihil torporis sentiat, ex *Æliano* tradit *Johan. Dubravius de piscinis à Conringo editis* 15. *p.* 152. Curiosa præterea est observatio, quòd torpor & dolor, partium propius ad torpedinem admotarum, oriatur ex fibris quibusdam à pisce contractis, de quo in *Miscellan. Acad. Leopoldin. Cæsar. Dec.* 1. *Ann.* 9. & 10. *obs.* 173. *p.* 395. Tot ac tam varias verò observationes prætendunt autores (aliorum experientiam sæpe unà impetentes) ut legentes isthæc dubii reddantur de illorum fide. Adductis verò addi hac de materia meretur *Joh. Adolph. Borellus de motu animalium part.* 2. *propos.* 219. *p.* 322. Bonâ enim fide hic (nonnullas aliorum opiniones recensens ac rejiciens) suam experientiam his verbis exponit: scilicet se, quando articulis extremis digitorum incurvatis, & pollicis inprimis (nequaquam autem in rectum situm expansis) levi conatu in thoracem torpedinis piscis perpendiculariter percussiones tremulas excepisse, & spasmum solùm passum esse. Vix dubium autem relinquetur cuipiam de dicti piscis effectu, si leget *Observat.* 97. *in Actis med. philos. Danic. volum.* 5. *p.* 253. &c. & *vol.* 2. *obs.* 89. *p.* 224. Ad-
de

de his *Th. Boneti med. septentrion. tom. 1. l. 1. sect. 16. f. 152. & seq.* De eodem & Torpedinis anatome confer etiam *Gerardi Blasii Anatom. animal. c. 34. p. 305.* & *Dec. 1. Miscellan. Ac. Leopoldino Cæs. curios. Ann. 9. & 10. obs. 172. p. 389. & sequ.* Perbenè alioquin etiam ligato sermone exprimit piscem illum ipsiusque vires dictas *Cl. Claudianus Epigrammat. epigr. 3. p. m. 77.* In quem locum non temnenda commentatur *Casp. Barthius p. 1007. & sequ.* Mentionem quoque piscis hujus, virium dictarum, & aliarum adhuc, loco hoc nondum memoratarum facit celeberrimus *Job. Ludolfus in histor. Æthiop. l. 1. §. 14.* Varia item de eodem pisce dabit *Sim. Majolus in dier. canicul. tom. 1. colloq. 9. p. 351. & sequ.* Cui volupe est rescire plura de piscis dicti stupefaciente facultate, satis credibiliter proposita, facilè tamen iterum disparente, uti & illius causa atque remedio à vinô expectando, nec non de conchilio quopiam stuporem eodem modô inferente (quod in illo pisce reperiri suspicatur) consulere potest *Kircherum magnet. regno natur. c. 4.* Non hariolor utrum exstiterit similis piscis ille, cujus mentio fieri dicitur in *Patris du Tertre histor. Antillarum.* Attactus autem iste magnos dolores brachio integro inducere scribitur, adeò, ut dolor iste similis appareat illi, qui infertur à fervente oleo; hic dolor etiam die declinante pedetentim imminui atque evanescere dicitur, quòd allegat ex loco dicto *Job. Ad. Weberus* in der Unterredungs Kunst *part. 1. p. 470.* Suspicioni huic lucem ferè fœnerantur ea, quæ inter febrifuga periammata de torpedine à nobis allegata prostant. De similibus piscibus stupefacientibus, & quidem aliquo inprimis in Brasilia Amorelatim dicto mentio fit in *Pisonis histor. Brasiliensi & Johan. Bapt. du Hamel phil. vet. & nova tom. 4. p. 435.*

Tremorem compescens.

POst hæc porrò contra tremorem lapis stellaris facere dicitur *à Bartholino de lapide nephritico c. 10. p. 26. §. 31.* Quæ verò aliàs in epilepsia proficua statuuntur, ex suo peculiari loco peti possunt.

Tumores discutientia.

IN Phagedænis ulceribus vel paronychia, imò in omnibus morbis, qui nodos vel tumores ejiciunt, scilicet in cancro, peste,

morbo

morbo Gallico commendat internè usurpatam & externè appensam scrofulariæ radicem, eamque recentem, atque lunâ decrescente effossam, nodisque imparibus præditam accipi vult *Mart.* Schmuck *in occulta Mag. magn. morb. curat. p.* 20. Singularis etiam efficacia tribuitur lapidi cuipiam ponderoso, bufonio existimato, pro variis tumoribus emolliendis, discutiendis & tollendis: uti sunt carbunculi, anthraces & similes venenati ac inflammati tumores, ganglion, item ulcera, erysipelas, &c. solet verò ille sacculo includi ac foveri, & partibus curatione indigentibus affricari vel applicari, quod ex *Crusii Annal. Suevic. allegat Joh. Adam Weberus part.* 1. der Unterredungs-Kunst *p.* 430. *& seqv.* Paulò superius inter bubonum, parotidum & strumarum periapta attigimus nonnulla, quæ suo attactu tumores pariter tollere dicuntur.

Tussim tollentia.

PRo tussi tollenda à proprietate prodesse lapides spongiæ & fimum corvi vult *Jul. Cæs. Claudinus in Empiric. rational. c.* 2. Similiter pedem corvi tussienti puero affixum conducere dicit *Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib und Wund-Artzney Büche *part.* 1. *p.* 189. Salubris quoque in tussi & catarrhis variis creditur radix imperatoriæ, & quidem effossa lunâ crescente, collique parti posteriori appensa circa spinam dorsi, nec non postea in flumen projecta, quod annotat *Joh. Pharm. Rhumelius in medic. militar. dogmat. Hermet. magica c.* 21.

Variolis salutaria.

IN variolis commendatur aliàs ex succino facta armilla, vel monile (ob peculiarem illius vim derivandi humores) si locis suis consuetis, manibus scilicet, aut pedibus etiam circumdentur, de quo *Beckerus de cultrivoro p.* 48. De eodem inferius capite 3. plenius illud negotium indicatur. Præterea sapphirum oculos incolumes conservare in variolis & morbillis testantur allegati in *Camerarii memorab. cent.* 4. *partic.* 100. Pro secreto itidem à quibusdam habentur lentes, margaritæ & pericarpia rutæ pentagona, certô numerô in sacculo contenta,

colloqu*a*

colloque appensa, pro oculorum defensione, ne lædantur in variolis. Rutam cum radice amuleti loco cervici alligari scribit *Arn. de villanov. tr. de regim. sanit. p. 1. c. 11.* Similia pro oculis conservandis occurrunt inter periapta oculorum; quæ præterea de panno rubro aliis in locis *nostri scrutinii* occurrunt, quatenus pro variolis eliciendis illud commendetur, jam repetere supersedemus.

Venena & venenatarum bestiarum insultus avertentia, morsusque illarum sanantia.

PRogredimur jam ad ea, quæ venena, & venenatarum bestiarum morsus, aut ictus avertere vel curare dicuntur: Contra varios verò illarum ictus aut insultus lapidem bufonis, crapaudinam dictum, attactu suô facere tradit ex *Lemnio Mizaldus memorab. cent. 3. aph. 3.* Idem autor etiam de illo lapide fusius agit, quomodo scilicet eliciatur à bufonibus, & quomodo iste lapis verus probari vel deprehendi debeat; de quibus differentem vide *Joh. Ad. Weberum discursib. curios. p. 103.* Confer item citatos apud *Henr. Kippingium Instit. physic. l. 6. c. 4. p. 246. & Ant. Grandium curioso rerum abditar. perscrutatore p. 344.* Consentiunt pariter cum citatis autoribus de dictis viribus *Lapidarius & Michaelu Mercatus*, qui referunt insimul ejusmodi lapidem ex rubetæ capite demptum, inque brachio gestatum partem illam ab assumto veneno læsam iterum calefacere, atque opitulari illi, velut hæc interpretatur *Venturinus medicina ab animal. desumta.* In hanc materiam quoque porrò citat locum *Lemnii (lib. 2. de occult. mirabil. nat. cap. 3.) Rulandus de morb. ungarico*, dicens annosas rubetas possidere lapides. Conferatur sive consulatur etiam *Sachsius Gammarol. p. 297. Jac. Gaffarellus curiosit. inaudit. Latinè redditis p. 95. Baricellus in horto Genial. p. 350. Museum Calceol. p. 363. & 364.* die Gottorfische Kunstkammer *p. 33. & Schröderus pharmac. med. chym. l. 5. p. 27.* De ejusdem bufonii lapidis effectibus deprædicatis in vario morsu bestiarum venenatarum, quos pro extrahendo veneno externè applicatus ille præstare dicatur, & quòd lapis iste raro ex bufone

illius copia reperiri dicitur apud *Martin. Zeilerum* im Handbuch *part. 1. p. 538.* Porrò bufones ipsos exsiccatos manuque retentos, curare læsos à bufone, innotescit testimoniô *Th. Bartholini diss. epist. de transplant. morbor. p. 10.* Sic etiam *laudatus Christ. Franc. Paulini l. a. pag. 110.* aliorum autorum mentem exponens loquitur ita: Bufo exsiccatus, & de collo suspensus, ob partium posituram, & pororum dispositionem, velut uter, omne virus vicinum tam feliciter excipit, ut tumefactus revixisse videatur. Ibidem etiam *Helmontii* experientia, de dicto tumore minùs observato, adducitur. Quid bufones autem alioquin ad pestem antevertendam conferre dicantur, ex antea dictis pestis amuletis *p. 331. &c.* innotescet. Consultum duco porrò trahere huc, quæ continuâ serie prostant apud *Gockelium de venenis c. 10. p. 30.* Lapidem, inquit, plasma vocatum, ac lapidem ranæ terrestris annulo aureo insertum, itemque sigilla quædam, characteres, imagines, quaspiam item gemmas, adamantem orient. achatem, hyacinthum, sapphirum orientem, smaragdum, & lapidem draconitem (qui in capite draconis invenitur) venenis contrariari credunt. Sed his remediis non nimis est fidendum, *Matthiolus.* Annulum artificialem à veneno præservantem vide apud *Petr. Aponensem de remed. venenor. p. 28.* Verba plura apud *Gockelium* reperienda huc ampliùs transscribere supersedeo. Videri quoque potest eam ob rem *Marsil. Ficinus de vita cœlitùs comparanda l. 3. c. 15.* De paulò ante dictis, & aliis adhuc quibusdam amuletis etiam agit *Bald. Angel. Abbatius de vipera natur. c. 31. p. 169. &c.* & *Sennertus prax. l. 6. p. 249.* De draconite item seu trachate lapide omnia venena fugante & venenatos morsus curante, & quòd idem ille ex cerebro vel capite, draconi vivo abscisso, petendus sit, consulatur *Gvil. Johnsonius Lexico chymico p. 96.* Fecimus jam mentionem draconitæ lapidis; qui licet efficax aliàs sit, vel saltem putetur, suspectus tamen redditur ideò, quod ex aliis rebus sæpè conficiatur, velut ostendit hoc *Velschius Hecatostea 1. obs. 27. p. 42.* Laudatur etiam draconites quispiam in venenosis morbis, annotante *Joh. Jac. Wagnerô in histor. natur. Helvetiæ p. 327.* Dicitur autem ille lapis à dracone dimissus,

ſus, & novem uncias medicas pondere ſuô æquaſſe. Quæ aliàs de dracontiæ vel draconitidis origine, & quomodo à Dracone impetretur ille lapis, autores ſcribant vel fingant, colliges itidem inter alios ex *Bootii l. a. l. 2. c. 472. p. 345. Joan. de Laët. de gemm. & lapid. l. 2. c. 3. p. 105. & Andr. Baccii* (*cum notis Wolffg. Gabelchoveri*) *de gemm. & lapid. pret. c. 33. p. 176. &c.* Poſt hæc non vulgaris æſtimii ſunt penes multos contra venena, varia ex ſerpentibus petita: corda verò vivis ſerpentibus extracta ideò laudantur à quibusdam, ſed parum tribuit his, ſibique experto credendum eſſe vult *Schröderus in pharmac. l. 5. p.* 306. Utrum Nero ab Agrippina matre exuvias ſerpentis commendatas, & aureæ armillæ incluſas dextro brachio geſtaverit pro eodem, aliove effectu, mihi minùs colligere licet ex *Svetonio in Nerone c. 6. p. m. 400.* Sic etiam ophites lapis pro amuleto geſtatus contra ſerrpentum & aſpidum morſum extollitur à *Matthiolo de ſimpl. med. facult. p. 268.*

De ſerpentis pileati lapide in capite ipſius reperiendo, in India orientali, quod venenatis morſibus impoſitus vulneri inhæreat, ac venenum attrahat, agitur apud *Kircherum regno magnetico ſect. 2. c. 5. p. 58. &c. & in Actis Philoſ. Anglic. Anni* 1665. *p. m.* 173. De ejusdem lapidis ambigua experientia extat quid in *Miſcellan. Acad. Leopoldino-Cæſar. curioſ. Anni 4. obſ. 2. p. 2. &c.* Falſas etiam laudes depredicatas illas lapidis attacti, tantùm non ſemper, deprehendit multiplici experientiæ inhians *Fr. Redi in experim. nat. Indicis p. 1. &c. & p. 79. uti & p. 81. &c.* Arbitratur inſimul laudatus abſtruſorum naturæ indefeſſus indagator ille, quòd lapis iſte factitius utplurimum exiſtat; depromit quoque idem autor illic non obſcura teſtimonia vel ſuſpiciones fraudulentiæ, atque irritæ illius efficaciæ. Non nullorum experientiâ ſtipatus reſtituit illi lapidi ſuum æſtimium & uſum *Rob. Boyle de ſpecific. medic. p. 169. &c.* atque dictum Dominum Redium à factitio iſtiusmodi, vel falſo lapide nullam efficaciam expertum eſſe ſuſpicatur. Plura adhuc de lapide illo Luſitanis Piedra della Cabra dicto, uti & de factitio quodam ſimili, & modo præparandi illum proſtant in *Miſcell. dictorum Anni 6. & 7. Appendice p. 28. &c.*

tus *Bapstius l. a. p. 95.* Utrum eadem verbis sequentibus intendat *Kiranus Kiranidibus p. 125.* indaget qui vult: si ergo, inquit, ligaveris lampyridem in matrice vulvæ & suspenderis ad mulierem, inconceptivum est omninò. *Dioscoridis* autem illum locum paulò antè allegatum etiam recenset *Remb. Dodonæus in stirp. Histor. pemptad. 3. l. 5. c. 8. p. 465.* annectit quippe verbis illis hæc: Simile, ait, etiam *Theophrastus* habet: folium Hemionii, inquit, sterilitatem mulieribus facere volunt, & aliquid ungulæ muli ac σπέρματος, aliàs δέρματος, id est cutis, miscendum præcipiunt. *Plinius* etiam non dandum Asplenium fœmininis ait, quoniam sterilitatem faciat &c. Paulò post ea pergit idem ille autor: hoc inter aniles fabulas referendum, unà cum eò, quòd *Dioscorides* de Aspleno colligendo noctu refert &c. Sic si semen acetosæ ligetur in panno & suspendatur super tympanum sinistrum mulieris, non concipere illam, donec permaneat super ipsam, docet ex *Alberto Magno Joh. Jac. Weckerus l. a. lib. 5. c. 4. p. 175.* Idem hic autor *ibidem* ex eodem *Alberto* adfert, quòd si quis extrahat calcaneum mulieris mustelæ, ipsâ existente vivâ, & suspendat super mulierem, non concipiat illa, donec maneat super eam; & quando removeatur, impraegnetur. Vel si accipiantur duo testiculi mustelæ, & stringantur vel ligentur in crucem mulieris, & si secum habeat eos, illam non concipere, itidem ex *Alberto* memorat *Weckerus.* Post hæc *Kiranus in Kiranidibus p. 19.* dicit, quòd si mulier nolit concipere, se circumcingere debeat herbæ divinæ vel Pæoniæ seminibus cum cerumine auris mulæ. Scribit etiam ille ibidem autor *pag. 79.* quòd cerumen auris mulæ in pelle ejusdem animalis ligatum, ac suspensum collo, inconceptivum sit. De dicti ceruminis efficacia hac, si scilicet in pelle cervi, vel lana alba absconditum, mulieri post illius menstruam purgationem appendatur, agit quoque *Mich. Bapstius in Pimelotheca p. 201.* Prius illud *Kirani* paulò aliter effert *Ottho Brunsfeldius Jatr. l. 4.* docet enim, quòd grana pæoniæ cum pilis auris mulæ à mulieribus gestata in corpore nudo, conceptioni resistant. Dehinc fimus leporinus ligatus super mulierem, non finit illam

illam concipere, atque hæc desumta sunt ex *Matthiolo*. Contrarium verò petitum ex *Ronsseo* (*de venat. medic. p.4.*) prostat apud *Waldungum lagographia p.* 80. vide etiam *Rattray theatr. sympathet. p.* 11. Vitandæ, juxta hæc, etiam sunt aliorum sterilium animalium partes, qui non vult in sterilitatem incurrere, cùm illa dictis iis variis partibus contrahi credatur, de quo legatur *Baricellus hort. genial. p.167. Anton. le Grand curioso rer. abdit. perscrutatore p.155. Burggravius de Biolichnio p.39.* atque *Corn. Agrippa de occult. phil. lib.* 1. *c.* 15. qui postremus inculcat, quòd illud præstent, ex sterilibus desumti testiculi, matrix, & urina. Suffragantur his dictis etiam verba *Bald. Ronssei Epist. 22. pag. 66.* ita scribentis: sic mula sterilis quum sit, si ejus auriculæ à muliere ferantur, vel bibantur non concipiet. Idem citatus autor *venatione medica p.* 82. ita canit:

Auriculas etiam mulæ deferre nocivum est.
Ossiculum in medio vulvæ reperitur asellæ,
Quod steriles coitus faciet, si quando feratur.
Suspecta & matrix, quæ nondum fœta capellæ
Est, illam mulier si portet corpore nudo.
Cor quoque semiasini fertur non absque periclo.

Posthæc cor muri viventi exemptum, & brachio mulieris suspensum efficit, ut non concipiat, inquit *Sextus Philos. Platonicus de medicin. animal. part.* 1. *c.21. p.* 97. Similiter quod hyoscyamus concipere non permittat, si collo mulieris appendatur, constat autore *Andr. Laurentiò oper. therapeut. tr. de strumarum sanatione l.* 1. *c.* 5. *f.* 10. Porrò radix verbasci virginis gestata, non prodest fœminis, quia conceptum impedit, quam diu gestatur; remotâ verò illâ restituitur concipiendi potestas, juxta *Hartmannum in prax. chimiatr. l.* 2. *c.* 21. Indicat etiam *Baricellus hort. genial. p.* 324. quod umbilici infantis spontè decidentis particula in brachialibus gestata à muliebribus conceptum elidat. Idem hoc ex *Alexandri Benedicti lib.* 30. *de curand. morb.* allegat *Anton. le Grand. in curioso rerum abditar. perscrutatore p.* 313. Eundem umbilicum autem, quoquô modô in cibo sumtum, si ignoraverit

rit mulier, ad conceptum facere innotescit ibidem. Plura, classem hanc amuletorum, mox desferendorum, concernentia occurrent inferiùs inter periapta venerem compescentia. Cùm sine dubio etiam vana declaret quæpiam amuleta insequentibus *Jac. Primerosius* (*de vulg. erroribus l.* 4. *c.* 7. *p.* 548.) ex eodem quæpiam huc transferemus: non credant mulieres dari ulla medicamenta, quæ occultâ vi & proprietate sterilitatem inducant. Recensentur ab Aëtio plurima, ut radix filicis fœminæ pota, pulvis hederæ, os de corde cervi, matrix mulæ & capræ, lapis gagates, ætites, smaragdus, sapphyrus, camphora, cicindelæ, acetum, sisimbrium aquaticum, faba, aliaque plurima. Prædicta quæ sterilitatem facere dicuntur sunt mera mendacia; sicut & id, quod veteres scripserunt, tempore belli mentham ne seras; quod torquet nostros interpretes, cum sit mera stultitia &c. Dictis verò his suffragium nostrum neutiquam derogamus, ut ideò virgines iis fidentes neutiquam conjugalia experimenta tutò facere possint. Quæ autem demum sterilitati opposita creduntur, inter fœcunditatem & venerem promoventia amuleta inquirantur.

Sternutationem impediens.

ADducimus porrò sternutationi oppositum remedium: ex *Aëtio verò* scribit *Joh. Jac. Weckerus l. c. p.* 153. quòd infans non sternutet in domo illa, in qua ciconiæ pennæ fuerint; *Aëtium* verò illud ex *Apollonio* deducere colligimus ex *Mich. Pabsts wunderbarl. Leib- und Wund-Artzneybuche part.* 1. *p.* 154. Verùm hæc, de penna & integra ciconia in domo asservata admodum dubia videtur experientia.

Stranguriam solvens.

NOlumus à dictis hactenus abesse, quod habet *Felix Platerus prax. tract.* 3. *c.* 10. *p.* 855. qui aspectum solùm floris cardui lactei, quem mariæ vocant, in stranguria profuisse militi, ex ipsiusmet relatione memorat. Similia alia verò, quæ solô intuitu vim medicam remittere in ægrotos variæ conditionis dicuntur, alius nostri scrutinii locus continet inferiùs in *c.* 3.

Sur-

Surditati resistens.

POsthæc descendimus ad surditatem: *Franciscus Redi* autem *in experiment. natural. p. 114. & seq.* dicit elephantos in parva sua cauda nigros aliquot pilos vel setas transparentes osseas, sed flexiles obtinere, inter quas nigras utplurimum, si alba quæpiam reperiatur, hanc magno apud Indos Orientales pretio esse; illosq; populos contra surditatem frustulum illius instar turundæ in aures immittere. Verùm vanum hoc medicamentum deprehendit autor citatus in surdo quopiam.

Torporem inducentia.

IN præcedentibus varia communicavimus, quæ doloribus pausam imperare vel imponere ab aliis autoribus accepimus; proinde jam non possumus non etiam huc trahere torpedinem piscem, qui piscatorum manus, vel alias extimas partes torpore afficit, autoribus non paucis id affirmantibus; quod ipsum eò citiùs efficiet dictus piscis, si propinquiùs corpori admoveatur: videantur verò de torpedine *Jonstonus in thaumatograph. class. 9. c. 20. Caspar. Dornavius Amphitheatr. sapient. tom. 1. p. 613. Georg. Hornius hist. nat. l. 2. c. 18. p. 136. Joh. Schenckius observat. lib. 7. p. 861. & Ath. Kircherus de arte magnet. l. 3. c. 1. §. 4. f. 524.* Capiti admota eadem Torpedo viva instar opii ejus dolores sistere vult *Galenus de simpl. medic. fac. l. 11. p. m. 347.* Rationem autem illius actionis, quòd scilicet torpedo nervis inimica sit, redditam offendes apud *Rattray l. a. p. 185. 171. & 648.* De siccata atque mactata verò torpedine vim ejusmodi stupefaciendi atque nocendi negat *Georg. Hier. Velschius in Episagmat. med. 92. p. 60.* Hinc frustra à quibusdam autoribus inter somnum conciliantia ac dolorem placantia medicamenta istam recipi; innoxiè itidem pro cibo à veteribus eam admissam esse idem docet. *Galenus* quoque torporem vel stuporem non advertit oriri ex mortua torpedine in capitis dolore, unde vivâ istâ adhuc illud voluit experiri, juxta annotata *Erasti de occultis pharmacorum proprietatibus p. 42.* De dicto hoc verò adhuc non nulla inter amuleta capitis dolori opposita videantur. Idem *Erastus l. c. p. 43.* ait etiam, quod in viva ista deprehen-

derit vim illam *Galenus*, se verò, aliosque minùs hoc potuisse observare. Sic quoque non nulla de operandi modo in torpedine edisserens, concludit quosdam negare dictum affectum *Libavius singular. l.* 1. *p.* 371. Alia de hoc pisce inculcat *Rondeletius in meth. lib.* 1. *c.* 5. inquiens: Tarpedo per baculum tacta tangenti manuum stuporem inducit, ejus vim dirigente & deducente baculô ad manum, ne per aërem divagetur; quam vim alioqui non habet, etiamsi manui quàm proximè admoveatur. Varia quoque similia de torpedinis hoc effectu, quòd illum in vivo pisce cum aliis observaverit, etiam ex remota sede, & quod idem illud experti sint in captura piscatores; non æquè verò ex mortuo illo, ventilata reperies in *Franc. Redi experiment. natur. p.* 60. *&* 69. Prostant etiam *ibidem* quædam de pondere & anatomia piscis dicti. De dicta illa efficacia torpedinis dextram piscatorum afficiente, & quod piscis iste hamum ex manu excidere cogat, atque suâ præsentiâ pisces langvidos redditos devoret; Item quòd si quis liquorem Cyrenaicum teneat, nihil torporis sentiat, ex *Æliano* tradit *Johan. Dubravius de piscinis à Conringo editis* 15. *p.* 152. Curiosa præterea est observatio, quòd torpor & dolor, partium propius ad torpedinem admotarum, oriatur ex fibris quibusdam à pisce contractis, de quo in *Miscellan. Acad. Leopoldin. Cæsar. Dec.* 1. *Ann.* 9. *&* 10. *obs.* 173. *p.* 395. Tot ac tam varias verò observationes prætendunt autores (aliorum experientiam sæpe unà impetentes) ut legentes isthæc dubii reddantur de illorum fide. Adductis verò addi hac de materia meretur *Joh. Adolph. Borellus de motu animalium part.* 2. *propos.* 219. *p.* 322. Bonâ enim fide hic (nonnullas aliorum opiniones recensens ac rejiciens) suam experientiam his verbis exponit: scilicet se, quando articulis extremis digitorum incurvatis, & pollicis inprimis (nequaquam autem in rectum situm expansis) levi conatu in thoracem torpedinis piscis perpendiculariter percussiones tremulas excepisse, & spasmum solùm passum esse. Vix dubium autem relinquetur cuipiam de dicti piscis effectu, si leget *Observat.* 97. *in Actis med. philos. Danic. volum.* 5. *p.* 253. *&c. & vol.* 2. *obs.* 89. *p.* 224. Ad-

de

de his *Th. Boneti med. septentrion. tom. 1. l. 1. sect. 16. f. 152. & seq.* De eodem & Torpedinis anatome confer etiam *Gerardi Blasii Anatom. animal. c. 34. p. 305.* & *Dec. 1. Miscellan. Ac. Leopoldino Cas. curios. Ann. 9. & 10. obs. 172. p. 389. & sequ.* Perbenè alioquin etiam ligato sermone exprimit piscem illum ipsiusque vires dictas *Cl. Claudianus Epigrammat. epigr. 3. p. m. 77.* In quem locum non temnenda commentatur *Casp. Barthius p. 1007. & sequ.* Mentionem quoque piscis hujus, virium dictarum, & aliarum adhuc, loco hoc nondum memoratarum facit celeberrimus *Job. Ludolfus in histor. Æthiop. l. 1. §. 14.* Varia item de eodem pisce dabit *Sim. Majolus in dier. canicul. tom. 1. colloq. 9. p. 351. & sequ.* Cui volupe est rescire plura de piscis dicti stupefaciente facultate, satis credibiliter proposita, facilè tamen iterum disparente, uti & illius causa atque remedio à vinô expectando, nec non de conchilio quopiam stuporem eodem modô inferente (quod in illo pisce reperiri suspicatur) consulere potest *Kircherum magnet. regno natur. c. 4.* Non hariolor utrum exstiterit similis piscis ille, cujus mentio fieri dicitur in *Patris du Tertre histor. Antillarum.* Attactus autem iste magnos dolores brachio integro inducere scribitur, adeò, ut dolor iste similis appareat illi, qui infertur à fervente oleo; hic dolor etiam die declinante pedetentim imminui atque evanescere dicitur, quòd allegat ex loco dicto *Job. Ad. Weberus* in der Unterredungs-Kunst *part. 1. p. 470.* Suspicioni huic lucem ferè fœnerantur ea, quæ inter febrifuga periammata de torpedine à nobis allegata prostant. De similibus piscibus stupefacientibus, & quidem aliquo inprimis in Brasilia Amorelatim dicto mentio fit in *Pisonis histor. Brasiliensi & Johan. Bapt. du Hamel phil. vet. & nova tom. 4. p. 435.*

Tremorem compescens.

POst hæc porrò contra tremorem lapis stellaris facere dicitur *à Bartholino de lapide nephritico c. 10. p. 26. §. 31.* Quæ verò aliàs in epilepsia proficua statuuntur, ex suo peculiari loco peti possunt.

Tumores discutientia.

IN Phagedænis ulceribus vel paronychia, imò in omnibus morbis, qui nodos vel tumores ejiciunt, scilicet in, cancro, peste, morbo

morbo Gallico commendat internè usurpatam & externè appensam scrofulariæ radicem, eamque recentem, atque lunâ decrescente effossam, nodisque imparibus præditam accipi vult *Mart.* Schmuck *in occulta Mag. magn. morb. curat. p.* 20. Singularis etiam efficacia tribuitur lapidi cuipiam ponderoso, bufonio existimato, pro variis tumoribus emolliendis, discutiendis & tollendis: uti sunt carbunculi, anthraces & similes venenati ac inflammati tumores, ganglion, item ulcera, erysipelas, &c. solet verò ille sacculo includi ac foveri, & partibus curatione indigentibus affricari vel applicari, quod ex *Crusii Annal. Suevic. allegat Joh. Adam Weberus part.* 1. der Unterredungs-Kunst *p.* 430. *& seqv.* Paulò superius inter bubonum, parotidum & strumarum periapta attigimus nonnulla, quæ suo attactu tumores pariter tollere dicuntur.

Tussim tollentia.

PRo tussi tollenda à proprietate prodesse lapides spongiæ & fimum corvi vult *Jul. Cæs. Claudinus in Empiric. rational. c.* 2. Similiter pedem corvi tussienti puero affixum conducere dicit *Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib und Wund-Artzney Buche *part.* 1. *p.* 189. Salubris quoque in tussi & catarrhis variis creditur radix imperatoriæ, & quidem effossa lunâ crescente, collique parti posteriori appensa circa spinam dorsi, nec non postea in flumen projecta, quod annotat *Joh. Pharm. Rhumelius in medic. militar. dogmat. Hermet. magica c.* 21.

Variolis salutaria.

IN variolis commendatur aliàs ex succino facta armilla, vel monile (ob peculiarem illius vim derivandi humores) si locis suis consuetis, manibus scilicet, aut pedibus etiam circumdentur, de quo *Beckerus de cultrivoro p.* 48. De eodem inferius capite 3. plenius illud negotium indicatur. Præterea sapphirum oculos incolumes conservare in variolis & morbillis testantur allegati in *Camerarii memorab. cent.* 4. *partic.* 100. Pro secreto itidem à quibusdam habentur lentes, margaritæ & pericarpia rutæ pentagona, certô numerô in sacculo contenta,

colloque

colloque appensa, pro oculorum defensione, ne lædantur in variolis. Rutam cum radice amuleti loco cervici alligari scribit *Arn. de villanov. tr. de regim. sanit. p. 1. c. 11.* Similia pro oculis conservandis occurrunt inter periapta oculorum; quæ præterea de panno rubro aliis in locis *nostri scrutinii* occurrunt, quatenus pro variolis eliciendis illud commendetur, jam repetere supersedemus.

Venena & venenatarum bestiarum insultus avertentia, morsusque illarum sanantia.

PRogredimur jam ad ea, quæ venena, & venenatarum bestiarum morsus, aut ictus avertere vel curare dicuntur: Contra varios verò illarum ictus aut insultus lapidem bufonis, crapaudinam dictum, attactu suô facere tradit ex *Lemnio Mizaldus memorab. cent. 3. aph. 3.* Idem autor etiam de illo lapide fusius agit, quomodo scilicet eliciatur à bufonibus, & quomodo iste lapis verus probari vel deprehendi debeat; de quibus differentem vide *Joh. Ad. Weberum discursib. curios. p. 103.* Confer item citatos apud *Henr. Kippingium Instit. physic. l. 6. c. 4. p. 246. & Ant. Grandium curioso rerum abditar. perscrutatore p. 344.* Consentiunt pariter cum citatis autoribus de dictis viribus *Lapidarius & Michaelis Mercatus*, qui referunt insimul ejusmodi lapidem ex rubetæ capite demptum, inque brachio gestatum partem illam ab assumto veneno læsam iterum calefacere, atque opitulari illi, velut hæc interpretatur *Venturinus medicina ab animal. desumta.* In hanc materiam quoque porrò citat locum *Lemnii (lib. 2. de occult. mirabil. nat. cap. 3.) Rulandus de morb. ungarico*, dicens annosas rubetas possidere lapides. Conferatur sive consulatur etiam *Sachsius Gammarol. p. 297. Jac. Gaffarellus curiosit. inaudit. Latinè redditis p. 95. Baricellus in horto Genial. p. 350. Museum Calceol. p. 363. & 364.* die Gottorfische Kunstkammer *p. 33. & Schröderus pharmac. med. chym. l. 5. p. 27.* De ejusdem bufonii lapidis effectibus deprædicatis in vario morsu bestiarum venenatarum, quos pro extrahendo veneno externè applicatus ille præstare dicatur, & quòd lapis iste raro ex bufone

ne proveniat, constat autore *Camerario syllog. memorab. cent. 4. partic. 31. p. 231.* Similiter quod à bufonibus non eructetur iste lapis, ex *Anselmo Boetio à Boot* (*histor. gemmar. p. m. 345.*) exponit *Wormis in museo l. 1. sect. 2. c. 18. p. 107.* Sisto etiam hîc ob lapidem illum verba *Joëlis in pract. tom. 5. sect. 4. p. 139. & in tract. de febr. & venenis l. 2. p. 142.* qui inquit: lapis in capite bufonum repertus, si auro inclusus in digito geratur, omnis veneni præsentiam ostendit: sudore enim madescit; In margine verò citatus autor istud rumori potiùs vulgi, quàm experientiæ tribuit. Lapidis hujus quoq; conditionem ita exponit *Casp. Prætorius Epigrammat. l. 5. in animal. descript.*

In capitis media lapidem cavitate recondit,
Quem digito precii nomine vulgus amat.
Nam dapibus certum testatur inesse venenum,
Sudat in orbuculo quando, madetque suô.

Idem illud, quod de bufonio tradidit lapide, etiam de lingva serpentis repetit *Joëlis l. 4.* ultimo *p. 12.* Dicit autem illic, quod ista in mensa deposita, ubi venenum latitat, statim sudent atque madore perfundantur. Addit quoque autor ibidem, quòd gemma, Prasius vocata, & corallia rubra venenô præsente aut assumto statim colorem immutet. Idem id de Prasio, qui mater smaragdi reputatur, quòd viriditatem amittat, & lotus recuperet illam, annotat *Ans. Boët. de Boot histor. gemmarum l. 2. c. 65. & 1.* Communis ferè est autorum sententia, quòd res vel amuleta varia venenis opposita madorem concipiant appropinquante vel præsente venenô (uti jam ante dictum, atque adhuc in sequentibus dicetur) idem hoc de bufonite & lingva serpentum annotat *And. Cæsalpinus de venen. l. 3. c. 8. p. 159. & Frid. Hoffmannus in clav. Schröderi p. 646.* Ex aliorum relatione etiam scribit *Joh. Joach. Becherus in Parnasso medicinal. illustr. part. c. 91. f. 86.* quod lapis dictus coloris mutationem patiatur, si venenum potui sit admixtum; velut alia plura quoque illic reperiuntur de hoc lapide, nimirum quod etiam in agris reperiatur, & collo appensus existat amuletum contra venenum. Sortitur aliàs quoque bufonum ille

ille lapis varia nomina: *Porta in mag. nat. l. 8. c. 9. p. 340.* innuit, quod dicatur Borax, chelonites, vel Gallicè Crapodina, ubi simul de efficacia illius antea dicta. *Gesnerus tom. 2. de ovipar. c. 8. f. 171.* eum cheloniten & Batrachiten quoque dici memorat. Similiter quod iste chelonites, Batrachites & Carapaudina seu Crapaudina dicatur, annotatum prostat apud *Andr. Libavium Batrachior. l. 2. c. 22 p. 412.* De variis itidem lapidis hujus nominibus, generibus, locis natalibus, magnitudine, facultatibus seu viribus, & applicandi modis agit etiam *Ans. Boët. de Boot. l. a. l. 2. c. 149. Frid. Hoffmannus l. a. Joh. de Laët. de gemm. & lapid. l. 2. c. 1. p. 98. & c. 25. p. 158.* allegati apud Exc. *Joh. Francum dissp. medic. de lapicidina microcosm. §. 10.* & *Georg.* Rollenhagen in warhafftigen Lügen *p. 192.* Si placet de hoc & aranearum lapide non nulla etiam videri possunt inter hæmorrhagiæ periammata. Verùm *Rollenhagius l. a.* fabulam quampiam præmittens de rubetarum vel bufonum conventu (in quo rex ex illis electus reliquarum rubetarum afflatu venenatô enecatus lapidem in capite contrahat) concludit, quòd nullus lapis in ulla rubetæ parte reperiatur, licet sæpiùs talismodi in annulis circumferatur, qui potiùs ex pyrite vel alio lapide petitus sit. Usum tandem hujus lapidis non adeò, quàm ridiculam originem sibi displicere ait Exc. *Chr. Helvigius conf. med. de peste p. 129.* Lapidem dictum minùs etiam se reperisse in bufonibus ait *Olig. Jacobaus de ranis & lacertis p. 134.* Sic nitorem quoque amittere dictum lapidem, contra venenum omne aliàs commendatum ac gestatum (ex *Casp. Bauhino c. 3. de lapid. Bezoard.*) præsente poculo venenato, aliaque plura præstare; hæc tamen superstitioni affine quid vehere, adeoque fidem apud sagaciores non invenire, docet item citatus *Jacobaus.* Plurima itidem hæc, quæ de hujus lapidis nomine, origine, usu & circumstantiis autores solent referre, annotat, sed exiguo cum assensu, *Exc. Christ. Franc. Paullini in Bufone descripto p. 20. &c.* Malè admodum creduli & nos existimus in hujusmodi supellectili physico atque medico, à veteribus non parvi tamen æstimato. Bufonites verò ejusmodi mineralis naturæ potiùs esse, & in comitatu Isenburgico

illius copia reperiri dicitur apud *Martin. Zeilerum* im Handbuch *part. 1. p. 538.* Porrò bufones ipsos exficcatos manuque retentos, curare læsos à bufone, innotescit testimoniô *Th. Bartholini diss. epist. de transplant. morbor. p. 10.* Sic etiam *laudatus Christ. Franc. Paulini l. a. pag. 110.* aliorum autorum mentem exponens loquitur ita: Bufo exficcatus, & de collo suspensus, ob partium posituram, & pororum dispositionem, velut uter, omne virus vicinum tam feliciter excipit, ut tumefactus revixisse videatur. Ibidem etiam *Helmontii* experientia, de dicto tumore minùs observato, adducitur. Quid bufones autem alioquin ad pestem antevertendam conferre dicantur, ex antea dictis pestis amuletis *p. 331. &c.* innotescet. Consultum duco porrò trahere huc, quæ continuâ serie prostant apud *Gockelium de venenis c. 10. p. 30.* Lapidem, inquit, plasma vocatum, ac lapidem ranæ terrestris annulo aureo insertum, itemque sigilla quædam, characteres, imagines, quaspiam item gemmas, adamantem orient. achatem, hyacinthum, sapphirum orientem, smaragdum, & lapidem draconitem (qui in capite draconis invenitur) venenis contrariari credunt. Sed his remediis non nimis est fidendum, *Matthiolus.* Annulum artificialem à veneno præservantem vide apud *Petr. Aponensem de remed. venenor. p. 28.* Verba plura apud *Gockelium* reperienda huc ampliùs transscribere supersedeo. Videri quoque potest eam ob rem *Marsil. Ficinus de vita cælitùs comparanda l. 3. c. 15.* De paulò ante dictis, & aliis adhuc quibusdam amuletis etiam agit *Bald. Angel. Abbatius de vipera natur. c. 31. p. 169. &c.* & *Sennertus prax. l. 6. p. 249.* De draconite item seu trachate lapide omnia venena fugante & venenatos morsus curante, & quòd idem ille ex cerebro vel capite, draconi vivo abscisso, petendus sit, consulatur *Gvil. Johnsonius Lexico chymico p. 96.* Fecimus jam mentionem draconitæ lapidis; qui licet efficax aliàs sit, vel saltem putetur, suspectus tamen redditur ideò, quod ex aliis rebus sæpè conficiatur, velut ostendit hoc *Velschius Hecatostea 1. obs. 27. p. 42.* Laudatur etiam draconites quispiam in venenosis morbis, annotante *Joh. Jac. Wagnerò in histor. natur. Helvetiæ p. 327.* Dicitur autem ille lapis à dracone dimissus,

sus, & novem uncias medicas pondere suô æquasse. Quæ aliàs de dracontiæ vel draconitidis origine, & quomodo à Dracone impetretur ille lapis, autores scribant vel fingant, colliges itidem inter alios ex *Bootii l. a, l. 2. c. 472. p. 345. Joan. de Laët. de gemm. & lapid. l. 2. c. 3. p. 105. & Andr. Baccii (cum notis Wolffg. Gabelchoveri) de gemm. & lapid. pret. c. 33. p. 176. &c.* Post hæc non vulgaris æstimii sunt penes multos contra venena, varia ex serpentibus petita: corda verò vivis serpentibus extracta ideò laudantur à quibusdam, sed parum tribuit his, sibique experto credendum esse vult *Schröderus in pharmac. l. 5. p. 306.* Utrum Nero ab Agrippina matre exuvias serpentis commendatas, & aureæ armillæ inclusas dextro brachio gestaverit pro eodem, aliove effectu, mihi minùs colligere licet ex *Svetonio in Nerone c. 6. p. m. 400.* Sic etiam ophites lapis pro amuleto gestatus contra serrpentum & aspidum morsum extollitur à *Matthiolo de simpl. med. facult. p. 268.*

De serpentis pileati lapide in capite ipsius reperiendo, in India orientali, quod venenatis morsibus impositus vulneri inhæreat, ac venenum attrahat, agitur apud *Kircherum regno magnetico sect. 2. c. 5. p. 58. &c. & in Actis Philos. Anglic. Anni 1665. p. m. 173.* De ejusdem lapidis ambigua experientia extat quid in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. Anni 4. obs. 2. p. 2. &c.* Falsas etiam laudes deprædicatas illas lapidis attacti, tantùm non semper, deprehendit multiplici experientiæ inhians *Fr. Redi in experim. nat. Indicis p. 1. &c. & p. 79. uti & p. 81. &c.* Arbitratur insimul laudatus abstrusorum naturæ indefessus indagator ille, quòd lapis iste factitius utplurimum existat; depromit quoque idem autor illic non obscura testimonia vel suspiciones fraudulentiæ, atque irritæ illius efficaciæ. Non nullorum experientiâ stipatus restituit illi lapidi suum æstimium & usum *Rob. Boyle de specific. medic. p. 169. &c.* atque dictum Dominum Redium à factitio istiusmodi, vel falso lapide nullam efficaciam expertum esse suspicatur. Plura adhuc de lapide illo Lusitanis Piedra della Cabra dicto, uti & de factitio quodam simili, & modo præparandi illum prostant in *Miscell. dictorum Anni 6. & 7. Appendice p. 28. &c.*

p.28.&c. De laude & experimentis aliquot hujus lapidis, à *Kirchero* & *Tachenio* observatis agitur etiam in *Ephemeridum Eruditorum tom.4.p.98.&c.* à *Frid. Nitzschio in Latinam versarum.* Addi his possunt, quæ de eodem lapide habet, & quòd ille à veneno attracto repurgetur, si in lac injiciatur *Erasm. Francisci* in dem Indischen und Sinischen Lustgarten *f.1212. Tachenius clav. Hippocr. c. 9. pag. 261.* innuit lapidem illum solùm venenato morsui animalium inservire, nec adeò contra alia venena valere. Aliquali experientia nitens etiam pulverem dicti lapidis in morsu serpentis pro interno usu congruum statuere conatur *Rob. Boyle l.a.p.164.&c.* Mirum autem foret, si à serpentibus vis illa tractoria dependeret, veluti quidem hoc *Kircherus l.a.* non levi verborum prætextu tueri satagit; quod verò experientiâ majori mereretur indagari. Alioquin suspicarer ego illum effectum, uti à siccitate lapidis, ita à quacunque etiam terra eminenter sicca, porosa atque adstringente expectandum esse, veluti ideò terræ sigillatæ variæ, (ex quibus forte etiam factitii isti lapides constant) ossa & cornua certa, atque terræ ustæ probari possent, num velint similiter contagium illud virulentum morsu immissum in corpora, resorbere vel exsugere; sicut etiam aliàs ob parem penè scopum scarificationes commendantur in dictis malis.

Porrò de corona serpentum à veneno quovis, peste &c. præservante agit *Conr. Kunrath. medull. destill. tr. 27. p.309.* Incidimus non immeritò porrò in suspiciones vel hæsitationes de ejusmodi lapillis & coronis, quòd sæpè factitiæ sint, cùm vulgus cereum & credulum admodum venetur atque veneretur hujusmodi res, alioquin inermes aut in efficaces; cui negotio promptè assurgunt, & respondent fraudulenti & philargyri. Sic arte factas illas coronas communiter esse, atque ideò etiam exiguæ efficaciæ atque æstimii, pluribus innotescit ex *Miscell. Acad. Cæsareo-Leopold. Curios. dec. 2. Ann. 5. obs. 107. p.211.&c.* De corona serpentina ficta, & ex Smaltho facta agit etiam *Andr. Libavius tract. chym. de igne natura c. 42. p. 88.* Similiter de draconite, sive opheostephanisco fictitio, eòque ex maxilla aptorum facilè

facilè parabili consulatur *Velschius l. c.* Dehinc etiam de draconite illo, vel lapide, seu corona Draconum, aspidum vel serpentum, quod eadem vis, juxta quorundam sententiam, illis tribuatur, ac de annulo Gygis decantata illa prostat, & quòd istæ coronæ è chelis squillæ marinæ affabrè efformari possint, scribit *Frid. Hoffmannus clave Schröderi p.* 185. De fraudulentia hominum circa ejusmodi res dictas occupata loqvuntur etiam jam adducenda verba *Ans. Boëtii de Boot in gemm. histor. l.* 2. *c.* 173. *p.* 346. Dicit quippe quòd anguium lapis apud *Bohemos* celebris, Duchanek dictus, existimetur ab omni veneno, aëre pestilenti & incantationibus gestantem immunem reddere; verùm non lapidem, sed vitrum in illam formam conflatum esse, dicit autor, svadens insimul, ne quis falsos pro veris sibi obtrudi patiatur.

Porrò pretiosorum in Insula Melita reperiendorum serpentũ oculos annulis inclusos atque gestatos, ut carnem tangant, uti & lingvas eorundem contra venena, pro curatione & præservatione commendat *Wormius mus. p.* 7. *Ol. Dapper* in Beschr. der African. Inseln *p.* 89. aliique plures: sic itidem *Fab. Columna de purpura, & quidem appendice* de Glossopetris refert, quòd eædem (à *Bellonio* commendatæ, & Lamiarum dentes appellatæ) adversus venena conferant, atque ideò etiam argento includi soleant. Citandus quoque nobis est autor der Gottorffischen Kunstkammer *p.* 32. qui memorat illic, quòd quidam glossopetras auro vel argento inclusas colloque appensas circumferant, putantes contra venena atque veneficia eas esse utiles, insimulque madorem concipere istas, si venenis appropinquent, quod tamen cum *Boëtio de gemm. l.* 2. *c.* 160. minùs verum se deprehendisse testatur. De iisdem glossopetris vel serpentum lingvis & oculis ex Melita Insula adductis, quòd per se collo appensi, aut si oculi gestentur in annulis, contra morbos de malignitate suspectos, morsusque serpentum faciant, ac veneni præsentiam madore pariter conceptô prodant, videri possunt allegata apud *Frider. Hoffmannum clave Schröderi p.* 131. Ductu modò dicti madoris, venenum propinquum arguentis, aliorum consimilem opinionem

onem ab his abesse nolumus; siquidem in mensis eum in finem adesse volunt quidam cornu serpentis, & lapidem prasium, quòd præsente venenô nitorem amittant, ablatô autem illo noxio redeat hic nitor. Sic bufonis lapidem in annulo perforato, ut carnem iste tangat, gestatum præsente venenô mirô quodam modô contactam illam carnem calefacere quosdam velle, rarenter autem eum reperiri scribit *Bald. Angel. Abbatius de natur. vipera c. 31. p. 169. &c.* Autor hic *l. d.* varia alia etiam de prasii lapidis laudati viribus recenset, quæ fabulam quadantenus sapiunt. Similia alia, de madore ejusmodi venena præsentia arguente, paulo post hæc innotescent, ubi de unicornu & poculis acturi sumus. Sed revertimur adhuc paulisper ad glossopetras, cùm arbitrentur quidam, quod Præsentiâ Sancti Pauli quondam ex Malta Insula dicta omnes serpentes fuerint expulsi, ut adhuc hodiè ideò nulli ibidem reperiantur, vel si reperiantur, nocendi tamen potestate sint destituti, quod item de herbis alioquin venenatis judicant; quemadmodum de his, & amuleti loco commendatis oculis ac lingvis istiusmodi pro venenis arcendis legi potest *O. Dapper* in Beschreibung der Africanischen Inseln *f.* 88. *&c.* De efficacia illa in Melita à Paulo itidem relicta, si placet, plura inter periapta insectis opposita videantur. Inde etiam argillæ vel terræ Melitææ tantas vires adscribi volunt quipiam pro serpentum morsu, vel aliis venenis curandis; quemadmodum inter alia ex *Joh. Bapt. Porta lib.* 8. *c.* 10. allegat *M. Aurelius Severinus tract. de viperis c.* 14. *p.* 252. quòd dictæ argillæ etiam quotacunque portio in viperæ os immissa ipsi exitio sit præsentaneo. Atque uti autores de efficaciæ istius causa sunt soliciti, ita non conveniunt omnes circa glossopetrarum originem. Colligit verò autor der Gottorffischen Kunst-Kammer *l. c.* quod glossepetræ falsò à viperis petitæ credantur, quia dicta Insula nullam viperam alere vel tolerare dicitur. Alii quidem, ceu paulò ante attigimus, serpentes illic reperiri, sed minùs noxios istos existere scribunt, de quo etiam *Th. Bartholinus cent.* 1. *Epist.* 52. Dum igitur quidam lapides illos volunt existere linguas & oculos viperarum, de usu eorundem tritum il-
lud

lud medicis notum applicant, ubi virus, ibi virtus; ut ita ex serpentibus antitodum contra eorundem morsus aliaque mala venenata expectandum & repetendum sit, de quo legimus apud *Frid. Hoffmannum l. c. pag.* 130. *&c.* Sed fatebuntur nobiscum curiosi, formas ejusmodi translatitias externas (quales conspiciuntur in dictis Melitensibus rebus) in variis lapidibus ac mineralibus, veras non rarò mentiri vel referre, ut ideò minimè suspensos nos teneat hoc, quin dictas res lapideas, potiùs minerales, quàm animales pronuntiemus. Innumera penè, quæ in hujus assertionem adduci possent de typis & effigiebus naturæ digitô multis rebus, (non sine stupore atque admiratione spectantium & contemplantium impressis, & quotidiè ferè observandis, nihil ampliùs hôc, sed aliô inposterum fortassis locô movebimus. Interim de veris illis à suppostitiis lapidibus Melitensibus dijudicandis vel cognoscendis revolvi potest allegatus *Frid. Hoffmannus l. c. p.* 131. De natura, & locis quibusdam natalibus ac laudibus glossopetrarum contra venena commendatarum vide sis etiam scribentem *Ans. Boët. Boot de gemm. histor. lib.* 2. *c.* 168. *p.* 340. *Petr. Johan. de Laët. de Gemm. & lapid. lib.* 2. *c.* 3. *p.* 103. *&* *Jacob. Pancrat. Brunonem Lexic. Castelli renovato p.* 626. Nonnulla etiam de his glossopetris, (falsò à quibusdam pro dentibus carchariæ canis reputatis, & quòd istæ argento inclusæ ac gestatæ à pueris, illorum epilepsiam & pavorem arceant, ac dentitionem adjuvent, uti & venenis resistere credantur) suppeditat *Johan. Jac. Wagnerus histor. natur. Helvet. curios. p.* 309. *&c.* Plura de glossopetrarum origine, & usu pro peste ac venenis domandis, prostant apud *Exc. Christ. Helvigium consil. med. de peste p.* 127. *&c.* His addatur tractatus peculiaris *de glossopetris Clariss. Ioh. Reiskii.* Alia adhuc etiam de istis alio in loco nostrum scrutinium habet, proinde hactenus allata de iisdem sufficiant.

Dehinc reperimus apud *Andream Baccium de unicornu*, quòd cornu monocerotis in digitis gestatum præservet à veneno. Plura forsitan de eadem efficacia collecta inposterum constabunt ex *Exc. Adami Hahnii tr. de unicornu* jam diu ad calcem, sed nondum publicum ad typum deducto. *Magistenus medicus Insulensis libro de*

pestis curatione similiter cornu illud collo appensum pró venenorum alexiterio effert. De laude ejusdem & cervi cornu agens, à nobis non est reticendus *Abbatius de viper. p.* 171. *&c.* Communiter etiam venditant, quòd unicornu sudet præsente veneno; Sed falsum hoc declarat *Primerosius de vulg. errorib. l.* 4. *c.* 38. De eodem, num cornu istud sudorem contrahat prope venenum, agit *Th. Bartholinus de unicornu cap.* 19. *p.* 275. Id de madore aliarum etiam rerum, qui erumpat ex iis, præsente materia venenata, annotatum reperies passim in autoribus; Verùm an manus oculatæ, malè credulorum, hic etiam quid desiderent, definire supersedeo. Communem quoque alioquin probationem bonitatis unicornu volunt esse, si circulum ejus affrictu factum in mensa non egrediantur, posita in medio illius, venenata animalia; de aranea id asserentem vide *Th. Bartholinum Cent.* 5. *histor. anat.* 83. Ibi autor etiam se observasse dicit gallum in mensa positum, lineas tres in eadem signatas cretâ non transcendere voluisse; circulum castoreô formatum itidem aversari naturali odiô, idque non figuræ, sed alexipharmacæ illarum virtuti tribuit; similiter verò autor in creta alexipharmaci terriculamentum latere, ac in terra Lemnia, perhibet ibidem. Sed istud æquè de unicornu, quàm aliis alexipharmacis dictum, experientiâ in subsidium vocatâ, sæpiùs vanum fuit repertum. Tandem forsitan assertum illud aliquando de farina fossilis unicornu fuit observatum, quòd aranea noluerit circulum ex illa factum transgredi, quòd forsitan etiam alia insecta circumvallata ejusmodi polline vel pulvere faciunt; uti alioquin arbores ideò etiam cretâ circumlitas, vel cinere conspersas, à formicis ita munitas dici observamus. Si quis verò fidem iis de unicornu dictis denegare velit, ei liberum erit; laudatus verò *Bartholinus l. a.* defendere videtur istas opiniones. Cæterùm de unicornu fossili in peste etiam commendato, paulò superiùs inter pestis amuleta dictum fuit.

Sine dubio etiam olim magni fecerunt nostri Germani cornua cervi, hinnuli, damæ, alces &c. quia ista adeò studiosè pro domibus exornandis cum capitibus factitiis suspenderunt, ut fortè venena varia infringerent; prohibere autem cervi pellem, & pedes

des dextros portæ affixos ingressum cujuslibet animalis venenosi, ex *Galeno* affert *Joh. Georg. Sartorius de morbo militari seu Castrensi p. D.* Sic etiam Cornibus cervi crudis vim quampiam salutarem inesse, & à Pragmaticis interne & externè adhiberi meminit (laudatissimus quondam nostræ Acad. Leopold. Cæs. Collega) *Joh. Andr. Graba Elaphographia p.* 108. Nolumus autem illud prolixè hoc loco attingere, quòd *Andronicus* Imperator cervi cornu notare voluerit fœminas à se corruptas, & civitatis mores, de quo *Theoph. Hopingius de jure insignium c. 17. §. 3. f. 899.* Nihil jam etiam de Diana venationum præside movebimus, cujus in fanis plurimis cervi cornua fuerunt affixa; in Aventino verò ipsius templo cornua boum cur fuerint affixa, quærunt nonnulli, de quo *Exc. Caspar. Sagittarius de januis veterum c. 29. p.* 208. Non attingam etiam Poëtarũ figmentum, quô Actæonem curiosum ad videndum, & appropinquantem Dianæ, ab hac verò cervi cornibus coronatum vel cornutum dimissum scribunt. Cæterum de spoliis belli vel venationis, januis à veteribus appensis, hujusqve rationibus, alius nostri scrutinii locus plura complectitur.

Obiter his simul jam insero, quòd pocula quæpiam pro veneno indicando vel infringendo olim frequenter, & ea non rarò ex cornibus facta, usurparint: sic de poculo ex unicornu facto olim usitato Hispaniæ Duci, à *Mendoza* mentio fit apud *Zeilerum cent. 3. Epist.* 68. De poculo Indorum Regum, ex unicornu animalis cujuspiam eum in finem pariter usitato, *Philostratus de vita Apoll. Thranei lib. 3. c.* 1. Docet idem hoc *Exc. Paul. Ammanus de mat. med. p.* 177. *Joh. Langius lib. 1. Epist. 20. p.* 131. aliique plures. Sic quòd vasa potatoria olim ex aliis cornibus confecta fuerint pro salutari potu, videatur *Jac. Masenius specul. imag, veritatis c. 78. n. 10. p. 977.* item laudatus *Graba l. c.* & alii plures. Imò propter usum cornuum, loco poculorum priscis frequentem, κεράω &c. misceo sive vinum infundo, & κερατης vas potatorium originem suam ἀπὸ τοῦ κέρατος nactum esse, communi pene suffragiô critici scribunt. Imò vox κέρας æquivalet poculi nomini, propter dictum istum antiqvũ usum. Paulò uberius, nec sine specie veri argumentũ illud de poculis Regum Indorum factis, & ex aliis similibus cor-

nibus alexipharmacis præparatis, uti & de dictæ hujus efficaciæ ratione differit *Bald. Angel. Abbatius de vipera nat. c.* 31. *p.* 171. *&c.* Dictus verò autor *l. a. p.* 172. post alia de iis rationatur ita: ineunda mihi ratio est, quâ virtus cornigerorum animantium innotescat, & nos à veneno tutos reddat. Animantia omnia cornigera, quæ aut infectis, aut venenatis herbis, aut animantibus, aliisque venenosis cibis utuntur, propterea, quòd cum ista venena sint cum parte alimentali, qua præcipuè nutriuntur, venena verò, quibus, aut à natura, aut consvetudine asſvevere, transmittuntur ad partes excrementales, aut ad ungulas, aut in lapillos concrescunt; in senio verò in omnibus excrementis naturæ notis, nobis verò incognitis, & propterea fiunt cornua, ungulæ (lacrymæ, cor, atque os cordis cervi) & lapilli, (quales Bezoartici &c.) quæ vim habent maximam adversus omnia venena, quoniam ob similitudinem ad se trahunt venena, cum sicca, & rara sint cornua & ungulæ, & quoniam ob contrarietatem, quam habent cum humano corpore, vino permixta, facilè vomitum parant; proinde in cornubus antiqui Reges potare consueverant.

De poculis istiusmodi hactenus allatis, adhuc quæpiam ejusdem argumenti subjiciemus: Ex fraxino verò pocula facta pariter veneno mederi indicat *Henr. Salmuth. comment. ad Panciroli memorabil. lib.* 2. *p.* 251. item de priori *Angel. Abbatius de vipera natur. c.* 31. *p.* 169. *&c.* Volunt etiam, quòd vasa Porcellana nihil veneni admittant, vel venena mutatione subitaneâ suæ pelluciditatis detegant, iisdemque potenter resistant, de quo iterum autor modò dictus *l. c. p.* 157. Dissilire hæc pocula ilicò si venenum iis immittatur, indicatur eodem in loco *p.* 141. *&* 144. Similiter poculum ex electro naturali conflatum virus infusum prodere fertur stridore, quod etiam annotat autor *ille l. a. p.* 144. De isto verò, quod Porcellana vasa frangantur, si veneni quid iis infundatur, agit quoque *Salom.* Schweiger *itiner. lib.* 2. *c.* 4. Vim Porcellanæ adversus venena repetit etiam *Samuel. Pomarius de consens. & dissens. corp. p.* 66. §. 101. Utrum verò vis hæc contra toxica decantata æquè incerta sit, ac Porcellanæ genesis, vel præ-

parandi

parandi modus (à modernis longè alius ac verior demonstratus, quàm olim fuit nobis indicatus) ignoro. Poculi ejusmodi salutaris aliàs mentionem etiam facit *Joan. Laët. de Gemm. & lapid. l. 2. c. 26. p. 169.* inquiens: accepi olim à Cl. viro *Carolo Clusio* fragmentum, cui ipse inscripserat: Fragmentum è poculo Eduardi IV. Angl. Regis ex ophite lapide adversus venena, donum H. Morguni Anno 1581. Qualis verò sit lapis Ophites, videlicet marmoris genus, docet *Laëtius l. c.* Abirem penè in sententiam *Ans. Boët. Boot in histor. lapid. & gemm. l. 2. c. 279. p. 504.* Zeblicus, inquit, ophites Germanorum, ad multa prædicatur. Scribam quid illi Typographicis typis de illius facultatibus ediderint: Vereor ne illô divenditô, aurum aucupentur, plura promittat, quàm præstare possit. Lapis serpentinus nullum patitur venenum; ubi poculum è lapide factum venenum susceperit, id sudore prodit &c. De similibus poculis veneni impatientibus, aliisque variis videatur etiam *Hier. Drexelii aurifodin. art. part. 3. c. 7. p. 337. &c.*

Poculorum ex fraxino paratorum paulò antè quoque fecimus mentionem, quod venenis eadem resistant; sic de efficacia fraxini, contra serpentes alioquin laudata, nullus fere inter priscos dubitare ausus est, quia fides ejusmodi altas radices egit in communi opinione hominum. Crediderunt autem arborem illam occultâ antipathiâ infestam esse dictis serpentibus, adeò, ut etiam umbram illius evitent, & longiùs effugiant. Volunt quoque, quod si gyrus frondibus fraxini sit tactus, & juxta hunc ignis collacatus, serpens in illo gyro consistens deserat eum locum, & citiùs in ignem incurrat, potiori odiô erga fraxinum incitatus. Inter innumeros penè alios sententiæ priori favere experieris *Plin. l. 16. c. 13. Franzium hist. animal. p. 707. Anton. Grandium curioso rer. abditar. perscrutatore p. 239. Joh. Adam. Weberum discurs. curios. p. 199. &c. Henr. Kornmannum templo natur. p. 219. Martinum* Schmuck *occult. mag. magn. morb. curation. p. 4. Vincent. hist. natural. lib. 20. Marsil. Ficinum de vita cælit. compar. l. 3. c. 14. p. 232.* item Botanicos autores & alios plures. Atque ideò etiam Celebertimus (heu! etiam nuper Academiæ nostræ Leopoldino Cæsareæ morte surreptus, ac cœlitibus advectus) *Febrius de Scorzonera*

zonera p. 161. miratur, quòd cantharides, tanquam venenata insecta depascant folia fraxini, venenis aliàs resistentia. De fraxini succo, aliisque pluribus illius remediis contra aspidum morsus & insultus commendatis, nolo esse prolixus, cùm benè multi autores de iis agant, & fortè sæpius alter ex altero hujusmodi traditiones sine inquisitione accuratiori hauriat, nec non pro lubitu interdum commentario quopiam adaugeat. Speramus autem nos aliquando in exercitio Academico de *Fraxino* plura communicaturos. Sed de fraxino & aliis quibusdam plantis, serpentibus contrariis, si variô modô adhibeantur, licet multi non ambigant, id tamen inter fabulas refert *Franciscus Redi in observat. de viperis (quæ adhærent etiam Miscellaneis Acad. Leopoldino-Cæsar. Curios. dec.* 1. *Ann.* 1.) *p.* 37. & 38. Repetit idem hoc fortè ex citato autore *Justus Cortnummius de morbo attonito p.* 333. *Plinii* locum, paulò ante adductum, pariter allegat de fraxino adversus serpentes commendata *Joh. Henr. Ursinus arboreto Bibl. c.* 6. *p.* 121. Sed suo loco relinquens id ille, potiùs efficaciam misticè ad crucem Christi applicat, quòd scilicet hæc

— — longè fuget omne venenum.

De franxini viribus dictis, licet idem sentiat, cum adhuc aliis, *Athenaus*, impugnat tamen illud, & figmenti postulat eos, qui statuunt istud, vir inter medicos rari æstimii, *Marc. Aurel. Severinus in Scilomostige p.* 66. Sententiam illam adductam *Redi*, de viribus istis elusis, confirmat itidem *Paul. Janisius in Annaberga descriptione c.* 7. *p.* 15. sibi enim ab incolis relatum esse scribit, quòd circa Wolckensteiniam arcem, ubi magna fraxinorum copia reperitur, non rarò apricantes serpentes observentur, in quam sententiam addatur etiam *Domin. Chabraus Stirp. sciagr. f.* 607.

Deinceps *Ælianus* ait, Atticas mulieres Agni foliis cubilia substernere, quòd serpentibus eadem sint infesta, & quòd existimentur à veneris appetitione prohibere. Tantam quoque vim quibusdam rebus contra morsum viperarum tribuunt quipiam, ut etiam salubrem pronuntient musicam excitatam instrumentis ex iis factis; videlicet ligno Juniperi, fraxini, laurus, sambuci, vitis, aut ex cornu cervi, de quo allegatum locum vide apud *Zeilerum*

lerum cent. 1. *Epist.* 87. *p. m.* 252. Verùm supersedeo adductis his opinionem meam addere de modò dicta efficacia, si quæ certò expectenda ex memorata musica, quæ forsan aliis causis citiùs, quàm materiæ instrumentorum competit. Præterea de radice Queyo vel Keggio in Cambajæ regno reperienda, scribunt, quòd dorso gestata securum præstet hominem à feris venenosis, eorumque morsibus. Verùm fruticis illius non omnia ramenta in usu esse, sed ea tantùm, quæ soleant in septentrionem vergere; cum quæ meridiem respiciant, venenosa & morbifera communiter statuantur. Prorsus falsas verò has res deprehendi, si ad experimenta deveniatur, pronuntiat iterum laudatus Dominus *Redi experiment. natural. p.* 178. Alioquin *Lobelius p.* 58. asserit odore solô balsami enecari viperas, easque, quæ in Balsametis aut Balsami sylvis degant, esse innocuas; sed asserto isti, ob non nulla dubia, non assentitur Excell. Dominus *Paul. Ammanus de mat. med. p.*126. Porrò spinæ albæ semen non minùs pellere serpentes, si gestetur, vult *Dioscorides l.* 3. *c.* 14. Verùm exiguam fidem eidem amuleto, uti aliis pluribus, tribuit *Sanctorius de vitandis error. l.* 8. *c.* 11. *p.* 161. Dehinc pennam ibidis serpentes attonitos reddere, & confestim in vestigio gressus inhibere, si in quempiam illorum injiciatur, indicat *Anton. le Grand. l. c. p.* 226. quo in loco etiam scribit autor, quòd serpens quernis frondibus contacta moriatur, & visâ fagô perterreatur. Experimentô enim, inquit, probatum est, illius ramô ante hoc animal injectô veluti attonitum fieri, nec amplius moveri. Atque id de quernis foliis ex *Democrito* petitum dicit *Ant. Mizaldus de secret. hort. l.* 1. *c.* 11. Præterea quoq; innotescit ex *Plinio* de Betonica, quòd hæc juxta serpentes posita coërceat istas, ne transgredi illam valeant; admodum dubitat verò de hoc *Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney-Buche *parte* 1. *p.* 452. Post hæc seqvuntur jam quæpiam petita ex *Sim. Pauli quadripart. Botanico p.* 533. Myrtus nostras Danica, inquit, seu pors/ aut Germanica post/in nobilissimi hujus regni celeberrimis Provinciis, Seelandia & Cimbria adeò salubri solo succrescit, ut serpentes fuget, ceu qui nunquam stabulari sub ea visi sunt.

Nolo

Nolo quoque locum illum notabilem, de herba quapiam insigniter efficaci contra viperas deprædicata præterire, qui prostat apud celeberrimum *Jobum Ludolfum historia Æthiopica l. 1. cap. 19. num. 10. &c.* Omnia, inquit, herbarum miracula superat *Assazoë*, tam efficax contra aspidum venena, ut nocentissima serpentum genera hâc herbâ tacta sopiantur, & ceu mortua jaceant: quin & umbra illius stuporem viperis inducit, ut eas innoxiè tollere possis. Qui radicem hujus herbæ comederit, inter ipsos hydros & chersydros sine metu ambulare poterit, imò multos annos ab illis tutus erit. Visique fuerunt Habessini, his radicibus usi, angves venenatissimos instar angvillarum manu tractare: Collo instar collaris circumdare: eosque, cùm liberet, impunè occidere: Ita providum numen, ubi venena sunt præsentissima. Nec ingenitam fuisse crediderim Psyllis, Africæ genti olim percelebri, virtutem morsibus serpentũ medendi, sed herbæ illius remediis partam: eam verò ne vilesceret, secreto habitam. Quæstuosum enim olim erat, venenata animalia, per diversas orbis regiones, sine noxa ad spectaculum circumferre. Hactenus, ob orientalium aliarumque lingvarum peritiam & merita literato orbi non ignotus *Ludolfus* laudatissimus; qui plura etiam in *commentario suo* propediem edendo in locum istum de eadem materia consignat.

Magnam spem, post illa, multi ponunt in lapide Bezoardico, quem amuleti instar adhibitum vim venenis adimere tradit *Bodinus theatro nat. lib. 2. Saracenus, Serapion, Cardanus, Monardes, Ol. Wormius & Augenius.* Eadem quoque sententia est *Fratris Antonii de Quintano*, qui pariter pro summo secreto lapidem hunc ebuccinat, si de collo suspendatur versus dextrum latus, hinc enim nullum venenum gestantem invasurum esse confirmat. *Bootius de lapid. & Gemmis l. 2. c. 193.* inquit: Si foris alligetur Bezoar sinistri lateris brachio, ut nudam cutim attingat, perhibetur venenis resistere, & contueri, ne à veneno, aëreve pestilenti aut contagioso lædatur. Multi tamen insurgunt contra vires lapidis dicti, cùm internè, tùm externè adhibiti, uti mox dicemus; sed ab appenso illo extrinsecus prolatam promanantem

nantem facultatem defensam reperies contra adversarios suos in *disputatione medica de lapide memorato habita sub præsidio Rolfincii à Ioh. Eberhardo* Schmiedt *c.* 2. *artic.* 3. Confer etiam *Mich. Bapstium* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part.* 1. *p.* 188. Dicti verò lapidis hyperbolicas multas, portentosas, & superstitiosas virtutes commendatas non admittunt, nisi experientia verum id ostendat, *Bontius Medic. Indor. notis ad c.* 45. *Garciæ ab Horto*, & allegati apud *Jac. Jos. Joepserum in manuductione ad vitam longiorem c.* 10. *p.* 337. *&c.* Nullius etiam momenti Bezoardicum lapidem ii sine dubio censebunt (si periapti loco recipiendus est) qui tantùm non omnem virtutem illi intrinsecus admisso, vel propinato derogant. Argumenta, quæ prætendi solent aliàs pro depressa ipsius autoritate, videri possunt apud *Herm. Grubium de simpl. medic. facult. p.* 138. 149. *&* 150. *Reies campo Elys. qu.* 67. & alios plures, brevitatis gratia jam reticendos; reverti quoque potest, qui vult ad *p.* 363. Prolixum etiam patrocinium contra impugnationem illam modò adductam prostat apud citatum *Reies l. a.* Annectenda quoque ducimus prolatis his verba *Matthioli comm. in Dioscorid. l.* 5. *c.* 73. *p.* 940. Lapis Bezahar, inquit, Mauritanorum testimoniô antidotum est omnium præstantissimum, sua speciali dote, contra omnia in universum venena: utpote qui non modò haustus sed etiam adalligatus, ita ut nudam sinistri lateris carnem contingat, omnia superat venena. Legitimum autem, nimirum flavum eligendum esse lap. autor vult. Vulneri quoque impositus ille, à mortiferis quibuscunque feris ictos, statim liberare diciturve venenô sudore expulsô. Idem pariter juvamenti adfert, si ore aliquô tempore fugatur; hactenus *Matth.* Iisdem viribus pollere illum lapidem impositum apertis carbunculis in peste alii scribunt; Cui adducto asserto subscribit etiam assensus *Garciæ ab Horto.* Superstitiosum autem est, quod suppeditat *Serapion:* lapis, ait, Bezohar confert veneno scorpionis, quando portatur in annulo, & inciditur in eo imago scorpionis, luna existente in signo scorpionis; & aspice ut sit ascendens, deinde sigilla olibanum cum eo, lunâ existente in scorpione, quod datur patienti ad potandum. Nescio num ille

cautio de interno usu illius lapidis annotata (scilicet quòd ex relatione Indarum fœminarum prægnantibus noceat, ob metuendum facilè aborsum ab eodem) etiam id efficiat, si externè applicetur, veluti de priori informat nos *Garc. ab Horto hist. aromat. & simplic. med. Indic. l.1.c. 45.*

Dehinc cervus varia suppeditat periammata, contra venena morsusque venenatos dilaudata: quemadmodum lacrymam cervi corpori alligatam, contra venena prodesse tradit *Cardanus*. De dente cervi itidem gestato pro arcendis venenatis animalibus videre est apud *Agricolam de Cervo p.* 147. Eadem efficacia ungulæ dextræ & pedis cervi annotata extat *in l. c. p.* 234. De pelle à capite cervi detracta, & lacryma dicta evolvantur quoque allegata ex *Scribonio Largo in præfatione* citati *Agricolæ tractatus*. Sic etiam coriô vel pelle cervinâ vestitum hominem contra serpentum noxam tutum pronuntiant *Sext. Philos. Platonicus de animal. p. 7. n.* 23. *& Olaus Wormius in mus. l. 3. c. 24.* Sed corrigiam ex corio cervino (pro ligatura stricta in morsu viperarum instituenda) svasam statuit ab illecebra hominis simplicis, vel nimium superstitiosi *Franc. Redi in Epist. de viperis p.* 18. Porrò os de corde cervi gestantem à venenatorum animalium morsibus immunem reddere constat ex *Rattray theatr. Sympath. p.* 19. Cui sententiæ accedit etiam *Baricellus horto geniali p.*132. Sic *Ælianus l. 4. histor. ex Florentino* transscribit, uti & *Ant. Mizaldus de secret. hortor. l. 1. c.* 11. *p.* 31. quòd serpentes numquam accedant, ubi cervi adeps jaceat. Ulterius de Floridæ insulæ incolis memorant autores, quòd labia infantum suorum perforent, & particulam cornu cervi foramini imponant, eôque illos illæsos fore (si manibus oculatis placet) à veneno arbitrentur, de quo *Voigtius delic. phys. p.* 337. Sed de his cervinarum partium dotibus paulò superius (ubi de unicornu poculis egimus) plura consignavimus *p. 410. &c.*

Posthæc cornu Rhinocerotis Alexipharmaci titulô in museo suspendit *Imperatus*, exponente illud *Thomâ Bartholinô de unicornu c. 21. p.* 173. Sic *Bald. Ronsseus venat. Medic. p.* 3. hæc nobis communicat de coagulo leporis:

Intactus densas sylvas penetrare venenis

Si

Si cupis, unge tuum corpus lentore coagli,
Diffugient, veluti canis aspectu Crocodeilo.

Sequens Zenexton omnis generis venena fugare, si prope cor gestetur, vult *Job. Pharam. Rhumelius in medic. spagyr. p. 631. Recipiantur* antimonii crudi unciæ quatuor, reguli stellati pulv. unc. duæ, arsenici albi drachm. una, fiat cum tinctura microcosmi, & mucilagine Tragacanth. orbiculi cum signo scorpionis. De hinc annotante *Matthiolô* cor upupæ collo portatum evitare virus omne; instruimur ab *Alex. Venturino Medicina ab animalib. desumta.* Aurium os monstri, seu hominis marini contra aëris maligni noxam secum gestare Portugallos scribit *Ol. Dapper* in Beschreibung *Africæ p. 585.* Sic etiam lupi oculum dextrum collo portatum contra omne venenum insurgere ex *Sexto Platon.* transscribit *Venturinus l. c.* Lapis Astroites vel stellaris in conclavi suspensus araneas, aliaque venenata animalia arcere creditur, quod tamen de minoribus illis lapidibus minùs verum deprehendit *Ol. Wormius*, de quo die Gottorfische Kunst-Kammer *p. 66.* De Smaragdi viribus commendatis in venenis fugandis, & pestilentibus ac malignis morbis, uti & comitiali, agit *Petr. Iob. Faber panchym. c. 15. p. 523.* Hyacinthum quoque, pyrophylum & Pantherum lapidem pro venenis innoxiis reddendis facere ex *Agrippa* recenset *Mich. Bapstius* im Artzney-Kunst-und Wunder-Buche *part. 2. p. 99.* De bufonis & Draconis lapide, item Adamante, Hyacintho, Sapphiro & Smaragdo eundem ob finem laudatis, patet etiam ex *Bald. Angel. Abbatio de viper. natur. c. 31. p. 170. &c.* Nolumus ab his etiam abesse annotata apud *David. Frolichium Viatorio part. 1. lib. 2. p. 208.* Peregrinantes, inquit, à venenoso cibo aut potu tutos præstat ambra, moschus vel lapis bufonis in collo gestatus. Item Smaragdus, Achates, succinum & corallium collo appensum, vel annulis insertum; venenum enim præsentiunt atque colorem naturalem amittunt, ut quidem physici prætendunt. De gemmis quibusdam, amuleti loco contra venena varia gestandis commendatis ab autoribus, constat etiam ex sæpis laudati *Christ. Helvigii consil. Med. de peste p. 123. &c.* Communicat insimul idem autor *l. c. p. 126.* experimen-

 tum

tum de Sapphiro (quæ tamen araneis admodum contraria à pluribus alias declaratur) quòd asservata cum araneo in vitro ultra viginti quatuor horas vixerit. Non dubito diutiùs citra noxam illæsos illos superstites fore chartæ inclusos; cum ad septimanas vel menses aliquot iidem sæpe citra cibum potumve evidentem (nisi aër ipsis illorum loco cedat) asserventur absconditi. Imo gemmis plurimis assignatur communi ferè veterum suffragiô vis resistendi pesti, veneno, & febribus malignis: uti inter alia videri possunt de hoc collectanea apud *Henricum Kippingium Instit. physſ. lib. 6. c. 3. p. 237. &c.* Nec steriles sunt eadem in materia plures, qui de gemmarum facultatibus egerunt. Paulò superiùs etiam de gemmis quæpiam ex *Gockelio* aliisque pluribus adduximus, quæ cum jam dictis conferri possunt. Interim non constat satis fortè, quales fuerint annuli isti contra venenum, & serpentum morsus olim venditi ab *Eudemio Pharmacopola*, cujus mentio fit apud *Paschal. Gallum Bibliotheca med. p. 92.* Præterea Atractylis herba contra scorpionum punctus internè data prodesse, & cruciatus non sentire dicitur, quamdiu quis herbam tenuerit; quâ verò depositâ redeant iidem, uti habet *Dioscorides l. 3. c. 107.* Verùm hoc ut credat, adduci non potest *Sanctorius de vitand. error. lib. 8. c. 11. f. 161.* Indi annulis aureis & argenteis de nucis medicæ Maldavensium medulla lapidea non nihil includunt, foramine intùs relictô in annulo, ut illa cutim tangere possit, atque hôc gestatô amuletô à venenis se credunt tutos, de quo *Olaus Wormius museo p. 203.* Sic ramus mali granatæ animalia venefica fugat, & corylus serpenti funesta est, statuente *Honorat. Fabrò de plantis tr. 1. lib. 2. p. 88.* Plutarchum eadem hæc sentire dicit *Joh. Jac. Weckerus de secretis l. 6. c. 21. p. 313.* De punicæ ramo, quòd venenata omnia, nedum serpentes fuget, testimonium prostat apud *Ant. Mizaldum de secret. hortor. l. 1. c. 11.* quo in loco etiam indicatur, quòd si absinthium, aut artemisia, abrotanumve per ambitum horti plantatum, vel in angulis commodè dispositum sit, serpentes nequaquam illic stabulent. Non affici itidem quemquam, qui raphanum gustaverit, vel secum detulerit, ex *Tarentino Græco* deducit idem. Ex *Plinio* pariter *Mizaldus* trasscribit, quòd

quòd sileris fruticem refugiant quoque serpentes, baculumque rustici ob id ex eo gerant & circumferant. Pergit dictus autor *p.33.* Filicis folia serpentem non recipiunt: unde serpentigenis locis filicem sevisse, aut stravisse, multis utile fuit. In his obliviscendum non est, quòd serpentes sambuci flores summè refugiant, qui etiam tineas, blattas, & erucas perimere traduntur. Prodit itidem autor ibidem *c.* 13. *p.* 36. quòd bufones iisdem rebus fugentur & necentur, quibus serpentes. Sic quod scorpio in domicilia non obrepat, quoties coryli nucula laquearibus appensa cohæreat, *Weckerus l.c.* & iterum hic *p.* 314. ex *Tarentino* exponit, quòd si quis sideritidem vel scorpioidem herbam tenuerit, scorpios innocenter tractare possit. Idem illud ex *Tarentino* petitum scribit *Mizaldus l.a.* cui hic annectit statim hoc: *Plutarchus,* inquit, ex *Zoroastre* nucem avellanam lectulorum pedibus alligat, ne Scorpius illos conscendat *Mizaldus* quoq; *caput dictum* 13. *p.* 35. exorditur his verbis: quod ad scorpiones attinet, si locum, in quo versantur, surculo aut ramulo veri heliotropii circumscripseris, negat *Plinius* illos hinc egredi posse. Si verò herba ipsa imponatur, aut respergatur, protinus eos emori tradit. Idem fieri ajunt tactu radicis herbæ, quam scorpioidem dicunt: imò verò à scorpione minimè lædi, qui herbam gestabit; de hac materia etiam superius ex *Matthiolo* egimus inter amuleta insectis opposita. Similiter quòd ille, qui Been albi, seu polemonii radicem gestat, à scorpione non feriatur, vel si ictus fuerit, nihil molestiæ passurus sit, legere est apud *Remb. Dodonaum histor. stirp. f.* 172. Ridiculam curationem pro iis, qui scorpionum ictum passi sunt, recensent ex *Apuleo Diaphane & Zoroastre,* quòd læsi à scorpione retrorsum asino insidere debeant aliquandiu, ut scilicet facies ad caudam sit directa, atque hinc dolorem illum in asinum derivari volunt, eumque non cessare priùs, quàm asinus peditu crebro succumbat, ac emoriatur. Verùm vanitatem hoc olere, vixque verum existere, pronuntiat *Ant. Mizaldus de secret. hortor. l.* 1. *c.* 13. *p.* 35. Ad hæc radix plantaginis contra venena infantibus affigitur, enarrante id *Theodorô Tabernæmontano* in der Artzney- und Haus-Apothecke *p.* 47. Radix victorialis etiam à quibusdam dicitur usurpari loco amu-

Jeti, ut ab aëre infecto se tutos reddant; uti innuit *Schröderus in pharmac. med. chym. l. 4. p.173.* Juxta *Dioscoridem in nothis p.476.* prodesse sentiet, si quis secum feret Rhamnum, silente luna erutum contra venena. Sic etiam Anchusa manibus portata arcet serpentes, quod pariter echium præstat, teste *Rattray theatr. sympath. p. 16.* De Anchusa, quæ etiam Alcibiadion dicitur, videatur quoque *Matthiolus de simplic. med. facult. p. 265. & Dioscorides l. 4. c. 24.* Eandem radicem ac folia, variô modô corpori applicata, contra omnis generis virus vim maximam habere, ex eodem loco, & *Galeno l. 6. simpl.* docet *Saracenus de peste c. 7. p. 232.* Similiter Alcibii radicem, quam tertiam speciem Buglossi sylvestris vocat *Mich. Bapstius* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche/ *part. 1. p. 201.* illam statuit gestatam avertere serpentum morsus. Porrò si quis artemisiam herbam ferat in pedibus, venenatas bestias fugabit, velut cognoscimus ex *Dioscoridis nothis p.477.* Gestatam eandem herbam, vel alligatam adversus mala medicamenta bestiasque virulentas efficacem etiam pronuntiat *Plinius l. 25. c. 10.* Idem illud explicat *Marsellus versificator versu 20.* verbis sequentibus:

Affirmat etiam quisquis gestaverit illam
Quòd nullò valeat nocuo medicamine lædi.

& paulò post *idem ibidem* ita:

Radix illius collo suspensa rubetis
Dicitur & cunctis nocuis obsistere ranis.

in quos versus videri potest *Barthius in Adversariis l.12.c.20.p.706.* Videtur verò superstitiosum hoc declarare amuletum *Casp. Hoffmannus de medicam. offic. l. 2. c. 22. p. 110.* Dehinc radicem consiligins sub certo aspectu collectam, contra venena & pestem harmonicum esse amuletum, idque facilè probari posse, si radix illa collo canis appendatur, hinc venenum ipsi sine noxa exhiberi asserit *Aug. Etzlerus Isag. phys. med. c. 1. p. 8.* Præterea pro amuleto sunt allia adversus serpentum morsus, inquit multijugæ eruditionis thesaurarius *Gerh. Joh. Vossius physiol. Christian. l. 5. c. 18. p. 91. & de idololatria l. 4. c. 40. p. 1513.* Persas ideò (auctore Simone Sethi) coquinas alliis replevisse, ut ipsas à serpentum consortio tue-

tuerentur, refert *Anton. le Grand. curios. natur. arcanor. perscrutatore p.* 12. Rationem verò hujus efficaciæ reddit *Anton. Mizaldus de secret. hortor. l.* 1. *c.* 11. *p.* 32. inquiens: serpentes oderunt validum odorem jaculantia, qualia sunt allia & cepæ. Præter hæc *Mich. Bapst.* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part.* 1. *p.* 200. *ex Ioh. de Cuba horto sanitatis* transscribit, quòd venenatæ bestiæ arceantur, si domui inferatur, vel collo gestetur herba colubrina, aut integra squilla. Similem etiam inesse vim gestatæ radici pastinacæ domesticæ, & semini Cynorrhodi, idem indicat locus modò notatus. Sic etiam ex *Mizaldo* tradit *Joh. Jac. Weckerus de secretis l.* 5. *c.* 4. *p.* 200. quòd semen agrestis croci manu tritũ, vel collo suspensum, plurimùm polleat adversus ictum scorp. In quam rem etiam prodesse ajunt quidam radicem lauri & ireos. De lauru itidem, quòd efficax sit adversus venena, & alia mala, videri possunt, quæ prostant apud *Mart. Lipenium de strenis cap.* 3. *p.* 133. Jungatur huic *Cornel. à Lapide p.* 1013. *in Ezech. c.* 8. De eo autem, quo dicitur; laureum baculum gerito, *Erasmi Adagia p. m.* 103. *b.* consulantur. Sic de eo, quòd laurus *ἀλεξίκακος* dicatur, videatur *Natal. Comes p.* 355. Alii latiùs extendunt rerum ejusmodi operationem; velut de instrumentis musicis paulò superiùs vim alexipharmacam emanare attigimus. Vix ex naturalium classe petitum credimus illud signum fuisse, quod pedibus solùm attingentes (ante fores jacens incantatoris serpentum cujuspiam in Æthiopiæ inferioris quopiam loco absentis) liberasse læsos à serpentum morsu noxio dicitur apud *Ol. Dapper in Africa* Beschreibung *p.* 351. Radicem pæoniæ quoq; frequentissimo in usu esse Afris, ob ingentem vim immanium serpentum; præstabit ergò viatoribus, & peditibus eam commendare, ut de collo suspendant, atque hac arte vel se præmuniant adversus ictus & morsus virulentorum animalium, vel etiam eâdem hæc fugent, quæ verba reperiuntur in *Pauli quadripartito botanico class.* 2. *p.* 107 Bufones etiam aliàs fugare ex stabulis vaccarum uberibus exsugendis insidiantes axungiam, odorem bryoniæ, vel rutam recentem, ex aliis scribit *Exc. Chr. Franc. Paulini in Bufone descripto p.* 52. Superstitiosa periapta non pauca etiam circumferuntur quæ

quæ variis venenis opposita traduntur; ista verò indigna censuimus annotatione, veluti talia Conciliatoris rejicit etiam *Ang. Abbatius de viperis c. 31. p. 171.* De laminis ictus & morsus noxios venenatorum colubrorum sanantibus, & à Marsis, Psyllis aliisque institoribus venditis *Arnobius l. 2. p. 68.* Unicum id adhuc de malo citrio lubet nobis allegare, si fortè ipsi soli, & ab omni superstitione libero, usus salutaris inesse quis velit, aut inposterum experiri illum queat. Ex *Joh. Ximeni verò disputat. de malis citriis* notum est, quod amuletum Sidis Ægyptiorum Deæ ex citro & folio illius constiterit, quibus inscriptum Thumim & Urim; idque in capsulis argenteis collo appensum fuerit, quô gestatô se ab omni malo & veneno tutos judicarint. Videtur autem id, de malis citriis (quòd scilicet capsulis dictis inclusa ab Ægyptiis veteribus pro amuleto gestata sint) in dubium vocare *Martin. de Roa singul. sacr. script. part. 2. l. 1. c. 2. p. 10.* Atque hæc dicta sint de amuletis repugnantibus venenis, & venenatis animalibus, cui plura hujusmodi arrident, consulat eos, quos paulò ante de peste profliganda citavimus; cum iidem non rarò commendent promiscuè periammata in peste æque, ac venenis, vel venenatis aliis morbis curandis usitata. Addi his etiam possunt non nulla inter amuleta infectis opposita consignata.

Venerem adjuvantia.

Vidimus in præcedentibus p. 173. quæ fœcunditatem procurare putata fuerunt; Devenimus jam verò ad ea, quæ non nimiùm ab iis discrepant, videlicet quæ venerem adjuvare, vel stimulare creduntur. Volunt autem, quod Satyrium Erithronium vel Erythraicum in manibus gestatum libidinem vehementer promoveat, de quo *Dioscorides l. 3. c. 144.* & ex hoc *Jac. Theod. Tabernamontanus herbar. lib. 2. p. 364.* & forsan etiam *Remb. Dodonaus in stirp. histor. pempt. 2. l. 2. c. 29. f. 233.* Jungatur his quoque *Plinius l. 26. c. 10.* Suffragatur huic *Aug. Etzlerus Isagoge Phys. mag. med. cap. 5. p. 112.* qui postremus tamen colligi vult Satyrii albi radices, venere in propria domo existentem & collo appendi, vel ut in manus volæ incalescant illæ. Eâdem de laude hujus radi-

radicis comperies non nihil quoque apud *Bonaciolum de fœtus formatione p. 185.* De herbæ Satyrii verò viribus iisdem, si in manib9 ea teneatur, & de historia quadã, casu effectum illam comprobante, testem se sistit *Kircherus l. 1. Art. magn. luc. & umbr. part. 2. c. 5. Reg. 2. p. 61.* Forsitan etiam eligenda est radix carnosior, si verum, quòd flaccida venerem extingvat, juxta assertum *Baricelli horto genial. p. 166. & Ant. Grandii curioso rer. abditar. perscrutatore p. 154.* Dehinc sequens compositum pro veneris exercitio feliciùs peragendo maribus commendat sub brachiis gestandum *Stockerus in prax. aurea p. 273.* Recipe Satyrii uncias quinque, misce cum sangvinis passerum unciis decem, & in pannum linteum involve, ut gestetur modô dictô. Verùm locum illum *Dioscoridis* paulò antè adductum examinans, neutiquam vires illas sibi promittit à dicta radice *Sanctorius de vitandis errorib. l. 8. c. 11. f. 161.* Quemedmodum idem autor ibidem diffidit quoque de alio asserto *Dioscoridis l. 4. c. 191.* ubi herbam mercurialem marem, masculam prolem, fœmineam autem alteram speciem mercurialis herbæ producere, si verendis partibus mulieris admoveatur, & quidem à purgatione menstrua, adstruit. De alio vegetabili Indico, cujus contactu septuagenô coitu libidinis tentigo duravit, sed nomine ac specie herbæ celato, loqui *Theophrastum* (*l. 9. hist. plant. c. 20.*) indicat *Joh. Langius lib. 2. Epist. medic. 21. p. 645. &c.* Videri quoque possunt, quæ citat in hanc rem *Thom. Bartholinus de medic. inquilinis p. 24. in Epistola, quæ præfixa est Herm. Grubii tractat. de medic. facult. cognoscend.* Utrum verò satyrium Erythronium extiterit planta illa ab Indo allata, & à *Theophrasto* memorata, disquirit *Dodonæus l. c. f. 234. & 237.* Herbam istam Bangven notam apud Indos fuisse, quidam censent, de quo confer *Joh. Fragosum hist. med. Ind. tract. 3. c. 26. p. 59.* Cæterùm de herba Bangve Persis etiam usitata pro interno usu ad venerem augendã, & qualem credant eandem plantam non nulli; uti etiam de stimulo veneris à radice satyrii orto, & paulò ante ex *Kirchero* attacto, videri quoque potest *Exc. Christ. Frideric. Germanus de mirac. mart. p. 107. 108.* De non nullis hactenus recensitis agunt etiam allegata in *Joh. Schenkii observat.*

servat. med. l. 2. f. 535. De interno etiam hujus herbæ usu pro venere stimulanda congrua, supersedemus hoc loco plura disserere. Deinde *Scaliger Exercit. 157. sect. 1.* radicis cujuspiam meminit, quæ extrinsecus, vel interius adhibita ad venerem concitet. Non secus itidem ambram ac moschum, vel chirothecas odoratas gestandas esse muliebribus, quæ minùs propensæ sint in venerem (nisi obnoxiæ sint suffocationi uteri) præcepit *Petr. Forestus lib. 28. obs. 58. p. 717.* De Zibetho *Castor. Durantes* hæc tradit:

Zibethi veneris crescunt solatia odore,
Matricem juvat hoc, ne præfocetur, & inde
Est adeò vulvæ gratum, ut properanter in illam
Quamvis admotum tantum, irrepat.

Sed hæc forsan remota quadantenus à periaptorum classe quis judicaverit. Præter adducta hactenus dentes dextros crocodilo abstractos ac gestatos, eôque vivô iterum dimissô, intensionem vel erectionem præbere pernotescit ex *Kirani Kiranidibus p. 83. &c.* Cui etiam subnectit autor *l. c.* quòd sinistri dentes mulieribus conveniant, & si utrique adaptentur, faciant incontinentiam. Post hæc stellionis cinerem linteolo involutum, manuque sinistrâ contentum venerem irritare atque augere, dextrâ verò manu apprehensum illam imminuere, autor est *Plinius l. 30. c. 14.* Semen quoque augeri ex gestata radice verbenæ dicunt, de quo *Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney Buche *part. 1. p. 198.* Atque *idem* autor agit de eodem *part. 3. p. 201.* Ipsemet etiam *Bapstius l. a. lib. 1. p. 94. & 189.* ex *Plinio* recenset, quòd pars dextra pulmonis vulturis, gruis pelli involuta, manique alligata, vel dexter testiculus asini, uti & extrema pars caudæ vulpis dextro brachio annexa, eundem concitet mirificè in venerem vel incontinentiam. Vires masculas etiam suggerere dicitur spuma asini in serico panno gestata, & quidem aurô vel argento munita. Similes vires item largiri dicitur non nihil de hippocampo collo annexum (quod depromptum est ex *Forreri* Fischbuche *fol. 156.*) atq; fel ursi coxæ dextræ alligatum; hactenus *Bapstii* mentem expsuimus *ex l. c. p. 95.* Præterea ossiculum

lum bufonis in dextro latere venerem quoque stimulare dicitur, notante id *Ex. Cbr. Francisc. Paulini in bufonis descriptione p.* 120. Ulterius veretrum & testiculos cervi contra impotentiam viri valere, proque venere excitanda conferre, si scilicet femori adalligentur, volunt allegati apud *Agricolam de cervo c.* 11. *p.* 177. Sic indusia ex pellibus lascivientium animalium gestantes lascivi redduntur juxta *Rattray theatr. symp. p.* 12. Quibus addenda duco illa ex *Unzeri floril. med. chym. de Nephrit. l.* 1. *c.* 24. *f.* 108. Pellem ait, cervo detractam, quando amore exæstuat, & super lectum stratam, in quo conjuges cubant, venerem in dictis stimulare quorundam opinio est. Eadem sententia iisdem penè verbis declaratur à *Gottfrid. Smollio manuali rer. admirab. c.* 24. *p.* 149. Non infrequens aliàs est autorum opinio, quâ venereorum animalium partes dilaudant pro dicto negotio, (uti contrarium de sterilibus paulo superius fuit attactum) atque eò magis, si in coitu sint interemta eadem animalia, uti videre est apud citatum *Smollium l. c. & Burggravium de Biolychnio p.* 139. qui ult. eadem quoque de cervi corio dicto statuit. *Bald. Ronsseus venatione Medica p.* 80. hæc communicat:

Et caute vulpis testes si ex nectare potes,
Vel coxæ appendas tantùm (si credere fas est)
Extemplò faciunt aptas ludis Cythereæ.
Hoc etiam mollis poterit præstare medulla
Pernicis pardi, vel lumbis Lemnia terra
Addita, juncta cui est elephantis dextra proboscis.
Mitto volens moschum redolens, ac pingue zybethum,
Ursino femori dextro pendentia fella,
Taxonis coxæ fella aut suspensa sinistræ.
Mellaque commanso piperi conjuncta pudendo
Illita, dum peragunt veneris certamina juncti.

Porrò lapis alectorius è ventriculo castrati galli seu capi exemtus, fabæ magnitudine, robur virile in genitali thoro adauget, fortitudinemque, & in rebus aggrediendis confidentiam adfert. Viris præterea favorem ille conciliat, & gestantes gratiosos reddit apud

mulieres; hæc allegat autem ex *Lemnio* (*de occult. nat. mirac. l. 4. c. 12.*) *Mizaldus memorab. cent. 6. Aph. 73.* Confer sis etiam de hoc lapide *Bartholinum de lap. Nephrit, c. 10. p. 26. §. 32.* Dictum verò lapidem in ventriculo capi nasci ætatis anno quintô vel nonô, ac gestantem reddere fortem, augere venerem, sitimque vehementiorem sedare scribit *Joh. Henr. Alstedius Encyclopædia lib. 7. part. 4. c. 1. p. 491.* Plura de hoc lapide ipsiusque origine inter amuleta victoriam pollicentia occurrunt. De lapide hoc insimul, quòd alexipharmacus in gallis consiat à venenatis animalibus devoratis, colligere videtur *Bald. Angel. Abbatius de vipera natura c. 31. p. 174.* Quemadmodum etiam *Mich. Bapstius l. a.* non negat alectorium virtutis illius participem esse; insuper etiam refert ille, quòd testiculi galli cum pingvedine anseris mixti, inque arietis pelle brachio annexi paria efficiant, juxta testimonia autorum. Mentio quoque fit ibidem tabulæ superstitiosæ à quibusdam commendatæ. Cæterùm de aliquibus hactenus recensitis amuletis etiam agit *Bartholinus l. c. cap. 8. p. 22. §. 27.*

Venerem compescentia.

ABstinere teneremur fortè à recensione quorundam sequentium, quæ venerem inhibere, aut sterilitatem inducere dicuntur, cum vim naturæ atque Dei legibus videantur inferre; sed cùm multum diffidentiæ fortè illis adhuc adhæreat, atque potiùs caveri possint ac debeant, si veri quid illis subesse firmior experientia docebit in posterum, non verebimur etiam ista, juxta autorum ductum, attingere. Insuper etiam hanc licentiam agendi jam de iis nobis pollicemur, quia medici subinde consilium expetitur pro curanda venere nimia, vitiosâ atque morbosa, & castitate è contrario procuranda. Verbenam autem & mentham gestatam extinguere venerem dicit *Joh. Andr. Schmitzius comp. med. practicum notis Rumpfii p. 306.* De verbena & agrimonia gestata, iisdem agit *Paracelsus*, quòd virgam non sinant erigi. Quid de mentha sentiendum sit, vide *Beverovicium in Epistol. quæstion. p. 150.* Notum etiam ideò (quòd nimirum veneri obstet mentha) de illa proverbium, quô dicitur in *Aristotelis sect. 20. probl. 2. mentham*

nec

nec comedas nec feras tempore belli, cujus effati quidem variæ extant explicationes, hinc videat cui lubet, de hoc *Mylium horto philos. p. 474. Bald. Ronsseum Epist. med. 21. p. 63.* Non ineptè etiam de dicto proverbio, & ratione illius, uti & effectu contrario à quibusdam statuto, harumque diversarum opinionum conciliatione agit *Jan. Ant. Saracenus in scholiis ad Discoridis operum l. 3. c. 41. p. m. 59.* De eodem proverbio, & contrariis opinionibus, juxta quorundam mentem, videri quoque potest *Ludov. Nonnus de re cibaria l. 1. c. 20. p 62.* Benè etiam agit de proverbio hoc (& eô simul: *ut vivas caste mentham non adhibe) Honorat. Faber de plantis tr. 1. lib. 2. p. 89.* Ibi horum quoq; rationem autor reddit, videlicet quod castitas corpus vegetiꝰ & robustiꝰ efficiat; laxius verò & mollius libido, quæ provocetur à mentha. Insimul etiam autor illic innuit, quod lactis coagulationem impediat illa planta. Mirum itaque apparet illud apud *Sim. Pauli quadripart. Botan. p. 396.* videlicet, quòd post usum pediluvii ex mentha adhibitum venæsectio secuta vel observata sit incruenta; cùm dicto illô priori effectu in partem vocatô, mentha sanguinis atque spirituum motum (& modicè quidem sumta) potiùs promovere videatur. Plura ibidem autor de vi ejusmodi attenuandi atque condensandi gemina in mentha, & vi ipsius resistendi veneri, uti & de ruta, agno casto, camphora, thée, cotti, chocolata, & similibus seminis procreationem prohibentibus tradit. Sed fateor mihi omnia ista *Pauli* ratiocinia minùs arridere; cæterùm non nulla etiam de hac materia inter amuleta hæmorrhagiæ apposita occurrunt. Antipathia quæpiam cum mentha quoq; legitur *dec. 2. Acad. Leopoldino-Cæsar. misc. ann. 4.* Apud *Peredam* mentio fit etiam vetulæ, quæ menthâ naribus impositâ curavit illarum hæmorrhagiam. De nimio usu verò menthæ committo plures speculationes & effatum experientiæ: utrum fortè eadem æque, ac alia eminenter odorata, spiritus atque horum effectum, scilicet humorum motum & stimulum sufflaminare tandem possit, quem effectum priùs moderatè sumta excitarunt? Interim de mentha (quæ sicca ex *Saraceni* mente nocere dicitur) hederæ nigræ corymbis, fabis & ruta, quòd malè in nuptiis audiant, consuli possunt alle-

gata in lectu jucundis *Thomæ Bartholini quæstion. nuptial. & quidem 7. p. 40.* De mentha etiam inter alia refert *Joh. Henr. Ursinus Acerra philolog. p. 74. &c.* quòd olim potiùs ad appetitum ciborum excitandum in embammatibus adhibita fuerit. Sic ludunt vel discrepant sæpe autores in suis sententiis, veluti quidam etiam nasturtium Persis cum pane pro cibo usitatum, propter venerem arcendam & cohibendam, esse volunt; cui sententiæ tamen alii non suffragantur, de quo *Gabriel. Naudæus de studio militari l. 2. p. 271.* Confer etiam de hac materia *Caspar. Reies. camp. Elys. quæst. 44. p. 521. &c.*

Porrò ex *Aëtio* recenset *Alex. Venturinus in medic. ab animal. desumta*, quòd lapillus in capite salpæ (sarbæ juxta *Rondeletii* appellationem) repertus ac portatus non permittat virgam elevari. Ulteriùs in horum classe non reticenda est camphora, quæ fere communi suffragiò gestata, semen vel venerem extinguere creditur. Subscribit huic asserto *Tilemannus de mat. méd. p. 371.* De eadem vi illius sepeliendi venerem perlustrari possunt etiam sententiæ collectæ apud *Mœbium de camphora c. 22. p. 90. &c.* Junge sis illis etiam *Schottum in Mag. univers. part. 4. l. 2. §. 3. p. 112. Agricolam de nat. fossil. l. 4. Camerarium mem. med. cent. 4. part. 49. Th. Bartholinum l. c. p. 39. & 40. Sennertum in prax. l. 4. p. 260. Horstium l. 10. obs. p. 476. Losium l. 3. obs. 61. Soph. Kozakum de sale c. 11. sect. 16. p. 515. Ioh. Adam. Weberum discurs. curios. p. 148.* Nescio num illud monitum de camphora locum hic etiam inveniat, quòd gestata noceat olfactui, juxta *Th. Bartholinum cent. 4. histor. anat. 91.* Dictæ illi efficaciæ eviranti camphoræ, si scilicet crebriùs vel largiùs admittatur illius usus, adstipulatur etiam præ aliis *Herman. Grubius de arcanis medicor. non arcan. p. 145.* Alios, qui idem de interno usu illius statuunt, hoc loco taceo. Comprobat præterea etiam illud prius assertum plurium autorum aliorum atque suâ experintiâ instructus (si camphora scilicet exterius atque interius largiter adhibeatur) *Frid. Hoffmannus clave Schroderi p. 581.* Sed non sufficiunt hæc, ut idem persvadeant *Ott. Tackenio in Hippocrate chym. p. 183.* Nam, inquit, quotquot novi, qui camphoram à sordibus per sublima-

ſimationem purificant (Refinatores dicuntur) tam Venetiis, quàm Amſterodami, quorum tota domus, nil niſi camphorata ſpirat, ſunt ſalaciſſimi, & fœcundiſſimi ; & niſi propriæ confeſſioni fides habeatur, in teſtimonium voca numeroſam eorum prolem. Hæc & alia plura de calida ipſius efficacia loqvuntur; præcipuè etiam ſi juxta *Borelli cent. 2. obſerv. 98.* abortum movet illa. Similiter de camphora quòd minimè illa cohibeat venerem, nec frigida eadem etiam ſit, rationibus partim adductis, partim etiam aliis adſtruit *Jac. Breynius in exoticarum plantarum cent. 1. fol. 13.* His adde etiam *Acta med. Philoſ. Danicæ volum. 4. obſ. 41. p. 33.* Alia teſtimonia ipſius camphoræ caliditatem arguentia ſuperſedeo hoc locô recenſere ; quemadmodum de eo etiam, quomodo frigidos effectus camphora producat, alio in loco commodiori fortè ſuô tempore disquiram. Negandum inſimul non eſt, vim quampiam anodynam obtinere camphoram, quòd ex variis indiciis colligi poſſet ; atque ideò, quoad egregios ſuos effectus, cum opio penè convenire mihi videtur eadem. Si quid tamen de hoc impugnato, in venere ſiſtenda, effectu camphoræ pronunciandum eſſe, fortè æquè, ac alia inebriantia vel narcotica, poteſt camphora hominibus quibusdam ſterilitatem, vel impotentiam inducere; veluti novimus alioquin ebriorum quorundam ſemen infœcundum haberi, ſed abſolutum decretum de his eloqui non auderem. Sicut enim non omnes æquè à potu eodem inebriantur vel afficiuntur, (ut adeò vis illa negari poſſit potui aut aliis rebus, id alioquin efficientibus) ita fortè effectus de camphora non in omnibus negari poſſet, ſi exceſſivè ab illis uſurparetur. Omnes enim ejusmodi generoſi potus, vel ſpirituoſa aut narcotica quæpiam medicamenta, modicè ſumta, lætitiam ac ſpirituum motum excitant, largiùs autem uſurpata illum, quocunque etiam modô id fiat tandem, cohibent; Sed hanc materiam fortasſis penitius examinabimus, ubi de *medicamentorum facultatibus* inpoſterum fortè acturi ſumus. Caveant interim malitiæ venereæ dediti, ne miſerè deprehendantur, ſi caphuræ commendatæ, aut ebrietati, ſimpliciter velint confidere. Uberiori quippe indigent

gent illa probatione, quòd certò evirare ista valeant. Credant etiam, si velint, virginitatis nomini & æstimio equidem, sed simul conjugii experimentis furtivis studentes personæ id consignatum apud *Bald. Ronsseum venatione medica p.4.*

Dissimulare suos coitus lasciva puella
Si cupit, in cassum & veneris gaudere duellò,
Servatum gestet leporis perizomate stercus.

Propter simile argumentum, in hanc materiam, cui placet, videat de agno casto, quomodo scilicet libidinosos motus supprimere in quibusdam, in aliis verò contrarium potiùs efficere existimetur apud *Casp. Hoffmannum l. 2. c. 6. §. 2. de medic. officinal.* Cæterùm quòd communis ille decantatus camphoræ effectus non respondeat experientiæ, constat ex *Petrei Nosologia diss. 5. p. 88. qu. 10. Scaligeri exercit.* 104. *sect.* 18. *Misc. Acad. Leopold. Cas. curios. dec. 1. Anni 6. & 7. obs. 235. p. 743. &c.* & *ex Actis med. & Philos. Danicis Anni 1674. volum. 4. obs. 41. p. 133.*

Post camphoram etiam cor coturnicis in corio lupi involutum ac gestatum tutos reddere dicitur ab incontinentia & libidine venerea, sicuti patet ex *Mich. Babstii* wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney-Buche *parte 1. p. 45.* Ex *Philippo de Trinitate* refert *Franc. Redi experim. nat. p.* 96. quòd statuat ille ossa sirenis vel piscis ἀνθρωπωμόρφου multum prodesse castitati, & ad reprimendos motus carnales, quin homines etiam reddere impotentes. Sed consulens experientiam laudatus modò *Redi*, parū fidei tribuit illi traditioni. Deinceps *Thom. Bartholinus de lapid. Nephrit. c. 8. p. 22. §. 27.* annotat, quòd cineres stellionis in petia ligati ac manu dextra gestati venerem impediant, sinistrâ verò detenti isti illam promoveant, & impotentiam simul sanent. Illud verò ex *Plinio* deductum esse in dicat *Mich. Bapstius l. c. p* 199. Venerem itidem inhibet echeneis & cinis hippopotami fronti à sinistra parte in agnina pelle adalligatus juxta *Plin. l. 3. c. 6.* Præterea cicuta pro amuleto gestata, vel etiam topicè convenienter adhibita, veneris impetus compescit, & sterilitatem inducit; quòd fit ratione præsidis Saturni, qui veneri contrariatur, atque verba

verba hæc sunt *Augusti Etzleri l. a. c. 1. p. 12.* Porrò lignum agni casti gestatum etiam semen minuere dicit *Joh. Bapt. Besardus in Antr. Philosoph.* 86. Folia viticis quoque pro castitate conservanda cubilibus supponi solere, juxta testimonia *Plinii & Æliani*, constat ex *Mart. Mylii horto philos. p. 367. & 368.* Idem hoc ex *Serapione* se cognovisse fatetur *Mich. Bapstius* im wunderbaren Leib- und Wund-Artzney-Buche *parte 1. p. 199.* Similiter quod frutice illius matronæ Atheniensium in thesmophoriis, castitatem ut custodiant, grabata sibi sternant, & quod excalfactoriæ & adstrictoriæ illius fruticis sint facultates, inquit *Gaud. Merula memorabil. l. 4. c. 24. p. 298.* De quo & aliis pluribus venerem infringentibus aut compescentibus addi his potest *Casp. Reies camp. Elys. quæst. 44.* Rationem autem hujus operationis reddere conatur *Honorat. Faber de plantis tract. 1. lib. 2. p. 86.* Cui lubet recurrere (ob hanc materiam) potest ad *Casp. Hoffmannum*, non ita diu ante à nobis citatum. Potestate verò Saturni venereum motum sistere agnum castum vult *Mars. Ficinus de vita cœlitus comparanda l. 3. c. 12. p. 223.* Quòd etiam piper monachorum aliàs dicantur agni casti semen & folia, quæ loco cinguli à monachis usurpentur pro venere compescenda, & quòd lis adhuc sit de facultate dictæ plantæ frigida, evolvi potest *Sim. Pauli quadripart. Botanic. p. 188.* Sic etiam, qui castitati litare desiderat, huic svadet *Joh. de Cuba horto sanitatis cap. 70.* ut secum gestet ex buxo confectos globulos collo suspensos, aut pro reliquo usu, cultrorum manubria, aut cochleare ex buxo paratum, quod itidem jubet autor ut secum quis circumferat. De gemmis veneris tentigines prohibentibus etiam agit *Bartholinus de lap. nephrit. c. 10. p. 26. §. 31.* Attribuunt alii quoque eandem efficaciam Jaspidi, & testiculis galli cum sanguine illius permixtis, inque pelle arietis involutis ac infra cubile positis. Vires jaspidis decantatas reperies etiam in *Joh. Ad. Weberi* Unterredungs Kunst 1. Theil/ *p. 131.* Quòd prodat quoque Jaspis impuram venerem vel coitum admissum, & rumpatur gestata, *Jordanus* aliique plures scribunt, de quo subsequentia itidem plura indicabunt. Plura hujus farinæ amuleta, classem hanc mox claudendam concernen-

tia, continentur inter periapta, quæ sterilitatem procurare dicuntur.

Ventriculi affectus concernentia.

ORdine nostrô cœptô jam ad ventriculi affectus considerandos accedimus: Vulturum verò pelles præparatæ à pellifice, atque impositæ ventriculo, & concoctioni illius salutares statuuntur, de mergi pelle idem illud prædicatur; hæc adducta verò verba sunt *Lev. Fischeri corp. med. imperial. l. 3. p. 133.* Vulturis plumosæ pellis singularem laudem effert etiam *Lemnius de occult. nat. mirac. l. 4. c. 26.* De milvii pelle similiter conferente ventriculo agit etiam *Andr. Tentzelius medicina diastat. p. 15.* De eadem, & aliorum animalium calidorum (atque voracium) pellibus congruis stomacho languenti, annotati quoque consuli possunt autores apud *Bartholinum de lap. Nephrit. c. 9. p. 21. §. 19.* Qui ibidem etiam *c. 8.* de animalium partibus ventriculum roborantibus agit. Autor idem *l. a. c. 10. p. 26. §. 22.* memorat etiam gemmas stomachum firmantes. Reperies quoq; illic *p. 8.* nonnulla huc facientia de jaspidis viribus, & quòd hæc gemma nephritici lapidis species credatur, nec non contra varia ventriculi, œsophagi atque intestinorum mala faciat. *Ibidem* insimul rejiciuntur variæ figuræ, quas quidam dictæ gemmæ, pro illo fine, imprimere solent. E directo ventriculi verò suspensam vult modò dictam gemmam pro illo confirmando *Magirus physſ. l. 5. c. 2. p. 179.* De gemma hac laudem pariter deprehendes apud *Aëtium tetrab. 1. serm. 2. c. 35. Mich. Bapstium* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part. 1. p. 199.* & *Joh. Adam. Weberum* in der Unterredungs-Kunst 1. Theil *p. 131.* Quòd Smaragdus verò pro ventriculo confortando, orificio ejus amuleti loco appendatur juxta *Galeni* svasum, id næniis annumerat *Bernh. Swalvius querela ventric. p. 174. & 175.* Sic etiam Malachiten lapidem, qui Turcesiam refert, magnam habere vim in roborando ventriculo, docet *Crato Epistolis* (*Cratonis communiter dictis*) *à Scholzio editis Epist. 121. f. 217.* Sic quòd *Kiranides* lapidem è ventriculo struthionis petitum & collo suspensum juvare coctionem scribant, annotat *Ulyss. Aldrovandus in ornitholog. tom. 1. cap. 9. f. 302.*

Restat

Restat adhuc de pelle vulturis,& aliis,amuleta quasi constituentibus, locus attingendus ex *Laz. Riverii prax. l. 9. c. 1. p.m.* 551. quam pellem vulturis valdè laudari ait autor, si supra regionem ventriculi gestetur; in defectu etiam illius pellem leporis, aut pannum scarlatinum usurpari posse scribit. Alii autores in calceis absinthium gestatum commendant contra ciborum aversationem, vomitum, & nauseam, de quo videatur *Horstius l. 2. Epist. sect.* 3. Evolvatur etiam de hoc *Georgius Hebenstreit, Carolus Piso, & Hoeferus Hercule medic. l. 3. c. 5. p.* 201. Porrò stercus aquilæ gestatum etiam coctionem perfectam contrahere ventriculo ex *Gesnero* indicat *Mich. Bapstius l. c. p.* 146. *Idem* autor *ibidem p.* 188. recenset ex *Plinio* stomachum aquilæ ossifragi in manu detentum idem, ac præmissa præstare. Autor dictus illic etiam *p.* 189. docet idem efficere stomachum avis harpis gestatum. Designatum ossifragi ventriculum arefactum etiam in manu gravidarum contentum, illas à vomitu liberare, si scilicet cibos minùs contineant,& magnopere prodesse statuit *Bonaciolus de fœtus formatione p.* 260. Porrò tabulam ex ebore factam atque collo gravidarum suspensam,contra illarum vomitus prodesse ex *obstetrice Gallica* transscribit *Hœferus l. c. lib. 7. c. 3. p.* 321. Cæterùm quia pellium quarundam fecimus mentionem, lubet etiam alia commendata aliàs coria stomachica attingere: qualia creduntur alcis ineditæ, & ex utero sectæ corium, rupicapræ, & hippagri rubri Muscovici; plumosæ etiam pelles struthionum, cygnorum, nebrides, sive cervinæ pelles, ex subulonibus sive capreolis juvenculis, pellis hyænæ, turdi marini, avium Diomedearum &c. Vulturis & oloris pelles ab alutario præparatas itidem commendat *Jo. Dan. Mylius in Antidot. med. chym. l. 1. c. 7. p.* 94. Pellium autem istarum voracium animalium operationem dictam calori oriundo ab illis potiùs, quàm occultæ proprietati adscribit *Ulyss. Aldrovandus in Ornitholog. tom. 1. cap. 9. f.* 302. de quibus & operandi ratione quæpiam etiam tradit *Velschius Hecatostea 1. obs.* 87. *p.* 112. Non nulli etiam ad stomachi digestionem promovendam lupini stomachi corium commendant, de quo *Crollius de signat. rer. p. 67. & Joh. Dan. Mylius in Antidotar. med. chym. l. 4.* Ventrem

trem etiam contegendum esse detracta pelle lupinâ, eâque minùs ab adulto, sed nondum nato & ex ventre exciso lupo, svadet *Rein. Solenander sect. 3. observ. med. 28 f. 198.* Lubet etiam nobis circa pelles istas cautionem annectere, quam ex autoribus sequentibus allegat *Joan. Rhodius analectis in Septalii Animadversiones p. 397.* pelles, ait, ne applicentur ventriculo æstate (ex *Rase Hieronym. Brisianus Geraologia sermone 2. cap. 8. fol. 62.*) multum calefacientes: flatus enim augent, unde caloris nativi debilitas. *Matth. de Grad. par. 2. c. 3.*

Ventriculi ardorem profligantia.

ANnectimus his statim concernentia ardorem ventriculi: huic autem mirè opitulari lapides mustelæ piscis, annulo inclusos & gestatos, ita ut nudam cutim attingant, colligimus ex *Sachsii gammarol. p. 309. Frid. Hoffmanni clave Schröderi p. 701. & Georg. Hieronym. Velschii diss. 1. de agagrop. p. 5.* Sodam quoque prohibere lapidem carpionum in ore detentum dicit *Anselm. Boët. de Boot hist. Gemm. l. 2. c. 175. p. 349.* ex quo forsitan id repetit *Bartholinus de lap. nephrit. c. 10. p. 26. §. 23.* Sic quòd sitim, & cordis æstum sedet alectorius ori inclusus, cognosces ex eodem *Bartholini loco §. 21.* Atque hoc itidem petitum videtur ex *Bootii l. c. c. 169. p. 342.* Sed horum quorundam operationem suspicor inde dependere, quòd lapidibus illis volutis in ore (ceu modô illô messores sitim sedant, scilicet lapillis in ore agitatis) saliva contrahatur, quâ sistitur sitis, ac diluitur fortè acris & pinguis materia, faucibus atque œsophago impacta & molesta. Tandem *Maur. Hoffmannus Flora Altdorffina deliciis sylvestribus:* Carlina sylvestris, inquit, seu cnicus sylvestris spinosior Bauhini in Palatinatu & Austria amuletum ardoris stomachi creditur & Sodkraut dicitur. Utrum autor verò amuleti valorem propriè, vel de specifico & singulari interno illius usu, pro dicto affectu accipiat, ignoro.

Vertiginem avertentia.

PRogredimur jam ad ea, quæ vertiginem sufflaminare putantur: Reniti autem illi virgam vulpis capiti alligatam videre est ex *Maccasii prompt. med. p. 274.* de quo amuleto etiam

ex *Nicolao* agit *Montuus anasc. morb. lib.* 1. *c.* 12. Similiter quod illa in panno capiti alligata præter scotomiam etiam cephalalgiam & hemicraniam emoliatur, annotavit *Kiranus in Kiranid. p.* 103. Caput vulturis pulli sericô purpureô filô alligatum ulnæ, vertiginem pariter atque capitis dolores aufferre dicit *Mich. Babst* im wunderbarl. Leib und Wund Artzney Buche *part.* 1. *p.* 189. Singularem quoque efficaciam quosdam expertos esse ab usu cannulæ testaceæ candidæ, sympathicæ dictæ, in capitis dolore & vertigine, si capiti illa applicetur, de hoc adire licet *Miscellan. med. phys. Acad. Leopoldino Cæsar. curios. Dec.* 1. *Ann.* 9. & 10. *obs.* 118. *p.* 287. Postmodùm Indos orientales quoque statuere, quòd à vertigine liberent setæ albæ, inter nigras in cauda Elepanti repertas, si armilla ex iis facta brachio gestetur, testatur *Franc. Redi in Experim. natur. p.* 114. & *c.* Experientiæ quoque congruum esse, quod caput viperinum collo alligatum vertiginem debellare valeat, docet *Alex. Venturinus in medic. ab animalib. desumta.* De viperæ ossibus in hoc affectu loco amuleti laudatis, quæri potest inter pendacula contra pestem annotata. Porrò annulus ex alces & damæ ungula tornatus, digitoque gestatus eidem morbo subsidio venire, scriptum extat in *Staricii* Heldenschatze *part.* 6. *p.* 519. Plurimi etiam autores, qui dictam ungulam jugulare Herculeum morbum declarant, simul illam vertigini succurrere pronunciant. De affinitate verò morbi utriusque nihil movebo hoc loco. Dehinc in *dissertatione medica de vertigine Joh. Caspar.* Silberschlag *sub præsidio Exc. Leichneri Erfurti habita thes.* 12. hæc scribit: Mitram, ait, è corio anteriorum pedum lupi paratam & gestatam singulari proprietate vertiginem propellere ab amico accepi, qui in se ipso experimentum fecisse retulit. *Johan. Heurnius lib.* 2. *de methodo ad praxin. c.* 7. ita: viscus quercinus, inquit, epilepsiæ prodest: hinc olim vates manu tenebant viscum, ne vertigine corriperentur. Ruellius jubet capiti corollam ex foliis ulmi paratam imponi. Dehinc volunt Crystallum appensam plurimum valere in vertigine, atque ex poculo crystallino ejusdem utilitatis ergò commodè bibi, vel poculis immergi crystallum, de quo *Platerus l.* 1.

de l. 5. p. 246. De hoc amuleto confer etiam, si placet, *Bartholinum de lap. Nephrit. c. 10. p. 24. §. 14. Mich. Babstium Pimelotheca p. 309. & Staricium l. a. part. 6. p. 519.* Similiter *Martinus* Schmuck *occult. magico-magnet. curatione p. 30.* insignes vires in hoc affectu crystallo tribuit, scribens inter alia, quòd illa ideo à quibusdam autoribus lapis vertiginis vocetur. Addit idem *l. a.* quòd annulus ex ungula alces, ac damæ factus non cedat quoad vires crystallo in vertigine. De crystalli viribus dictis, & quòd ideò Germanicò nomine Alpstein illum exprimant, quædam annotat *Gabelchoverus in notis ad Andr. Baccii de Gemm. cap. 13. p. 103.* De nymphææ insuper floribus, quòd remedium præstent vertiginis, si quis solùm eos intueatur, inferiùs nobis supererit dicendi locus amplior.

Victoriam, fortitudinem, corporis invincibilem & impenetrabilem, aut à vulneribus immunem statum conferentia.

Seqvuntur jam, quæ Niceteria existere, vel victoriam, fortitudinem, aliosque similes effectus comparare dicuntur: *Joh. Henr. Alstedius Encyclopæd. lib. 7. part. 4. c. 1. p. 491.* inquit: alectorius crescit in ventriculo capi, anno ætatis quinto, vel nono. Ejus virtus est reddere gestantem fortem. De eodem verò lapide, quòd rarò in gallorum, vel castratorum illorum ventriculo & jecore gignatur, in hoc tamen plerumque majores alectorii reperiantur, de eo inquam ex *Agricolæ lib. 6. de nat. fossil.* agit *Joan de Laët de gemm. & lap. lib. 2. & 3. p. 105.* Plura testimonia de alectorii usu dicto, item de gallinaceo ovo, pelle Hyænæ & similibus aliis, uti & superstitiosis quibusdam rebus, pro victoria, vulnerum & periculorum aversione deprehendet, qui vult, in *Gabr. Naudæi de studio militari l. 1. p. 376. &c.* Non nulla etiam loca de alectorii origine, viribus dictis, aliisque pluribus, minùs tamen applausum merentibus, allegata consule sîs apud *Exc. Pancr. Brunonem in Lexico castell. renovato p. 49.* Collecta quæpiam loca de eodem lapide quoque apparent ex *Exc. Joh. Franci disp. medic. de lapidicina microcosmi §. 10.* Suffragantem quem-

quempiam dictæ opinioni, de Lapide isto, reputatum vide in *Mich. Siricii victrice veritate contra Wirdigium p. 57. & 77.* Invictum etiam illum pugnare, qui lapillum istum ore gestet ex *Dioscoride* indicat *Mars. Ficinus de vita cœlitus comparanda lib. 2. c. 15. p. 240.* Confer item *Solinum c. 3.* De iisdem alectorii viribus à *Plinio & Solino* probatis, & à posteriori illo exemplô penè confirmatis loquitur etiam *Franc. Redi experim. nat. p.* 118. sed autor hic insimul deridet hoc commentum. Ex audacis galli verò corpore eductum vult illum lapidem *Kircherus arte magnet. lib. 3. p. 723.* Plura de hoc lapide inter periapta sitim extingventia, venerem adjuvantia, & ventriculi ardorem profligantia reperiuntur. Innuit etiam *Kircherus* ibidem, quòd lapides ex capitibus, aut ventribus animalium desumti, retineant horum proprietates, unde alectorium videtur credere audaces præliatores reddere. Chalcedonium portatum etiam facere, ut possessor illius vincat, vult Barth. *Anglicus de proprietatib. rer. c.* 28. Porrò animosos atque gratos reddi gestantes leonis dentem, è dextra ejus maxilla sumtum quidam statuunt. Similiter animosum fieri, qui gestat pedem anteriorem dextrum chamæleontis, ex *Plinio* recenset *Albertus Venturinus medic. ab animal. desumta.* Sic ad audaciam comparandam svadent alii, ut quis secum gestet cor, vel oculos, vel frontem, sive aliud membrum leonis, & galli, referente id *Godfr. Smollio manual. rer. admirabil. c. 24. p. 150.*

Præterea de horrendo putatitio usu cordis embryonis, quòd invictos, fortunatos, invisibiles, divites & miraculosos reddere possit vel debeat, videri potest lectu horrenda, monitu verò jucunda atque salubris, historia apud *Harsdorfferum* im Schaublatz jämmerlicher Mord-Geschichte. *Num.* 181. *p.* 655. Proh! Dæmonis verò astus & æstus, sive sævitiam, quam per sua mancipia in homines, & quod horrendum auditu est, in gravidas illarumque embryones sæpiùs, (dictô atque dicendô modô) exercet, cùm variæ partes ex iis pro veneficiis, magicisq; illicitis actionibus petantur. Sic de similibus truculentis gravidarum vivarum mulierum sectionibus à *Maxentio & Pollentiano*, ob similes ausus sceleratos institutis, legere est apud *Eusebium Cassiodorum*

lib.

lib. 16. *c.* 48. *histor. tripartita*, & *Ammianum Marcellinum lib.* 29. Restant adhuc plura truculentorum ejusmodi homicidiorum testimonia: sicut de latrone notatu digno, qui inter benè multos homines viginti duas gravidas mulieres trucidavit, earumque embryones pro veneficiis adhibuit, docemur à *Mich. Saxio* in der Keyser Chronica *part.* 4. *f.* 407. De similibus stupendis latronibus, qui manus infantum aliasque partes pro suis præstigiis variis adhibuerunt, legendus hactenus citatis jungatur *Joh. Prætorius* vom Diebsdaumen variis in locis. Materiam hanc etiam attingit, videlicet quod cum Diabolica magia infanticidia sint conjuncta. *Gregor. Richterus axiom. œconomico* 211. *p. m.* 563. Merentur etiam in hunc scopum videri, quæ ex *Joh. Manlii collect. lib.* 2. refert *Mich. Bapstius* im Artzney-Kunst- und Wunder-Buche *parte* 1. *p.* 75. & 79. Similiter quòd infanticidiis non raro conjuncta sint incantamenta, docet etiam *Abrab. Kreckwitzius sylvula gnomonico histor. part.* 1. *p.* 698. & *part.* 2. *p.* 851. Junge in hanc rem etiam adductis his *Exc. Christ. Frider. Garmanum de mirac. mort. l.* 1. *tit.* 3. *p.* 34. *Jac. Dan. Ernesti* im historischen Bilderhause *part.* 1. Gemach 1. *num.* 4. *p.* 46. &c. & *num.* 9. *p.* 125. *Joh.* Rüdingern *l. c. p.* 176. & in *Relatione* von dem Ertzmeuchel-Mörder Hedelosen oder Schützen-Melchern *edit.* Breßlau 1654. *Henn. Grosfius in Magicis de spectris lib.* 1. §. 204. Taceo hoc loco, quòd obstetrices truculenti infanticidii sæpe reæ exstiterint, à cacodæmone seductæ atque instructæ, de quo plura, ubi nobis *de obstetricibus* animus est non nulla suo tempore communicare. Testatur de Diaboli truculentia etiam hoc, quòd sacerrimus iste hostis anno 1564. Pictavii imperaverit sagis illic crematis, ut antea ulciscerentur sua metuenda supplicia, nisi mori vellent, unde multos homines ac pecudes istæ interemerunt, de quo citatus *Grosfius l. c.* §. 311. Character quippe hic est horrendus Satanæ, dum audit ἀνθρωποκτόνος homicida *Joh.* 7. *v.* 44. Abbadon, seu ἀπολλύων perditor *Apocalyps.* 9. *v.* 11. ἐχθρὸς inimicus *Matth.* 13. πονηρὸς malus, *Ephes.* 6. *v.* 16. & λέων ὠρυόμενος leo rugiens 1. *Petr.* 5. *v.* 8. Ut adhuc quæpiam de homicidiis addamus prioribus magnorum adductis sceleribus: sic constat quoque quòd

quòd veteres magi, ut in una anima haberent & Ahorum & Viæothanatum, soliti sint pueros jugulare, ut eorum animas haberent subservientes, velut testatur *Chrysostomus Tom. 2. hom. 29. in Matthæi c. 8. p. m. 187.* Tali anima etiam usum fuisse, ejusque adminiculô miracula sua magica perpetrasse Simonem magum, scribit *Clemens lib. 2. recogn. p. 33.* Sic etiam quòd à Dæmone malo principaliter operationes magis profluant, quas sibi pollicentur à pollicibus furum aut manibus infantum minùs natorum, statuit *Prætorius l. a. p. 141. &c.* quo in loco itidem, videlicet *p. 145.* ea attinguntur, quæ de patibulo, pro vario ausu & usu memorato adhibentur. De quibus etiam locus evolvatur *ibidem p. 152.* Ut magis insuper innotescat Diaboli fraudulentia, non possumus etiam hoc loco prætermittere, quòd populi Americæ persvasi olim fuerint, ut sub prætextu sacrificiorum sangvinem humanum profunderent, & variô modô illum, nec non corda infantium innumera quotannis adhiberent, de quo *Jac. Danielis Ernesti* im historischen Bilder-Hause *part 2.* gemach 4. *num.* 8. *p.* 627. Qui plura de ejusmodi Anthropothysia appetit, *Saubertum de sacrificiis veterum* adeat, & *Johan. Frid. Scultetum in disput. de illa materia in specie conscripta Wittebergæ* 1656. aliosque plures. Abhorremus recensione variorum, ex homine petitorum, quæ passim annotata reperimus, amuletorum vel magicorum loco commendata; ideoque dehortationis seriæ ergò adhuc quædam his datis annectimus. Varias autem hominum partes, præcipuè capita, ad ψυχαγωγίαν seu animarum evocationem, manium mortuorum consultationem, & divinationem olim adhibita fuisse, docet *Ioh. Rainoldus censura libr. Apocryphorum vet. Testam. tom. 1. prælect. 76. p. 902.* & eodem *in loco p.* 898. Mentio etiam *ibidem* fit, quòd Magi ad necromantiam & opera sua nefanda adhibeant Ἀώρυς intempestivâ & immaturâ morte peremtos, aut βιαιοθανάτυς & violentâ morte abreptos *l. c. & prælect. 53. p. 565. &c.* De quo etiam *Hieron. Iordanus de divino in morbis c. 40. p. 150* Non minor est impietas, quâ ex præcisis capitibus primogenitorum puerorum olim Teraphim horrendô Satanæ instinctu, præmissâ scil. ipsius invocatione,

inque hujus nomine confecerunt, de quo disserunt *Ioh. Saubertus de sacrificiis veterum cap. 7. p. 535. & Guido Fabricius in dictionario Syrochaldaico, vocabulo Teraphim.* Quod pari ratione crania & ossa humana ad veneficia olim admissa fuerint, doceberis etiam inter alios ex *Peucero de divinatione p. 195. & Cardano de subtil. lib.* 18. *sic Ovidius* hæc de venefica quapiam in sequenti distic ho exprimit:

Per tumulos errat sparsis discincta capillis
Certaque de tepidis colligit ossa rogis.

Plura in hanc rem vide in *Jac. Andr. Crusii de nocte & nocturnis offic. c. 23. p.* 437. ubi traditur inter alia veneficas ideò bustuarias etiam dictas fuisse, quòd circa monumenta versarentur. Plura in hanc rem collecta prostant apud *Exc. Frider. Garmanum de mirac. mort. lib.* 1. *tit.* 3. *p.* 33. *&c.* De Dæmoniaco quopiam, qui in tumulis commoratus fuit, constat ex *Matth.* 8. *v.* 25. *Marc.* 5. *vers.* 2. *Luc.* 8. *v.* 27. Quid necromantia aliàs sit, & quòd eadem varia, pro sua scelerata magia, ex defunctis petat, constat ex *Exc. Jac. Pancrat. Brunonis Lexico Castelli renovato, voce Necromantia.* Imò magos etiam & sagas, alioquin aucupiis & crudelitate Satanæ instinctas, singulariter sanguinem & carnes humanas affectare, annotat *Heurnius oper. med. tom.* 1. *de morb. capitis cap.* 24. *p.* 422. *Godfr. Voigtius* Physicalischen Zeitvertreiber *cent.* 3. *num.* 5. *p.* 561. *Sylvest. Rattray Theatro symp. p.* 420. *& Mich. Freudius* Gewissens-Fragen von der Zauberey/ *qv.* 190. ibi etiam autor de infanticidiis & homicidiis sæpiùs expetitis, uti & usu partium humanarum sagis frequenti, plura communicat. Idem ferè, quòd ad magiam & necromantiam à magis requiratur sæpè sanguis humanus, testatur *Rainoldus l. c. prælect.* 77. *p.* 912. Volunt etiam non nulli, quod Hermetici veteres sanguine humanô non nisi inter magica usi sint, quam sententiam *Conringius* (sed contra hunc contrariam) tuetur *Ol. Borrichius Hermete Ægyptior. p.* 337. Verùm quis scit quô primô doctore, vel intentionis ductu medicamenta istiusmodi ex homine petita svasa, aut corrasa fuerint; dubium quippe non videtur, quin eandem fabulam, quam cacodæmon hodie inter suos infideles agit, olim etiam inter Ethnicos

Iusc-

luserit! Notamus insimul hoc loco, quod sanguis humanus non sit vulgaris res & cum aliis rebus visibus facilè comparandus; hinc dæmon etiam adeò lubenter in variis ausibus & medicis mumialib9 actionib9 isto abutitur. Veluti etiam aliàs prodigia sanguinea in aëre, cœlo aliisq; elementis orta, attentionem ac prudentem considerationem merentur. Sic quoq; cruenta vel sanguinea portenta sæpe altius quid sapiunt, & vel à Deo, vel à Dæmone crebriùs oriuntur. Plura alia verò in subsequentibus patebunt de sanguinis abusu, circa quem medici æquè in transplantatoriis vel mumialibus, aliisque similibus curationibus & negotiis sunt occupati, ac magi & sagæ in suis veneficiis & artibus minus approbandis. Benè itidem monet *Andr. Tiraquellus de nobilitate c. 20. §. 114. f. 161.* quòd suspendiosorum carnes & ossa ad magica veneficia quidam admittant, eaque in veneficiis medicatissima existiment, de quo iterum evolvi meretur *Mich. Freudius l. c.* Propterea etiam carnifices non optimæ notæ artifices vel homines pios inferius notamus, utpote qui non segnes sæpe turpis hujusmodi rerum usus doctores existunt. Præterea ex hominū partibus capillos alioquin facile ad incantationes recipi, ex *Barthii Adversar. f. 316.* aliisq; autorib9 abundè constat; quemadmodum & nos aliquando *de pilis* *c-cturi*, plura de eodem, & illo noto, quòd sagis (ad torturam & confessionem suorum reatuum eò meliùs trahendis) capilli demi soleant, trademus. Nihil jam memorabimus de sagis, quæ pro suis nefandis actionibus præcipuè etiam delectantur humanis ungvibus, (quod aliàs etiam transplantatoriæ artis operatoribus frequens est) experientiâ id testante, &, inter alios autores, *Exc. Friderico Garmanno de mirac. mortuor. p. 99. §. 21.* Conferatur etiam de hac materia *Apul. Madaurensis, operum, metamorphos. l. 3. p. m. 136. & 137.* Quòd porrò sagæ ex unguine necatorum infantium ungventa sua, ad translationem suorum aliorumque corporum in alia loca, simul conficiant, innotescit ex *Schotti Physic. curios. p. 70.* Persvasum sibi quoque habere veneficas, si certô numerô corda infantium exsciderint & comederint, se tolerantiam omnium tormentorum consecuturas, adeò, ut ad confessionem criminum perduci nequeant, de quo *Hier. Jordanus de divino in morbis c. 26.* *p. 102.*

p. 102. Referunt quipiam itidem latrones & fures ex intestinis embryonum candelas efficere, quas si in domibus isti pro sua nequitia atque truculentia absolvenda accendant, homines dormientes priùs non evigilare dicuntur, quàm extinguantur dictæ candelæ, de quo videatur *Joh. Wilhelm.* Kirchhoff im Wende-Unmuth *lib.* 2. *c.* 267. *p.* 270.

Hæc autem omnia non immeritò execramur ac proscribimus, atque proinde seriò svademus, ut cautè in medicina etiam ejusmodi res tractentur; quamvis noverimus quosdam delectati admodum medicamentis hujusmodi ex homine petitis, & peculiarem illis eminentiam præ aliis remediis, tribuere. Firmiter autem nobis persvasum habemus, rebus iis nos per benè carere posse, cùm infinitis medicamentis aliis simus instructi, & quasi obruti hodie, quæ certant cum illorum operatione, quin imò non rarò superant eadem; plura alia quæ nos deterrent à medicamentorum usu ex homine petitorum, jam recensere supersedemus. Miramur etiam hac occasione Berchtoldum V. Ducem Zœringensem inhumanum, carnium humanarum ita fuisse avidum, ut etiam servos suos occiderit & sibi coqui mandaverit, quod allegat *Th. Lansius consultat. contra German. p. m.* 1076. Ecquis verò infernalem leonem non ex ungvibus suis in præcedentibus detectis cognoscat; dum pro evidenti magis venefico usu embryonum nondum baptizatorum, primigeniorum, aliorumvé hominum cædem appetunt scelerati artifices, aut in usum medicum, haut licitum semper, istiusmodi partes humanas admittunt; veluti similia plura in sequentibus occurrent.

Non possumus hoc loco etiam detineri, quin indulgeamus adhuc magicis & Diabolicis quibusdam considerandis, atque demonstrandis actionibus, quàm sororium vel fraternum nexum eædem alant cum medicis quibusdam ausibus & negotiis circa partium humanarum usum occupatis, & etiamnum hodie frequentibus. Spectant quippe huc quadantenus verba *Habnii* apud *Sennertum in appendice, & quidem Epist.* 2. *post. prax. lib.* 6. reperienda: Pro maxima, inquit, non solùm apud mancipia ista Cacadæmonis (veneficas putat) sed & plebem rudem habetur hoc: si seri-

serici, lintei, äut alterius cujusdam rei quid (modò homo hic vel illic semel aut pluries nudo istud gestaverit corpore) ad manus sit sagæ cuipiam, tunc posse hanc hominem dictum, aut certum ipsius aliquod, quod electũ fuerit, membrum, vel quôvis aliô modò, nunc intensiùs lædere, quandocunque & ubicunque locorum ista voluerit; Hactenus *Hanius*. Simile illi actioni est negotium carnificum in distans æquè agens (uti dicitur vel creditur aliàs esse camparata transplantatio morborum, sive armarii ungventi operatio) quando scilicet dicti carnifices homicidas vel alios reos criminum ex fuga retrahere, vel ad reversionem cogere satagunt; si scilicet illi vestimentum aliquod sudore istius rei, vel corporis contactu prius affectum nanciscantur, aut calceorum vel pedum vestigia deprehendant, & ad suam magicam actionem adhibere valeant. Similiter quòd pro philtris etiam, & accersendis adamatis personis ex remotis locis, istiusmodi rebus utantur personæ quæpiam, non latet fortassis lectorem benevolum. O! bellam vero harmoniam & nexum inter actiones has, & medicas similes, in distans agentes à quibusdam statutas. Non planè absimile huic actioni est negotium, seu fascinatio Turcis usitata, dum transfugis vel servis fugitivis terrorem incutiunt, eosque brevi redire cogunt, nomen illorum scilicet in schedula scribentes, illudque diris devoventes, aliisque modis pluribus tractantes; quô factô fugam amplectentes putare dicuntur sibi in itinere obstare leonum, draconum, aut similium ferarum sævitiam, vel alia varia impedimenta atque pericula minùs superanda; unde in pristinam suam servitutem revertantur isti, de quo nos certos reddit *Bartholomaus Georgievizius de moribus Turcarum.*

Non admodum ab unguenti armarii negotio vel curatione sympathetica videtur diversa incantantium priscorum ausus iste horrendus, quô icones & sculptilia ex cera, aliisve rebus efformarunt, quorum partes variô illo tormentô affecerunt, quô personas affligi voluerunt, quibus malè cupiverunt, de quo *Raym. Mindererus in Threnodia medica c.* 21. *p.* 489. *Hier. Jordanus de divino in morbis c.* 29. *p.* 111. *cap.* 32. *p.* 116. *cap.* 43. *p.* 157. 158. *&c.* 159. 160. atque *Mich. Freudius l. 4. quæst.* 195. *pag.* 411.

411. Addi his meretur de eodem negotio impio illiusque origine disserens *Matth. Zimmermann. in analect. menstr. mens. 2. p. 106. &c.* Non aliena est itidem à magnetica curatione illa, qua imagunculæ, variæ adhibentur vel efformantur, in quibus curationes ægrotorum peraguntur, de quo & priori modo attacto conferatur quoque *Casp. Bravo disputat. Apologet. p. 232. &c.* Hisce itaque perspectis obtestor omnes omninò medicos Christianos, ut variorum istorum medicorum ausuum rationem accuratiorem habeant, ungves occultos vel intimiores, & intentiones infernalis cognoscant leonis, & fraudulenti medici, vel primi agyrræ, de quo *Gen. 3. v. 5.* De hac materia postrema benè agit *Sam. Sturm. de med. non medicis p. 8. §. 27. 28.* Attendant omnes, ne in variis magneticis, sympathicis, & antipathicis, mumialibus, spiritualibus, transplantatoriis ac magicis actionibus decipiantur, quæ mediantibus istis modò dictis humoribus, partibus, aut excrementis humanis (vario sub prætextu & palpô æqui, pii, honesti, liciti, ac naturalis speciosè sæpe) proponuntur & peraguntur. Latent quippe sæpe sub iis rebus incantamenta ac Diaboli adjumenta. Cautè proinde, vel planè non legendi in istiusmodi materia occupati *Paracelsus, Burggravius, Fluddius, Goclenius, Tenzelius, Crollius, Wirdigius, Maxvellus liber Kiranidum*, aliique plures.

Videbimur autem paulò diutiùs inhæsisse monitis quibusdã occupatis de medicamentis ambiguis, iisq; latô magiæ pallio sæpe tectis, vel veneficiis ab homine petitis; quæ si irrita quis planè putet, deprecamur hanc digressionem. Porrò itaque jam, veluti cœpimus in hoc loculo amuletorum, adhuc alia depromimus, quæ fortes, invincibiles, impenetrabiles, armisqve minùs cedentes vel violabiles reddere dicuntur. Ocymum autem immunitatem à dolore verberum, atque vibicum præstare juxta *Persii* versum creditur:

——— ——— ——— Pannucea Baucis
Cùm benè discincto cantaverit ocyma Vernæ.

Videatur etiam de hoc *Andr. Argolus de diebus criticis, & decubitu ægrorum p. 37.* Sic Moluccenses incolæ pennas avis Paradisiacæ secum gestantes, se inviolabiles existimant in prælio, etiam

etiam in aciei cuspide constitutos, velut ex *Aldrovando* videantur petita non nulla in der Gottorffischen Kunst-Kammer *p.* 23. Usneæ effectus, quòd scilicet corpus induret, & sic contra armorum noxam tueatur, colligitur ex annotato exemplo apud *Joh. Bapt. Helmontium de magica vulnerum curatione.* De eodem usu illicito ac superstitioso usneæ pro dicto scopo, item de Zenith virginum, & radicis victorialis aliisque similibus formulis, uti & de promptiori modo colligendi usneam, agitur in *Miscellan. Acad. Leopoldino-Cæsar. curios. decur.* 1. *Anno* 2. *obs.* 53. *p.* 105. Alia similia ex hominibus, & quidem suppliciis tristibus inprimis enectis, vel etiam ex instrumentis suppliciorum (videlicet laqueo, gladio, plumbeis globulis, aut patibuli partibus) petita, quæ non raro à sceleratis hominibus hujusmodi in finem expeti solent, tanquam non ignota, lubens jam prætereo. Porrò etiam Astroites vel lapis stellaris (qui à quibusdam Draconites dicatur, & falsò à *Marsilio Ficino* in Draconis capite reperiri credatur,) gestatus invincibiles reddere suos professores putatur; sed dubius hujus effectus, vel fortuitus pronunciatur in der Gottorffischen Kunst-Kammer *p.* 65. Sic *eodem in loco p.* 33. etiam indicatur, quod Chelonitis lapis gestatus victoriam contra hostes comparare dicatur. Deinceps *Scaliger in Exerc.* 181. *f.* 27. mentionem facit arboris in Iava reperiendæ, cujus medulla ferrea sit, ex qua qui frustum gerat, ferro impenetrabilis sit. Ejusmodi item recensitas vires assignant multi alii quoque verbenæ; ceremonias tamen, aliosque stolidos ausus circa collectionem & applicationem illius injunctos, tædet me huc trahere; vide sis interim non nulla de his apud *Mylium horto philos. p.* 615. Alia similia, quæ tamen plurima suspecta, & rejicienda ideò sunt, nec non quæ militibus profuisse & vulnera præcavisse, uti & sangvinis fluxum cohibuisse observata fuerunt, cum dehortationibus annexis, consignat *Berneggerus ad Cornel. Tacitum quæstion.* 19. pariter *Dan. Sennertus prax. l.* 5. *part.* 4. *c.* 24. *p.* 519. *Rod. Goclenius in physic. general. lib.* 2. *p.* 427. *&c.* De similibus itidem loqvuntur *Camerarius horar. succisiv. cent.* 2. *cap.* 76. *p.* 300. *&c. & cent.* 3. *c.* 28. *p.* 99. *c.* 30. *p.* 104. *&c.* Plura alia passim repeeriuntur, quæ natura-

naturaliter corpora indurare dicuntur, modò internô, modò externô usu adhibita; Verùm illud vix mihi persvadere possum. Refutarunt etiam hoc longè ante *Scaliger*, aliiquè plures. De quæstione verò, an liceat Christiano periaptis & sigillis, vel simili modô invulnerabilem se reddere? evolvatur *Hornii historia natur. l.* 3. *c.* 13. *p.* 184. De ejusmodi farinæ amuletis etiam agit autor *l.a.cap.* 15. *p.* 187. De arte illa scelerata, & irrita subinde observata, uti & Passaviensi ista nota (à *carnifice* quopiam præcipuè edocta atque propagata) circiter An. 1611 omnibusque his rejectis, agit etiam *Mich. Freudius* in Gewissensfragen von der Zauberey *qv.* 133. *p.* 287. De doronici herba vel radice, quòd damæ illam depascentes venatorum telis non transfodi queant, famâ alioquin constat; verùm quia talismodi res plurimùm Dæmonis vel apertam vel clandestinam opem admixtam habent, & usurpantes istas res nefarias tandem tremenda præmia non rarò nanciscuntur ab opifice vel artifice tales docente, aut inadvertenter dirigente; ideoque cum sæpiùs laudato *Harsdorffero l.a. n.* 70. *p.* 232. omnia commendata talia seriò dissvademus. Detecta & patefacta quæpiam etiam sunt, de callida atque subtili fraude agyrtarum illorum, qui succô herbarum, vel vi sigillorum, peregrinis ignotisque characteribus consignatorum, cutem & carnem se induraturos esse promiserunt, ut nec ferrô nec ictu nec qualicunque sclopeti violentiâ lædi possent. Sic etiam exempla eorum innotuerunt, quos non sine ludibrio, atque damnô suô, frustrata est spes sua de isthac firmitate corporis concepta, sicut de his agitur apud curiosum, & sæpius citatum naturæ indagatorem *Franc. Redi in experiment. natur. Indic. p.* 20. *&c.* Veluti alia plura etiam istud confirmantia testimonia continentur in aliis nostri scutinii locis. Vanitatem autem istarum rerum, & frustraneum usum, vel Dæmonis ludibrium iis rebus sæpe immissum, benè exprimit jocô sequenti Vischer von Altvettelischen Seegen sprechen (*edit. Anno* 1571.) *p.* G. 8. dum nimirum ille invehitur in ejusmodi superstitiosa & vana, indurandis corporibus dicata inquit ita: Wenn irgend ein ungelehrter Teuffel kömpt/der nicht den Seegen lesen kan/oder sich sonst auf die Sprache nicht

nicht verstehet / so lohnet er seinen dienstwilligen lieben Getreuen ab / wie der Hencker seine Knechte. Ibi etiam autor exemplum de quopiam, qui se ipsum, Diaboli nomine ascitô, glande plumbeâ trajecit ac enecavit, atque sic destitutum se persentivit crebrô antea artis suæ præsidiô. Nihil movebo hoc loco de simili scelerata arte, quâ nimirum nôrunt alii effectum illum indurandi procurare sulphure, vel solvere iterum istam duritiem, de qua *Mich. Freudius l. c. qv.* 133. & 134. atque sic videtur alter diabolus altero potentior. Quid verò de Doronico paulò ante dicto & ægagropilis sentiendum sit circa illum effectum, videatur Politissimus (ante paucos annos defunctus Augustanorum Medicus, honorificè semper, ob merita in publicum, mihi nominandus) *Velschius differt.* 1. *de ægagropil. p.*64. De plebejorum asserto illo, quòd Doronici radix & ægagropilæ, Germ. Gemsen Kugeln / eum in finem gestatæ inserviant pro corpore indurando, non nulla quoque tradit *Mich. Freudius l. c. qv.* 133. *p.*289. Volunt deinde etiam artifices hujusmodi, quòd galeis vel tunicis vestiti & in hanc lucem partu editi felicitatem futuram sibi promittere possint; quemadmodum etiam tunicas illas pro victoria in foro vel pugna gestari volunt multi superstitiosi, de quo refutationis gratia inter alios agit *Mich. Babst* im Arteney-Kunst und Wunderbuche *part.* 1. *p.* 141. Addit etiam ibidem autor quòd, juxta persvasionem quorundam, galeæ monetis variis impressæ citiùs animos judicum vinciant, ut vincantur deinde causæ injustæ in foro. De priori efficacia involucri hujus recens natorum mentio fit itidem apud *Henr. Kornmannum de mirac. viv. p.* 46. Similiter, quòd veneficiis vel superstitioni indulgentes homines tunicam illam dictam collo appendant, aut in vestibus suis abscondant, pro vulneribus sanandis, aut causis benè gerendis & obtinendis coram magistratu (quemadmodum etiam eum in finem teste *Tacito* ovum galli, aut serpentis ovū juxta *Plinium* adhibere dicuntur impii homines) istud hactenus adductum patet ex *Joh.* Rüdingers *concion. decad.* 1. *conc.* 6. *p.*177. Abstinuimus hactenus à loco peculiari, iis inter amuleta nostra tribuendo, quæ gratiā aliorum hominum comparare dicuntur, cùm vanitatem nimis a-

pertam sapiant; de illiusmodi rebus verò magis & sagis usitatis, sed unà rejectis, vide sis *Mich. Freudium* Gewissens-Fragen von der Zauberey *qv. 151. p. 327.* Præterea superstitiosis & illicitis rebus tunicas illas recens natorum meritò etiam accenset *Lud. Dunte cas. conscient. c. 10. s. 1. p. 265.* Quemadmodum etiam nos aliquando lusorem publicum in nundinis quibusdam miserè desertum (in varia huc usque dicta spe) ab eadem tunica gestata, & confossum perire vidimus, atque apud eundem (sectioni atque inspectioni nostræ Medicæ post mortem commissum) tunicam istam gestatam, cum alia simili vana supellectili, observavimus. Dehinc anonis vel ononis herba, si colligatur Jove marti junctô in signo convenienti, & si simul accedat eadem conjunctio in sphæra decima microcosmica, pro amuleto collo appensa, tutum reddit à violentia martiali, latronibus, rixis, & ferri læsionibus, autore id docente *Aug. Etzlero Isag. phys. mag. med. c. 3. p. 76.* Constat itidem ex *Hildebrandi mag. nat. l. 1. c. 29. & Henr. Kornmanni templo naturæ p. 227.* herbæ Victorialis attribui quoq; has virtutes, quòd, si quis secum illam portet, inprimis radices ipsius, non vulneretur. Suspicor ego verò æquivocationem interesse huic negotio, dum forsitan victoriæ actus potiùs intellectus & svasus priùs fuit, pro victoria obtinenda: velut etiam de magnete conjugum amorem mutuum conservante, & Lysimachia dissidia componente, aliis in locis hujus nostri *scrutinii* sensum alium, nec proprium medicum accipiendum esse suspicamur. Sic, si quis pelle pardi succinctus medios feratur in hostes, quòd à nullo lædatur, & intrepidè prætereat, indicat citatus non procul ab hinc *Etzlerus l. a. p. 77.* De lupi pelle eum ferè in modum *Bald. Ronsseus venation. medica p. 32.* canit ita:

Hispida & hæc pellis pollet virtutibus amplis.
Nam quoties quisquam sit progressurus in hostem,
Atque lupi gestet vestem de pelle voracis,
Fortis erit, crescetque animorum robore virtus,
Nec metuet gladios, nec nuncia vulnera mortis.

Petrus Joh. Faber in Pallad. Spagyr. (*ex Plinii l. 36. c. 19.*) de Theamede lapide in Æthiopia reperiendo refert, quòd qui illum ge-
stet

flet in phiala inclusum, à gladio percuti non posfit, ob contrariam vim magnetis, qui ferrum aliàs allicit; ferrum enim reniti, & gladios repercuti vel retrocedere ad illius præsentiam scribit. Posthæc *Burggravius in Achille redivivo* etiam sistit ejusmodi arcanum, Electrum Vulcanium dictum ac edoctum, aliaque varia superstitiosa, quæ mirificarum virium in bello aliisque negotiis aut calamitatibus pluribus existere existimat & asseverat. Volunt etiam quidam, quod salamandræ pellem Reges in bello adhibuerint contra belli ignem; de quo & aliis adhuc de salamandræ effectibus contra ignem aut incendia conferentibus videri potest Exc. *Wurffbayn in Salamandrolog. p. 76. 78. &c.* Plura, quæ contra incendia vel ignem conferant *p. 220. &c.* suppeditabunt. Alii autores, qui dicti lapidis, vel magnetis faciant mentionem, allegantur in *Joh. And. Weberi* Unterredungs-Kunst 2. Theil *p. 600. &c.*

Supersedeo prolixè hoc loco etiam inquirere, quâ arte vel adminiculô *Johannes Zisca*, centurio quispiam formidolosus inter Husitas belligerantes olim, instructus fuerit. De hoc autem communis fama refert, quòd hic, licet alterô priùs, posteà utroque oculô orbatus fuerit, formidolosus tamen hostibus, & admodum felix in bello exstiterit, ac circumvectus gubernaverit exercitum, nec non victoriam ab hostibus semper deportaverit. Indicant insimul autores, quòd ille ziska moriturus mandaverit, ut sibi post mortem cutim detraherent, eamque super tympanum expanderent, quo tympanô postea pulsatô hostes profligatum ac in fugam propulsum iri prædixit, idque postmodum etiam factum esse quidam scribunt. Confer sis verò de hoc *Mart. Boreccium Chronic. Bohem. fol. 381. & 439. Æneam Sylvium lib. 3. commentar. de rebus gestis Alphonsi Regis & Krantzium vandal. l. 12. c. 33.* Sic etiam *Alciatus* de illo ita canit:

Qui cute detractâ totus in tympana versus,
Beemus potuit vincere Pontifices.

Quod verò post mortem illius Ziskæ Thaborenses minùs insuperabiles, sed periculis bellorum obnoxii fuerint, significat *Gabr. Naudæus de studio militari l. 1. p. 395.* Atque inde artium ejusmodi militarium eventum incertum, imò vanum sæpe esse ostendit

dit autor laudatus. Sic *Strozz. Cicogna l. 4. c. 1. p.* 442. mentionem facit vestis militaris, quæ sine dubio impiô atque Diabolicô instinctu vel arte confecta fuit; cùm eâ induti contra omne telorum genus indemnes ac tuti redditi existimentur. De camisia Diabolica vel indusio necessitatis dicto, (Noth-Hembde) & olim eum in finem, uti & pro partu promovendo, illiusque dolore mitigando, usitato, videatur *Joh. Wierus de præstig. dæm. l. 5. c. 18. & Gabr. Naudæus l. 4. p. 383. Pomponatius de incantatione c. 5.* Bitterkraut/in Klagethränen der Arzney *c. 12. p. 428. Webnerus pract. observ. lit. N. p. m. 524. Boisardus de divinat. & magicis præstigiis c. 6. p. 55. atq; Mich. Freudius l. c. qv. 133. p. 294.*

Notum aliàs quoque est pentalpha, quòd voce ὑγεία notatum, olim pro victoria reportanda militibus usitatum fuit. Sed signum illiud fortassis bonâ intentione, scilicet voti loco, primitùs in usum fuit admissum, postmodum verò & à plebejis (ut fieri in ejusmodi actionibus solet) signum solùm quoad pentagoni characteris nudi figuram efficax reputatum fuit: de quo *Herm. Lignaridus in oblectamentis Academicis cap. 50. p. 378. &c.* Explicat etiam trigoni hujus vel τοῦ pentalpha signum, quid nimirum per hoc indigitare voluerint Cabalistæ, atque insimul refutat usum illius, amuleti loco quibusdam familiarem *Herm. Grubius de arcan. med. p. 93.* Solâ verò revelatione hunc characterem *Antiocho*, cognomine *Soteri*, innotuisse, uti illum olim Constantino Magno, & Judæ Macchabæo alium; atqve hæc signacula etiam pro victoria reportanda contra hostes profuisse indicat *Cornel. Agrippa de occult. philos. l. 3. c. 31. p. 276.* Existimant quidam aliàs pentalpha hoc denotare quatuor elementa, utpote quod prius etiam constituant illa signa quatuor, inter medicos vel chymicos elementa aliàs communiter significantia, ceu non ignotum. Alii signum hoc constare arbitrantur ex mathematicorum figuris, quibus iidem communiter uti solent. Benè insimul agit *Joh. Henr. Ursinus acerra philolog. p. 509. 510. & 511.* de verbi ὑγιαίνειν & πενταγράμματος vel pentalpha illius origine atqve usu; item quòd quinqve illius anguli vulnera Salvatoris nostri numerô & positu suo juxta quorundam mentem indicent; & quòd simile sit illi veterum Druidum cal-

calceamentum Trutten-Fuß; similiter quod ex veterum superstitione cunis ligneis infantum inciderint vel insculpserint hoc signum, ad averruncanda nocturna terriculamenta. De similibus modò memoratis etiam prostant non nulla apud *Joh. Pratorium Coscinomantia p. 62. atque iterum apud eundem in Alectryomantia p. 65. Dieterzum continuat. ad Besoldi Thesaurum lit. D. n. 56.* verbo Druden-Fuß. *Schottelium de lingua Germanica libro 5. tr. 6. p. 1306. & Joh. Saubertum de sacrific. veterum c. 9. pag. 209.* Plura testimonia de eodem videri possunt apud *Greg. Michaëlem in notis ad Gaffarelli curiositat. inaudit. p. 273.* Quo in loco proximo etiam non nulla continentur de scuto Davidico, quô Davidem pro vexillo usum fuisse, Rabbini fingunt.

De literis Ephesiis, quòd pro Niceteriis etiam fuerint olim usurpatæ, constat ex *Basilii Fabri Thesaur. schol. in voce Ephesi.* Si ex *Eustachio* verba in *Fabri* modò dicto loco allegata pensitamus, quod injunctum fuerit in literis istis, ut reminiscerentur quotidie alicujus ex antiquis, qui virtutem coluisset, si, inquam, hæc pensitamus, forsitan non adeò culpandum foret amuletum ratione intentionis vel calcaris instigantis ad virtutem excolendam, masculumque pugnandi animum. Sed de literis & artibus magicis *Ephesiis* plura in hoc nostro *scrutinio c. 3.* occurrunt, ideoque hæc adducta sufficiant de iis jam dicta. Non disquiremus prolixè hoc locô, qualia sint amuleta Turcarum *Chamaila* dictæ, hoc est schedæ circum-volutæ, precibus divinisque nominibus inscriptæ, etiam ipsô nomine Jesu, quas ii sibi, suisque equis in bellum ituris, contra omnes occursus infaustos appendunt, de quo *Schickardi Tarich. proœm. p. 80.* Nolumus quoque esse prolixi in colligendis pluribus hujusmodi rebus impiis, militibus aliàs familibus: interim de non nullis schedulis, pro impenetrabilitate ab armis commendatis à quibusdam, irritis tamen repertis, atque etiam de sententia vel conclusione, quòd fallaces & vanæ sint illæ intentiones, itemque quòd non nisi Deus id præstare possit, agitur in *Actis med. & phil. Danicis volum. 3. obs. 31. p. 95. &c.* De impia & vana ejusmodi comperta intetione paulò superius etiam egimus. Iis addatur *Biblioth. Rabbin. p. 328.*

(quod allegat etiam *Hornius histor. natur. l. 3. c. 15. pag. 157.*) & *Joh. Buxtorfius de Abbreviatur. Hebraic. p.415.* qui postremo agit de Judæorum abusu sacræ scripturæ & Psalmorum Davidicorum; item quòd prodesse inprimis credatur 119. Psalmi certa portio, ne quis gladiô vulneretur. Subjungit etiam iis verbis *Buxtorfius* hæc, inquiens: *Lutherus (tom. 8. Jenens. German. p. 121.*) alicubi scribit: Judæorum quendam voluisse Albertum Ducem Saxoniæ docere hujusmodi artem contra vulnera. Ille vero cùm miraretur, quomodo hoc fieri posset, cum Judæo ruri hac dere conferens dixit: ut certior sim, in te priùs experimentum capiam, & extractô gladiô Judæum ita læsit, ut neque per *Schem-hamphorasch*, neque per appensum *Kaméa*, id est, pergamenum sacris nominibus perscriptum, sanari potuerit. Sic fraus fraudem cepit; hactenus *Buxtorfius*, qui *ibidem p.414.* etiam pauca de schemhamphorasch suppeditat. Historia illa adducta de Alberto, non verò (juxta quorundam opinionem) de Mauritio vel alio vera consignatur in *Ferdinandi I.* Tafelreden *à Schirmero edit. p.21. & 22.* De eodem, & aliis Judæorum medicis atque aliis ausibus impiis, illicitis, & in Christianorum perniciem atque execrationem sæpe directis, agit etiam *Joh.Georg. Sartorius de morbo militari seu Castrensi ungarico.* Illicita varia istiusmodi periammata attingit itidem *Jul. Reichelius de amuletis p.75.* Interim Satanam subinde Dei permissu (quocunque etiam glaucomate vel modô, id exsequatur) corpora indurare constat. De multis militibus in bello occisis, quorum collo schediasmata, vel ejusmodi amuleta annexa fuerunt reperta, narrat non nulla *Gabr. Naudeus l. 4. p. 394. &c.* Narrarunt quoq; mihi aliquoties in patria conterranei mei senes, præcipuè qui militiæ olim dediti fuerunt, quod sæpe viderint in bello per triginta annos Germaniam angente, Lappos, Vinnos, & Svecos milites, vel joci etiam gratia, ita indurasse panem, butyrum, haleces, aliaque edulia à rusticis subinde (uti mos illorum est) in urbibus per hebdomatales nundinas emta, & ad tabernas cerevisiarias apertè manu gestata, ut cultrô vinci vel secari non potuerint: hinc rustici pertæsi usus denegati, illa non sine exsecratione abjecerunt,

runt, quæ milites isti expectantes repetierunt, & solutâ illâ duritie in usum & esum expetitum adhibuerunt, in cachinnum simul soluti, ob fraudem felicem perpetratam & prædam cô modô impetratam. Sic inviolabilis (sine dubio) nobilis Hungari cujuspiam (gladium ventris regioni extimæ intrudere conantis, unde gladius fregit) mentio fit in *Ferdinandi I. Taffelreden p. 61.* Liceat nobis adductis hactenus & hoc addere de philacterico quopiam ex variis sanctorum reliquiis compacto, quo gestato Lampertus Comes Lenæ in Brabantia à periculo omni immunis, & invincibilis exstitit; eo verô amisso trucidatus fuit in prælio, velut ex *Sigberti Chronico refertur in Magicis ab Henr. Grossio editis part. 2. p. 207. &c.* Porrò de crista galeæ, & fræno ex clavis Christi crucifixi factis, & à Constantino Cæsare contra omne corporis periculum usurpatis (ex *Fulgosi lib. 1. c. 80. de cultu divino ex Ambrosio*) refert *Grossius l. a. p. 208.* Sed reliquiarum & antiquitatum hujusmodi vim medicam dictam, uti & aliarum rerum repudiat non immeritò etiam autor *Religionis medicæ part. 1. sect. 27.* Præter indicata citatus *Grossius l. a.* quoque ex *Eudonii epistola ad Gregorium in lib. pont.* adducit de Papa Gregorio II. quòd hic fungos consecratos dispensaverit militibus contra Turcas militantibus, qui omnes conservati sint beneficio frustuli accepti fungorum dictorum. Sed quis exacte novit, quales consecrationes eædem, vel quâ ex pera suæ sanctæ suppellectilis desumserit ille Pontifex summus materiem, pro fungis illis dictum in finem præparandis. De pluribus hujus farinæ rebus impiis pro corpore indurando à quibusdam usurpatis agit etiam *Wierus 6. de præstig. dæm. 15. & Camerarius hor. succis. cent. 3. cap. 33. p. 103. Hier. Jordanus de divino in morbis c. 26. p. 202.* De iis, qui ob dicta adminicula incruenta vulnera perpessi sunt, jungatur etiam *l. a. c. 36. p. 131.* Exempla quoque illorum, qui gladiorum ictus & globulos sclopetorum sine nocumento exceperunt, prostant apud *Delrio l. 2. disquis. mag. quæst. 41. Mich. Freudium l. c.* aliosque penè innumeros. Verùm quàm fallax, impia, & illicita hæc ars indurandi corpora sit, & quàm multos modos defraudandi Satanas illis admisceat, ostendimus

dimus quoque in aliis locis hujus nostri tractarus; cui placet inter alios autores de ejusmodi negotio, evolvat *Caspar. Theoph. Bierlingii adversaria curios. med. cent.* 1. *obs.* 72. *p.* 157. *&c.* quo in loco fit mentio cujuspiam sutoris, qui sibi in brachium frustulum quoddam magici deliramenti immitti curavit, quô se animosum & tutum à vulneribus credidit; postremò tamen illum effectus iste speratus fefellit, aut deseruit, quem antea fortè ex Satanæ concursu, vel ex confidentia, audacia, & scelerata vita persentivit altercationibus se committens. Observatum etiam fuit, quòd Diabolus tandem apud hominem istum efficaciùs detexerit & ostenderit se præsentem. Potuit autem in illo sutore vel solꝰ contentiosꝰ animus habitum altercandi comparare, ut se crederet, propter dictam illam rem vanam, inviolabilem; vel Dæmon etiam callidissimus illi rei inefficaci aliâ ratione potuit succurrere propter intentionem & desiderium, vel confidentiam hominis illiꝰ malitiosi; sive etiam tandem pactum præcesserit, sive non in isto negotio, cum Diabolo præmissum. Non enim latet nos, quod Dæmon inhiet omni occasioni, quâ miseros homines decipere, æternæqve damnationi devincire valeat. Atque id paulò ante dictum patebit pleniùs ex alio loco nostri scrutinii, quô indicabimus, quòd Diabolus araneæ vel muscæ (pro spiritu familiari illusionis vel fraudulentiæ gratia) venditæ succurrerit, & sæpè quidem extra pactum, aut invocationem quamcunque, sive etiam hominum expectationem & voluntatem ullam antea conceptam de iis nugis. Inter alias Dæmonis technas, quas dictis actionibus iste subinde interserit, etiam annotamus hoc, quòd sæpe inscii ullius magiæ illicitæ vel licitæ à sociis suis ita fuerint indurati (cujus ope vel concursu v. tectô facilè augurari possumus) ut armis lædi minùs potuerint, de quo *Sennertus prax. l.* 4. *c.* 24. *p.* 520, *Freudius l. c. qv.* 133. *p.* 287.

Hinc technas Satanæ studiò Christiane caveto!

Præterea non pigebit nos adhuc recensere quædam de famosa radice Mandragoræ vel victorialis, quòd pro victoria impetranda aut corpore indurando & aliis effectibus neutiquam faciat legitimâ scilicet & naturali suâ virtute; nisi adscititiâ & à veneficis vel Dæmone indita operatione concurrente, velut rectè ita concludit

Exc.

Exc. *Paul. Ammanus medic. Crit. casu* 40. *p.* 220. *&c.* & allegata apud eundem in *programmate invitator. ad Botanicas lectiones Lipsiæ impresso Anno* 1674. Porrò de modo colligendi radicem hanc superstitiosis usitato agit etiam *Isr. Hybnerus mysterio sigill. herbar. & lapid. p.* 62. *&* 63. *& Camerarius in herbario Matthioli l.* 4. *c.* 72. *f.* 379. *&c.* De eadem radice, cur dicatur ἀνθρωπόμορφος, & quomodo impostores eandem effingant aut è terra eruendam esse velint, videatur *Camerarius syllog. mem. cent.* 3. *partic.* 61. *Franc. Joëlis de febr. & venen. l.* 2. *p.* 41. *Jacob. Theodorus Tabernæmontanus Herbario lib.* 2. *p.* 304. *Georg.* Rollenhagen in warhafften Lügen *c.* 14. *p.* 212. *&c. Thom. Bartholinus histor. Anat.* 51. *centur.* 2. *Israel. Fromschmidt* von Hugenfels *in simplicissimi* Galgen Männlein oder Allräungen / *Ioh. Prætorius Coscinomantia p.* 48. *Raymund. Mindererus Threnologia med. c.* 21. *p.* 487. *&c. Miscellanea Acad. Leopoldino Cæsar. curios. dec.* 1. *Anni* 1. *obs* 48. *p.* 141. *Itidem Mich. Freudius* Gewissens-Fragen von der Zauberey *qv.* 54. *p.* 99. *&c.* De his itidem agunt *Mylius horto phil. p.* 513. *&c. Andreas Beyerus additamentis ad Seldenium de Diis Syris p.* 203. *Ioh. Jacob. Weckerus de secretis c.* 6. *p.* 401. *Ioh. Prætorius* vom Diebes-Daumen *p.* 143. & de re literaria egregiè meritus *Petr. Lambecius commentar. de August. Bibliotheca Cæs. l.* 2. *f.* 566. *&c.* ubi autor ultimò laudatus superstitiosam illam & magicam radicis collectionem olim etiam ante undecim secula circa radicis Baaræ comparationem usitatam ac injunctam fuisse meminit; de radice Baara autem annotat illud *Flavius Josephus lib.* 7. *de bello Judaic. c.* 23. De eadem radice Baara illud *ex Josepho* etiam attingit *Rollenhagius l. c. p.* 215. Plura quoque de ista radice alius nostri Scrutinii locus continet. Notabilis alioquin est propter magnitudinem formamqve, viri formam referentem, Mandragoræ illa radix (si non dolosè ex alia re vel radice parata fuit) quæ Francofurti ad mœnum in nundinis autumnalibus ostensa fuit, suaqve magnitudine aut longitudine spithamas quinqve, unam verò ac dimidiam latitudine æquavit, veluti effigies illius ære expressa prostat in Frieder. Wilhelm Schmuckens *Fasciculi admirandor. natur. continuatione* 3. *Anno* 1682. *Argentorati edita.* Sic etiam

iam de Runa Kefle seu clavicula Runica, quæ fuit signum breviculum & exiguum, cui Runæ literæ, magica carmina & præstigiæ diabolicæ incisæ fuerunt, pro variis effectibus; item de Aliruniis Allreundʒen/ seu de mandragoræ dictæ radicibus qui agunt, allegati videri possunt in *Greg. Michaëlis doctis notis ad Gaffarelli curiositates inauditas p.* 141. *&c.* Ibi etiam autor nomen illud deducit ab Hebraicis vocibus על excelsum & רנן canere. Non incongruè etiam vox Allraun deduci videtur à verbo Rühnen vel Raunen/ id est obscuram, nec benè perceptibilem vocem edere; de quo, & ipsa hac radice, varia illius præparatione atque cultura, dum scilicet in idolum transformata est, conferatur *Joh. Prætorius* in der Welt-Beschreibung *p.* 172. *&c.* Audiamus adhuc de hac voce *Joh. Wierum de præstig. Dæmon. l.* 3. *c.* 1. Alrumnam, ait, veteres Gothi dicebant, vel Hellerum, hoc est, secretò cum inferis & Dæmonibus colloquentem, unde & herba mandragoræ Hellerumna dicta est, quam & Germani Alrun appellant. Atque hujusmodi Aliruniæ videntur ferè ortum traxisse ab Ethnicorum Theraphim seu idolis minoribus ex varia materia confectis; quæ idola, juxta plurimorum sententiam, ad formam puparum fasciis involutarum efformata, & variis corporis partibus affixa fuerunt, ut etiam circumferri commodè atq; coli possent: veluti pro variis abstrusis indagandis, corporis robore, & præstigiis variis comparandis, iis icunculis instar παρέδρων, sive spiritus familiaris usos esse olim ostendit *Dan. Hartnaccius admiranda Physica p.* 136. Ejusmodi idola etiam funeribus Ethnicorum sæpe adjuncta reperi, ritestantur mumiæ subinde iis dotatæ repertæ, de quibus pluribus *Georg. Michaëlis l. a. p.* 199. *&c.* Addatur propter idem testimonium *Joh. Daniel. Major in memoriali Anatomico Miscellan. obs.* 3. §. 13. die Gottorffische Kunst-Kammer *p.* 5. *O. Dapper.* Beschreibung von Africa *p.* 93. *& Joh. Bapt. Casalius de profanis & sacris veteribus ritibus part.* 1. *p.* 18. Ecquis sufficienter etiam scrutabitur ortum & causam actionis hujus, dum his quibusdam in locis superstitiosæ mulieres infantibus in cunis supponunt pupam, speculum, & ex verram. Nolumus tandem immorari amplius istiusmodi rebus recensendis, quæ corpora hominum ac brutorum indurare

durare & contra variorum armorum læsionem protegere ista creduntur. Dubitamus etiam auscultare iis, qui naturæ viribus illum effectum vindicare satagunt; quin potiùs illis suffragamur, qui naturæ Deique verbo ista plurima contrariari statuunt. Conferatur ideò inter alios *Ludov. Dunte cas. conscient. c.* 10. *s.* 1. *qv.* 39. *p.* 299. *Frid. Balduinus cas. conscient. l.* 3. *c.* 5. *cas.* 2. *&c. p.* 723. *& Mich. Freudius* in Gewissens-Fragen von der Zauberey *qv.* 133. *&c. p.* 287. *&c.* Idem autor etiam *l.* 4. *qv.* 154. *p.* 330. disquirit, an victorias in bello procurare & largiri queant Magi?

Vigiliam comparantia.

EX autorum communicatione habent & ii, quibus somnus est molestus, amuleta, quibus nimirum se ab illo exonerent. *Ioh. Iac. Weckerus de secret. l.* 5. *c.* 7. *p.* 261. ita: dicit *Psellus Platonicus*, quòd canes, corvi & galli conferant ad vigiliam, etiam philomelæ & vespertilio, & noctua; atque ex his maximè caput, cor & oculi. Ideoque dicunt: si quis cor corvi, vel vespertilionis super se portaverit, non dormitabit, donec deponatur. Idem facit caput vespertilionis, aridum alligatum in dextro brachio vigilantis. Nam si ponatur super dormientem, fertur non excitari, donec depositum fuerit. In his verò *Weckeri* verbis postremis nescio unde contrarius ille effectus emergat; an pro voluntate medici, vel usurpantis, operatio illa sit expectanda, an verò sphalma in illa verba irrepserit, ignoro. Atque, eadem hæc penè leguntur apud *Smollium l.* 4. *p.* 150. Somnum arcere vespertilionis cor caputque aridum adalligatum, constat etiam ex *Rodolph. Goclenii phys. general. l.* 2. *p.* 431. Caput istud cum panno vel pelle nigra brachio dextro vel lævo alligatum vigiliam excitare, probare quoqve sustinet *Kiranus Kiranidibus p.* 53. 88. Citatus *Weckerus l.* 4. *ex Alberto* porrò memorat, quòd oculus hirundinis positus in lecto, non permittat jacentem dormire, donec auferatur; cor verò istius animalis gestatum magnam vigiliam præstare *idem* adstruit. Similiter ex *Petro Hispano* colligit *Alex. Venturinus in medicina ab animalibus desumta*, quòd oculi & lingva lusciniæ occultata sub cervicali non sinant dormire illi incumbentem, atque

ideò etiam illa pro lethargi remediis declarat. De partibus istis philamelæ in lectulo circumaptatis, quod insomnes teneant jacentes, idem illud confirmat *Kiranus l. a. p.* 24. Ad caput verò in panno ligatos istos oculos pariter somnum abjicere, scribit *idem illic p.* 118. Oculos verò aviculæ isti extractos, eamqve vivam dimissam vult pro dicto usu *idem ibidem p.* 117. Depromit quoque ex *Tagaultio Venturinus l. a.* quòd cor cuculi siccum in superiori corporis parte gestatum impediat somnum. Quæ de corvi corde dicta sunt paulò ante, reperies etiam in *Rattray Theatr. sympath. p.* 187. Deinde somnum etiam minuere rubinum, extat annotatum apud *Bartholinum de lap. Nephritico c.* 10. *p.* 24. Atque in his amuletis, uti in iis, quæ venerem augere vel minuere creduntur, autores signaturæ indulgere deprehendes; dum ex vigilibus animalibus, vel quæ nocte magis alacria sunt, pro vigilis comparandis partes certas desumunt; hæc verò cujus sint existimationis, Lectoris judicio relinquo examinanda. Verùm ex recensitis iis periaptis quæpiam non omnibus arridere videntur, hinc annectam adhuc quædam ex *Jacob. Tappii dissertat. de sens. intern. function. læsionibus c.* 12. §. 30. *p.* 376. qui ita inquit; *Dominicus Leonus Lunensis*, citante *Sennerto*, non nulla medicamenta specifica, ut vocant, sive à proprietate juvantia contra earum laudat &c. Et paulò post *Tappius* pergit: Reliqua verò, quæ recenset *Leonus*, ut oculus, cor, & fel philomelæ, penna dextræ alæ merulæ, caput & cor vespertilionis, sub cervicali posita, vel corpori alligata vigilias præstare, superstitiosa sunt, & vix notatu digna.

Ulcerum amuletum.

PRo ulceribus sanandis facere annulos ex Mercurio coagulato in hora conjunctionis Mercurii & lunæ factos, & in altero latere affectæ parti opposito gestatos, scribit *Job. Agricola tract. de Mercurio p.* 198.

Urinæ incontinentiam corrigentia.

TRadimus jam ulterius quæ urinæ incontinentiam corrigere putantur, idqve sibi promittunt quidam à bufone in olla nova usto, collaqve appenso, de quo *Maccasius de mat. med. lib.* 2. *c.* 73.

c. 73. & *Joh. Joach. Becherus Parnasso med. Illustr. part. 1. c. 91. f. 86.* Indicat idem illud de pulvere Bufonum *Th. Bartholinus cent. 3. hist. anatom. 62. p. 123.* Atque hæc forte petita sunt ex *Henr. ab Heer obs. med. lib. 1. obs. 14. p. 146.* qui bis hujus opem laudatam se expertum esse scribit. Usus ipsiusmet amuleti salutaris toties pariter observatus, in mulieribus à partu læsis, claret ex *Christ. Franc. Paullini bosonis descriptione p. 107.* Videatur etiam de hoc *Joh. Schröderus pharmac. l. 5. c. 273. Boyle exper. phil. p. 216.* & citatus *Maccasius l. a.* Laudat *Joh. Schröderus pharmac. med. chim. l. 5. p. 346.* etiam cornua scarabæorum infantum collis suspensa.

Urinam suppressam reserantia.

URinæ suppressionem autem reserare creditur vesica suis suspensa, quæ non tetigit terram, velut hoc *Plinium* asserere dicit *Mich. Bapstius* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *parte 1. p. 193.* Porrò etiam rubeta discissa renibus superposita, urinam ciet vehementer, atque adeò, ut non nunquam Ascitici hoc medicamento liberentur, idque ex Cardano adducit *Jacob. Weckerus de secretis l. 5. c. 4. p. 172.* Addatur his *Johan. Schröderus Pharmac. medic. chym. l. 5. p. 273.* Addi his possunt, quæ de hac materia supra inter hydropis atque strumarum amuleta dedimus. *Johan. Schenckius l. 3. obs. medicinal. f. 437.* Bufonem, inquit, certæ parti impositum, hydropicos juvare, præter experientiam etiam exemplis constat. Qui non minùs cathæreticâ aut septicâ sua vi, atque lacerta ipsa (quæ Salamandræ propè suppar censetur) pollet. At verò secundum longitudinem divisus, & vel dorso alligatus, vel incinerato pulvere haustus, per lotium serosum humorem propellit. De dissecto isto bufone renumque regioni imposito lotium provocante *Exc. Paullini l. c. p. 107.* De bufonis vero pulvere hydropico marito à conjuge necis accelerandæ gratia dato, sed medelæ loco cedente, acturi sumus *diss. de casu curatis.* Scribit etiam *Plinius l. 38. c. 3.* quòd succinum potum alligatumque urinæ difficultati auxilio sit.

Uvulæ morbis medentia.

DEhinc uvæ morbo prodesse radicem portulacæ collo appensam cum *Plinio* (ex *lib.* 20. *c.* 20.) asserere videtur *Gerh. Joh. Vossius in physiol. Christ. l.* 5. *c.* 22. *p.* 101. Brassicæ folium etiam aliàs in uvula vitiosè elongata usurpari svevit apud plebejos; verùm *Marc. Aurel. Severinus in Seilomastige p.* 66. diffidit de ejus usu laudabili, inquiens: Brassicæ folio vertici capitis imposito columellam ex defluxu pendulam retrahi, quod à *Marco Catone* propositum, falsum deprehendit amicus quidam noster. Verùm Romanis forte solùm profuit istud olim (inter reliquas panaceæ *Catoniana*, à brassica sexcentis istis annis, medelas exultas) de quo *Plinius l.* 20. *c.* 7. & *Volaterr. lib.* 26. Pici rostrum ad collum suspensum omnem quoque dolorem uvulæ, dentium, antiadis & cynanches percurare annotatum comperimus apud *Kiranum in Kiranidibus p.* 121. Præterea pulvis Carabæ albæ seu succini etiam cum fermento si imponatur vertici, contra faucium tumores, uvulæ casum, & inflammationem amygdalarum, *à Rulando* aliisq; laudatur, de quo *Anton. le Grand in curioso arcan. natur. perscrutatore p.* 41. *&c.* Alii etiam succino nudo tribuunt istiusmodi vires; plures alias curationes dictum in modum in domestica Medicina usitas, hoc loco pervestigare supersedemus, cum videantur non adeò ad classem amuletorum exactè pertinere.

Vulnera consolidantia.

EXcipiunt hactenùs dicta tandem jam ad vulnera commendata periamata; mens verò quorundam est, quòd herbæ vulnerariæ appensæ citiùs pro sanandis vulneribus faciant, idque concludunt ex eo, quod vulnera & ulcera citiùs consolidata sint, ubi homines illis affecti pedibus iter confecerunt per loca salubribus herbis scatentia; inflammata verò fuerint illa, suscepto itinere per plantas perniciosas, de quo vide allegatum *Matthiolum apud Camerarium Memor. med. cent.* 3. *part.* 28. Dehinc lappæ majoris semen collo gestatum impedire, ne in vulneribus sanandis obstaculum vel hypersarcosis oriatur, docet. *Mich. Babstius* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney Buche *part.* 1. *p.* 200.

Atque loco citato *p.*201. autor idem refert, radicem alcibii (quam vocat etiam speciem buglossi sylvestris) bruto appensam vermes propellere, si qui creverint in vulnere vel ulcere illius. De ligno fraxini, pro consolidandis vulneribus passim commendato non ero prolixus, cum plurimi de antipathia & sympathia, pulvere sympathetico, & unguento armario agentes, simul de eodem differant. Jubent verò plurimi illorum illud justo tempore colligi, quod negotium tamen superstitiosum vocat, & magicam præ se ferre impressionem aliquam virtutis prononciat *Jac. Panc. Bruno dogmat. med. p.*742. De illis virtutibus memoratis ac deprædicatis, uti & de modo ac tempore colligendi illud videri potest *Mart.* Schmuck *de occult. mag. magn. morb. curat. p.*50. *Gvern. Rolfincius de vegetabilibus l.* 3. *sect.* 7. *c.* 6. *p.* 187. & *Joh. Phar. Rumelius in medic. militar. dogmat. Hermet. Mag. c.* 5. Meminit etiam usus fraxini ligni *Thom. Reinesius Var. lect. l.* 2. *c.* 18. *p.* 303. inquiens: inter magneticæ vulnerum curationis exempla notissimum hodie est, quod à fraxini, balsamico tempore, cæsæ ligno petitur. Arbitratur etiam illic autor, quod vulnus, ab Achille Theolepho, Regi Mysiæ inflictum fuerit sanatum serraturâ, scobe, seu ramentô sectili ab hasta fraxinea petitô. Docet quoque autor *l. c. lib.* 3. *c.* 10. *p.* 498. *&c.* quod fraxinus pro hasta vel lancea ponatur à quibusdam autoribus; quod etiam innotescit ex *Iob. Nicol. Werneri corpusculo philol. p.* 84. *&c.* aliisque ex Lexicographis & autoribus. Volunt insimul autores non nulli, quòd hasta Achillis ex ære vel ferro confecta fuerit, cujus ærugo vel ferrugo alioquin in vulneribus sanandis salubris, pro Telephi vulnere adhibita sit, de quo, cum nobis jam non liceat amplius dispicere, videantur *Iob. Langius l.* 2. *Epist.* 36. *p.* 725. & *Georg. Sabinus in fabular. Ovidii interpretatione p. m. Reinesio* tamen *pag.* 303. placet potius effectum hunc scobi ligni fraxini, antea dictæ, quam rubigini hastæ tribuere. Plura etiam de fraxini ejusmodi efficacia prostant inter amuleta hæmorrhagiis opposita. Non alienum admodum videtur ab hoc loco agente de vulneribus, illud annotatum apud *Bartholinum de lap. nephrit. c.* 8. *pag.* 22. quod dictamnus incredibiliter trahat spicula ex vulneribus, si admoveatur illis. Confer iis etiam de

hoc

hoc *Ioh. Dan. Mylium Antidotar. med. chym. l. 1. c. 4. p. 41. & in c. 6. p.* 63 & *Marsil. Ficinum de vita cœlitus comparanda l. 3. c. 12. p. 221.* qui de ea ita: forsan & à Phœbo, qui transfixit Pythonem, Cretæa dictamus habet, ut & venenosis obsistat, & ferrum è vulnere trahat. Alia testimonia autorum, qui de cervo (eâ ratione sibi medente) idem illud memorant, lubens hic prætereo. Similis vis extrahendi spinas, cuspides, globos, & tela inesse linguæ vulpinæ exsiccatæ impositæ, innotescit ex *Misc. natur. curios. Dec.* 2. *Ann. 6. obs.* 200. *p.* 405. Deinde monendum hac occasione videtur cautionis ergò illud, quòd, si quis vulneratus mentham secum gestet, non benè sanetur, juxta quorundam sententiam. Annectimus his itidem illud *Mizaldi memorab. cent.* 3. *aph.* 42. panniculi, ait, menstruò semel infecti prohibentur imponi super vulnera, etiamsi accuratissime abluti fuerint, ob nocumentum, quod de experientia adferre compertum est, ut tradit *Hier. Eugubius.*

Dedimus hactenùs crebriùs occurrentia amuleta usitata ex autoribus, qui nobis ad manus fuerunt, vel occurrerunt, in quibus spicilegia saltem etiam instituimus, nec omnia prolixitatis fugiendæ gratia exscribere ratum duximus. Si quibusdam verò videamur prolixius, vel aliis brevius egisse de communicatis amuletis, ii nobis ignoscent, ac pensitent, quod vel perfectissimus non omnium intentioni satisfacere valeat. Imò nobismet ipsis nostra non semper eadem ratione placent; adeò incerta & inconstantia sunt hæc nostra mundana. Nobis verò interea id omne congruum scopo nostro visum fuit, quod bonâ intentione communicavimus, hinc eâdem ratione illud etiam excipi expetimus & expectemus. Multos autores sponte prætermisimus, aut non ita accuratè periapta omnia ex iisdem excerpsimus, multos etiam, ob librarii nostri apparatus angustiam perlustrare minus valuimus; hinc locus & ansa relinquitur Benevolo Lectori supplere illa, quæ nostris adhuc deesse existimabit. Noluimus itidem nimis longos vel continuos sulcos ex quibusdam autoribus ducere, vel traducere in nostrum hoc scrutinium, unde etiam ex *Casp. Bartholinini Tract. de lapide Nephritico cap.* 9.

&

& 10. non omnia amuleta nostris inseruimus, ex quo loco si eadem placent, his nostris inseri possunt. Non pauca fortè adhæc colligi poterunt ex *Plinio, Marcello empyrico, Baricello, Tralliano & aliis.* Præter dictos hos *Heurnius meth. med. l. 3. c. 28. p.* 491. dicit contra varios morbos, reperiri amuleta apud *Rasen, Theodorum, Chyrannum* (qui fortè *Kiranus est* à nobis pariter non exactè excerptus) *Priscianum*, qui sub nomine *Quinti Horatiani in lucem prodierit, Castaben Lucam apud Hebræos, & Gordonium.*

CAPVT III.

Amuletorum modum operandi generalem indagans.

AGgredimur jam operationis amuletorum generalem indagationem; quantumvis in superioribus, necessitate atque commoditate id efflagitante, non nullis periammatibus suos operandi modos, juxta Autorum sententias, addiderimus. Veniam itidem sperabimus circa hanc intentionem denuò quadantenus repetendam in sequentibus, quia scilicet in præcedentibus venenata periapta in specie paulò curatiùs percontati sumus; ad quam intentionem materiæ illius gravitas ansam prolixitatis, modò non planè inutilis, nobis dedit, atque dabit fortè ampliùs excusationis adminiculum. Observamus autem aliàs, quòd amuleta licita è triplici regno Pharmaciæ præcipuè petantur, scilicet ex animali, vegetabili atque minerali. *Helmontius* quidem *tr. potestas medicam.* §. 61. rarò, inquit, metalla sunt amuleta, nisi sint adhuc aperta aut externè exaltata. Dividit etiam autor illic periapta in ossea, cornea, animalia, plantas, lapidea, salina, transparentia & opaca. Sed idem ille *tr. in herbis verbis & lapidibus p. m.* 355. videtur metallis easdem, & majores tribuere fermè virtutes, quàm lapidibus, aliisque rebus. Ipsemet autor *tr. Natura contraria nescia* ab amuletis integris itidem vires promanare ostendit. De materia hac ita sentit *Andr. Laurentius in opere therapeut. tr. de strumar.*

fanatione l. 1. c. 5. f. 12. de solidissimis, ait, & densissimis lapidibus obscurior est ratio operandi, nulla enim ab his effluvia, nulla miasmata educuntur, quæ latenter in poros cutis irrumpant, aut halitu inspirentur, aut vapore partes aliquas subeant, id tamen habent à specie, & certè quodam mixtionis modô nobis incognitô. Aliorum autorum verò suffragiô mineralia & metalla omninò etiam amuletorum classem subeunt, siquidem efficaciam illorum non obscurè comprobant mercurialia, antimoniata, arsenicalia vel alia simlia etiamsi non æq; ab omnibꝰ istiusmodi duris corporibus tàm promptè effluvia emanare credamus, quàm à vegetabilibus mollioribus & ad effluvia emittenda promptioribus apparentibus. Ecquis etiam in magnete tantas vires depositas, extra oculi usuram, crederet! Imò Tilsemarum patroni ægriùs à classe amuletorum metalla & gemmas excludi patiuntur, veluti hoc patebit clariùs, ubi de Tilsemis inferiùs sermo occurret. Imò in *c. 1. sect. 1. nostri scrutinii p. 14. &c.* indicavimus, periapta quædam propterea, quod ex metallis confecta sint, *πετάλια*, bracteas vel laminas & Medaglie appellari. Monendum etiam hoc loco duximus id, quòd apotropæa una eademque variis partibus & modis applicari soleant, atque sic diversas operationes edere credantur, autoribus quibusdam id asserentibus; de quo in catalogo amuletorum ad mentem quorundam autorum egimus, atque in subsequentibus adhuc quædam attingemus. Patronos quippe hujus doctrinæ reperies non paucos, qui modò dextræ, modò sinistræ, modò superiori, modò inferiori corporis parti alligatum amuletum unum idemqve, diversas & contrarias penè operationes edere adstruunt, de quo, si placet, consulatur *Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib-und Wund-Artzney-Buche *part. 1. p. 191. & 199.* Liberum interim de hoc permittimus cuiqve suum judicium, (licet difficilem etiam assensum à multis fortè hoc assertum sortiatur) suoqve loco relinquemus istud, modò illud superstitionis, aut impietatis notâ non laboret. Adjunximus etiam in catalogo nostro amuletorum multis amuletis sua loca, quibus scilicet communiter periapta velint autores appendi. In genere verò de iis tenendum, quod conducibile magis videatur, si parti mot-

morbô quôpiam laboranti propinquius admoveatur periamma destinatum ad malum curandum illius membri vel visceris, nisi quis fortè intendens modum revulsionis & derivationis, pro materia vitiosa & morbifica aliorsum detrahenda aut avertenda, à sede affecta, in remotis locis malit eadem amuleta applicare. Notum itaqve est, quod affectus viscerum curandi, exterius in confini quopiam loca commodiùs recipiant periapta, nimirum caput, cor, hepar, ventriculus, renes, uterus. Similiter etiam artus, videlicet brachia, manus, pedes, dorsum, & similia loca suscipiunt & sufferunt illa suspensa vel annexa meliùs pro auxilio promptiori sperando. Ambigit autem de amuletorum remotis in partibus admotorum operatione *Andr. Dudith in Epistolis Cratonianis no. 34. p. 45.*

Quòd verò amuletorum operationes in genere attinet, de his *Soph. Kozackius de sale cap. 2. sect.* 18. *p.* 107. *&* 108. statuit, quòd consistant eædem in repercussione, attractione, & ligatione, quemadmodum ideò etiam hanc definitionem amuletorum concipit: amuleta, inquit, sunt medicamenta utilia & necessaria ex variis rebus desumta in variis affectibus corporis, partibus annexa vel circumligata, ut vapores supernè deorsum repercutiant, vel deorsum trahant, vel infra quiescentes ligent, ut nec frequenter, nec copiosè inferna ad superiora vadant. Quod verò amuleta spiritibus corrigendis potissimùm apta sint, statuit *Sebast. Wirdigius medicina Spirit. l. 2. c. 28. p. 266.* amuleta, inquiens, vel periapta astrorum more astraliter agunt, spiritualiter, per radiationem, irradiationem & illuminationem; spiritus nubilosos serenando, exhilarando, erroneos reducendo, enormonticos corrigendo, furiosos placando. De hinc fundamentum ejusmodi operationum non nulli credunt situm in harmonia inter poros cutis & effluvia rerum medicarum foris appensarum & operantium, quæ poris dictis conformia esse debeant. Statuunt quippe quod effluvia rotunda requirant poros rotundos, triangulares vero itidem effluvia similia, nisi operationis spe decidere velimus. Sententiam hanc inprimis fovere videtur *Willisius tr. de febribus & Thom. Bartholinus dissertat:*

Epistolica de transplantat. morb. p. 13. & 19. Atque ea ratione Doctores hujus doctrinæ cum *Cartesii* illa corpusculari traditione consentire videntur. Vereor autem ne hæc doctrina in multis hæreat, si quis accuratiùs illud: *redde rationem*, reposcat; unde etiam illi doctores sine dubio crebro ad notum refugium: *latè & strictè*, confugient. Quis enim isthæc de dicta operatione mente facilè consequetur, aut conciliabit effluviorum vel atomorum illarum actiones & operationes, modò emissione effluviorum medicorum, modò admissione & receptione miasmatum morbificorum, & quidem juxta pororum & medicamentorum istiusmodi harmoniam. Quis, rogo, dissensum aut consensum hunc facilè exponet, aut dilucidabit, si istæc strictè sunt attendenda.

Non pauci etiam autores statuunt, periammata quæpiam extrahendo materiam morbificam è corpore operari; sicut hæc est mens, inter plures alios, *Joh. Asſveri Ampſingii, qui differt. Jatromathematic. p.* 174. alexiteria, inquit, duum fere generum sunt, quædam enim amicissima familiaritate vim deleteriam extrahunt &c. Sed quia de hac vi attrahendi Zenechtorum superiùs inter venenata *p.*320. mentionem fecim9, plura de iis hunc in modum jam differere desistimus. Non infrequenter etiam mitioribus amuletis eadem operandi ratio assignetur, inprimis iis, quæ catarrhis destinata creduntur, scilicet succinum aliaque similia, uti ex catalogo nostro periaptorum præmisso *p.*72. innotescit. De magnetica ejusmodi vel tractoria vi, & quâ periapta ex profundo humores ad cutim trahere dicuntur insensibiliter, id est modô efficiendi, non utique manifestô, cùm in multis insit virtus tractrix, ut in magnete &c. de hac vi, inquam, in modum dictum loquitur *Rodolph. Goclenius de peste p.*84. Magneticæ operationis quia jam modò facta est mentio, non possum non etiam ideò allegare verba *Kircheri de arte magnetic. l.* 3. *p.* 724. mirifica, inquit, vis est corallorum contra febres, topatii, hyacinthi, & smaragdi contra venena, & lapidis bezoardici contra pestilentes & morbiferas ægritudines, totum corpus in momento, non secus ac magnes quævis corpora, & lux durissimum

vitrum

vitrum penetrant; ubi inimicum sibi contrarium invenit, aut amicum, in illum agit tantisper, dum eum aut expulerit aut attraxerit. Consensus ergò rerum per quandam sympathiam & antipathiam fit in sensu communi, factâ communicatione &c. Paulò post illa adducta etiam autor probat ejusmodi sympathiam per chordam quietam existentem minimeque tactam, quod sonum illum tamen edat, quem alia chorda excitat commota, & quidem communem tonum cum illa continens. Verba hæc veri quidem speciem quandam ostendunt, verùm vix ad amuleta, & Zenechta inprimis, sufficienter applicari poterunt. Magicam operationem amuletis tribuit *Digbæus de immortal. animæ p. 206. c. 18.* eam autem fieri attractione per calida arbitratur. Adstipulatur itidem ex veteribus opinioni de vi tractoria periammatum occupatæ *Galenus lib. 5. de simplic. c. 17.* ubi admittit ea, quæ qualitatis familiaritate attrahunt, aut totius essentiæ similitudine noxam depellunt; rejicit verò ibidem hic medicinæ quondam antesignanus ea, quæ non vi quadam medicâ operantur. Inter alia forte etiam materiæ huic verosimilem rationem lucrarentur transplantationes morborum, si verum illud, atque firmô ratiociniô confirmatum foret negotium, quòd animalia varia, vel quæcunque res pro transplantatione usitatæ in se derivarent morbos, & dolores præcipuè, dum liberant iusimul hac ratione homines à morbis suis; sed de his aliis in locis nostri scrutinii majori severitate inquirimus. Id solùm ratione hujus negotii nos suspensos tenet, quòd res istæ eô institutô homines liberent ab affectibus, ut in se devolvant, vel suscipiant eosdem. Vis eadem tractoria porrò ex hoc colligi potest, juxta doctorum transplantatoriæ artis sententiam, quòd suadeant res corpori priùs applicatas ab aliorum sanorum hominum conspectu & attactu removeri, ne morbifica causa vel materia in illas res derivata, postea in sanos homines transferatur, si sanus homo fortè, eas tangat; sed huic negotio Tartareum tacitumque vaframentum subesse suspicamur, idque jam ante etiam in nostro scrutinio examinavimus. De succini autem vi tractoria in capitis dolore & catarrhis efficaci, ne-

mo ferè inter plebejos, & multos etiam eruditos, dubitat. Id verò non obscurè colligendum esse arbitrantur quidam ex colore globulorum succini (aliarumque rerum, & gemmarum præcipuè) amisso vel immutatô, de quo brevi post plura. Utrum autem exigua non rarò portio amuletorum pro copia morbificæ materiæ recipienda sufficiat, aut qua necessitate periapta instar siphonis illam materiam exsugant, aut ex corpore excutiant, sive etiam magnetis instar aut spongiæ perpetuent suas operationes, id ignoro; inprimis si effectus ille laudabiles aliquoties ab iis verè profluxisse observentur. Interim de vi tractoria succini adeat, cui placet, *Pomarium de consens. & dissens. pag. 64. §. 8.* & *Schwimmerum in curiosit. physic. pag. 16.* De electrica ejusdem virtute legi quoque meretur *Joh. Nicol. Pechlinus de purgantibus c. 2. p. 33.* Singularem etiam suam observationem de attractrice facultate succini recenset *Dan. Beckerus de cultrivoro p. 48.* quòd scilicet armilla ex succini globulis instructa ad manum dextram virginis, variolarum copiam attraxerit, liberâ relictâ manu sinistrâ, cum armilla altera crebrò ab illa deciderit, nec similem efficaciam exseruerit. Propter eandem vim laudatam repetimus non immeritò ea, quæ superiùs *p. 68.* inter amuleta capitis dolori opposita tradidimus ex *Baricelli horto geniali pag. 133.* qui dictus autor ex *Mercurialis* mente gagetem lapidem propter hemicraniam collo appensum mederi illi malo dicit; atque istum etiam pondus majus inde contrahere ob vim tractoriam. De eadem vi attrahente, præcipuè si succinum maritatum sit nostræ mumiæ, inspici potest *Helmontii tr. de magnet. vuln. curat. §. 37. & 144.* Cæterùm quòd succinum æquè, ac, aliæ quædam res, levia vara attrahat, cum ratione facultatis hujus addita, colliget Lector benevolus inter alios plures ex *Pomarii l. a. Pictorii centur. 3. quæstion. Physic. 79. & 80.* *Wigandi tr. de succino p. 29.* *Borelli cent. 3. observ. 88.* *Weberi discurs. curios. p. 148.* *Zeileri cent. 1. Epist. 79.* *Kippingii instit. Physic. p. 249.* *Grubii de transplantatione morbor. p. 3. &c.* quo in loco autor ultimus de hac materia promittit se acturum fusiùs aliqu. in *succinologia*, suô tempore edenda; atque in hac fortassis curiosa etiam de succini medica vi tractoria expectanda erunt.

Nata

Notum quoq; est, quòd juxta hunc ductũ vis tractoriæ medicæ succini, talem potestatem autores non obscurè tribuant coralliis, aliisque gemmis & rebus amuleticis; veluti paulò inferiùs etiam vis magnetica sive electrica gemmis integris assignata occurret. Mulieris hystericæ verò collo gestata aliquandiu corallia dicuntur pallescere, & recuperare fulgorem suum perditum, si ad carnes mulieris sanæ affricentur; velut memorant *Helmontiꝰ Tum. pestis p. 163. & p. 183. Grembsius arb. integra & ruin. l. 1. c. 7. §. 3, n. 23.* aliique plures. Idem illud, quoad coloris mutationem evenire, si fluxu menstruò laborans mulier corallia gestet, dicit *Rattray Theatr. sympath. p. 15. & 27.* De eodem agens *Frid. Hoffmannus in clave Schroderi p. 161.* arbitratur atomos & effluvia cacochymicorum invertere coralliorum colorem, ut pallore inficiantur; sani verò hominis efflavia rutilantem colorem conservare & adaugere, vel amissum reparare ait. Confer de eodem *Cnœffelium appendice ad Miscellan. Leopoldino-Cæsar. curios. dec. 1. anno 6. & 7. p. 64.* Quod coralliorum orbiculi elaborati & levore perpoliti, uti & nux myristica, si à viro gestentur, rubescant exsuperantius, ac nitorem suum vel vigorem retineant melius, quàm si iis gestatis fœmina decoretur, ubi in pallorem elangvescant & colore destituantur &c. vid *Lev. Lemnius l. 2. de occult. nat. mirac. c. 22.* De varia coralliorum ope, & coloris mutatione non nulla etiam ventilata prostant apud *Schvvimmerum curiosit. physic. p. 91.* Obiter his contrariam rationem inferimus de coralliis à serenissima principe quapiam sana gestata, quod colorem suum nativum cum pallido & fœdo mutarint, eumque in alia nobili sana muliercula perseveranter servarint; sed pristinum suum colorem eadem recuperarint, ubi tanquam abjecta postea gesta fuerint unicâ solùm nocte à valetudinaria cachectica & chlorosi, pallidave facie laborante, de quo *Miscellan. Acad. Leopold. Cæsar. curios. dec. 2. ann. 4. observ. 158. &c.* Plura itidem ibi de colore ejusmodi mutato prostant. Inter alia, *loco allegato p. 303.* occurrunt etiam quæpiam de carabe gestata, quod expallescens in viro quopiã futurũ morbum indicarit; item de annulo mercuriali fulvum in statu sano, in languente verò nigrum calorem assumente.

Uvulæ morbis medentia.

Dehinc uvæ morbo prodesse radicem portulacæ collo appensam cum *Plinio* (ex *lib.* 20. *c.* 20.) asserere videtur *Gerh. Joh. Vossius in physiol. Christ. l.* 5. *c.* 22. *p.* 101. Brasficæ folium etiam aliàs in uvula vitiosè elongata usurpari svevit apud plebejos; verùm *Marc. Aurel. Severinus in Seilomastige p.* 66. diffidit de ejus usu laudabili, inquiens: Brassicæ folio vertici capitis imposito columellam ex defluxu pendulam retrahi, quod à *Marco Catone* propositum, falsum deprehendit amicus quidam noster. Verùm Romanis forte solùm profuit istud olim (inter reliquas panaceæ *Catoniana*, à brasfica sexcentis istis annis, medelas excultas) de quo *Plinius l.* 20. *c.* 7. & *Volaterr. lib.* 26. Pici rostrum ad collum suspensum omnem quoque dolorem uvulæ, dentium, antiadis & cynanches percurare annotatum comperimus apud *Kiranum in Kiranidibus p.* 121. Præterea pulvis Carabæ albæ seu succini etiam cum fermento si imponatur vertici, contra faucium tumores, uvulæ casum, & inflammationem amygdalarum, *à Rulando* aliisq; laudatur, de quo *Anton. le Grand in curioso arcan. natur. perscrutatore p.* 41. &c. Alii etiam succino nudo tribuunt istiusmodi vires; plures aliàs curationes dictum in modum in domestica Medicina usitas, hoc loco pervestigare supersedemus, cum videantur non adeò ad classem amuletorum exactè pertinere.

Vulnera consolidantia.

Excipiunt hactenùs dicta tandem jam ad vulnera commendata periamata; mens verò quorundam est, quòd herbæ vulnerariæ appensæ citiùs pro sanandis vulneribus faciant, idque concludunt ex eo, quod vulnera & ulcera citiùs consolidata sint, ubi homines illis affecti pedibus iter confecerunt per loca salubribus herbis scatentia; inflammata verò fuerint illa, suscepto itinere per plantas perniciosas, de quo vide allegatum *Matthiolum apud Camerarium Memor. med. cent.* 3. *part.* 28. Dehinc lappæ majoris semen collo gestatum impedire, ne in vulneribus sanandis obstaculum vel hypersarcosis oriatur, docet. *Mich. Babstius* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney-Buche *part.* 1. *p.* 200.

At-

Atque loco citato *p.*201. autor idem refert, radicem alcibii (quam vocat etiam speciem buglossi sylvestris) bruto appensam vermes propellere, si qui creverint in vulnere vel ulcere illius. De ligno fraxini, pro consolidandis vulneribus passim commendato non ero prolixus, cum plurimi de antipathia & sympathia, pulvere sympathetico, & unguento armario agentes, simul de eodem differant. Jubent verò plurimi illorum illud justo tempore colligi, quod negotium tamen superstitiosum vocat, & magicam præ se ferre impressionem aliquam virtutis pronunciat *Jac. Panc. Bruno dogmat. med. p.*742. De illis virtutibus memoratis ac deprædicatis, uti & de modo ac tempore colligendi illud videri potest *Mart.* Schmuck *de occult. mag. magn. morb. curat. p.* 50. *Guern. Rolfincius de vegetabilibus l.* 3. *sect.* 7. *c.* 6. *p.* 187. & *Joh. Phar. Rumelius in medic. militar. dogmat. Hermet. Mag. c.* 5. Meminit etiam usus fraxini ligni *Thom. Reinesius Var. lect. l.* 2. *c.* 18. *p.* 303. inquiens: inter magneticæ vulnerum curationis exempla notissimum hodie est, quod à fraxini, balsamico tempore, cæsæ ligno petitur. Arbitratur etiam illic autor, quod vulnus, ab Achille Theolepho, Regi Mysiæ inflictum fuerit sanatum ferraturâ, scobe, seu ramentô sectili ab hasta fraxinea petitô. Docet quoque autor *l. c. lib.* 3. *c.* 10. *p.* 498. *&c.* quod fraxinus pro hasta vel lancea ponatur à quibusdam autoribus; quod etiam innotescit ex *Ioh. Nicol. Werneri corpusculo philol. p.* 84. *&c.* aliisque ex Lexicographis & autoribus. Volunt insimul autores non nulli, quòd hasta Achillis ex ære vel ferro confecta fuerit, cujus ærugo vel ferrugo alioquin in vulneribus sanandis salubris, pro Telephi vulnere adhibita sit, de quo, cum nobis jam non liceat amplius dispicere, videantur *Ioh. Langius l.* 2. *Epist.* 36. *p.* 725. & *Georg. Sabinus in fabular. Ovidii interpretatione p. m. Reinesio* tamen *pag.* 303. placet potius effectum hunc scobi ligni fraxini, antea dictæ, quam rubigini hastæ tribuere. Plura etiam de fraxini ejusmodi efficacia prostant inter amuleta hæmorrhagiis opposita. Non alienum admodum videtur ab hoc loco agente de vulneribus, illud annotatum apud *Bartholinum de lap. nephrit. c.* 8. *pag.* 22. quod dictamnus incredibiliter trahat spicula ex vulneribus, si advmoveatur illis. Confer sis etiam de

hoc

hoc *Ioh. Dan. Mylium Antidotar. med. chym. l. 1. c. 4. p. 41. & in c. 6. p. 63* & *Marsil. Ficinum de vita cœlitus comparanda l. 3. c. 12. p. 222.* qui de ea ita: forsan & à Phœbo, qui transfixit Pythonem, Cretæa dictamus habet, ut & venenosis obsistat, & ferrum è vulnere trahat. Alia testimonia autorum, qui de cervo (eâ ratione sibi medente) idem illud memorant, lubens hîc prætereo. Similis vis extrahendi spinas, cuspides, globos, & tela inesse linguæ vulpinæ exsiccatæ impositæ, innotescit ex *Misc. natur. curios. Dec. 2. Ann. 6. obs. 200. p. 405.* Deinde monendum hac occasione videtur cautionis ergò illud, quòd, si quis vulneratus mentham secum gestet, non benè sanetur, juxta quorundam sententiam. Annectimus his itidem illud *Mizaldi memorab. cent. 3. aph. 42.* panniculi, ait, menstruô semel infecti prohibentur imponi super vulnera, etiamsi accuratissime abluti fuerint, ob nocumentum, quod de experientia adferre compertum est, ut tradit *Hier. Eugubius.*

Dedimus hactenùs crebriùs occurrentia amuleta usitata ex autoribus, qui nobis ad manus fuerunt, vel occurrerunt, in quibus spicilegia saltem etiam instituimus, nec omnia prolixitatis fugiendæ gratia exscribere ratum duximus. Si quibusdam verò videamur prolixius, vel aliis brevius egisse de communicatis amuletis, ii nobis ignoscent, ac pensitent, quod vel perfectissimus non omnium intentioni satisfacere valeat. Imò nobismet ipsis nostrà non semper eadem ratione placent; adeò incerta & inconstantia sunt hæc nostra mundana. Nobis verò interea id omne congruum scopo nostro visum fuit, quod bonâ intentione communicavimus, hinc eâdem ratione illud etiam excipi expetimus & expectemus. Multos autores sponte prætermisimus, aut non ita accuratè periapta omnia ex iisdem excerpsimus, multos etiam, ob librarii nostri apparatus angustiam perlustrare minus valuimus; hinc locus & ansa relinquitur Benevolo Lectori supplere illa, quæ nostris adhuc deesse existimabit. Noluimus itidem nimis longos vel continuos sulcos ex quibusdam autoribus ducere, vel traducere in nostrum hoc scrutinium, unde etiam ex *Casp. Bartholinini Tract. de lapide Nephritico cap. 9.* &

& 10. non omnia amuleta nostris inseruimus, ex quo loco si eadem placent, his nostris inseri possunt. Non pauca fortè adhæc colligi poterunt ex *Plinio, Marcello empyrico, Baricello, Tralliano & aliis.* Præter dictos hos *Heurnius meth. med. l. 3. c. 28. p.* 491. dicit contra varios morbos, reperiri amuleta apud *Rasen, Theodorum, Chyrannum* (qui fortè *Kiranus est* à nobis pariter non exactè excerptus) *Priscianum*, qui sub nomine *Quinti Horatiani in lucem prodierit, Castaben Lucam apud Hebræos, & Gordonium.*

CAPUT III.

Amuletorum modum operandi generalem indagans.

AGgredimur jam operationis amuletorum generalem indagationem; quantumvis in superioribus, necessitate atque commoditate id efflagitante, non nullis periammatibus suos operandi modos, juxta Autorum sententias, addiderimus. Veniam itidem sperabimus circa hanc intentionem denuò quadantenus repetendam in sequentibus, quia scilicet in præcedentibus venenata periapta in specie paulò curatiùs percontati sumus; ad quam intentionem materiæ illius gravitas ansam prolixitatis, modò non planè inutilis, nobis dedit, atque dabit fortè ampliùs excusationis adminiculum. Observamus autem aliàs, quòd amuleta licita è triplici regno Pharmaciæ præcipuè petantur, scilicet ex animali, vegetabili atque minerali. *Helmontius* quidem *tr. potestas medicam.* §. 61. raro, inquit, metalla sunt amuleta, nisi sint adhuc aperta aut externè exaltata. Dividit etiam autor illic periapta in ossea, cornea, animalia, plantas, lapidea, salina, transparentia & opaca. Sed idem ille *tr. in herbis verbis & lapidibus p. m.* 355. videtur metallis easdem, & majores tribuere fermè virtutes, quàm lapidibus, aliisque rebus. Ipsemet autor *tr. Natura contraria nescia* ab amuletis integris itidem vires promanare ostendit. De materia hac ita sentit *Andr. Laurentius in opere therapevt. tr. de strumar.*

fanatione l. 1. *c.* 5. *f.* 12. de solidissimis, ait, & densissimis lapidibus obscurior est ratio operandi, nulla enim ab his effluvia, nulla miasmata educuntur, quæ latenter in poros cutis irrumpant, aut halitu inspirentur, aut vapore partes aliquas subeant, id tamen habent à specie, & certè quodam mixtionis modô nobis incognitô. Aliorum autorum verò suffragiô mineralia & metalla omninò etiam amuletorum classem subeunt, siquidem efficaciam illorum non obscurè comprobant mercurialia, antimoniata, arsenicalia vel alia similia etiamsi non æq; ab omnib9 istiusmodi duris corporibus tàm promptè effluvia emanare credamus, quàm à vegetabilibus mollioribus & ad effluvia emittenda promptioribus apparentibus. Ecquis etiam in magnete tantas vires depositas, extra oculi usuram, crederet! Imò Tilsemarum patroni ægriùs à classe amuletorum metalla & gemmas excludi patiuntur, veluti hoc patebit clariùs, ubi de Tilsemis inferiùs sermo occurret. Imò in *c.*1. *sect.*1. *nostri scrutinii p.*14. *&c.* indicavimus, periapta quædam propterea, quod ex metallis confecta sint, πετάλια, bracteas vel laminas & Medaglie appellari. Monendum etiam hoc loco duximus id, quòd apotropæa una eademque variis partibus & modis applicari soleant, atque sic diversas operationes edere credantur, autoribus quibusdam id asserentibus; de quo in catalogo amuletorum ad mentem quorundam autorum egimus, atque in subsequentibus adhuc quædam attingemus. Patronos quippe hujus doctrinæ reperies non paucos, qui modò dextræ, modò sinistræ, modò superiori, modò inferiori corporis parti alligatum amuletum unum idemqve, diversas & contrarias penè operationes edere adstruunt, de quo, si placet, consulatur *Mich. Bapstius* im wunderbarl. Leib- und Wund-Artzney-Buche *part.* 1. *p.* 191. *&* 199. Liberum interim de hoc permittimus cuiqve suum judicium, (licet difficilem etiam assensum à multis fortè hoc assertum sortiatur) suoqve loco relinquemus istud, modò illud superstitionis, aut impietatis notâ non laboret. Adjunximus etiam in catalogo nostro amuletorum multis amuletis sua loca, quibus scilicet communiter periapta velint autores appendi. In genere verò de iis tenendum, quod conducibile magis videatur, si parti mor-

morbô quôpiam laboranti propinquius admoveatur periamma destinatum ad malum curandum illius membri vel visceris, nisi quis fortè intendens modum revulsionis & derivationis, pro materia vitiosa & morbifica aliorsum detrahenda aut avertenda, à sede affecta, in remotis locis malit eadem amuleta applicare. Notum itaqve est, quod affectus viscerum curandi, exterius in confini quopiam loca commodiùs recipiant periapta, nimirum caput, cor, hepar, ventriculus, renes, uterus. Similiter etiam artus, videlicet brachia, manus, pedes, dorsum, & similia loca suscipiunt & sufferunt illa suspensa vel annexa meliùs pro auxilio promptiori sperando. Ambigit autem de amuletorum remotis in partibus admotorum operatione *Andr. Dudith in Epistolis Cratonianis no. 34. p. 45.*

Quòd verò amuletorum operationes in genere attinet, de his *Soph. Kozackus de sale cap. 2. sect. 18. p. 107. & 108.* statuit, quòd consistant eædem in repercussione, attractione, & ligatione, quemadmodum ideò etiam hanc definitionem amuletorum concipit: amuleta, inquit, sunt medicamenta utilia & necessaria ex variis rebus desumta in variis affectibus corporis, partibus annexa vel circumligata, ut vapores supernè deorsum repercutiant, vel deorsum trahant, vel infra quiescentes ligent, ut nec frequenter, nec copiosè inferna ad superiora vadant. Quod verò amuleta spiritibus corrigendis potissimùm apta sint, statuit *Sebast. Wirdigius medicina Spirit. l. 2. c. 28. p. 266.* amuleta, inquiens, vel periapta astrorum more astraliter agunt, spiritualiter, per radiationem, irradiationem & illuminationem; spiritus nubilosos serenando, exhilarando, erroneos reducendo, enormonticos corrigendo, furiosos placando. De hinc fundamentum ejusmodi operationum non nulli credunt situm in harmonia inter poros cutis & effluvia rerum medicarum foris appensarum & operantium, quæ poris dictis conformia esse debeant. Statuunt quippe quod effluvia rotunda requirant poros rotundos, triangulares vero itidem effluvia similia, nisi operationis spe decidere velimus. Sententiam hanc inprimis fovere videtur *Willisius tr. de febribus & Thom. Bartholinus dissertat:*

Epistolica de transplantat. morb. p. 13. & 19. Atque ea ratione Doctores hujus doctrinæ cum *Cartesii* illa corpusculari traditione consentire videntur. Vereor autem ne hæc doctrina in multis hæreat, si quis accuratiùs illud: *redde rationem*, reposcat; unde etiam illi doctores sine dubio crebro ad notum refugium: *latè & strictè*, confugient. Quis enim isthæc de dicta operatione mente facilè consequetur, aut conciliabit effluviorum vel atomorum illarum actiones & operationes, modò emissione effluviorum medicorum, modò admissione & receptione miasmatum morbificorum, & quidem juxta pororum & medicamentorum istiusmodi harmoniam. Quis, rogo, dissensum aut consensum hunc facilè exponet, aut dilucidabit, si istæc strictè sunt attendenda.

Non pauci etiam autores statuunt, periammata quæpiam extrahendo materiam morbificam è corpore operari; sicut hæc est mens, inter plures alios, *Joh. Asfveri Ampsingii, qui dissert. Jatromathematic. p.* 174. alexiteria, inquit, duum fere generum sunt, quædam enim amicissima familiaritate vim deleteriam extrahunt &c. Sed quia de hac vi attrahendi Zenechtorum superiùs inter venenata *p.*320. mentionem fecim9, plura de iis hunc in modum jam differere desistimus. Non infrequenter etiam mitioribus amuletis eadem operandi ratio assignatur, inprimis iis, quæ catarrhis destinata creduntur, scilicet succinum aliaque similia, uti ex catalogo nostro periaptorum præmisso *p.*72. innotescit. De magnetica ejusmodi vel tractoria vi, & quâ periapta ex profundo humores ad cutim trahere dicuntur insensibiliter, id est modô efficiendi, non utique manifestô, cùm in multis insit virtus tractrix, ut in magnete &c. de hac vi, inquam, in modum dictum loquitur *Rodolph. Goclenius de peste p.*84. Magneticæ operationis quia jam modò facta est mentio, non possum non etiam ideò allegare verba *Kircheri de arte magnetic. l.* 3. *p.* 724. mirifica, inquit, vis est corallorum contra febres, topatii, hyacinthi, & smaragdi contra venena, & lapidis bezoardici contra pestilentes & morbiferas ægritudines, totum corpus in momento, non secus ac magnes quævis corpora, & lux durissimum vitrum

vitrum penetrant; ubi inimicum sibi contrarium invenit, aut amicum, in illum agit tantisper, dum eum aut expulerit aut attraxerit. Consensus ergò rerum per quandam sympathiam & antipathiam fit in sensu communi, factâ communicatione &c. Paulò post illa adducta etiam autor probat ejusmodi sympathiam per chordam quietam existentem minimeque tactam, quod sonum illum tamen edat, quem alia chorda excitat commota, & quidem communem tonum cum illa continens. Verba hæc veri quidem speciem quandam ostendunt, verùm vix ad amuleta, & Zenechta inprimis, sufficienter applicari poterunt. Magicam operationem amuletis tribuit *Digbæus de immortal. animæ p. 206. c. 18.* eam autem fieri attractione per calida arbitratur. Adstipulatur itidem ex veteribus opinioni de vi tractoria periammatum occupatæ *Galenus lib. 5. de simplic. c. 17.* ubi admittit ea, quæ qualitatis familiaritate attrahunt, aut totius essentiæ similitudine noxam depellunt; rejicit verò ibidem hic medicinæ quondam antesignanus ea, quæ non vi quadam medicâ operantur. Inter alia forte etiam materiæ huic verosimilem rationem lucrarentur transplantationes morborum, si verum illud, atque firmô ratiociniô confirmatum foret negotium, quòd animalia varia, vel quæcunque res pro transplantatione usitatæ in se derivarent morbos, & dolores præcipuè, dum liberant iusimul hac ratione homines à morbis suis; sed de his aliis in locis nostri scrutinii majori severitate inquirimus. Id solùm ratione hujus negotii nos suspensos tenet, quòd res istæ eô institutô homines liberent ab affectibus, ut in se devolvant, vel suscipiant eosdem. Vis eadem tractoria porrò ex hoc colligi potest, juxta doctorum transplantatoriæ artis sententiam, quòd svadeant res corpori priùs applicatas ab aliorum sanorum hominum conspectu & attactu removeri, ne morbifica causa vel materia in illas res derivata, postea in sanos homines transferatur, si sanus homo fortè, eas tangat; sed huic negotio Tartareum taciturnque vaframentum subesse suspicamur, idque jam ante etiam in nostro scrutinio examinavimus. De succini autem vi tractoria in capitis dolore & catarrhis efficaci, nemo

mo ferè inter plebejos, & multos etiam eruditos, dubitat. Id verò non obscurè colligendum esse arbitrantur quidam ex colore globulorum succini (aliarumque rerum, & gemmarum præcipuè) amisso vel immutatô, de quo brevi post plura. Utrum autem exigua non rarò portio amuletorum pro copia morbificæ materiæ recipienda sufficiat, aut qua necessitate periapta instar siphonis illam materiam exsugant, aut ex corpore excutiant, sive etiam magnetis instar aut spongiæ erpetuent suas operationes, id ignoro; inprimis si effectus ille laudabiles aliquoties ab iis verè profluxisse observentur. Interim de vi tractoria succini adeat, cui placet, *Pomarium de consens. & dissens. pag.* 64. §. 8. & *Schwimmerum in curiosit. physic. pag.* 16. De electrica ejusdem virtute legi quoque meretur *Joh. Nicol. Pechlinus de purgantibus c.* 2. *p.* 33. Singularem etiam suam observationem de attractrice facultate succini recenset *Dan. Beckerus de cultrivoro p.* 48. quòd scilicet armilla ex succini globulis instructa ad manum dextram virginis, variolarum copiam attraxerit, liberâ relictâ manu sinistrâ, cum armilla altera crebrò ab illa deciderit, nec similem efficaciam exseruerit. Propter eandem vim laudatam repetimus non immeritò ea, quæ superiùs *p.* 68. inter amuleta capitis dolori opposita tradidimus ex *Baricelli horto geniali pag.* 133. qui dictus autor ex *Mercurialis* mente gagetem lapidem propter hemicraniam collo appensum mederi illi malo dicit; atque istum etiam pondus majus inde contrahere ob vim tractoriam. De eadem vi attrahente, præcipuè si succinum maritatum sit nostræ mumiæ, inspici potest *Helmontii tr. de magnet. vuln. curat.* §. 37. & 144. Cæterùm quòd succinum æquè, ac, aliæ quædam res, levia vara attrahat, cum ratione facultatis hujus addita, colliget Lector benevolus inter alios plures *ex Pomarii l. a. Pistorii centur.* 3. *quæstion. Physic.* 79. & 80. *Wigandi tr. de succino p.* 29. *Borelli cent.* 2. *observ.* 88. *Weberi discurs. curios. p.* 148. *Zeileri cent.* 1. *Epist.* 79. *Kippingii instit. Physic. p.* 249. *Grubii de transplantatione morbor. p.* 3 *&c.* quo in loco autor ultimus de hac materia promittit se acturum fusiùs aliqn. in *succinologia*, suô tempore edenda; atque in hac fortassis curiosa etiam de succini medica vi tractoria expectanda erunt.

Nata

Notum quoq; est, quòd juxta hunc ductū vis tractoriæ medicæ succini, talem potestatem autores non obscurè tribuant coralliis, aliisque gemmis & rebus amuleticis; veluti paulò inferiùs etiam vis magnetica sive electrica gemmis integris assignata occurret. Mulieris hystericæ verò collo gestata aliquandiu corallia dicuntur pallescere, & recuperare fulgorem suum perditum, si ad carnes mulieris sanæ affricentur; velut memorant *Helmontius Tum. pestis p.163. & p.183. Grembsius arb. integra & ruin. l.1.c.7. §. 3, n.23.* aliique plures. Idem illud, quoad coloris mutationem evenire, si fluxu menstruō laborans mulier corallia gestet, dicit *Rattray Theatr. sympath. p.15. & 27.* De eodem agens *Frid. Hoffmannus in clave Schroderi p.161.* arbitratur atomos & effluvia cacochymicorum invertere coralliorum colorem, ut pallore inficiantur; sani verò hominis efflavia rutilantem colorem conservare & adaugere, vel amissum reparare ait. Confer de eodem *Cnæffelium appendice ad Miscellan. Leopoldino-Cæsar. curios. dec. 1. anno 6. & 7. p. 64.* Quod coralliorum orbiculi elaborati & levore perpoliti, uti & nux myristica, si à viro gestentur, rubescant exsuperantius, ac nitorem suum vel vigorem retineant melius, quàm si iis gestatis fœmina decoretur, ubi in pallorem elangvescant & colore destituantur &c. vid *Lev. Lemnius l.2. de occult. nat. mirac. c. 22.* De varia coralliorum ope, & coloris mutatione non nulla etiam ventilata prostant apud *Schwimmerum curiosit. physic. p.91.* Obiter his contrariam rationem inferimus de coralliis à serenissima principe quapiam sana gestata, quod colorem suum nativum cum pallido & fœdo mutarint, eumque in alia nobili sana muliercula perseveranter servarint; sed pristinum suum colorem eadem recuperarint, ubi tanquam abjecta postea gesta fuerint unicâ solùm nocte à valetudinaria cachectica & chlorosi, pallidave facie laborante, de quo *Miscellan. Acad. Leopold. Cæsar. curios. dec.2. ann.4. observ.158. &c.* Plura itidem ibi de colore ejusmodi mutato prostant. Inter alia, *loco allegato p.303.* occurrunt etiam quæpiam de carabe gestata, quod expallescens in viro quopiā futurū morbum indicarit; item de annulo mercuriali fulvum in statu sano, in languente verò nigrum calorem assu-

mente. Sed ut ad priorem materiam revertar, mirabilis est historia, quam ex Nidero refert *Jacob. Gaffarellus curiosit. inaudit.* (*Latinè redditis*) *p.* 81. quod gemma quædam imagine crucifixi (natura opifice) notata, subitò nigricante nubecula obvoluta fuerit, quoties mulier quæpiam menstruorum tempore propiùs eam adspexit, postmodum verò absente illa iterum soluta fit ista macula; utrum vero gemma illa ex coralliorum classe fuerit, mihi non liquet. Gemmas autem alioquin varias maculas concipere, pro ratione gestantium easdem, mox docebimur ab autoribus non paucis. Istam verò dictam constitutionem coralliorum quidam autores in analogiam illorum conjiciunt, quam cum sanguine habere dicuntur. *Casp. Peucerus orat. de dignitat. artis medicæ* inquit: corallia de collo suspensa colorem cum affectibus cordis mirificô consensu mutant. Efflorescit enim rubor corde, ceu revivìscente ex ægritudine aliqua, aut in lætitiam effusô. Pallescit exhaustô, vel torrefactô corde, vel mœstitiâ sensim extabescente. Juxta ductum paulò ante à nobis dictorum non immeritò indagamus, utrum ab omni menstruali muliere, & quævis quidem corallia indifferenter inficiantur colore fœdö, quod æquè fortè lubricæ fidei est, ac sequens doctrina quorundam de menstruo sanguine fœminarum, cui nescio quas mirificas, tabificas, & venenatas facultates tribuunt. Multorum quippe testimoniô confirmatur specula infici maculis, si menstruatæ ea inspiciant, quod si de omni menstruata verum esset, multa specula sine dubio perirent. Illud verò assertum de infectione speculorum non infrequenter tradunt & approbant, qui de fermentatione scribunt; ubi non adeò in oculos, quàm halitum oris, illam inficiendi potestatem illi & alii autores conjiciunt. Idcircò hanc in rem ii consuli possent, qui de incantatione oculorum agunt, de qua re nostrum non adeò est hoc in loco agere. Qui verò de inficiendi illa potestate speculorum plura rescire cupit, evolvat *Plinium l.* 28. *c.* 7. *Aristotelem libr. de somno & vigilia*, *Portam mag. natur. l.* 8. *c.* 14. *p.* 356. ubi dictus autor etiam de operationis ejusmodi modo agit. Jungi iis quoqve potest *Platina dialog. contra ambres*, *Isaac Schockius centur. problemat. historic. medic. probl.* 15. *p.* 14. *Roder. à*

Castro

Castro medic. polit. l. 4. c. 1. p. 207. *Mich. Freudius* in Gewissens-Fragen von der Zauberey *qv.* 194. *Gabr. Naudaus de studio militari l.* 1. *p.* 390. & *Joan. Bapt. Sitonus Iatrosoph. miscell. tr.* 26. *p.* 137. De eodem, & quod non ita ab oculis, quàm halitu & aliis effluviis corporis menstruatæ id proveniat, agit itidem Excell. *Joh. Christ. Frommannus disput. de fascino p.* 96. Cui sententiæ ego etiam adstipulor. Cùm verò rarò maculæ illæ dictæ speculis inductæ deprehendantur à mulieribus menstruatis, illud fortè aliquado tantùm à quibusdam illis, & forsan non in omni speculo observatum fuit; & quidem à mulierculis illis, quarum sangvis singulariter corruptus exstitit: veluti de scorbuticarum aliarumve similium sangvine & humoribus paulò post plura trademus. Videri etiam in hanc rem potest laudatus Dominus *Frommannus l. a. p.* 9. Non planè etiam videntur impossibiles illæ speculorum maculæ, cùm annulos quoqve, aliasve res ex mercurio itidem & quidem coagulato factas, in variis morbis laudatas, nigredinem (facilè tamen iterū detergendam) contrahere ab ægris dicant quidam; uti ex *Georgii* Pitschki *Zenexto*, & nostri Scrutinii, vel aliorum autorum locis innotescit. Taceo quod citiùs fortè illa speculorum corrùptio metuenda sit, si cibos assumserint mulieres isti corruptioni promptiùs inservientes. Quoad specula illa insuper non nulli excipiunt & arbitrantur, quod non adeò specula vitrea, quàm metallica olim usitata, infecta fuerint à mulieribus, uti est apud *Fortun. Plempium opthalmagraph. l.* 4. *problem.* 9. *p.* 126. Hæc de speculis verò inserta ideò adduxi, ùt ansam inquerendi relinquerem curiosis, num ex dicta præsuppòsita speculorum infectione colligi possit amuletorum ratio (ut quidam penè sibi persvasum habent) quòd scilicet corallia vel gemmæ aliæ à menstruatis similiter infici possint. Illud dictum, ceu antea etiam innui, non planè nego; utrum verò morbifica materia absorbeatur à dictis appensis, ut corpus ideò liberetur à malo suo per modum concentrationis, & morbifica materia in appensa derivetur, nec undecunq; illa per corpus unà extrudatur, juxta transspirationis sensibilis aut insensibilis modum, id inquiro hoc loco? *Joh. Mich. Schwimmerus curiosit. phys. p.* 90. arbitratur, gemmas non simpliciter vel ca-

su coloris mutationem pati ab effluviis humanis, & quidem cujusvis hominis, nec in quovis affectu, hinc præsupponit requiri etiam peculiarem receptivitatem patientium gemmarum, ob similitudinem substantiæ præsentem.

Nihil etiam aliàs frequentius penè inter physicas traditiones obvium est, quàm quòd gemmæ maculas concipiant, aliasve mutationes sufferant, pro conditione gestantis; veluti inprimis etiam castitatem violatam aliasqve plures prodere actiones venereas creduntur illæ contractis istis indiciis conspicuis. Imò quòd gemmæ gestatæ planè disrumpantur in pravæ libidini deditis, asferunt quidam: quemadmodum de smaragdo allegati autores videri possunt in *Frideric. Hoffmanni clave Schroderi p. 157.* Hoc equidem iterum admittitur, quod gemmæ ab impuris quibusdam hominibus gestatæ maculas concipiant, si nimirum illi humoribus, & emittendis vaporibus acribus ac pravis scateant; negatur tamen illud, quod ob venereos & illegitimos actus crebrius vel communiter gemmæ annulis inclusæ, vel alio modô corpori appensæ ac gestatæ maculas aut rimas contrahant apud *Sylv. Rattray in theatro sympath. p. 642. 643. &c.* De smaragdo autem, quod liciti aliàs coitus impatiens sit, autores videri possunt citati (qui scilicet dictum illud negant, aut adstruunt) in *Job. Adam. Weberi* Unterredungs-Kunst 2. Theil *p. 597. &c.* Stat quoque hic autor ab affirmantium parte; quo vero ratiocinii vel experientiæ fundamentô firmô id fiat, non reperio. Conferatur etiam de hoc *Job. Bapt. du Hamel oper. philos. tom. 1. p. 461.* De hac materia *Caspar. Peucerus orat. de dignit. art. med.* inquit: Smaragdus gemma epilepticos paroxysmos vel arcet, ne accedant, vel cum invadunt, profligat, si vincit: si succumbit, vel rumpitur ac dissilit, vel cum nitore vim omnem amittit. De gemmarum maculis reperiuntur quoque nonnulla apud *Lev. Lemnium de occult. mirac. nat. l. 2. c. 30. Rueum de gemmis l. 2. c. 18. & Bootium l. 2. c. 116.* Ubi postremus autor benè de dictis maculis, à quibusdam ægrotis in gemmas quasdam transeuntibus, & postea iterum evanescentibus disserit; uti & de Turcoide, lapsus hominis quasi excipiente, & dehiscente, hominemqve illæsum præservante agit; sed ulti-

ultimum hunc effectum naturæ limtes transilire rectè pariter statuit autor ibidem. Velut etiam *l. a. lib.* 1. *c.* 25. illa de Turcoide, & de maculis in smaragdo, adulteria sentientibus vel prodentibus (si quæ similia fortè innotescant) supernaturali causæ tribuuntur. De smaragdo etiam autor sententiam suam repetit *lib.* 2. *c.* 53. *p.* 149. De hac materia item inferiùs *c.* 4. *sect.* 1. similia occurrent. Cui præterea addi possunt, quæ in catalogo amuletorum *tit. Augurationis* citavimus. Interim aliud forte testarentur de gemmis istis, si liberè fateri vellent observata sua, qui impuræ & illicitæ libidini, seu vicariæ operæ maritorum injustæ sive furtivæ indulserunt. Non equidem aversor credere, quòd gemmæ gestatæ quandoque à vitiosis humoribus exhalantibus, si quibus scatet corpus, afficiantur, atque color earum inde deturpetur; & ex adverso revivi scant eædem tractu temporis, suumque nitorem resumant, si sanis corporib9 affigantur. Imò suspicor sponte evanescere istas maculas, si gemmæ vel corallia sanis corporibus appendantur, idque eò citiùs, si linteis, vestibus aliisve adminiculis detergantur, nisi pabulum novum iis accedat. Dictus nitor naturalis etiam eo citiùs expectandus est, si humores vitiosi splendorem coralliorum obnubilantes, integram illorum substantiam aut non nimis profunde pervaserunt, aut corruperunt; quod pariter non adeò facilè metuendum est, nisi diu gestata sint ab impuris hominibus, aut qui scorbuticis vel similib9 summè acribus humoribus (quorum alio in loco mentionem faciemus in posterum) scateant. Proinde non arbitror vim peculiarem inditam esse lapidibus, pro morbifica causa vel vitiosa humorum amurca concentranda & è corpore provocanda; sed necessariò gemmas illas gestatas infici suspicor ex contiguo suô situ vel attactu, quo à corporibus morbosis halitus & vapores corrosivos facilè assumere illæ vel absorbere simul possunt. Ponderet itidem curiosus lector, utrum exigua gemmarum portio sufficiat pro larga sæpe copia vitiosæ materiæ eliminanda vel exsugenda. Opinionem illam meam fulcit quadantenus *Frid. Hoffmannus l. c. p.* 155. dum colligit item de rubino in coitu, & de corallis à pueris gestatis, quòd ab acido occulto, in effluviis gestanti-

um delitescente, maculæ oriantur; cùm à pueris inprimis morbô decumbentibus, acidus odor percipatur. Acidum autem dicta gemmarum & coralliorum corpora præprimis impetere, statuunt non pauci; de quo jam disquirere nobis non licet. Pro *Hoffmanni* sententia faciunt etiam verba *Thom. Bartholini dissert. epistol. de transplantat. morbor. pag.* 20. lapides quoque, inquit, morbis nostris afficiuntur. Corallia rubra in armillis gestata pallent in morbo puerorum, quasi acidâ lymphâ, menstrui instar, ex corporibus illis exhalante. Largior etiam ego post hæc, quòd gemmæ quæpiam molliores (quia non omnes eandem duritiem & maturitatem, vel materiam semper habent) citiùs præ durioribus, humores ex corpore attrahere, atque sic maculas aut ruptionem pati possint. Eundem penè in modum de poris gemmarum, maculis, & ruptione illarum speculationes (detectas mihi tandem post meas istas conceptas) reperi à *Grubio de transplant. morb. p.* 80. *&c.* ubi plura tradit autor de gemmarum fissuris & ruptionibus, unde scilicet has oriri credat; veluti quidem illas concepisse smaragdum in actu venereo gestatum perhibet *Cardanus l. 7. p.* 243. de quo, & aliis non nullis, de smaragdo annotatis, etiam constat ex *Jac. Pontani bellar. Attic. pag.* 327. Easdem iterum cogitationes ferè deprehendi longè post illas meas paulò ante consignatas de attractione gemmarum apud *Conr. Gesnerum lib.* 1. *Epist. p.* 4. qui sic ait: Hyacinthi colorem mutari, dum gestatur affectô corde, esto; & similiter coralli: fieri hoc ego putarim à vaporibus, qui à corpore ægro exhalant: non inde, quòd peculiaris ei cum corde sympathia sit. Ex paulò ante memoratis haud difficulter item colligi poterit, quòd lue venereâ contaminati, & alii similes (humoribus rodentibus abundantes) tandem in quasdam gemmas maculas, ipsámque ruptionem inducere valeant; Idque eo magis metuendum est, si exercitio venereo suo (uti masculè isti plurimi solent) indulgeant, atque sic humores acriores reddant, eosdemque per sudorem crebriùs quaqua versus, nec minus ad annulos & gemmas, emittunt ac amandant. Potuit etiam eò citius rumpi gemma quæpiam aliquando, si eadem fortè antea ex aurifabri, vel alius incuria

cutia

curia levem scissuram, vel initium hujus contraxit; sique acrimonia mercurialium vel antimonialium rerum, pro annulis conficiendis alioquin usitatarum, in factum deducta fuit à sudore, sive transspiratione insensibili, sive aliô adminiculô, unde ruptio gemmarum postea fortassis secuta fuit observata. Præterea liberè examinandum relinquo sequens hoc, quod annotatum prostat apud *Vairum l. 1. de Fascino c.* 13. quòd vir quispiam in mercatoris cujuspiam manibus detentam gemmam elegantissimam atque pretiosissimam oculis immotis intuitus fuerit, unde dicta gemma dissiluerit, nullô aliô adminiculô, vel violentiâ externâ notâ accedente. Tribuunt equidem aliàs quidam oculis quibusdam annatam ejusmodi, aut morbificam vel planè mortiferam vim; utrum illa itaque causa (quæ suspecta tamen, nec plausibilis omnib9 videtur) vel diabolica fascinans vis, aut impuritas corporis ex venere illicita, vel alio paulò ante dicto adminiculo, orta exstiterit causa indicatæ ruptionis, deliberet lector benevolus. Ad naturales verò, sive etiã ordinarias causas minimè pertinet, si Deus fortè, ruptione gemmarum, quibusdam in animum revocare voluit impia & illicita facta, turpi venere perpetrata, aut alia monita præteritis vel futuris notandis destinata. Quia etiam difficulter credimus ejusmodi traditionib9 circa gemmarum effectus occupatis, eò minùs iis auscultabimus, tum hoc tum aliis nostri scrutinii locis, qui sensum aliasve plures stupendas dotes gemmis tribuunt; verùm id credimus fieri sine experientiæ vel illarum licitæ constitutionis sufficienti testimonio. Evidens magis verò trahendi potestas quoque inest rebus siccioribus, nec adeò solidis; veluti in præcedentibus de lapide colubrino quopiã *p.*406. ratiocinati sumus. Si quis tamen in aliis rebus, vel amuletis specificam ejusmodi vim tractoriam quærat, aut inveniat, ei inposterum promptiùs auscultabimus; modò non simplicem veterum traditionem, & quidem solidâ experientiâ destitutam, redoleant illa. Suo loco interim etiam relinquimus illud *Lemnii* de myristica nuce *p.*471. pronunciatum, quòd isthæc per sympathiam (quam cum homine, & masculo præcipuè habeat) non solùm suum vigorem

retineat, sed etiam succulenta & speciosa magis reddatur gestata; atque hæc huc usqve adducta de tractoria facultate periammatum dicta sunto.

Occurrunt porrò aliæ quoqve operationes quæ modò evidentes à quibusdam, modò occultæ ab aliis existere dijudicantur. Sic evidentem operandi modum quidam inesse volunt Hæmatitæ lapidi, qui collo appensus frigiditate suâ contra *ῥινοῤῥαγίαν* facere putatur, nimirum jugulares stringendo, de quo annotata loqvuntur apud *Bauschium de Hæmat. c. 5. p. 99. &c. p. 103. &* 141. Negari hoc loco non potest, quod actu frigida similem effectû, scilicet sistendi hæmorrhagias, possideant; veluti ista etiam non infrequenter tam à peritis quàm inperitis pariter ideò in usum vocantur. Imò pro majori efficacia, quidam territionem applicandis istiusmodi frigidis, & acidis inprimis, adjungendam simul esse svadent; & ita quidem, ut cum impetu insciis iis hæmorrhagiâ laborantibus, isthæc applicentur. Verùm uterq; hic curationis scopus, num in rationali medicina locum inveniat, supersedeo hac occasione prolixè inquirere; cùm reservem mihi aliquando de quæstione hac agere: *Utrum pro morbis curandis morbos excitare liceat.* Alteri quæstioni, de frigidis à quibusdam laudatis, forsitan alio commodiori loco item satisfiet. Exc. noster *Georg. Wolffg. Wedelius de medicam. facultat. p.* 233. arbitratur etiam ejusmodi annotata sangvinem promanantem compescentia operati partim actuali, partim potentiali constrictione, seu vi suâ martiali. Verum omninò est illud, quòd vis medica quoqve seu martialis insit in isto lapide, ceu resolutiones chymicæ facilè manifestum reddunt. De aliis operationis modis, quibus dictum amuletum efficax censent alii autores, patet ex *Bauschii l. a.* Plura quoqve de aliorum amuletorum operatione simili, quam quidam ex qualitatibus primis non rarò deducunt, adducere jam supersedeo; eadem verò judicio curiosi lectoris facilè innotescent, cujus nimirum sint ponderis, & utrum applausum vel dissensum mereantur; videantur in præcedentibus adducta *p. 314. &c.*

Dicta ejusmodi efficacià periaptorum præcipuè in corpus immitti dicitur ac videtur; unde progredimur jam in specie ad illum operandi modum, quô periammata quædam dicuntur

cuntur vires suas in corpus immittere vel infundere. Audiendus proinde hac pro sententia dilucidanda videtur *Joh. Wierus de præstig. Dæmon. l. 5. c. 20. p. 579. &c.* periammata, inquit, & amuleta, verè physica, ratione quoqve fulciri naturali, & ab eorum substantia vapores quosdam, velut ἀτόμας, defluere quidam contendunt medici, qui spiratione occultè attracti, morbi causam virtute suâ alterare, corpusqve reficere possunt. Hac ratione radicem pæoniæ maris recentem, & anagallidem rubro flore contra epilepsiæ minas suspendimus &c. De simili ratione operandi, quòd ἀποῤῥοία effluat ab amuletis, ex mente *Galeni* loquitur *Jac. Zwingerus princip. chymic. exam p.* 50. Testimonia plura illorum, qui similiter propter effluvia ex amuletis promanantia, eorum quædam efficacia credunt, ex locis variis *in scrutinio nostro* occurrentibus denuò hic repetere supersedemus. De variis ejusmodi rerum effluviis loquitur etiam *Joh. Langius l. 2. epist. 36. p. 723.* Sic *Th. Bartholinus cent. 3. hist. anatom. p.* 123. defendens amuleta, vi naturali morbis resistentia illa, per poros in corpus vires suas immittere statuit. *Ambsingius dissertat. Iatromathemat. p.* 174. conspicuum hoc dum pronunciat, quod alter operandi modus alexiteriorum consistat in eo, ut inimicissimâ vi qualitatem adversariam expellat, eô etiam modô operationem ex amuletis in corpus infundi statuit. Etiamsi operatio modò dicta, atque illa tractoria paulò ante ventilata, frequentiùs in amuletorum doctrina occurrat, suos tamen adversarios quadantenus experitur, & quidem postrema hæc: dum quidam statuunt, quòd arteriæ nihil ex appensis vel externis adhibitis, arripiant, præcipuè ex amuletis venenatis vel vesicatoriis, unde etiam rejicienda eadem sint. Extrahendò autem solùm ista operari creduntur, veluti hujus sententiæ patronos colligere licet ex *Greg. Horstio tom. 3. decad. 10. problem. 9. p.* 110. Verùm nolumus hæc prolixè jam ventilare, cùm extra dubium sit, quòd arsenicalia, & ex cantharidibus inprimis, aliisve similibus præparata caustica, vel amuleta, præter vim dictam vesicatoriam varia alia mala corpori inferant. Taceo plura testimonia, quæ itidem effluvia prodire aut in corpus immitti à quibusdam periaptis probant.

Hæc

Hæc adducta verò paulò post plenius dilucidabimus, ubi priùs satisfecerimus iis, qui Topica tantum non omnia, uti & amuleta illa rejiciunt, quæ non sunt penetrantia, fragrantia, spirituosa aut notabili sapore vel odore prædita; non enim ab his facilè vires proficisci, inque corpus spargi posse arbitrantur. Sed mitiùs de hoc sentiendum est; siquidem insipidis etiam vires inesse deprehenduntur; uti brevi id autoritate, atque rationibus haud infirmis demonstrabitur; quemadmodum etiam dissertatio *Ext. Frid. Schraderi, atque Ripenhausen de insipidorum efficacia prodiit Helmstadi* 1687. Non equidem hisce adductis suffragor iis autoribus, qui stupendos aut incredibiles effectus variis amuletis (veterum traditione potiùs, quàm experientiâ commendatos) tribuunt. Ob modò dictam verò rationem, quòd inodora vel insipida, exteriùs apposita corpori, nihil efficiant, etiamsi constent ex pretiosis; propterea inquam sacculos pro epithematibus cordis & pulsuum, ex fragrantibus confectos, iis longè præfert *Zwelferus Pharmac. Reg. p.* 103. Sic autem inquit: demirari satis non possum amethodum eorum, qui regioni cordis & pulsificis partibus lapides & gemmas, corallia & margaritas, ut ab his naturæ subsidium feratur, ridiculè applicant; an ignorent, quòd ejusmodi ad cordis & corporis penetralia & abdita nequaquam admittantur, nisi ab acidulo nostrate fermento actuentur, & veluti solvantur: quid deforis amabo præstabunt, dura & cruda inodora & omnibus ossibus aridiora. Confer etiam *Poterium* aliosque de gemmis eadem sentientes. Utrum præterea etiam gemmæ integræ præ contritis majorem vim exserant, cùm aliàs vis tractoria vel electrica major in succino & magnete integro vel solido, quàm in comminuto esse videatur, ambigio, veluti quidem istud non obscurè exponit *Joh. Nic. Pechlinius de purgant. c.* 2. *p.* 28. & 32. Illud verò de gemmis, juxta quorundam sententiam modò dictam minùs nobis arridet, nimirum quòd solidæ illæ vires majores possideant, quàm contritæ; illarum enim vis similis tractoria, magnetica vel electrica in morbis efficax nondum est demonstrata. Imò novimus autores, qui contrarium potiùs tu-

entur

entur, statuentes pro interno præcipuè usu solutas vel contritas gemmas solùm recipiendas esse, si quid efficaciæ ab illis expectari debeat; cui sententiæ & ego assentior. Interim si experientia firmior certiora de illo me edoceat, paratus ero quôvis tempore arripere illam sententiam; plura quoq; alius *nostri scrutinii* locus de his suppeditabit.

Sed nondum forte iis satis responsum est, qui inodoris, tùm internè, tum externè adhibitis omnem vim medicam derogant; impugnant autem hoc inter alios plures *Pechlinus l. a. c. 14. p. 146. &c. Zwelferus Pharmacop. August. Append. p. 35. Excell. Dominus Wedelius de sale volat. p. 12. Helmontius de morborum sede in anim. sensit: §. 15. p. m. 347. David* von der Beck *Experim. circa natural. rer. principia p. 93.* & alii plures. Nihil commemorabo de liquore Alkahest, qui licet juxta *Laurenbergii* aliorumque sententiam insipidus existat, magnam tamen potestatem solvendi varia corpora continere dicitur. Ecquis aquæ insipidæ elementari omnem vim nutriendi aut vegetandi detrahere audeat, cùm varia experimenta nihil dubii de hac relinquant. Similiter variæ terræ, calci, lapidi, radici, semini, legumini, plantæ, gummi aliisque rebus, exiguus aut nullus pene inest sapor & odor, quæ tamen vi medicâ præditæ sunt; imo si eædem varia ope chymiæ solvuntur aut præparantur, satis evidentes qualitates odore atque sapore perceptibiles edunt. Ecquid de metallicis quibusdam rebus, inprimis Arsenicalibus, Antimoniatis & Mercurialibus statuemus; ex his enim varia medicamenta parata nullum pene saporem vel odorem possident, & tamen satis validam operationem præbent atque comprobant. Quid fontes soterii, saporis itidem non rarô expertes, sæpe efficiant, experientia non obscurè comprobat; quamvis etiam alia accidentia illorum vim adaugere polleant, de quo aliquando nos fusius, ubi *de fontibus soteriis* agemus. Quid præterea vapores vel fumi metallici, inunctiones mercuriales aut mercurius, auripigmentum, arsenicum aliaque similia corpori admota forinsecus vel appensa, citra efficaciam sensibus in initio perceptibilem efficiant, nolo denuò jam ex antea dictis repetere.

Quod verò gemmas concernit, eædem sæpæ etiam de metallis participant, uti chymia hujus rei fidem facit, & autores varii non obscurè docent; consulantur de eo inter alios *Helmontius arbore vitæ fol. m. 483. Joh. bapt. Hamelius oper. Philos. tom. 1. p. 452. Hornius hist. natural. l. 4. c. 6. p. 238. Robertus Boileus de gemmis. Dav.* von der Beck *in experiment. circa nat. rer. principia p. 281.* Metalla verò & gemmæ inde oriundæ, non rarò continent mercuriale aut antimoniale, vel simile quid, cujus ratione efficacia magis esse possunt dicta corpora. Quia etiam de lapide nephritico, & aliis lapidibus vires quædam ab autoribus variis deprædicantur, non omninò impossibiles easdem censerem, modo experientia crebrior effectum quorundam amuletorum ritè comprobaret. Imò largiorem quantitatem quibusdam periaptis necessariam, vel pluribus partibus eadem simul applicanda esse crederem, si quid laudabilis expectari ab iis deberet. His hactenus verò dictis, non eas vires gemmis tribuo, quas autores non nulli indulgent ipsis: dum vires alexipharmacas, in animam agentes, occultas, & humanum captum transsilientes non rarò illis assignant. Longiùs equidem possemus immorari considerationi de insipidis occupatæ: quatenus scilicet eadem varias operationes edere possint, si in corpus admittuntur loco medicamentorum, uti de crystallis, silicibus, cornu cervi usto, aliisqve speculationes nostras exponere valeremus. Sic salia quædam longâ ignis torturâ in vitream & insipidam materiam abeunt, quæ tamen à ventriculi menstruô vel fermento soluta, in usum medicum corporis ægroti bellè cedere possunt. Ad plura itaqve respiciendum est in variis medicinæ negotiis, ne fallamur, si paucis solùm & insufficientibus quibusdam phænomenis fidamus: Natura enim non nimis arctis limitibus est inclusa. Non malè quoq; de duris corporibus, quomodo scilicet vis quæpiam ab ipsis, (si fricentur vel corpori appensa incalescant) exhalare possit, etiamsi sensui id negotium minùs expositum appareat, uti quidem in olentibus plantis effluxus; benè inquam de his exemplis eadem simul illustrando agit *Lev. Lemnius de occult. nat. mirac. l. 2. c. 3. p. 149. & 150.* Hoc non equidem nego penitùs, sed magnam & sufficientem efficaciam ex portiuncu-

la

la exigua omnis amuleti quòd emanet, inque corpus migret, morbumque debellet, id non adeò fides nostra medica complectitur. Interim restant adhuc alia loca in subsequentibus producenda, quæ sententiam modò adductam *Lemnii* rationibus atque exemplis pariter confirmant.

Restat adhuc, ut demonstremus porrò quomodo vires ab amuletis emanantes in corpus ferantur: quòd autem externè admota cuti, & pulsibus inprimis, vel locis iis, ubi vasa sangvifera majora præstò sunt, facilè in corpus agant, experientia, ratio, & autoritas minùs suspecta scriptorum comprobat. Evolvatur inter alios *Joh. Theodor. Schenckius Schola part. hum. corp. sect.* 2, *part.* 1. *c.* 2. *p.* 30. & 31. *Herm. Grubius de arcan. med. p.* 57. *Sennertus Institut. med. lib.* 5. *part.* 1. *f.* 1. *c.* 11. *p.* 951. & *Ludov. Lemosius lib.* 3. *de natural. facult. c.* 4. Hic ultimus inter alia inquit: arteriæ sunt circa cutem, quæ ad ipsam finiuntur, aërem externum attrahunt per cutis emissacula; ut hinc intelligas cor non solùm refrigerari per os & nares, sed etiam per universam cutem; hinc etiam contagia contingunt, & carpis apposita excitant ventriculi appetentiam. Quomodo item gemmæ meliùs operentur (simili illo dicto modo) si nimirum annulis includantur & de digito annulari gestentur affixi, patebit inferiùs ex autoribus aliis *cap.* 4. *sect.* 1. adducendis. De rebus illis, quæ pedibus substernuntur, vel applicantur, quomodo agant in remotas corporis partes, beneficiô consensus & nervosarum partium, agit *Hæferus Herc. med. l.* 3. *c.* 5. *p.* 201. De eadem materia, scilicet consensu partium atque inde orta operatione, præcipuè verò de pulsuum cum corde, & pedum cum capite Sympathia, videatur *Francisc. Bacconus in Sylv. Cent.* 1. *Experim.* 97. Consuli etiam plures autores possunt, qui de consensu partium scripserunt, videlicet *Bausnerus* & alii. De aliquibus harmoniis vel consensibus partium non nulla quoque prostant in *Miscell. Acad. Leopoldino Cæsar. Anni* 1. *Obs.* 20. *p.* 80. &c. Verùm nolo de hac materia consensus plura jam addere; sinè dubio verò in negotio illo non segnem proxenetriam agit circulatio sangvinis. *Helmontius tr. de Febribus c.* 17. §. 12. 13. asseverat, se per emplastrum suum centenas quartanas tutò sanasse, sine recidi-

 va,

va, licet autumnales fuerint; subjungit tamen simul autor ibi, quod dicti emplastri obsequia tardiora fuerint in obesis. Id vero inde ortum duco, quia in iisdem vasa mole pinguedinis oppressa sunt, nec cutis adeo pervia, propter pituitosos humores loca omnia corporis explentes; ac denique quia sanguinis circulatio non adeo est expedita, uti quidem in macilentis: in illis enim major vasorum angustia prostat, & sanguis pituitosos humores magis habet admixtos, nec spiritibus adeo gaudet. Hinc Apoplexiam & suffocationes etiam obesis citiùs insidiari credimus, uti non nulla de hoc in *dissert. de obesitat. exsuperante* notavimus. Comprobat præterea illam meam sententiam ferè *Hippocrates Epidem. l. 6. sect. 6. text.* 1. inquiens, si quod venenum est ingestum, aut etiam cuti affixum, tanto citiùs solet interimere, quanto homo calidior ac majori pulsu est. De densitate cutis autem, quod transspirationem impediat (& consequenter etiam admittat ægriùs medicamentorum effluvia) agit itidem *Hippocrates l. 2. sect. 3.* Sic etiam substantia crassiore, magisque compacta & solida adipis in corpore halituum egressum simul impediri dicit *Arnold. Sengverdius osteologia p.*10. *&c.* Ex his itaque dictis segnis amuletorum operatio facilè colligi potest. Imò negotium hoc inter alia illustrat morsus viperarum: namque eo citiùs afficiuntur & enecantur animalia, quibus tenera cutis est, videlicet, volucres, tenera quadrupedia & homines. Citiùs itidem dicta animalia pereunt, si morsus contingit illorum loca, ubi cutis texturæ tenuis adest, & ubi prostant multæ venæ, vel arteriæ; è contrario non ita afficiuntur dicto morsu bruta majora, utpote quibus crassa est cutis, morsui non facilè cedens, vel venenum admittens. De quibus dictis experientiâ multiplici instructus loquitur *Francisc. Redi in Epistola ad oppositiones datas in suas observationes de viperis p.* 15.

Indulgebimus adhuc operationi amuletorum, quam ab iis in corpus immitti alii adhuc varia ratione volunt. Sic *Helmontius in ignota Action. Regiminis f.* 19. *&c.* ex actione radiali deducit vires: differit autem illic de ungula alcis, quòd tactu suô cor & caput à casu præservet, licet iter non sit de termino ad terminum, si scilicet ungula illa in digito loco annuli gestetur. Alii ta-

tamen, uti jam ante dictum, & adhuc pleniùs dicendum restat, ad evidentes magis operationes amuletorum vires referunt; veluti de indusio mulieris sanæ, menstruô sangvine tincto, ex *Hoffmanno*, superius tradidimus, quòd suppressos menses proliciat, si applicetur mulieri segnitiem menstrui fluxus patienti. Id verò dictus autor & alii in fermentum & mumialem efficaciam, à sanguine in linteo excepto, atque hinc communicato malè habenti illi sanguini alterius conjiciunt. De febrifugorum operatione sententiam hanc fovet *Willisius de febribus p.* 129. constat, inquit, inprimis eorum, quæ exteriùs adhibentur, vim & actionem sanguini, & spiritibus immediatè impertiri; & cum paroxysmum sine humoris aut materiæ cujusvis evacuatione præcavendo arceant, necesse est, ut hujus effectus ratio solummodo in hoc consistat, quod hujusmodi medicamentorum usu, sanguinis cum materia febrili turgescentia, ac fermentatio inhibeantur; nimirum à pharmaco circa vasa alligatô, effluvia sanguini communicantur, quæ ipsius particulas valde figunt, & constringunt, aut etiam fundendo & exagitando velut præcipitant. Utrôqve modô spontanea sanguinis effervescentia impeditur &c. Consentit cum adductis celeberrimus *Rolfincius chym. in artis formam red. p.* 410. & 413. quòd exteriùs applicata corpori, ubi incalescunt, communicent sanguini per poros cutaneos corpuscula quædam seu effluvia. Illa verò *Willisii* doctrina de febribus attacta, quòd scilicet materia vel causa febrilis fermentationem excitans figatur, aut præcipitetur salinis vel adstringentibus, clariùs pertractatur ab autoribus aliis. Sic de adstrictoria vi quæ ex vitriolo redundat in medelam opportunam pestis, ratio peti potest ex *Kircheri Scrutin. pestis pag.* 317. Abit quoque in sententiam *Willisii* ferè *Dodonæus in prax. med. lib.* 1. *cap.* 36. dum pro pericarpiis commendat ille herbas parum succi habentes. Verba hujus, & alia plura de ejusmodi externis adstringentibus adduximus in catalogo amuletorum inter febrifuga *p.* 148. &c. Plenior etiam notitia de dictorum operatione in febribus innotescit ex *Kircheri l. a. p.* 364. & 365. & *Kergeri de fermentatione p.* 251. &c. Nolumus hoc loco prolixita-

ti litare, circa adstringentia varia ponderanda, quatenus eadem pro ἀντιφαρμάκοις reputantur: sine dubio autem illa in malignis accusandam vim vel virus subtile, attenuans, corumpens, penetrans ac facilè multiplicabile alioquin, figunt quadantenus, alterant, partesq; varias roborant & ad expulsionem seri maligni unà permovent. Atque his in attributis, si non omnis, potissima tamen bezoarticorum potestas consistere videtur. Videantur quoq; si placet de ejusmodi materia *Exc. Pechlinus de purgantibus p. 306. & 307. Grubius de cognit. simpl. facult. p. 143. 149, & 167. Willisius de febr. p. 236. Langius miscellan. curios. Sennertus Paralipom. Quercetanus Diætetico, Jungius de cydonio malo*, aliique plures, commodiori loco in *alexipharmacorum* doctrina à nobis recensendi.

Ne verò à scopo nostro longiùs aberremus, quô constituimus ostendere, quòd juxta sententiam autorum periapta in corpus quid infundant de suis viribus medicis; descendit in hujus confirmationem etiam *Th. Bartholinus Epist. de transplantatione morborum pag.* 5. amuletis, ait, periaptis, pentaculis & his similibus autoritas accedit à corporum effluviis, sicut etiam autor citatus de venenatis statuit, quod pestem trahant: ita de mitioribus, videlicet primula veris & fabaria pronunciat, quòd dorso vel ventri appensa discutiat scrofulas. Quamvis *idem autor ibidem p.* 19. adstruat fabariæ radicem contra hæmorrhoides dorso appensam imbibere morbosi quid ex tumoribus, quia corrumpitur & ad alios usus inepta redditur; paulò post priorem hunc allegatum locum tamen autor non obscurè docet effluvia in corpus immitti ab exterius appensis. Sic enim ille inquit: externorum vis per experientiam nobis patet, quanquam causas ignoremus. Exemplo sunt cantharides, quæ etiam extremæ cuti cũ emplastris impositæ, vesicam offendunt, nec non colocynthis, agaricus, ungves & multa alia umbilico ventrique applicata alvum commovent. Nisi effluvia admittas, per poros corporis, patentiaque foramina se insinuantia, difficile erit nobis ad rationes alias penetrare. Occulta multa sunt nobis, quæ naturæ manifesta &c. Præmissis verò illis modis binis præcipuis operandi periaptorum annectimus adhuc sequentia verba *Libavii*

vii l. 4. de univerf. & origin. rerum p. 348. Quædam, ait, attractivâ virtute halitus perniciosos succosque evocant nocentes, sive familiaritate, ut scorpius, rubeta, pastinaca &c. quædam alexipharmacam vim habent, & dum appensa incalescunt, spiritus emittunt, qui vel poris vel animâ recepti juvant. Aliqua roborant naturam & in hostem animant. Quædam etiam spiritus augent vel disponunt ad benè agendum. Non nulla calorem nativum roborant; sunt qui putant consuetudine venenorum duratam naturam allapsus venenorum contemnere. Quædam disponunt aliter, ad non patiendum. Non nulla adversis exspirationibus solicitant stimulantque naturam ad expellendum, quomodo creditur lapis nephriticus ad renes proclivis destinatusque esse, & in calculos propriè agere &c. *Sophor. Kozakus de sale p.107.& 108.* ad pauca, & duo præcipuè capita refert doctrinam amuletorum inquens: Sola virtus amuletorum in eo consistere debet, ut vapores supernè deorsum repercutere, & deorsum trahere possit, vel infra quiescentes ligare, ut nec frequenter, nec copiose inferna ad superiora vadant; atque sic adversum eos membra superiora præmunire, vel ab eorum molestia liberare. Id autem faciunt amuleta, virtute eorum repercursivâ, vel attractivâ &c.

Hactenus attigimus & adduximus autorum opiniones, qui evidentes operationes & agendi modum tribuunt amuletis; sunt verò etiam alii, qui abstrusam magis, occultam, magneticam atque altioris indaginis vel operationis rationem iisdem concessam vendicant. *Helmontius* de febribus aliisque morbis affirmat, quòd ii curentur medicamentis tàm internè datis, quàm externè applicatis, & quidem citra evacuationem humorum vel expulsionem causæ peccantis aut morbificæ; hinc etiam evacuationes vel purgationes varias, venæ sectionem, aliosque similes alioquin usitatos modos curandi deridet, de quo videatur *autor dictus tr. natur. contr. nescia §. 45.* & idem *Helmontius de febribus c. 2. §. 36. Ignoto hospite morbo §. 45. tumulo pestis p.* 180. aliisque in locis pluribus. De controversia illa verò, utrum amuleta sensibiliter vel insensibiliter morbificam materiam expellere possint, loquitur *Erastus disput. contra amuleta Thes.* 49. Affirma-

firmativam autem tuetur priorem contra non nullas objectiones eorum, qui posterius statuunt. De utroque etiam evolvi potest *Bartholinus de lapid. Nephrit. c.* 11. *p.* 28. Imò quòd majus est, *Helmontius* citatus effluvia corporalia de amuletis negat; radiale quid, & nescio quos terminos vel appellationes, altioris operationis sive potestatis, periaptis tribuens. Idem hic *Helmontius* crebrò allegatus *ignota actione Regiminis* §. 19. pronunciat inter alia (paulò superius etiam quadantenus allegata) de ungula alcis, quòd non minuatur robore, quin potius confirmetur, uti magnes alloquiò ferri confortetur; in signum liquidum, quòd agens nequiquam à reactione patiatur, in actionibus seminalibus aut radialibus, & per consequentiam, nec patiens ideò reagat. Periapta itaque, pergit, sive amuleta, Blas habent, quô sibi parere objecta cogunt, cœlorum instar, aguntque in suum duntaxat, & non in alienum viciniusque objectum, citraque omne corporale effluvium, motum, passionem, aut debilitatem, sua depromunt merita &c. junge sis etiam *ipsius magnum oportet*. §. 28. Illam autem *Helmontii* opinionem minùs admittit *Rolfincius chym. p.* 410. & 411. statuit quippe *ἀπορροίας* fieri semper vel virtuales vel corporales. Non infrequens etiam alias est autorum sententia illa prior, quod amuleta non agant corporali, sed virtuali contactu; velut de pæonia *Galenus l.* 6. *de simpl. med. facult. Fernelius l.* 2. *de abditis rer. causis c.* 17. aliiq; plures statuunt. Sed proximè abhinc citatus *Helmontius* fortè non semper & de omni amuleto hanc sententiam fovet, aut ipsemet sibi etiam contradicit. Docet enim *de magnet. vuln. curat.* §. 25. quòd ungula alces epilepticos insultus arcens paulatim effœta reddatur. Ex quo asserto omninò colligere licet, quòd juxta hanc illius mentem vis medica in ungula dicta vel displodatur ab attractis morbosis halitibus, aut quod propter effluvia sua salubria corpori communicata, atque ideò perdita, debilior illa reddatur. Imò *Helmontius de potest. med.* §. 61. de fixis etiam pronunciat, quòd vi influentiæ & directivâ agant citra evaporationem; alia verò ob aporrhœam, quàm dimittant sensim, viribus minuantur. In præcedentibus item ex *Helmontio* & aliis

aliis nos retulisse recordamur, quòd venenata periammata viribus suis destituantur tandem, si aliquandiu in usum vocentur. Idem illud de ungula alces paulò ante dictum repetit etiam *Frid. Hoffmannus methodo med. l. 1. c. 19. p. 285.* Placet nobis denique adhuc auscultare *Helmontio*, qui præterea de lapidibus seu gemmis integris, vices Zenexti subeuntibus, (*in tumulo pestis f. 183.*)statuit iterum,quòd vires harum fiant irradiando in corpus, quod attingant promemodum instar astrorum, idque tam mali virtute attractivâ, quàm expulsivâ fieri solere dicit. Juxta hunc modum quadantenus *Mars. Ficinus* (*de vita cœlitùs comparanda c. 12.*) agnoscit stellarem, cœlestem, formalem, occultam, nec adeò materialem & elementarem operationem, præcipuè in gemmis, aliisque amuletis, quam vim eadem form â suâ exiguâ largiter diffundant in spiritus eorum, qui gestant illa. De vi astrorum paulo inferius pleniùs dispiciemus; interim ex modò adductis,constat juxta mentem *Hlemontii* & alios à nobis hactenus recensitos autores, quòd periapta inprimis agendo, id est, emittendo quid,& patiendo,scilicet recipiendo quid operentur; quæ verò actio inter duos istos modos promptiùs locum inveniat in quovis pentaculo, difficulter fortè, & non ab omni discerni æquè poterit. Restant verò adhuc alii autores de periaptorum operatione consulendi, qui an assensum mereantur, Ben. Lector. ponderabit. Sic verbis,huc quadantenus facientibus, bonitatem naturæ explicare conatur *Sitonus Iatrosoph. miscell. tr. 42. p. 256.* scilicet quod illâ obstetricante partes corporis ex medicamentis congrua vel salubria attrahant & adversum vel dissimile expellant.

Atque eô asserto jam modò citatô deducimur ad illorum maximè frequentem sententiam, qui periapta vel antipathiâ vel sympathiâ operari arbitrantur. Sic de operatione alexiteriorum & amuletorum venenis oppositorum statuit *Abbatius de vipera natura p. 39. & 41.* quòd contrariâ suâ vi insitâ (si extrinsecus applicentur) non extrahant, sed intus propellant, confortatione suâ extensâ. *Trallianus l. 12. c. 7. & l. 1. cap. 15.* itidem antipathiâ physicâ statuit periapta operari. De eadem operatione, quòd scilicet amuleta congenitâ consortii aut dis-

sidii proprietate, vel substantiæ similitudine, vel amicitiâ corpus alterare, aut reficere possint, loquitur *Nimannus in oration. de imaginatione apud Tandlerum dissertat. phys. medic. pag. 226. & 227.* Hærent in ea dissidii vel amoris operatione quoque *Fracastorius capit. 1. & Bodinus lib. 2. pag. 243.* Mirantur insimul hi affinitatem rerum: verbi gratia, quòd magnes ferrum, electrum paleam & alia appetant, vel attrahant, cùm nulla paritas inter illa intercedat. Verum omninò est, quòd varia rerum harmonia vel consensus & dissensus reperiatur, cujus non adeò ratio promptè semper reddi potest, licet quidam hoc conentur. Constat quippe quibusdam feles, caseos, rosas, panem, cancros, fraga, aliavè plura contraria esse; sic feles singulari appetitu vel inclinatione duci videmus in nepetam, & radices valerianæ &c. Sed plura alia hujus argumenti exempla in hanc rem coacervare supersedeo, cùm non pauci autores, de sympathia & antipathia, vel consensu & dissensu rerum agentes, similia exempla aut testimonia depromant; licet non rarò etiam absurda & à veritate aliena suis traditionibus admisceant. Ne autem ansa cuipiam desit, qui fusiùs amuletorum operationem deducere velit ex doctrina Antipathiæ vel Sympathiæ, consulat itidem eos, qui paulò pleniùs amuleta ventilant; quamvis non multi ex professo argumentum hoc prosequentes mihi innoterint. Suppeditat autem quædam de illa doctrina *Rodolph. Goclenius tr. de peste p. 75.* & alii. Jungi pariter de hoc negotio in hac doctrina possunt, qui de magnete & magneticis actionibus, ideis, atomis, aliisve similibus rebus scripserunt. Pensitantes nos ejusmodi mirabiles naturæ actiones dixerimus fermè cum aliis (sua facientibus verba de hac materia) ex *Hippocratis l. 1. de diæta*, dum dicit: ex divinâ necessitate fiunt talia, nesciunt tamen quid faciunt, unumquodqve fatum destinatum explet. Hinc iterum periapta experientiæ committo & commendo, quantumvis ista non semper omnem suam laudem ab autoribus communiter nactam, expleant; fortè tamen non omni efficaciâ quæpiam destituuntur, si major quantitas & continuatus usus amuletorum observetur & adhibeatur, uti hoc antea etiam indicavimus. Fateri insimul, præsentis hujus materiæ ductu, tenemur

nemur rem admodum abstrusam sæpe esse, quam autores quidam dictæ Antipathiæ & Sympathiæ, tanquam facilè explicabilem & intelligibilem tribuunt, eruentes eandem quoque non rarò ex qualitatum occultarum puteo, qui tamen à quibusdam ignorantiæ asylum dicitur. A posteriori quidem nonnunquam ejusmodi actiones dijudicare, & ad antipathiam, vel sympathiam referre valemus (licet fortè etiam subinde confundamus illas, vindicantes nimirum Antipathiæ, quæ Sympathiæ tribuendæ essent) æque tamen persæpe manet ignota causa & ratio operationis, quàm si ex occultis qualitatibus eam derivaremus.

Ut verò in eruendis operationib9 amuletorum ansam meditationi majori suppeditemus, videntur quædã periapta, & febrifuga inprimis, (juxta autorum quorundam opinionem verisimilem) vi opiatâ quasi, vel figente efficaciâ prædita. Hanc in rem ea repeti possunt, quæ paulò ante adduximus de astringentibus forinsecus contra febres commendatis *p.*485. Fidem autẽ non pauci faciunt de ejusmodi figentibus, quòd morbi varii, & febres præcipuè, à periaptis istis quadantenus sedatæ, recidivã facilè postea passæ sint: Unde non nulli illud, & fortiùs quidem interdum revertens malum, perperam ortum colligunt. De illo asserto autem, quod amuleta figant morbificam materiam, videri potest *Kozakus de sale c.2. sect.* 18. *p.* 107. *&* 108. *uti & Sebast.* Wirdig *in medic. spirit. l.* 2. *c.* 28. *p.* 266. Imò si *Kozaki* opinio locum invenit, quam in libro citato, & aliis suis scriptis fovet, videlicet quòd sedes materiæ febrilis, & post paroxysmum acquiescentis, fit in extremis locis vel digitis pedum ac manuum; si inquam locum invenit hæc opinio, quod diverticulum habeat materia febrilis & defervescens in dictis locis, periapta etiam eisdem, vel confini regioni applicata, suos effectus modò dictos citiùs exserent. Nolo hoc loco sciscitari, utrum aliâ quoqve ratione febres, aliive morbi cessare, vel remittere possint, citra opiatam efficaciam aut figendi modum, quod tamen impossibile non est; cùm dicti opii & apiatorum effectus fortè non solùm in figendi ratione consistat, sed etiam in varia morbi alteratione, & evacuatione tam sensibili, quam insensibili, aliisve rationibus pluribus. Ductu horum id obiter his insero, quod

periapta, aliave medicamenta non statim propterea sint damnanda, si recidivæ seqvuntur, postquàm aliquandiu sufflaminarunt morbos; præcipuè in initio, & si nondum ad statum suum summum evecti iidem fuerunt, in quo statu ultimo & ad crisin inprimis deducto vel anus feliciter sæpe medelam confert. Sufficit autem in medicamentis internis, & amuletis observasse, quod citò sustulerint morbos; si verò non satis tuto ubivis illud fieri videatur, id non ita semper medicamento, quàm applicanti illud tribuendum est: qui delinquit fortè in continuatione vel dosi legitima adhibendi medicamenti, alioquin salubris existentis. Sinè dubio quippe multa medicamenta, specifica aliàs dicta, suô effectu olim dilaudatô, hodie videntur destitui: quia communiter nimis exiguam dosin adhibemus, persvasi canone, & seculi consvetudine: quòd jucundè curandum sit! Sed lapsum ab uno extremo ad alterum sic committimus; desciscimus quippe à veterum medicamentis prolixis nauseosis, magistralibus decoctis, ac hecatombe, in quibus manipuli & haustus suffocantes penè sufficientem & excedentem ferè dosin medicamenti continent. Ab his inquam delabimur ad granum, guttulam unam vel alteram, imò penè ad invisibilem medicamenti chymici contracti dosin. Non loquor de omni efficaci medicamento salino-volatili, oleoso, mercuriali, antimoniato vel simili, cujus sæpe exiguæ dosi magna inest efficacia. Illud tamen omnia elixiria, essentiæ, tincturæ & contracta medicamenta neutiquam præstant, quia non ex apparatu medendi sufficienti consistunt, ut ideò sub ista exigua communiter usitata forma, proportionata item & adæquata sint, ad morbum subitò & radicitùs tollendum vel debellandum. Quid enim multorum usitatorum hujusmodi medicamentorum guttula una vel altera, aut pollinis cujuspiam granum sive atomus ferè, expetita à delicatis ægrotis præstabit in morbo quopiam expugnando, præcipuè si radices altas idem egit. Imò quidam ferè expetunt & expectant à Medicis hodiè curari sine medicamentis. Verùm moderni medici legitimi nondum comprehenderunt, vel facilè addiscent Christi & hujus Apostolorum peritiam sanandi, nimirum verbis, attactu, vel levi ceremoniâ ab iis olim peractam aut ostensam. At-

Attendat etiam benevolus lector ad methodum medendi, quæ alioquin in malignis atque extremis morbis, & in peste præcipuè triplô majorem dosin medicamenti, eamque brevi temporis spaciô aliquoties subinde repetitam, injungit, vel admittit; idque forsan fit ideò quia periculum adest in mora in hujusmodi morbis, & cunctationem medelæ mors alioquin facilè antevertit. Eccur non itaque citiùs in morbis mitioribus legitimas,& paulò validiores doses medicamentorum admittit methodus medendi, quò inter alia etiam,citò morbus tolli possit? Exigua igitur portio amuletorum sæpe fortè obstat, ne subsequatur laudabilis effectus speratus. Sic in aliis etiam medicamentis specificis, pluries alioquin ab autoribus efficacibus observatis & declaratis, accusandam itidem censeo insufficientem dosin, quòd eadem viribus suis aliàs deprædicatis,vel encomio prisco sæpe non respondeant. Sed de hac materia alio in loco nuper de cortice chinæ soliciti egimus.

Paulò superius *Helmontiò* interprete innotuit, quòd amuleta cœlorum vel astrorum instar diffundant suas vires; eadem ferè verba & mentis expositio prostat de periaptis apud *Sebastian.* Wirdig *in medicina spirit. l. 2. c. 28. p. 266.* Videtur autem istis suis verbis *Helmontius* tacitè in astrorum influxum inclinare, qui tamen ejusmodi simile aliàs autorum refugium ad astra (in variis enodandis rerum operationibus, & medicis præcipuè usitatum) seriò impugnat & deridet. Non desunt insimul alii, qui apertè amuletis ex eô fonte vires suas deducere & addicere satagunt, veluti mentem hanc esse *Hermetis Indorum philosophorum & Ægyptiorum sacerdotum ex Alberti l. 2. tract. de mineral. docet Jac. Zwingerus Exam. chymic. principiorum p. 49. & Joh. Langius lib. 2 Epist. med. 49. p. 793.* Adstruit hoc itidem *Mars. Ficinus de vita cœlit. comparanda l. 3. c. 12. p. 210.* cujus verba paulò superiùs adducta denuò jam repetere supersedemus. Inter alia vero idem modò citatus autor vim illam naturalibus atque artificialibus medicamentis propriam tueri conatur sequentibus *p. 219.* inquiens: quod autem hæc (scilicet amuleta aut medicamenta pesti & venenis opposita) similiaqve tale aliquid agant virtute cœlesti, id argumento est, quia etiam exiguô pondere sumta non exiguum habent

bent in agendo momentum; quod elementari qualitati vix unquam est concessum, igni videlicet valdè cœlesti. Materialis enim virtus ut agat multum, materiam desiderat multam. Formalis autem, etiam cum minima materia, valet plurimum &c. Plura de virtute amuletorum à sideribus oriunda prostant in *Sennerti de Consf. & dissens. chym. cum Aristotel. c. 10. p. 120. & 121. & cap. 18. p. 343.* Autor hic eos insimul ibi refutat, qui occultam rerum sympathiam & antipathiam negant, cum tamen absque corporis contactu actiones magneticæ passim extent, ceu experientia commonstret. Idem illud indigitat *Zeno*, statuens pentacula vim suam vel à virtute universali vel à cœlo mutuare. Jungendus his quoque videtur *Ronsseus Epistol. med. 22. pag. 65.* qui dicit: amuleta vim habere (1) nonnulla à cœlesti siderum influxu, ut in gemmis plerisque (2) ex similitudine analogiam quædam possidere, ad certum aliquod membrum corporis, quia omne par suum confortat: sic oculus mustelæ gestatus, dicitur à fascinatione oculos liberare. Sic quia salinæ naturæ dentes; sal coagulatum in oculis cancri dentibus confert. (3) Quædam ab ipsius animalis, unde veniunt insitâ quadam naturâ facultatem sortita esse, quam vim contingat modò in hanc, modò in illas corporis particulas etiam ignobilissimas diffundi &c. Astrorum porrò efficaciam sine dubio etiam intendit *Schenckius observat. med. lib. 4. fol. m. 648.* dum de cœli operatione ita disserit: Ætitem, inquit, non ob elementarem crasin partum facilitare, probo equidem: minùs illud, quod à tota substantia, quam alii occultam proprietatem indigitant. Quæ enim est illa indigna philosopho, cæca facultas? Quare si quid hîc confert ætites, ut confert maximè, id omne atque totum non elementis passivis, sed principiis hypostaticis, activis interius debetur. Nec est ulla constans vel facultas vel proprietas, virtus & δύναμις, quæ non in principiis activis deprehendatur. Principia verò ætherea sunt, elementa sublunaria. Facessant hinc, qui in elementis, atomis, spiritibus harmonicis, occultâ, cæcâ proprietate, similibusq; præclaras rerum ab indito per λόγον spermaticum, virtutes & facultates investigant. Hactenus

Schen-

Schenckius. Non recedunt ab ejusmodi sententia plures autores alii, inter quos etiam prostat *Rod. Goclenius de peste p. 75 & 77.* statuit quippe gemmas, terrâ vel mari erutas, vel animantium corporibus exemtas, singulari vi ac facultate pollere, easque vim quandam occultam exspirare, & in corpora gestantium inserere, idque non abditâ solùm & occultâ proprietate, quàm ab astris censet, (consentiente *Marsilio*) sed etiam ab emanante, effluxuque latente quodam. Ultimo ex loco citato *Goclenii* insimul colligere licet, quòd ligaturæ physicæ periapta dicantur, ob astrorum influentem efficaciam, quæ operationes rerum fistat atque liget; de qua ligatione plura tradit alius locus *nostri scrutinii.* Inprimis verò gemmas ab astris suas vires impetrare veteres scriptores non pauci persvasum sibi habent, velut hujus liberior mentio inferiùs *cap. 4. sect. 1.* occurret.

Hactenus adducti autores in genere amuletis stimulum vel efficaciam ex astris deductum addicunt. Sunt etiam alii, qui omnibus simplicibus trium regnorum Pharmaceuticæ (atque sic simul amuletis etiam ex iis regnis petitis,) certum planetam, atque collectionem, præparationem & applicationem sub ejus certa constitutione, situ, vel constellatione tribuunt. Inter hujus doctrinæ autores *Exzlerus* in suis scriptis, non ultimô locô reponendus est, uti & *Carrichterus in herbario.* Agit quoque de hac materia *Marsil. Ficinus de vita cælit. comparanda l. 3. c. 11. &c.* De amuletis martialibus, saturninis, & similibus aliis, quando conveniat ea colligere, legatur *Israël Hiebnerus in myster. metallor. & Lapidum continuatione.* Idem autor ibidem etiam plurimarum herbarum collectionem, juxta modò memoratam intentionem observandam docet. Taxat insimul ille superstitiosos ritus, consecrationes ac ceremonias, circa dictam collectionem quibusdam usitatas, in *mysterior. & simgillor. tractatu priori p. 60. & 61.* Sed libri illi, quales sint judicandi, christianè philosophantes facilè deprehendent. Interea superstitiosas etiam censet simplices illas collectiones sub certo siderum positu institutas Exc. *Jac. Pancr. Bruno in dogmat. med. p. 742.* Non nulla de rejectanea hac plantarum collectione item tradit *Herm. Grubius de*

arcan

arcan. medic. p. 61. &c. Quibus adjungatur eundem colligendi modum increpans ex certis fundamentis *Joh. Freitagius noctlib. medicis c. 29. p. 189.* Sententias non nullas de collectione ejusmodi quoque annotavit *Eman. Königius regno vegetabili p. 40.* Si accuratiùs ad ejusmodi collectiones rerum medicarum verò variarum attendamus, sæpe præter necessitatem & intentionem quorundam inventorum, alii superstitiosos ritus & observationes dierum, horarum &c. iis admiscent. Sic quòd intra duo mariæ festa vel dies notos cervos venari & jugulare soleant, atque adeò partes illorum efficaciores in medicina statuant, id propter illorum statum ac vigorem meliorem fit, qui non aliô anni tempore adeò ipsis concessus putatur. Idem judicandum est de hyperico, Germanicè Johanniskraut / pro quo vulgus etiam substituit herbam aliam, illamq; die sancti Johannis colligendam esse pro variis malis & fascino abigendo inculcat. Eò verò tempore circter, nec adeò strictè die illo, vel horâ certâ illius, ista herba succulenta & optima ad medicos usus censetur. Rationi quadantenus etiam consonum est, quod circa meridiem, videlicet horam duodecimam plantæ quædam optimo in statu vel vigore consistant; superstitiosi tamen id horæ, puncto temporis & planetarum certo situi, ac influxui immeritò adscribunt. Hujusmodi temporis observatio, variis in medicis actionibus, totô die ferè usitata est superstitiosis, inprimis hominibus, qui transplantationibus morborum indulgent. De collectionibus iis, dictò illo modô ob vigorem & optimam constitutionem injunctis à quibusdam, & ab imperitis malè administratis, non nulla tradit *Reinesius var. lect. l. 3. c. 4. p. 399.* Et ecquid boni suspicemur de operosis Tilsemis (paulo post examinandis) quæ characteribus & miris, diris, suspectis, ignotisque verbis non rarò notantur; uti & si eadem, nescio quibus temporis circumstantiis injunctis, præparantur. Quid boni, quæsumus, suspicemur de negotiis istiusmodi; cùm, ad ejusmodi simplicem (uti apparet) collectionem radicis filicis, spiritus quispiam saturninus in ea *cœperit loqui* cum effodiente *Augusto Etzlero*, ceu testatur ipsemet in sua *Isagoge physs. magic. med. cap. 1 p. 12. &c.* Fuit forsitan

fitan hæc planta talis, qualis Decano cuipiam, numini aut Dæmoni sacra olim putata fuit; De plantis hujusmodi verò fusiùs differit (plusquàm consummatus Medicus) *Conringius de Hermet. medic. l. 1. c. 11. p. 120. &c.* Proh! Dæmonis autem astus, quibus deludit homines improvidos, qui tamen larvatis istiusmodi actibus dediti nimium sibi sapere videntur, non animadvertentes quantopere à Deo desciscant, & quantis sacerrimus hominum hostis technis, aut næniis ejusmodi, mortalibus in lapsum pronis insidietur. Collectionis talismodi modos literis consignatos (sed quia superstitiosi sunt, refutatos simul) reperies in *Michael, Bapstii* wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part. 1. p.* 203. Inter illa quædam allegata etiam amuleta concernunt. Non attingam varias ceremonias, quas superstitiosi ejusmodi doctores collectionibus non rarò annectunt; veluti & illa collectio injuncta non admodum rationem aut solidam experientiam fortè sapit, quâ quidam injungunt certas plantas, ramos fruticum, aut arborum sursum esse decerpendos, si vomitoriam vim ab iis expectare velimus, deorsum verò, si alvum laxare & sedes promovere illi debeant.

Nudô autem illô dictô astrorum influxu, in sublunaria medicamenta, non omnes sunt contenti sed latiùs exspatiantur, persvasi longè majorem efficaciam induci sigillis, Tilsemis, & amuletis astralibus, si præparent vel conficiant isti artifices isthæc sub certo cœli situ, & aspectu siderum, eaque notent figurâ, vel signô ejusdem planetæ præsidis expetiti. Ad has Tilsemas licet varia simplicia recipiant autores, metalla tamen præ reliquis iisdem pro suô negotiô arrident. In hæc itaque dicti artifices de cœlo, mirificè tamen illud negotium torquendo, vires æthereas, cœlestes, stupendas, & nescio quas non ampliùs deflectere, iisque tenaciter imprimere satagunt. Quas præterea superstitiones & præstigias isti artifices ut plurimum admisceant suo isti artificio, non attingam in præsenti; cum quivis christianè philosophans, & scripta de iis agentia legens, facilè deprehendere illa queat. In subsequentibus etiam de *Zoroastre* restant quæpiam adhuc dicenda, quòd illicitorum ac superstitiosorum

ſtitioſorum amuletorũ autor exiſtere credatur, qui fortasſis nomen ſuum ſecutus (quatenus Zoroaſtres ἀστροθύτην ſeu aſtrorum ſacerdotem denotat) arcana ejusmodi aſtralia revelavit. De nominis iſtius dicto valore verò *Dinnis* ſententiam citat *Ger. Joh. Vosſius Etymologico f.* 490. *in voce ſtella.* Amuletorum iſtorum genus, juxta aſtrorum conſtitutionem, paratum autem varia ſortitur nomina: dicitur quippe Talisman, Talitſman, vel Talisma, de cujus vocis explicatione videatur Harsdörffer in Erquickſtunden *Tom.* 2. *part.* 4. *c.* 23. *pag.* 303. *&c.* & alii plures ſupra *cap.* 1. *ſect.* 1. *p.* 15. *&c.* aliisq; in locis noſtri ſcrutinii allegati. De ſigillis & pluribus ſimilibus nominibꝰ, idem id denotantibus, etiam alio in loco egimus. De his verò tilſemis pasſim multa patrocinia, exempla, atque inſtructiones reperiuntur, præcipuè apud *Theophraſtum Paracelſum*, *Hybnerum l. c. p.* 143. *J. Pic. Mirandolanum*, *Heurnium in meth. l.* 3. *c.* 28. *p.* 399. *Rogerium Baconem*, quem citat (ipſiusque doctrinam de Talismatibus non omninò averſatur) *Seb. Wirdigius in medicina ſpirit. l.* 2. *c.* 28. *pag.* 269. *&* 270. Perpendat verò curioſus lector ipſius modò dicti autoris ſententiam, quomodo ſcilicet velit aſtrorum influxum abſorberi à metallis *l. a. lib.* 1. *c.* 26. *p.* 169. De doctrina illa porrò agunt *Petr. Joh. Faber. operum ſuorum volum.* 1. *panchym. l.* 4. *p.* 518. *&* 519. quo in loco citatus autor alios quoque patronos allegat. Sed argumenta hujus ab antiquitate & multitudine autorum petita (uti tritum habet) errori vix in hac doctrina parabunt vel parient patrocinium. Potuerunt quippe & ii errare, ac meô, aliorumque judiciô errarunt, quemadmodum pluries hoc noſtrum ſcrutinium atteſtatur. Non pauci alii etiam ſunt, qui docent iſta arcana: velut *Zimara antro magmedico* videri poteſt, & *Gaffarellus in curioſitatibus inauditis.* Multa etiam Talismata ære expreſſa, ſed ſimul refutata proſtant apud *Jul. Reichelium* de amuletis. Specioſas Talismatum defenſiones ac rationes patronorũ ſuperſedeo recenſere, dum ſcilicet juxta tenorem *ſmaragdinæ tabulæ* ſuperius ſicut inferius, & vice verſâ, exiſtere pronunciant; atque hinc, & ex aliis fundamentis (ſed ſæpe infirmis) nexum atque influxum aſtris extorquent in res

varias.

varias sublunares. Eleganter de hac conjunctione vel combinatione magna inferorum cum superioribus agit, & declinandos istos illicitos ausus, atque theologicam magis interpretationem illius canonis apprehendendam esse docet *Phil. Hæchstetterus Dec.3. obs. 2.med.2.p.214.&c.* Imò simplices collectiones & electiones simplicium juxta certos aspectus institutæ, tantùm non plurimæ suspectæ, & superstitiosæ sunt, licet Astrologi (professionis suæ defendendæ memores, nec facilè deserentes hanc doctrinam) istas sæpe defendere desudent. Præterea de dictis istiusmodi, magni à quibusdam æstimatis, Tilsemis consuli quoque potest *anonymi* tractatus Gallicus, cujus titulus est *Le Talismans justifiez*. Similiter ære signata antiqua quædam sigilla selectiora & veterum Hæreticorum amuleta, illaque impia, minùs tamen approbans, oculis sistit *Laurent. Pignorius in characteribus Ægypt.* Dehinc non nullorum similium amuletorum (Ægyptiorum mysteria illa vocans) mentionem quoq; facit *Joh. Smetius in Antiquitatibus Neomagensibus.* Sigilla quædam Persarum itidem ære notata evolvi possunt in *Michaël Ruperti Besleri Gazophilacio.* Consuli quoque possunt alii, quos sparsim recenset in *Nummophylacio Luederiano Rodolf. Capelleus.* Plura de Talismatibus itidem ventilata prostant in *Collegio Parisiensi in Germanicam linguam verso l.1.colloq.21.p.460.&c.* De iisdem, & quid sit sentiendum de siderum influxu, ad magicos effectus, consulatur pariter *Longini trinum magicum* variis in locis. Vehementer autem ambigo, an pro hominis voluntate astralis ejusmodi efficacia in symbolum, quod materiæ fuit impressum, de super flecti, atque derivari possit, quæ etiam firmiter illi inhæreat postea, atque ideò morbos variô modô curet. Sed quis facilè auscultet his nugis, qui Christianæ philosophiæ addictus, nec admodum credulus est. Nolo refutationi vel ventilationi horum prolixæ indulgere, cùm alii me sublevent hac operâ, dilucidè isthæc examinantes atqve refutantes. Non malè fortè huc trahemus *Pici Mirandulani* verba, statuentis: quòd, quicquid sit magiæ, falsò dictæ naturalis, id omne suas in Astrologica vanitate, radices fixerit, atque à suppresso cum Dæmonibus pacto derivetur. Sic etiam superstitiosa declarantur sigilla,

quæ cum signo cancri convenientiam habere putantur apud (nostræ Academiæ Leopoldino-Cæsar. curiosæ quondam non segnem unà fundatorem) *Sachsium in Gammarologia p.* 861. *&c.* Benè etiam de vana illa intentione, qua ex astrorum dubia & varia à quibusdam efficta figura, in similem sigilli figuram vis aut operatio cœlestis pro medico usu deflecti putatur, disserit *Gabr. Naudæus de studio militari lib.* 1. *p.* 427. *&c.* Quid de sigillis magicis contra suos patronos sentiendum sit, legere etiam est apud *Unzerum de Nephrit. lib.* 1. *c.* 25. *p.* 120. *Sennertum prax. l.* 6. *p.* 339. *&c. & de consens. & dissens. chym. cum. Aristot. c.* 18. *p.* 337. *&* 338. ubi simul etiam sententia quorundam defendentium illa reperitur. Non applaudunt pariter huic doctrinæ *Reies Camp. Elys. Qu.* 23. §. 6. *&* 10. *Phil. Hoechstetterus observat. dec.* 3. *cas. med.* 2. *p.* 213. *&c. Joh. Isbr. Diemorbroeckius de peste p.* 176. *Franc. Placet tr. Gallico: La Superstition du tems reconnue oux Talismans. Job. Prætorius* vom Diebes-Daumen *p.* 152. *& in Alectryomantia p.* 126. *Henr. Kippingius Institut. Phys. l.* 2. *c.* 7. *p.* 98. *&c. Jac. Primerosius de vulg. erroribus c.* 57. §. 2. *p.* 544. *Mich. Siricius in victrici veritate contra Wirdigium p.* 23. 44. *&c. p.* 84. 92 *&c.* Excell. *Joh. Dan. Major & Joh. Andr. Sennertus disp. med. de lacte lunæ c.* 4. §. 5. *&c. Paulus Zachias quæstion. medic. leg. tom.* 2. *l.* 6. *tit.* 1. *qu.* 7. *f. m.* 463. *Joh. Wierus de Præstig. Dæmon. l.* 5. *c.* 13. *p.* 553. *Hier. Jordanus de divino in morbis cap.* 53. *p.* 154. *Th. Erastus disp. de medic. Paracels. part.* 1. *p.* 141. *Cæsar. Longinus Trino magico cap.* 6. *p.* 10. &c. *Niemannus Orat. de imaginat. apud citatum Tantlerum p.* 225. *Conrad. Dieterichius Antiquitat. Biblic. fol.* 630. *Gabelchoferus in notis ad Baccium de gemmar. natur. c.* 8. *pag.* 72. &c. Addantur his *Miscellan. Acad. Leopold. Cæs. Curios. decur.* 2. *anni* 1. *observ.* 168. *p.* 398. ubi tamen, ex quorundã mente, non nihil pro Talismatibus quibusdã tribuitur efficaciæ ab astris deductæ, quæ curiosi lectoris judicio accuratiori examinanda relinquo. Pro affaniis etiam declarat atque rejicit Talisman *Job. Seldenus de Diis Syris p.* 116. Invehitur pariter in hæc illicita periapta *Adam. à* Lebenwaldt *in Astrologia judiciaria p.* 91. ubi simul promittit autor se peculiari tractatu fusiùs de futilibus iis acturum. Sic *Jac. Gaffarellus Curiosit. inaudit. p.* 128. *&* 143. rejicit quidem & refutat Talismanistas & Morphistas

stas quosdam ob crassiores errores in Talismarum doctrina & compositione commissos (quod licèt vituperandum non sit) ipsius tamen cætera dogmata de Tilsemis non merentur meliorem applausum, velut antea laudatus *Georg. Michaëlis in notis ad Gaffarelli curiosit. inaudit.* aliiqve plures hoc dilucidant, & quivis alii facilè, quibus

De meliori luto finxit præcordia Jesus,

dicti *Gaffarelli* aliorumqve similium spiritus, & dogmatum colores probare, atque ad veritatis & christianæ religionis orthodoxæ stateram examinare pollent. De hujusmodi rebus inefficacibus, quibꝰ tamen vis astralis à quibusdam tribuitur, placent nobis verba *Psulli* ... *de magia p.92.* Astra, inquit fortean effectuum causæ sunt; non enim eventu certô interdum destituuntur, videlicet cooperante Satanâ. Eadem ferè verba ex *Godelmanno* allegata prostant apud *Camerarium in hor succisiv. cent. 3. c.30. p.104.* Plura testimonia, pro refutatione illicitorum amuletorū, idem illud & alia adstruentia, prostant industriè collecta apud *Georg. Michaëlem l. c. p.281. &c.* Concludit etiam autor laudatus tandem suum discursum *l. a. p. 283.* inquiens: omnes Tilsemæ, omnes figuræ artificiales, omnes signaturæ, adeòqve totum & universum sigillorum agmen à Morphistis fictum, factum, tusum, cusum, fusumqve, scriptum aut pictum, naturalem effectum non uspiam producet, quia vita deest, & non nisi causæ naturalis effectus naturalis esse potest, ac dari &c. Plura verba ibidem reperienda, & quæ ampliùs pro solida refutatione atq; rejectione faciunt, benevolus lector non gravabitur ibidem evolvere, si forsan hæc adducta cuipiam videntur nondum pro scopo nostro sufficere. Etiamsi *Gaffarellus* etiam in libri sui citati variis locis autorū sententias & argumenta contra Tilsemas prolata diluere annitatur, admodum infeliciter tamen sæpe illud efficit, dum lectores cordatos, nec credulos adeò, ad majorem diffidentiam & refutationem potiùs deducit: variis enim istis suis exceptionibus & coloribus rem malam non in meliorem convertit, aut iis ex voto suo vel aliorum suffragiô patrocinatur. Videatur inter alia *in c. l. part. 2. cap. 7. p. 132. &c.* & judicetur de lepido isto Tilsemarum Doctore atque Patrono. Sed ipsius *Gaffarelli* cogitationes posteriores fortè, prioribus istis malè fundatis,

 exsti-

exstiterunt meliores, ad quas cum deduxisse dicitur *Facultas Theologica Parisiensis Sorbonica Anno 1629. d. 4. Octobris*, quo tempore ille sententiam suam, in libro dicto curiositatum expositam atque defensam, adactus est retractare vel refutare per palinodiam; de quo *Baptista Marinus in Astrologia Gallica lib. 20.* Superflua quoque videtur ejusmodi impressio vel sculptura imaginum sive characterum in iis rebus, quæ alioquin ex sua natura vel medica vi concessâ creduntur amuleta existere: veluti hæmatites, carneolus, aliique similes lapides vel gemmæ commendantur contra hæmorrhagias, licet illæ non notatæ sint figuris certis, aut superstitiosè præparatæ, uti quidem tales sæpe circumferuntur & majoribus viribus præ simplicibus præditæ efferuntur. Sic jaspis etiam juxta *Galeni* mentem contra scorpii ictum facere dicitur, licet minimè notatus sit certis figuris. Tandem circa illam astrorum torturam & curam incertam, atque utplurimùm superstitiosam concludo cum Helmontio (de siderum stupendo & fictitio effectu contra quosdam loquente) *ad astra confugiunt, ne fugientes sequantur curiosi*, addo: *& simplices*. Sed de Tilsemis & similibus illicitis pendaculis plura insimul colliget lector benevolus ex locis inferiùs recensendis, ubi in *cap. 4. sect. 1.* judicium rejiciens amuleta improbanda depromemus; sed mittimus jam periapta ista characteribus insignita & juxta *Apuleum* ignorabiliter literata. In adductis itidem operationes Tilsemarum non parce attinguntur.

Paulò superius etiam allegatus *Ronsseus in Epistol. med. 21. p. 65.* alium quoque fontem tangit atque detegit, ex quo inter alia operationem amuletorum derivat: vult quippe amuleta quædam propter similitudinem suam, quam habeant communem vel mutuam cum parte affecta, opitulari. Exempli loco itidem adducit autor dictus, quòd oculus mustelæ gestatus dicatur oculos à fascino liberare &c. Hæc signatura verò videtur tolerabilior in medicina præ aliis crassis, absurdis, & mirificè ac miserè tortis: illâ enim ratione volunt eligendas partes animalium similibus sanandis respondentes, scilicet dextram dextræ parti, calvariam capiti, pedem pedi & sic consequenter. Plura ejusmodi exempla, & observanda ab autoribus injuncta superius *catalogo nostro amuletorum*

letorum inseruimus. Inter alios autores in hanc sententiam prorsus pronus videtur *Th. Bartholinus dissertatione Epistol. de transplantatione morborum p.* 11. Variorum amuletorum operationem itidem ex signaturæ fundamento petit *Joh. Dan. Mylius Antidotar. medic. chym. l.* 1. *c.* 6. *p.* 68. *&c.* Liberum interim de his relinquimus cuiqve suum judicium; arbitramur tamen pro negotio hoc uberius indagando, vel demonstrando eodem majorem adhuc diligentiam vel veritatis pondus requiri, cùm alioquin, juxta illud tritum, qui facilè credit, facilè fallatur. Ad fontem signaturarum conantur etiam quidam torquere ac devolvere numerum medicamentorum internorum & pentaculorum qui respondet numero periodorum, vel similitudini alicui observandæ in morbis, atque huic intentioni videtur multum tribuere inter alios *Cornel. Agrippa*, dum ita inquit: cæterùm nunc naturâ quantas virtutes possident numeri, patet in herba, quæ pentaphyllon, hoc est quinqvefolium dicitur: hâc enim virtute quinarii resistit venenis, pellit Dæmonia, confert expiationi: atque ejus folium bis, quotidie unum, vinô sumtum curat ephemeram: tria tertianam: quatuor, quartanam. Similiter seminis heliotropii grana quatuor potu quartanis, tria verò tertianis prodesse dicuntur. Simili modo verbenam febribus in vino mederi fertur, si in tertianis à tertio geniculo, in quartanis à quarto incisa fuerit. Hæc autem adducta recenset ex dicto *Agrippa Johan. Jacob. Weckerus de secretis l.* 5. *cap.* 4. *p.* 120. Atque hæc sunt adminicula signaturarum, de quibus adhuc pauca alia subnectemus paulò post.

Quandoquidem verò jam fecimus mentionem numeri periaptorum vel medicamentorum, morbo simili conditione quadantenus respondentis, annectere his lubet paucula de aliis numeris similium medicamentorum, quibus autores quipiam admodùm delectantur. Sic numerus impar, & ternarius præcipuè Deo gratus à quibusdam existimatur, velut hoc inter alia illud *Virgilii* indicat, idq; de ternario numero exponit *Isaac Casaubonus commentario ad Theophrasti Characteres Ethicos* §. 292. *p. m.* 344. sunt verò verba illa *Virgili in Eclog.* 9. *v.* 75. *hæc*:

— — *numero Deus impare gaudet.*

Lau-

Laudatus *Casaubonus* etiam *l. a.* annotat, quod varii autores numero illi singularem prærogativam in periaptis tribuant. Similiter quòd ternarius numerus aliàs in magia obtineat, id autoritate non nullorum comprobat *Cerda in Virgilii Eccl. 8. p. 160.* Amuleta autem talismodi numerò hoc injuncta catalogus noster amuletorum itidem continet; ideoque denuò de iisdem prolixus esse hoc loco nolo. Non inquiram itidem in originem vel rationem numeri aliàs in medicamentis internis à quibusdam pro majori efficacia vel certo fine alio injunctam. Supersedeo itidem materiæ, de numeris in medicamentis, occupatæ diutiùs indulgere, cùm in præcedentibus non nulla de his attigerimus, & de ipsius doctrinæ superstitiosæ captatione (medicis pariter ac plebejis dicto modô, & quoad amuleta) usitata locus extet apud *Raymund. Mindererum in Threnodia med. c. 24. p. 529. &c. & inprimis p. 550. &c.* Confer etiam *Joh. Rhodii emendation. ad Scribon. compos. 71. p. 132. Eryc. Puteani de Ternario numero in Ausonii Gryphum commentar. Sauberti de sacrific. c. 18. pag. 440. 441. & Olai Eric. Tormii dissertaionem de Ternario edit. Franequ. 1663.* Videatur etiam inferiùs *Scrutin. c. 4. s. 1.*

Interrupit quadantenus jam nostras meditationes contemplatio numeri à quibusdam ad signaturas contortas, inde itaque revertimur ad similitudinem inter corporis partes aut similitudinem quampiam, & inter amuleta intercedentem à quibusdam adeò conquisitam. Prolixè verò tractat illud argumentum, quòd amuleta & Tilsemæ, æque ac alia medicamenta, per similitudinem operentur *Gaffarellus l. c. p. 90. &c.* Multa etiam ejusmodi periapta in catalogo amuletorum superiùs adduximus, quæ sæpe risum citiùs, quàm assensum curiosorum multorum sibi devinciunt. Quemadmodum vanum etiam illud videtur, quòd ob suam vigilantiam philomela & vespertilio præbeant amuletum adversus lethargum. Innumera alia similia, per similitudinem ejusmodi tortam, efficacia putata reticeo, & ex superioribus communicatis denuò hic repetere desisto. Imò à quibusdam adhuc hodiè in medicina tacitus respectus ad partem affectam observatur, quod quidem olim fortè magis obtiuuit, dum medica-

dicamentorum externa forma quoque adaptatur quoad figuram suam parti curandæ. Pro capite quippe purgando, propter sphæricam similitudinem, pilulas eligunt; quamvis alii alias etiam hujus usus rationes prætendant. Observamus tamen etiam, quòd pro corde, liene, epate, utero, stomacho, aliisque partibus similem formâ notatum sacculum, linteum, alutam, pannum &c. expetant non raro ægroti, & præscribant medici: dum lintea & cætera ejusmodi illita ungventô vel emplastrô, vel liquore imbuta, aut speciebus referta, communem figuram cum iis partibus langventibus habent. Videntur istud strictè attendere & præcipere *Heurnius meth. ad praxin. de sacculis, Jac. Weckerus lib.1. antidotar. general. c. 39. & 50. Ambr. Paræus lib. 35. oper. chirurg. c. 39* aliique plures. Sed hæc suæ simplicitati vel prudentiæ, aut confidentiæ vulgi relinquenda tandem, atque toleranda adhuc quadantenus forent; modò non Magica pejor nequitia his sit subinde interspersa, de qua inter alios ita *Libavius* (*in Syntagm. arcan. chym. tom. 1. l. 7. c. 31. p. m. 345.*) Joannes juvenis de Bezoarticis capit Arsenici crystallini partes duas, rubei unam, & cùm mucilagine tragacanthini gummi commiscet formatque, non orbiculos constellatos aut pentacula, sed fortasse ex opinione alterius harmoniæ, cordis figuras, ut à corde naturali ad cor magicum avertatur pernicies, quô pactô Magi in homunculo cereo effingunt homines veros. De simili Dæmoniaca curatione *Paracelsi*, ubi docet in imaginibus vel partibus certis arte effectis sanare hominem ægrotum, vel certas ipsius partes, videatur *Delrio disquisit. mag. tom. 3. lib. 6. p. 141.* An fortè curæ sympatheticæ (noto isto pulvere sympathetico & ungvento armario sive transplantatione tentatæ) hinc ortum duxerint, vel participent de dictæ actionis lepido artificio, speculentur piè curiosi. Et sic fortè in effigie, præstigiæ vel curationes istiusmodi aut incantationes locum inveniunt; uti alias supplicia juris vigore in reorum effigie. O! bellum verò negotium. Cæterùm de imaginibus ab incantatoribus ad hominis cujusdam invisi effigiem factis, quas malevoli isti homines acubus configere vel pungere, aliisve modis torquere soliti sunt olim, inter alios videatur

Cerda in Bucol. Virgil. p. 161. Joh. Sperlingius instit. phys. 2. p. 374. 375. De his, & transplantatione morborũ inprimis, non meliora, plura nostrum scrutinium aperit, *p. 445. &c.* Non infrequens etiam est mos, quo amuletis variis cordis forma conciliatur: veluti variæ gemmæ, metalla, lapilli, ossa, ligna, aut sacculi confecti, puerisq; appensi id evidenter demonstrant. Imò jam olim bullæ, continentes remedia contra invidiam, sive fascinum (quæ triumphantibus ac pueris appendebantur) cordis formam sæpe referebant, si autoribus credimus; atq; eo ipso sine dubio inter alios respectus prisci ad conservandum cor respexerunt, de quo supra *p. 2.* Nolo exspatiari in varias meditationes circa hanc rem occupatas; hoc solùm in transitu adhuc his intersero, quòd arbitrer pontificios fortè id quadantenus etiamnum imitari, dum Evangelium S. Johannis ejusmodi capsulæ, cordis formam æmulanti, sæpe includunt, vel agni cœlestis, aut aliis signis, & figuris exornant istas, quas etiam pro vario temporali bono impetrando, & malo avertendo collaudant, de quo si placet videri potest *Joh. Bapt. Casalius in tr. de veterum sacris Christianor. ritib. c. 48. p. 265. &c.* Ubi autor inter alia usum hujusmodi appensorum tolerabilem satis probabiliter defendit; verùm modò non superstitiosus & illegitimus earundem rerum usus, inprimis apud plebejos intercedat. Cæterùm autor ille *l. a.* non omninò indolem suæ religionis Pontificiæ celat, dum reliquiis aliisque rebus, extra usum suum licitum, indulget.

Exspatiantur alii iterum longiùs in doctrina paulò ante attacta, ubi signaturam quoque extendunt ad pannum rubicundum, quem circa eos, (qui variolis & exanthematibus laborant) volutum elicere ista volunt. Quemadmodum varia de hoc autores tradunt, inter quos videantur *Th. Bartholinus cent. 4. histor. anatom. 73. Joh. Schröderus Pharmacop. med. chym. l. 4. p. 44. Miscellan. Academ. Leopold. Cas. curios. Dec. 1. Ann. 3. obs. 104. pag. 170. Grubius de simplic. medic. cognosc. p. 31.* De causa hujus panni effectus vel operationis, non eadem quoq; mens autorum observatur. Panni illi scarlato autem quidam vires suas dictas attribuunt propter Kermes coccum infectoriam, seu Baphicam, de quo *Schröderus*

derus l. c. Verùm contrarium ferè usum serici panni, coccô istô infecti statuit *Carol. Piso de morbis prætervisis à colluv. serof. oriundis p. m. 350. &c.* vult quippe hic autor, quòd si corpus eo panno contegatur, habitus corporis contrahat inde densitatem, nempe ob vim illius eximiam constringendi inditam. Accedit huic etiam testimonium *Amati Lusitani cent. 3. cur. 14.* præcipit quippe, ne pannus iste ruber carnes tangat ob coccos; ab his enim tinctum pannum adstringendi vim nancisci ait. Pergit *Piso l. c. obs. 129. p. m. 350.* habitus vel cutis densitatem in obesitate etiam auctam fuisse à stragulis sericis cocco infectis, atque ideò adstringentibus istis serum è corpore non expurgatum esse, unde postea arthritdem, inter alias causas plures, contraxisse illustrem quampiam personam existimat ille. Præter hæc memorata vagantur etiam alii errores in medicina circa illum pannum, licet magni olim æstimatus fuerit: Constat quippe, quod olim admissus idem ille pannus fuerit inter ingredientia confectionis Alkermes, interno usui destinatæ; de quo *Strobelbergerus de confect. Alkermes c. 4.* Sed æquè pro dicto medicamento, atque involucro, non admodum tutus ille usus videtur, cùm in *l. c.* evulget autor, quòd ejusmodi pannus, setæ, sericum &c. mediante alumine, gallâ, arsenicô, vermibus, aliisque rebus similibus pluribus additis tingantur atque præparentur. Nolumus itidem intactam hoc loco prætermittere sententiam *Laur. Catelani de unicornu p. 139.* arbitratur nimirum, quòd pannus ille rubram vim dictam suam, salubrem in variolis aut morbilis nanciscatur, à putredine vermium ex chermes coccis oriundorum; credit insimul autor, quòd propter dictam putredinem conducat pannus iste in morbis à putredine oriundis, & sic per similitudinem alterum putridum alterum inquirat & alliciat. Proh! simplicitatem. Cæterùm de panno illo in dictis morbis commendato, plura reperies apud allegatum *Bartholinum in cista med. loc. 58. p. 606. & 607.* ubi citatus autor simul innuit, quòd color exaltatus panni illius oculos facilè lædat.

Sunt etiam alii, qui intuitu panni potius exanthemata illa moveri & elici ex corpore arbitrantur. Non pauci itidem autores statuunt rubras res, & pannum ejusmodi inprimis sanguinem

gvinem movere, aliasque plures operationes circa sangvinem exserere. De dicto usu panni istius, & quibusdam attactis autorum diversis sententiis, propter ingredientia congestis, videatur etiam *Jacob. Primerosius de vulgi erroribus in medic. lib. 3. c. 20. p. 214. &c.* Indulgebimus parumper adhuc doctrinæ de rubris occupatæ. De quæstione verò, cur rubra, nimirum sangvis aliaq; similiter colorata visa moveant animã & sangvinem, videatur *Casmannus Phys. Somatolog. l. 1. p. 469. & 470.* Huic jungantur *Joh. Anglicus Pract. c. de fluxu sangv. narium p. 731.* & *Joh. Adam. Weberus* in der Unterredungs-Kunst *part. 2. pag. 24. &c.* ubi simul autor postremus de variolis agit, quòd panni rubri involucrô, vel intuitu rubrorum suspensorum in conclavi decumbentis prolicere quipiam conentur ex ægro illo exanthemata. Annotante *Laurentiô Strausiô Epist. ad Dygbeum p. 263.* in hæmoptysi prohibetur aspectus rubrorum, qui in variolis autem & morbillis commendatur. Sed si hoc curatiùs trutinant curiosi, reperient fortè, in quod commentari quid possint, propter effectum; cùm hic vix ubivis, & quovis in subjecto se manifestet. Tandem utrum etiam color ille intensus ægrotis sit subinde molestus, eosqve ad indignationem conciter, atque ita sangvinis, variolarum aut exanthematum motum simul excitet, speculetur, qui vult. Molesta enim sunt varia ægrotantib9, quæ grata & jucunda aliàs sunt sanis; cùm vel musca in pariete, aut loco remoto hærens (juxta Germanorum istud tritum) melancholicos, & similes alios, non omnibus horis æquos, sive ægros, aut neutro statui subinde accensendos, ad iram irritare queat. De illa præterea materia, quòd sangvinem moveant rubræ vestes, atque ideò militibus pro ira vel audacia concitanda inserviant, videantur inter alios *Sitonus miscell. Iatrosoph. tr. 16. p. 78. & tr. 48. p. 322.* Hoc tamen non adeò in dubium vocabo, cùm classicum excitatum, fremitus equorum, tonitrua machinarum bellicarum, & vestes rubræ, eæqve sangvine ab hoste profusô conspersæ ac tinctæ, furorem animis militum indant, atque sic sangvinis extremos motus concitent. Non ignota etiam sunt exempla de iis, quorum (ex ira, vel furore in bello inprimis inducto) venæ ruptæ largiter sangvinem profuderunt. De

He-

Heroibus quibusdam itidem (non verbis sed facto existentibus) constat, quòd prælium aggredientium illorum labia, & partes aliæ sangvine stillarint. Sic elephanti colore vel liquore rubro tincti, (ut nimirum in majorem furorem concitarentur ad bellum) destinati fuisse videntur 1. *Maccob. 6. v.* 34. Hujus loci ductu *Franc. Vallesius in Philos. Sacra c.* 82. *p.* 507. varia differit de rubris rebus, quomodo non in elephantis solùm, sed etiam in aliis brutis ac hominibus sangvinem, spiritus & exanthemata ad cutim commoveant, atque hæmorrhagias promoveant. Imò colligit etiam *ibidem* autor, quod mulierculæ, quibus pulchritudinis cura sit, à vestibus purpureis gestatis, spiritus ac tandem color rubicundus faciei oriatur. Utut hoc non negem de brutis quibusdam, quæ conspectô rubro colore in animi calorem, furorem, vel inquietudinem aguntur, uti de Gallis Turcicis &c. constat; Sic pecora etiam sangvinis inprimis odorem & colorem abhorrent: ex his tamen vix colligi potest, quod rubrorum intuitus indifferenter omnibus brutis aut hominibus sangvinis ac animi motum concitet; nisi (ut *Vallesius l. a. p.* 508. ratiocinatur) sangvinis effusi phantasia appetitum vindictæ inferat. Multis enim (extra belli vel ultionis occasionem & intentionem) æque minùs rubrum, atque aliud objectum visus coloratum, sangvinis ac animi fervorem magnum suscitabit. Videri quoque non nulla in hanc rem possunt, ut & de eo, cur olim coccineâ veste in bello usi sint, in *Mart. de Roa singular. sacr. script. p.* 1. *l.* 1. *c.* 2. *p.* 9. *&c.* Arbitrantur autem quidam id factum ideò, ut sangvis, si forte hic ex impresso vulnere expressus esset, absorberetur à cocco: tùm illi tincti confidentiùs & sine pavore dimicarent. Verùm non desunt alia plura testimonia, quæ sententiam meam paulò ante adductam corroborant; sicut in hanc rem etiam facit ex *l. a. c.* 3. *p.* 17. *&c.* & *c.* 1. *p.* 5. Elegantem quoque discursum illustrantem meam illam opinionem suppeditat *Joh. Adam. Weberus part.* 2. der Unterredungs-Kunst *p.* 24. *&c.* Deinceps cur è rubeis rebus per signaturam quædam sangvinem sistant, quædam verò eundem provocent, agit paulò ante citatus *Sitonus l. a. tr.* 40. *p.* 241. Illi autem sententiæ priori (quòd rubrarum rerum intuitus, & tegumentum panni rubri, præsertim scar-

 lati

lati exanthemata provocent) accedit iterum *Th. Bartholinus de lap. Nephrit. c. 8. p. 19.* Non videtur etiam omittendus de hac doctrina *Bapt. Porta in Phytognom. l. 3. c. 6. p.* 151. qui scribit, quod rubra vel solô intuitu usurpata valeant ad sangvinis depurationem sive correctionem, uti aliô colore prædita ad alios humores corrigendos conferant. Ut verò paucula adhuc circa panni rubri dictum effectum addam, illum potiùs calore suo, vel frictione (quam asperitate suâ cuti inducit) efficit, quàm ut colore suô rubro, præ aliis coloratis pannis efficaciam peculiarem habeat in exanthematibus prolectandis. Sed quis vulgo, & mulierculis præcipuè, suis in scholis modicè medicis & anilibus ita edoctis, facilè extorquebit illa, aut meliora iis suggerere valebit? patientia!

Adductorum horum ductu non intempestivè forsitan quædam circa colores adhuc (propter signaturem à multis captatam) monebo; utpote qui in variis amuletis, inprimis verò ex animalibus petendis, ab autoribus plus justo forsitan curiosis, interdum injunguntur. Plura verò exempla dictum hoc adstruentia catalogus noster amuletorum, aliique autores suggerent, ideoque recensendis, vel repetendis iis non iminarabor. Arbitrantur autem autores quidam, quod color testetur etiam de efficacia, & quòd ille distinctus in brutis aliisve rebus unius speciei existentibus, distinctas quoque vires indicet & constituat; verùm uti hoc in præsenti negare non omninò audeo, ita minùs quoque conor concedere, quòd superstitio & vituperandum quid semper à coloris electione absit; inprimis autem à colore nigro, quem tenebricosus & infernalis Cerberus sine dubio interdum docuit, unde injunctus ille postea invaluit, & in hominum simpliciorum inprimis, ac mulierculaum cerearum animis radices egit. Constat quippe, quod pro variis curationibus vulgus, & medici interdum notæ non vulgaris (quâ verò intentione seriâ ipsimet noverint) eligant gallinam, felem, canem, agnum, arietem, vaccam, hircum, corvum, vespertilionem, aliave animalia nigra, ex iisque anxiè auxilia varia & amuleta venentur ac venerentur. Notum insimul etiam est, quod in ejusmodi animalia callidissimus Satanas sæpe se transformarit, de quo inter alios autores videatur *Zeilerus.* in

Trauer-

Trauer-Geschichten *num. 2. p. 52. &c.* Sic superstitiosam electionem nigri coloris in agno, pro melancholia curanda, requisiti à quibusdam censet doctissimus *Velschius notis ad Hieron. Reusneri observ. med. 7. p. 8.* Nolo quoque pro hac re dilucidanda prolixitate prosequi originem suspectam animalium variorum in usum admissorum, utpote quæ plurimùm debetur *Ægyptiis*, qui olim multa remedia ex istis desumserunt; de quibus plurimis consuli potest *Ath. Kircherus in tom. 2. Oedip. Ægypt. part. 2. class. 9. c. 5.*

Sed hæc jam mittemus, cum aliô etiam loco nostri scrutinii nigra istiusmodi contemplemur *p.* 120. &c. Hactenus adducta verò plurima difficiliùs ad doctrinam signaturarum referri possunt; proinde mitiùs agunt alii, qui varias rerum medicarum formas & notas externas aucupantur, atque inde variô verborum ambitu morbis variis congruam medelam evocare & evincere conantur. Hi, licet non rarò hallucinentur, & errores promulgent, citiùs tamen, quàm illi paulò ante memorati tolerandi sunt. Patronos verò non paucos reperies doctrinæ signaturarum, velut inter alios plures noti sunt, *Quercetanus, Crollius, Sennertus in Instit. med. p. 973. & de Consens. ac dissens. chym. cùm Aristot. c. 18. Schröderus Pharmac. med. chym. l. 1. c. 38. Sperlingius in Carpologia p. 213. Pomarius de consens. & dissens. p. 10. Ionstonus in Idea med. practic. p. m. 111. Fabricius* Francke/ *Gudry & Carrichterus*, cujus ultimi autoris tractatus peculiaris de dicta materia promissus vel absolutus à quibusdam desideratur, & vix editus putatur, juxta *Crollii & Burggravii* opinionem. Alii plures fautores hujus doctrinæ allegantur in *Miscellan. Academ. Leopoldino Cæsar. curios. Dec.* 1. *Anni* 1. *obs.* 49. *p.* 144. Mediocriter verò & cum clausula dictas signaturas defendit *Bartholinus in Epistola p. XXI. quæ præfixa est Grubii de Simpl. facult. cognoscendis.* Autores non nullos qui utrique parti assistunt, allegat Exc. *Eman. Konigius regno vegetabil.* §. 34. *&c.* Reprobant autem signaturas illas meritò, ob varia in medicinam inde resultantia absurda, *Gesnerus l. 3. histor. animal. p.* 184. *Caspar Reies camp. Elys. quæst.* 29. §. 12. *Hæferus Herc. Med. p. m.* 35. *&* 184. *Dodonæus in præfat. cap.* 11. *Stirp. histor. p.* 16. *Beverovicius in Epistol. quæst. p.* 164. & alii plures jam reticendi, qui utrisque partibus adhærent, de quibus suô tempore

re fortè plura depromemus. Arbitror verò interim signaturas istas parum certi signare, vel significare; adeò ut potiùs in Rhetorum persuasoria schola, quàm medica (altiori scopo, & manibus non inanibus sed oculatis inhiante) locum inveniat. Ut autem innumera talia prætercam, in doctrina illa signaturarum, notus est usus lumbricorum, lumbricis hominum oppositus, juxta communem illam veterum doctrinam; ex eo tamen usu pullitiem vermium illorum incrementum potiùs, quàm decrementum sumere annotant *Camerarius sylloge memorabil. cent 9. part. 9. Hæferus Herc. med. p. 352. Sennertus prax. l. 3. & in Paralipomen. 3. p.* 179. *Henr. ab Heer l. 1. obs.* 9. & *Excell. Wedelius de med. facult. p.* 181. Etiamsi *Frid. Hoffmannus in clave Schröderi p.* 705. non nihil contra illud assertum regerat; illis tamen autoribus laudatis *suffragium* non facilè derogandum esse arbitror.

Sic eodem sæpe in medicamento vel periapto contraria operandi ratio quæritur atque commendatur, uti de virginum primo sangvine menstruo, aliisque pluribus in præcedentibus intelleximus. Imò quorundam ferè medicorum fons adinveniendi medicamenta existit, si eodem ex morbo vel materia morbifica petant auxilium contro morbos certos, uti infinita ejusmodi in medicina nota sunt. Inter alia ejusmodi alce, vel hirundo epilepsiæ curandæ inservire dicuntur, quia laborare creduntur eôdem morbô; atque hæc allegamus ex mente *Osv. Crollii de signaturis p. m.* 45. Plura de eadem materia inter amuleta epilepsiæ præmissus noster catalogus continet. Non nullis etiam ad inveniendum medelam suggerit adminiculum illud in medicina notum: *ubi virus ibi virtus;* quatenus ex iisdem etiam venenatis rebus, quæ læserunt antea, vel lædere possunt, medelam firmam sibi pollicentur; veluti inter amuleta pesti opposita hanc materiam itidem attigimus. Verùm dictis his fallacia falsæ interpretationis admixta est *p.* 330. *&c.* Plebeji fortassis etiam morbis dubiis sæpe septi, ac medicamentis, vel peritiâ medicâ destituti, subinde casu in materia morbifica oculis exposita invenerunt, aut quæsiverunt saltem medelam, etiamsi voluerint vel noluerint ista respondere rationi aut experientiæ. Notum aliàs est, quòd fumus animalium noxiorum, quorum tædium homines capit, soleat pro fu-

gandis

gandis illis excitari, de quo *Joh. Rud. Camerarius memorab. med. cent. 14. partic. 95.* Similiter etiam pro ejusmodi animalibus profligandis similia extincta in locis certis pro publico conspectu suspenduntur; Sicuti fortè Germanorum in trito illo innotescit: Wenn man wolle Bauren quälen oder verderben / so müsse mans mit dergleichen thun. Non ignotum est pariter alioquin, quòd animalia viva vel aves ad aucupia & venationem admittantur vel exponantur similibus istis captandis, sicuti etiam in trito ferè indicatur: quod similia cum similibus facilè congregentur. Sic extincta ista pro iisdem fugandis, ut dictum, usurpari videntur. Sed de hac materia alius nostri scrutinii locus similia continet. Plura ejusmodi, magis obnoxia simplicitati, quæ scilicet signaturæ depromunt, his addere desino. Alii autores qui doctrinam hanc non penitùs deserere volunt, illarum externarum signaturarum loco internas rerum formas jubent attendi, atque volunt beneficio chymiæ deprehendi posse analogiam medicamentorum cum morbis, quibus eadem prodesse possint.

Post hæc non infrequenter etiam operatio vel efficacia periaptis ex imaginatione gestantis accedere putatur, de quo jam sententias autorum lustrabimus. Tetigimus equidem aliquantisper in consideratione Zenechtorum hanc materiam, *p. 328.* quòd sta propter firmam fiduciam in iis positam operentur in illis, qui gestant eadem; sequentia tamen autorum judicia plura, præter ista, de imaginatione sistent. Inquit autem *Fel. Platerus l. 1. prax. p. 11.* amuleta, quæ appenduntur & à proprietate juvare creduntur, si non viribus, saltem apprehensione juvant. Idem autor de amuletis partum adjuvantibus ita: si non viribus operantur, saltem quia, dum spem bonam mulier illorum usu concipit, animum addendo juvare possunt. Sic de lapidis nephritici viribus in calculo aliàs commendatis differens *Libavius tom. 2. Syntagm. Alch. Arcan.* inter alia vires illas persvasioni vel firmæ fiduciæ adscribit. Non erimus jam prolixi in recensione medicamentorum internorum & externorum, vel aliarum etiam rerum alioquin inefficacium, quæ tamen optatò effectu confidentes subinde bearunt; ignota

enim illa haud arbitramur, veluti etiam talia non nulla in catalogo nostro amuletorum attacta sunt, unde desistimus hoc loco ab illorum recensione. Pensitantes isthæc medici quipiam, quæstionem eam ventilant: an ægri, vel medici fiducia in curatione plus valeat, de quo *Camerarius syll ge memorabil. cent. 8. part. 44. & cent. 2. partic. 12. Avicenna* arbitratur ægrotantis fiduciam aliquando plus valere, quàm ipsum remedium; quod exiguâ laude & suffragiô perstringit *Cornel. Agrippa de vanitate scientiar.* Verùm cùm imaginationis effecta toto ferè die observemus, vix licebit ea planè negare; de quibus fortè etiam aliâ occasione nobis plura dicenda restabunt. Observamus quippe duplici ratione in corpora præcipuè agere firmas impressiones animi, vel imaginationis: nimirum odiô sive aversatione, aut amore intercedente, quô quis in rem quampiam vehitur. Quia etiam affectus animi magnarum virium sunt, salubre medicorum præceptum circa illos non immeritò in rebus sex non naturalibus occupatum est. Præterea etiam inter alia veteres sanitati Deum serapin præesse olim voluerunt; vox illa verò apud Ægyptios hilaritatem denotare dicitur; aperto indicio, quod boni affectus animi alendæ sanati apprimè conferant, quæ res maximè nota est. Inter alios innumeros autores solùm videantur, quid scilicet pro alterando homine conferat imaginatio, *Heurnius meth. ad prax. p. 405.* & *Sennertq in prax. l. 6. p. 386.* Quid item regeremus ad generationis negotium notum in gravidis. Proh! quàm miros & stupendos effectus relinquit amor vel odium erga res cupitas, vel invisas: velut hoc produnt sæpe fœtus variis notis notati in lucem prognati; de quo plura jam suppeditare valeremus, nisi commodiorem locum de eo agendi aliquando nobis promitteremus. Inter alia Jacobi Patriarchæ oves coloratæ productæ, stratagemate notô, de imaginatione testantur. Sic etiam imaginationi tribuo effectum, quando ad difficulter parientes conjuges mariti vocantur: dulci enim recordatione fœderis conjugalis, atque solamine à marito prolatô, parturiens novas quasi vires recuperat, ut labori suo fortiùs invigilet aut insistat; etiamsi vulgus vim quampiam medicam eâ ratione sibi concipiat

expe-

expectandam. Speculentur interim alii, quid de (virilis corporis umbræ) viribus femoralis virilis sit sentiendum, quod collo parturientis suspensum proficuũ putatur, idq; ex philosophia colus vel sexus seductiis allegat ac rejicit *Lutherus Tom.I.Lat.p.*123. Plura alia similia jam non attingemus. Nihil quoque jam monebimus vel movebimus de curatione astu peracta in melancholicis, ubi scilicet iidem non rarò curati fuerunt observati per suffragium, vel indulgentiam & curationem Medicorum occupatam circa causas vel res ab infirmis accusatas. Supersedeo itidem jam de istis dictis testimonia allegare, cùm paucos de iis diffidere arbitrer; sed jucunditas & utilitas hujus materiæ pleniorem considerationem aliquando mihi *de astu curatis* eliciet. Quid pusillanimitas, vel animositas tempore pestis efficiant, superiùs in transitu cuique in medicina versato pensitandum reliquimus; non itaque jam detinebit nos hæc materia, cùm omnes ferè de peste agentes autores, eandem tangant, imò toti tractatus de hac ipsa prostent. Nec illud Germanorum proverbium omni ratione caret, dum innuunt: imaginationem fortiorem esse peste; quod licet sæpe de noxio fastu, philavtia, & amore sui similique aliô effectu usurpetur ac dicatur, in peste tamen quadantenus id etiam locum habet, ob varias imaginationis tragœdias; de quo alio tempore plura. Pestem autem simpliciter à terrifico ejusmodi conceptu, imaginatione, aut somno oriri in loco, ab omni peste ipsiusve contagio immuni & remoto, non facilè crediderim, aut aliis ad credendum istud obtruserim. Restaret magnus numerus effectuum ab imaginatione derivatorum, de quo autorum multa testimonia prostant. Volunt inter alia quoque non nulli strumas sanari attactu, ob confidentium in illum directam, de quo *Deusingius in fascic. dissertat. p.* 53. Sic de lienosorum curatione, eâdem ex causa profluente, agit *Collegium Curiosum Parisiense Germanicè redditum pag.* 406. quo in loco etiam periapta similiter operari dicuntur. De iis, qui viperas sine noxa attingunt, quod eadem vis dependeat ab imaginatione audacter viperas tractantium, persuasum sibi habet *Zwelfferus Adnimadversion. Pharmac. August. pag.* 273.

Non parum quoque imaginationem conferre in quorundam philtrorum operatione decantata arbitramur; quid mirum enim, si ex armilla amasiæ gestata quis recordetur crebriùs illius, atque sic ad amorem istius amatæ personæ absentis fortiùs incitetur. Sic accidentaliter & tropicè interdum quædam sunt & dicuntur philtra aut periapta, quæ talia neutiquam per se, & ex sua natura sunt. Veluti novimus quod *Olympias Alexandri Magni* mater pulchritudinem nimiùm amatæ mulieris cujuspiam Talisma existere dixerit, quô dictus *Alexander* tractus sit; non autem annulum illum notum, quem tamen etiam non immunem maliriæ reddunt historiæ, mulieris illius perditè amatæ mentionem facientes. Vix verò credibile est, quòd capilli mulierum, constituentes quandoque armillam, vires illas memoratas exserant, sine commemoratione vel contemplatione dictæ personæ; licet *Verulamius* aliiq; plures hoc adstruant. Sed de hac materia inter amuleta philtra constituentia agitur; quemadmodum etiam consentientem ea in opinione post nostras speculationes vidimus *Gottfr. Voigtium in* physicalischen Zeitvertreiber *cent.* 3. *n.* 8. *p.* 569. Veritati quippe alioquin admodum consonum est illud tritum:

Credula res amor est.

Ideoque finem suum amantes faciliùs consequuntur, dum altera persona alteri monile, armillam, annulũ, aut effigiem auro exornatam offert, item literas initiales nominis ex auro concinnè factas, vincula, aliave similia, ut gestentur corpori appensa, pro memoria promptiùs recolenda; sic enim memoria, mutuique amoris adminiculũ oculis vel recordationi oberrans constituunt istiusmodi recensita. Res tales memoriã alentes, aut reparantes sæpe etiam in cordis regione pendulæ, & in cordis formam paratæ vel effictæ conspiciuntur; quò effectus potior & celerior fortè expectetur! De materia ejusmodi, & quod sedula commemoratio per ejusmodi appensa circa cor indicetur in Cantico Canticorum, legenda quædam prostant in *Joh. Mich. Dilherri commentario ad Cantic. Canticor p.* 37. Addatur etiam propter simile argumentum *ibidem p.* 370. *&c.* Laudatus Dominus *Dilherrus l. c. ex cap.* 8. *v.* 6. *Canticorum* vocem לֵב exponit non tàm de corde, quàm lamina seu

lunu-

lunula, quæ à collo demissa ad cordis sive pectoris medium usque descendit &c. Idque pariter aliô textu ex *Jeremia* petitô comprobat. In loco illo etiam indicatur, quòd per ejusmodi appensa in sacris & profanis scriptis sæpe intelligantur idola, amuleta, sigilla, bullæ vel aliæ res imaginibus Deorum, amicorum, majorum & principum notatæ, atque ideò gestatæ, ne memoria vel reverentia iis competens gestantes facilè deserat. Plura elegantia *ibidem* etiam adducuntur, quæ in hanc rem ampliùs queunt symbolum suum conferre: quomodo scilicet in sacris memoria, vel sedula commemoratio per ejusmodi formulas exprimatur.

Sic astrolatria & idololatria apparet, uti ex multis similibus aliis, ita etiam ex hoc, quòd olim collo, vel vestibus, non ornatus, sed idololatriæ causa appenderint lunulam ex auro aliisve rebus factam, quô ipsô cultum suum erga lunam aliasve creaturas repararunt, aut in memoriam revocarunt, de quo *Binæus de calceis Ebræorum p.* 209. & contra alios, jam beatus, *Frischmuthius disp. de Melechet. cæli.* Paulò ante meminimus cordis, & quod amuleta vel amantium dona memoriæ reparandæ ergò gestanda subinde cordis formam referant, & circa præcordia pendula gestentur; quemadmodum etiam aliis in locis nostri scrutinii indicavimus, quod bullæ vel vascula amuletis adornata eâdem sub forma subinde conspiciantur *p.* 2. Non infrequens autem est superstitio illa, quâ similitudo observatur inter externas formulas medicas, amuleta, vel horum loco appensa varia, & partes varias, quibus illa suspenduntur vel applicantur; uti paulò superiùs inter signaturas de eô uberiꝰ nos egisse reminiscimur *p.* 505. Illud autē quotidiè adhuc animadvertere licet in infantibꝰ, in quorum supellectili (à quopiam comparata cum ista S. Jacobi fratrum conchis onustorum) de collo pendula corcula persæpe deprehenduntur, eaq; confecta ex ungula alces, cornu sive osse vario, gemmis, lapidibꝰ, aliisve similibꝰ rebus, à quibus profectò non semper superstitio exulat. Imò ejusmodi corcula vel sacculi ex sindone, serico, vel panno rubro, corio aliâve materia consuti conspiciuntur penduli in collo pauperū infantium, quibꝰ rebꝰ per se quadantenꝰ efficacibus alias putatis, addita simul sunt varia superstitiosa non rarò, aut saltem

ſeus, panis & obulus vel numulus antiqvus; de quibus poſtremis meditationes noſtras in ſequentib9 adhuc detegemus inferiùs. Non obſcurè verò ex adductis elucet priſcorum credulitas & intentio, quâ confidentiam uſurpantium vel geſtantium iſthæc lucrari, vel deflectere in talismodi appenſa pro eorundem majori efficacia intenderunt.

Nondum autem dimittimus jam imaginationis conſiderationem, cùm ex eadem aliæ etiam plures operationes medicæ dicantur profluere; quales illæ quoque ſtatuuntur à quibusdam, dum ſolô intuitu res quædam juvare putantur, quæ amuleticis operationibus itidem annumerantur. Scribit autem *Ælianus lib. 17. de animal. c.* 13. quod Charadrius avis (id eſt galgalus vel galbala) eximiô naturæ beneficiô affecta ſit: nam ſi quis ictericus acerrimè in eam intueatur, illa contrà oculis fixis, tanquam viciſſim ei ſuccenſens, reſpiciat, atque ſic affectum hominem ſuô obtuitu ad ſanitatem reducat. *Heliodorus lib. 3. hiſtor. Æthiopica* de eadem ave ſtatuit, quod ictericum intuentem refugiat & averſetur oculis connivens, non propter invidiam remedii, ut quidam velint, ſed quia contagione ſe affici ſentiat tranſeunte per obtutum alterius affectionis, ceu fluxu quôdam. Atque hi, aliique autores ex peculiari antipathia vel (certo reſpectu) Sympathia illam operationem fieri credunt, ob aſpectum dictum; multi tamen hoc negotium, uti paulò ante indicatum fuit, malunt in imaginationem conjicere. Interea de ave hac ictericia, etiam galgulo, oryalo ſeu coryo dicto, plura continentur in *Anton. Grandii Curioſo rer. abditarum perſcrutatore p.* 191. *Joh. Adam. Weberi part.* 2. der Unterredungs-Kunſt *p.* 619. *Rolfincii meth. med. ſpecial. p.* 709. *Sitoni Jatroſoph. miſcell. tr.* 26. *p.* 529. 137. *&c. Ant. Mizaldi Memorab. cent.* 3. *Aph.* 1. *Nymanni exerc.* apud *Tandlerum diſſ. phyſ. med. p.* 223. *Baricelli horto geniali p.* 203. *Bartholini de lap. nephrit. c.* 9. *p.* 22. §. 22. *Joh. Langii lib.* 2. *Epiſt. med.* 36. *p.* 726. Alia teſtimonia & traditiones de eadem ave proſtant in *Mich. Babſtii* wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part.* 1. *p.* 58. Addantur in hanc rem quoque & evolvantur *Plinius hiſt. nat. l.* 30. *c.* 11. *Theophilactus Simocatus Aporiis phyſic. à Rivino editis poſt Caſſii Ja-*

trosophistæ problemat. p. 59. & *Joh. Baptist. Porta l. 3. phytognomon. c. 6.* quo in loco postremo etiam autor agit de rebus aliis croceis vel luteis, quæ ictero medeantur, si quis solùm illa intueatur; uti etiam superius ex eodem *Porta* & aliis adduximus, quod rubra varia eôdem modô usurpata in sangvinem corrigendum haberent potestatem. Quemadmodum idem hic autor etiam mororum succi sangvinei intuitu se sangvinem sæpe mundasse indicat. De antea dicto illo, quod crocea sanent icterum, id quoque statuit *Sitonus l. a. tr. 27. p. 144.* Plura alia hîc non addam de eodem argumento, uti & de vulgi aliàs etiam usitata curatione in ictero flavo, dum pocula cerea vel aurea pro potu ordinario admittunt, iisque ducatum, vel aliud quid auri, crocum item, & nescio quæ alia citrini coloris immittunt. Interim de aue illa monendum adhuc duco, quod autores non satis inter se concordent, qualis illa sit, cui itaque lubet evolvat de hac *Illust. Aldrovandum ornitholog. lib. 12. c. 39. p. 418. & Gesnerum lib. 3. de avib. pag. 377.* Verùm Exc. *Iac. Panc. Bruno Lexico Castelli renavato sub voce charadrii pag. 282.* qui cum *Aldrovando* (*l. 20. ornitholog. cap. 67*) nugas vocat illud assertum de ave. Similiter remedio illi ab ave dicta expectato parum fidei tribuit Exc. *Ioh. Christ. Frommannus, & quos citat in dissp. de fascino p. 107. &c.* Ex præmissis his ii, qui rerum signaturas venantur ac venerantur, inter alia etiam argumentum suæ doctrinæ hauriunt; sed uberiori experientiæ illa commendanda sunt, quia non omnium eruditorum vel curiosorum palato sapiunt aut satisfaciunt hæc & alia similia. Miramur non immeritò etiam illud de Crocodilo quod croceô colore sit præditus atque crocum aversetur, nec loca appropinquet, in quibus crocus continetur, de quo *Voigtius in deliciis physic. p. 94.* Citiùs verò illam antipathiam (si vera est historia) in fragrantiam vel aliam potentiam croci, quàm colorem mutuum conjicerem; cùm rationes probabiles, pro adstruendo hoc, me fortè non destituerent, si speculationibus circa hanc rem occupatis indulgere vellem.

Porrò, quòd solùm intuitùs cardui lactei in stranguria profuerit, ex *Platero* meminit *Camerarius in sylloge memorab. cent. 6.*

partic.

partic. 79. Confer de hoc etiam *Bartholinum de lap. nephrit. c.* 8. *p.* 22. §. 26. Sic etiam Nymphæa, collecta nimirum sole in cancro existente eum, qui tantum hanc aspicit à vertigine liberare dicitur, de quo *Aug. Etzlerus in Isagog. phys. mag. med. c.* 5. *p.* 114. *Ibidem autor c.* 7. *p.* 171. hæc depromit: vertigine laborans, si nympheæ radicem vel cancri oculos, secundum cœlestem harmoniam (quo tempore turcioidis colorem habent) collectos forti imaginatione aspiciat, ab ea liberatur. Singulari enim æthereâ virtute spiritus illi sulphurei statim sedantur. Vel si quis in singultu (qui nihil aliud, quàm tartarus ventriculi est) aspicit lapathi capitula, ubi novem coivere, statim desinit singultus, quæ occultis qualitatibus falsò à quibusdam propter inscitiam ascribuntur. Idem autor *l. a. cap.* 2. *p.* 66. Jovilia, inquit, prosunt spiritu egrediente & per imaginationem irrepente, spiritualiter Jovem microcosmicum in sangvine residentem excitante & confortante; quâ sanè ratione plurimas institui posse medelas fateor; hæc *Etzlerus.* De Nymphææ efficacia dicta agit etiam *Hornius arca Mosis p.* 158. Eosdem flores nymphææ itidem certô tempore colligendos esse docet *Joh. Agricola in chirurgia.* Verùm quo loco hujus sententia, & operatio florum habenda sit, disquirit *Georg. Kirstenius in Adversariis contra Agricolam part.* 2. *p.* 527. *&c.* De rebus pluribus, quæ pariter propter solum aspectum in aliis morbis opitulentur, evolvi iterum potest *Mich. Bapstius l. a.* Quid? quod animalia etiam hac ratione sibi mediri in quibusdam morbis dicuntur: *Gesnerus enim in histor. animal. fol.* 53. tradit ex observatione *Columellæ & Vegetii*, quòd equi, muli, & boves intestinorum cruciatu affecti ad aquas properent, & cùm illic anatem vel aliam avem natantem in iis aquis conspiciunt, à dolore liberentur. Rationem hujus medelæ efficacis ex planetæ præsidio deducit *Etzlerus l. a. c.* 7. *p.* 171.

Si quadantenus adhuc imaginationi humanæ indulgere nobis licet, omninò effectus aliqualis interdum illi tribuendus est, licet illi non tantum concedamus, quantum præter merita fortè quidam illi subinde tribuunt. Notum quippe est, quòd horror, nausea, vomitus, alvi dejectio &c. quosdam invadant, quandò alios

alios purgantia nauseabunda vel vomitoria vident assumere, vel quando ista medicamenta è longinquo solùm præparare vident, aut si vomere, vel purgari ex dictis iis alios sentiunt; quod licet non omnibus, & semper quidem eveniat, impossibile tamen illud in quibusdam non est pronuntiandum. Sic hunc etiam imaginationis effectum censeo, quando stupor dentium ex re ingrata visa vel audita quibusdam oritur, de quo *Tandlerus l. a.* Vidi quoque aliquoties singultum sedatum vel cohibitum monetâ vel nummulô singultienti oppositô vel ostensô, verbisque comminatoriis vel provocatoriis his simul recitatis: quod scilicet ille nummi ostensi possessor futurus sit, si semel adhuc singultus indicium reddere possit. Effectum autem hunc citiùs insequi observavi, si singultiens verecundus, atque hujus actionis ignarus antea, & si verbis illis insperatò recitatis quadantenus conterritus ejusmodi homo fuit. Plures ejusmodi actiones in singultu vulgò usitatas, & quidem ridiculas sæpe, nec non imaginatione nitentes, hoc in loco exponere nolo. Suspicor verò singultus cohibiti rationem esse, quod singultientis animus attonitus quasi reddatur, spiritus cohibeatur, & diaphragma retineatur quasi à suô motu inordinato: dum scilicet singultiens intentis sensibus desubitò occupatus est circa gestus & verba compescentis affectum dictum. Eâ quippe ratione (ut cum quibusdam neotericis loquar) archeus irascens vel inquietus loci affecti, seu diaphragmatis sine dubio, singultus persistit confusus atqve à motu suo desistit. Speculationibus his absolutis insperatò incidi in *Hippocratis Epidem. sect. 4. text. 4.* ubi dicit ex timore repentino spiritus retentionem, ex hac verò singultûs sedationem oriri. Idem etiam *Cous ibidem* de quartana statuit, quòd timore illatô materia obliviscatur motus illius consveti, scilicet paroxysmi. Rectè etiam *Camerarius* (*Sylloge memor. cent. 9. p. 36.*) id, quòd intuitus bufonis noxius aliquando extiterit, partim in imaginationem, partim in exhalationes venenatas attractas ab illo læso conjicit. Eadem forsitan etiam est ratio, dum timorem singultus solvere dicitur, de quo *Alex. Massarias lib. 3. pract. c. 4.* Quomodo itidem repentinum terrorem

aut metum in singultu, aliisque morbis opitulari velit *Isaac Schookius*, videatur ipsius *problem. histor. med.* 22. *p.* 19. Simili modô, uti dictum, etiam terrorem incussum in hæmorrhagiis operari arbitror, dum sanguis consistit quasi, ex spiritibus confusis ob terrorem illum. Sed de hoc ultimo, quale scilicet sit medendi genus, alibi forsitan prolixiùs acturus sum, ubi animo insidet ventilare hoc: *utrum in morborum curatione liceat morbum quempiam, aut affectus sinistros, & qui dubii sunt eventus, excitare.* Ad similem istiusmodi medendi rationem, ab imaginatione dependentem, videtur etiam referenda illa sternutationis medela, consignata apud *Plinium l.* 28. *c.* 6. ubi sternutantes jubentur annulum è sinistra manu in longissimum dextræ digitum transferre. Ejusmodi tenoris ferè sunt curationes istæ singultus, quas annotat *Camerarius l. a. cent.* 10. *part.* 18. Sic curam hujusmodi verbis, uti apparet, peractam, *Borellus* (*cent.* 3. *obs.* 62.) ambigit, an eam verbis, an verò fidei & imaginationi potiùs tribuere debeat. Istiusmodi curationis rationem dictam admittit etiam *Biermannus in orat. de magic. actionibus apud Tandlerum in dissert. phys. med. p.* 285. & 286. Cui placet pro illustratione horum adeat & addat etiam præmissis *Deusingium fascicul. differtat* 1. *p.* 24. ubi ostendit autor, quomodo Musica operetur in homine. Tradit quoque historias in *Magicis suis Henning. Grossius p.* 153. quod venefici quidam ægrotos non valuerint curare, nisi in istorum actionibus firmam spem atque fiduciam iidem posuerint. Rectissimè etiam ex celeberrimi *Conringii* mente statuit *Sebastianus Schefferus in introduct. ad artem medic. c.* 11. *p.* 220. *&c.* §. 16. quod magica medicamenta nihil efficiant, si absit persvasio usurpantis. Ut plurimùm sine dubio id modò dictum in magicis actionibus observare licebit; quamvis etiam callidus Dæmon interdum inadvertenter, & citra intentionem (innocentium alioquin usurpantiũ) ad hujusmodi illicita vel magica medicamenta, aut vulgaria etiam minùsque suspecta concurrat, uti hoc in subsequentibus ostendetur.

Non equidem hactenus adductis patrocinabimur periaptis illicitis, ac si his operatio unice, & ea quidem valida ex firma

ima-

imaginatione semper accedere possit; cùm ratio facilè nobis dictitet, ut credamus esse suos terminos & circulum activitatis quibusvis rebus naturalibus præfixum, quem non facilè transilire queant. Medium potiùs hac in re tenere conamur, atque adeò etiam descìscimus ab illis, qui firmæ animi impressioni omni omnem vim cooperantem in morbis percurandis derogant. Lubenter quoque fatemur, quòd non in omni subjecto, & semper eundem effectum relinquat imaginatio; esse verò hujus aliquando, & aliqualem, & in aliquibus affectum, neutiquam negandum est. Illustrant quadantenus hoc verba *Heurnii in method. ad prax. l. 3. c. 28.* persvasio, inquit, fiducia, aut credulitas in naturis emollitis ac tenellulis subitum spirituum ac animorum motum inferunt; unde variò fluxu rapitur sangvis, qui unà morbificas causas partibus, quæ in querela erant, eripit, unde mitescit malum. Non latent nos alioquin varia ridicula, quæ longè transscendentia circulum & operationem imaginationis, eidem tamen crasse obtruduntur, aut malè ad illam referuntur, veluti benè & salsè respondet *Excell. Paul. Ammanus* (*in medicina critica discursu* 44. *pag.* 235.) ad ridiculam conceptionem, & partum legitimum à muliere quapiam prætensum, eumque à Gratianopolitano Parlamento approbatum ideò, quod scilicet ab imaginatione proles illa fuerit, vel potuerit esse orta, absente per quadriennium maritô; quia matrem se factam illa dixit ab imaginatione firmâ, de amplexu absentis sui mariti, in somnio concepta. Quemadmodum etiam pestem neutiquam ab imaginatione sola illius terrifici mali oriri suspicamur, ubi nulla planè adminicula, quæ admodum sæpe occulta & ignota, adsunt; de quo alio in loco aliquando, acturi *de peste*, speculationes nostras uberiùs detegemus. Sed redeundum nobis est ad nostra pentacula, de quorum operatione in imaginatione fundata legi quoque potest *Rogerius Baco in Epistol. de secretis operib. art. & nat. à Joh. Dee Londinensi edit. c. 2.* Bellè quippe explicat ille, quomodo anima in corpus agere possit, si confidentia de quibuscunque appensis in hominis animo sit firmiter fundata. Videatur ibidem de imaginationis viribus benè disserens *Jo. And.*

Schmitzius compend. medic. pract. p. 127. Ob scopum hunc, scilicet confidentiam vel imaginationem, amuleta licita in peste tolleranda esse ait *Diemerbrœkius de peste p. 176.* statuens: amuleta naturalia, quamvis plurima exiguas vires emittant, vel saltem non tantas habeant, quantas variis illis adscribunt; quia tamen ratio docet, illas aliquô modô prodesse, nec unquam nocere posse, præter naturales suas, quas habent vires, eatenus quoque utilia sunt, quòd multis animositatem, spem & aliqualem fiduciam persvadeant, metumque ac terrorem (in pestilenti constitutione maximè noxium) auferant. *Riolanus senior in artis medic. sistemate* usum characterum & verborum in medicina loco amuletorum admittit propterea, quòd anticipata opinio de medico mira sæpe præstet. Sic etiam *Hochstetterus observ. decad. 3. cas. 2. p. m. 221. &c.* de confidentia ægrotorum erga amuleta agens, concludit, quòd propter illius effectum, validum sæpe observandum, & ægrotorum petitionem sint amuleta concedenda, vel appendenda, nisi turpia vel superstitiosa sint; licet alias inefficacia existant, idque se ac alios fecisse ostendit. Ventilat quoque ejusmodi quæstionem *Greg. Horstius tom. 3. decad. 2. problem. 10. p. 34.* an medicus rationalis in curatione melancholicorum usum characterum & administrationes ridiculas concedere debeat. Licet hæc intentio, quoad certa stratagemata, persvasiones, vel similes actus, aliàs in melancholicorum curatione non omninò improbanda sit; characteres tamen & alia similia media superstitiosa, sæpius à nobis improbata in præmissis, neutiquam admittenda esse iterum censemus: ne scandalum, vel imitandi pruritus (uti fieri facilè solet in ejusmodi rebus) in vulgus propagetur, quod omninò veros Christianos dedecorat atque dedecet. Sed meta est certa imaginationis, uti antea pluries etiam indicatum fuit: sicuti enim eidem non est nimium tribuendum, ita non omnis etiam efficacia ipsi detrahenda; veluti ideò quadantenus adstipulor in hac materia etiam sententiæ *Thomæ Fieni de viribus imaginationis qu. 10. p. 170. &c.* Cujus verba inter alia ita habent: probatur experientiâ & exemplis, plurimos fuisse curatos à morbis, gestando solùm lapillos, sordes & quisquilias,

per

per has quòd crederent se gestare nobilissima & efficacissima amuleta &c. *Idem autor p. 175.* pergit: ita ad illud, quod dicitur de appensis & amuletis, respondeo, illa plerumque esse superstitiosa, & ideò operari non in virtute imaginationis, sed in virtute Diaboli, aut si aliquando non operentur in virtute Diaboli, & tamen effectus sequatur, illum effectum esse casualem, & secuturum fuisse, etiamsi illa appensa adhibita non fuissent.

Non dubito insimul, quin stratagemata varia ejusmodi & adhibita à medicis, multis amuletis jam notis atque usitatis ansam inventionis atque propagationis dederint; unde quippe non nulla licita, & illicita periammata, videlicet Tilsemæ &c. ortum traxerunt. Eò magis etiam hujus farinæ periaptorum inventio vel ortus tribuendus est otiosis & imperitis monachis, medicis indoctis, sive superstitiosis, ac Christianæ religionis fundamentis non satis instructis, agyrtis item, & hujuscemodi sortis aliis fraudulentis homuncionibus; qui dum morbos curatu difficiles cum pristina sanitate per medicamenta licita promtè non pollent permutare, labuntur in ejusmodi nugas, fraudes, superstitiones & magicas res, vel figuras, quas Diaboli syrupos & apozemata vocat *Paracelsus.* Vel tandem etiam corradunt isti boni viri vel fures paulò melioris notæ pendacula, atque his varias sæpe ceremonias, verba pomposa, fucum, glaucomata & similia adjungunt, quò credulorum fiduciam & benevolentiæ auram, atque reliqua consectaria, ipsorum aurum vel nummos lucrentur. Ex his proinde fit, ut subinde ægroti convalescant, quamvis non rarò etiam aliæ causæ & adminicula validiora illi negotio accedant, quæ medentes pariter, ac sanatos latere possunt. Sic nota etiam sunt exempla inter alia de iis, qui schedulas vel chartaceas capsulas (quibus medicamenta indita vel inscripta saltem fuerunt à Medicis) devorarunt, iisque assumtis convaluerunt, de quo *Joh. Helwigii observat. phys. med. posthum obs. 86. p. 263. & in scholiis à Nob. Luc. Schrœckio* additis. Rectè interim etiam autor hic laudatus addit ibidem, quod præter imaginationem, nimirum casu & fortuna spontanea convalescere possint quandoque illi homines. De schedula pariter devorata,

 præ-

præscriptum medicamentum continente literis annotatum *Jacobi Rogerii carmen* consignatum ostendit apud *Jacob. Pontanum in bellariis Atticis p.* 220. De simili materia etjam evolvantur *Miscellan. Acad. Leop. Cæs. decur.* 1. *Ann.* 6. *obs.* 92. *p.* 149. & *Theoph. Bonetus medic. septentrional. part.* 2. *l.* 5. *sect.* 3. *c.* 19. *f.* 191. Restant verò non pauci autores, qui præcipuam agendi potestatem characterum, amuletorum, tilsemarum, & similium pentaculorum ex imaginatione profluere autumant, quorum verba prolixitatis fugiendæ gratia jam mihi non licet adducere, ideoque sufficiet interea, si loca saltem allegavero, in quibus illud exponitur. Consulantur itaque *Martin. Delrio disquisit. magic. tom.* 1. *l.* 1. *c.* 3. *quæst.* 3. *p.* 12. *&c.* ubi disquirit, quanta, qualisque sit vis imaginationis, quoad effectus miros magicos. *Job. Wierus de præstig. dæmon. l.* 5. *c.* 17. 18. *&* 19. *p.* 570. *&c.* qui innuit, quòd in magicis curationibus temeraria credulitas valeat. De vanorum superstitiosorum amuletorum efficacia ex imaginatione usurpantium derivata loqvuntur itidem *Bernh. Swalbe disquis. Therapevt. sect.* 1. *p.* 18. *Sachsius Gammarologia p.* 867. *&c. Conringius apud Rattrayum in theatr. sympath. p.* 606. item *Reies camp. Elys. qv.* 23. §. 6. *Unzerus de nephrit. l.* 1. *c.* 25. *p.* 124. *Kozackus de hæmorrhag. l.* 2. *c.* 3. *p.* 418. atque *Idem de sale, cap.* 2. *sect.* 19. *p.* p. 110. Similiter *Sennertus de consensu & dissens. chym. c.* 18. *p.* 336. 339. *&* 340. *Job. Rhodius cent.* 1. *observ. med.* 17. p. 10. *Religionis medicæ commentator ad sect.* 30. *p.* 131. *Jac. Primerosius de vulgi errorib. l.* 4. *c.* 17. *p.* 560. *&* 561. *Herm. Grubius de arcanis medic. p.* 89. *Allegati apud Jul. Reichelium de amuletis p.* 3. *&c. Porrò consentiunt cum his Thom. Bartholinus de transplantat. morbor. p.* 4. *Sorbaitus prax. p.* 109. *Johan. Freitagius noctib. medic. p* 194. *Sturmius de medicis non medicis* §. 63. *Heurnius med. ad prax. l.* 3. *c.* 28. *p.* 400. *&* 401. *Collegium curiosum Parisiens. Germanicè redditum tom.* 1. *colloq.* 18. *&* 22. *p.* 406. *&*. 499. *Ferrerius l.* 2. *method. cap.* 11. *Deusingius fascic. dissertat.* 1. §. 15. *Sennertus prax. med. l.* 6. *p.* 385. *&c. Mollenbroccius de arthritide vaga scorbutica p.* 158. *&* 159. Non nullos alios adhuc allegatos reperies etiam in *Gabr. Naudæi de studio militari lib.* 1. *pag.* 424. *&*
Thom.

Thom. Fieni de virib. imaginationis quæst. 11. *p.* 169. ubi tamen autor simul negat imaginationi erga appensa, sive sint superstitiosa sive licita, vim quampiam sanandi inesse; si verò sequatur appensa illa effectus, hunc vel casu, vel Dæmonis ope evenire concludit. Verùm an autor hic omnium suffragium propter assertum illud auferat, ambigo. Cautus interim quisqve sit circa istud negotium, ne ea fortassis tribuat imaginationi, quæ altioris causæ sunt, & sæpe à Dæmone oriuntur. Deinde quod confidentia, erga terrena vel temporalia bona, certis limitibus circumscripta & conditionata debeat esse, jam ante Christianis ex sacra Scriptura innotuit, & à nobis adhuc in sequentibus indicabitur. Non abs re etiam monet circa imaginationis effectus (nimis magni à *Paracelso* æstimatos) *Libavius in singular. lib.* 1. *p.* 295. inquiens: vult *Paracelsus* phantasiæ humanæ tantam vim esse, ut universam virtutem cœli possit deducere, & dirigere in rem certam, quæ postea in usu Magico miracula præstet, fiatque ita tota magiæ naturalis facultas, quæ etiam spiritus attrahat, & abigat pro lubitu: Sed omnia non alia veritate, quàm *Cornelii Agrippa, Tritemii*, & aliorum Diaboli mancipiorum, qui *Platonicorum* malis fundamentis innixi, vetitas divinitùs & humanitùs artes voluerunt palpô vel colore inductô comprobare; cùm tamen falsa sint ista omnia, & impia. De eadem imaginatione requisita pro curatione absolvenda in cerea imagine, agit etiam *Paracelsus de hyperphysicis morbis.* Perpendens verò ejusmodi irrita imaginationi tributa *Voigtius in deliciis physicis p.* 87. & 88. distinguit inter imaginationem & superstitionem seu Dæmoniacam confœderationem. Sufficiant verò hæc de imaginatione adducta; plura interim in præcedentibus & subsequentibus de hâc materia interspersa reperientur; quemadmodum etiam illud dictũ, de imaginatione pro usu magico, & curatione peragenda requisita, notari vel examinari meretur.

Pergimus posthæc ad alios operationis modos amuletis à Paracelso & ejus asseclis assignatos: Volunt verò efficacia hæc esse in morbis, propter tria ista nota principia: sal, sulphur, & mercurium; de quo quid sentiat *Zwelfferus*, videatur in ipsius *Pharmacop. Reg. p.* 140.

Qui

Qui ad laxum & strictum morborum curationes referunt, facilè periaptorum operationes explicabunt, & quodvis suæ classi tribuent.

Sine dubio etiam casu subinde sequitur sanatio, quæ immeritò periammatibus tribuitur, uti hoc subinnuimus aliquoties in nostro scrutinio. Minus promptè etiam concludemus certi quid de efficacia amuletorum, si alia medicamenta simul in morbis curandis sint admissa. Etiamsi post sola pendacula applicata (sive eadem sint licita, sive illicita) interdum revertatur sanitas; dubium tamen quibusdam videtur, num illorum, vel potiùs naturæ beneficiô morbus resipiscat. Præterea febres unius ejusdemque characteris vel constitutionis in alio citiùs, quàm in alio subjecto cessant, prout scil. habent corpora, anni tempus, diæta, & alia plura adminicula, eaqve vel fortiora, quæ morbum diutius alunt, vel mitiora, quæ illum citiùs dimittunt. Si itaqve morbus, sponte suâ remittens alioquin, propter statum & causam suam mitem interdum cessat, ubi simul amuleta fuerunt adhibita, id dictis his amuletis tribuitur, licet alia plura experimenta desint, de eadem efficacia testantia. Sic juxta illud tritum: felix anus, quæ tempore criseos medetur; in quam rem plura fortè illa nostra aliquando conferent, *quæ de morbis post cibos non adeò congruos assumtos desinentibus* oder von Gesund-Essen depromemus. Quis neget facilè, naturæ bonitatem subinde dubiam reddere medicamentis aut amuletis palmam, quam tamen hæc postrema quandoque aufferre, vel superbire eadem videntur. Locum quempiam ex *Cratone* de superstitiosis amuletis allegans *Gabrielis Naudæus de studio militari l. 1. p.* 432. pergit ita: Φύσις νόσων ἰητρός. Ita est, natura leves morbos per se sanat, in gravibus verò artis præsidiô indiget, unde qui ex circulatoribus plusculum sapiunt, neqve ad morbos acutissimos, ut Apoplexiam, Tetanum, Choleram morbum, neqve ad longos & contumaces amuletis utuntur; sed ad febres tantùm tertianas, quæ, intra septimam accessionem magna ex parte desinunt; nam sive tùm, sive prius terminentur, id tribuunt amuleto; si ulterius perdurent, accusant ægrotum, quod in aliquo deliquerit; hactenus *Naudæô* usi sumus. Notum alioquin

quin etiam est, quod febres debeant, vel soleant quandoque curari *Abracadabra*, voce illa composita juxta quosdam ex Chaldaicis tribus vocibus Sanctæ Trinitatis, scilicet אב רוחא דאברא hoc est pater, Spiritus & verbum. Nomen verò illud contractum schedulæ inscriptum affigunt superstitiosi iis, qui febre laborant, & quovis die literam delent; atque ita pari ratione insultus febriles imminui pronuntiant, vel promittunt illi. Contingit verò crebrò in medicina ut febres quædam post aliquot poroxysmos, scilicet quinque vel septem evanescant, nec ad tot dies semper extendantur, quot literas continet vox *Abracadabra*. Quid mirum itaque, si post undecim dies aut totidem paroxysmos febris evanescat; atque hoc eò citiùs expectandum est, si firma gestantis confidentia, vel Satanæ astus concurrat. Plura ejusmodi vel alia similia sine dubio etiam inter amuleta occurrent, quæ casu potiùs, quàm vi sua medicâ operari deprehendentur, si accuratius in ista inquiretur. Denique de voce ista *Abracadabra à Q. Sereno Sammonico* carmine aliàs descripto, & ab aliis repetito, quòd contra hæmitritæum faciat, videatur *Joh. Seldenus de DIS Syris p.* 118. ubi arbitratur hic autor, quòd dicta vox ab *Abraxa Deo Talismath, seu* στοιχείων deducatur. Quid vox Abraxas ulteriùs juxta quorundam mentem denotet, pluribus cognoscere licet ex dicto loco laudati *Seldeni*. Videri quoque potest in locum illum commentator *Andr. Beyerus additamentis ad Seldenum de DIS syris p.* 207. *& Joh. Saubertus de sacrific. veterum cap.* 23. *pag.* 578. De voce Abraxas, quid hâc indicetur, evolvi etiam meretur *Greg. Michaëlis in notis ad Gaffarelli curiosit. inaudit p.* 266. *&c.*

Cæterum difficulter quis exponet plurimas amuletorum operationes vel agendi modos, quibus scilicet eadem operari deprehenduntur, vel creduntur; imò non facilè ad summa capita illorum actiones verè & pure medicas referre licebit. Hinc lectori benevolo committimus curiosam indagationem pentaculorum, si quæ deprehendantur efficacia, & quidem sine suspicione alius causæ extrinsecæ, vel eventus fortuiti. Subnexuimus etiam quibusdam periaptis in superioribus autorum sententias, quomodo scilicet iidem velint amuleta suam efficaciam exserere; Utrum verò suô istô assertô autores illi semper, & ad cujus-

que sententiam vel applausum scopum tetigerint, Lector benevolus æquâ mentis lance trutinet, suaque meliora illis addat; quò etiam hâc industriâ augmentum medicinæ accedat, ac veritas ex obscuris magis magisque emergat & elucescat. Si quid ulterius tamen de dictis operationibus apotropæorum addendum est, suspicor illa, uti reliqua medicamenta, potissimum agere: motum & evacuationem variam promovendo, obstructiones deoppilando, consolidando, humores noxios alterando, fluxiles humores incrassando, aut opiatorum instar operando (quamvis hic modus fortè ex prioribus modò dictis simul emergat) sed de postremo hoc recordamur nos etiam peculiariter in præcedentibus quadantenus egisse.

Veteres quidem altius quid, & distinctum ab aliis medicamentis amuletis inesse volunt, unde totius substantiæ actionem & occultas qualitates in partem vocant, uti mox videbimus. Nostræ verò sententiæ subscribit quadantenus *Erastus part. 3. disput. contra Paracelsum*, putat quippe amuleta vel propter formam substantiæ effectricem, sive propter certum suum temperamentum agere, alterando sensibiles qualitates, vel mutando temperamentum operari; quam ultimam sententiam de temperamento qualitatum primarum improbat *Sennertus de consens. & dissens. chym. cum Arist. cap. 18. pag. 344. & in Prax. med. lib. 1. part. 2. cap. 31. pag. 663.* Non æquè verò placent occultæ qualitates *Nathan. Hodgesio in Loimologia p. 236.* haud facilè, inquit, inducor ut credam amuleta quævis ex aliqua proprietate cuipiam incolumitatem præstare; effectus autem, quotquot passim extare traduntur, vel Phantasiæ vi applicationis velut assimilantis, vel rei admotæ manifestâ qualitate produci suspicor; miraculi superstitionem evincit *Ficinus.* Hactenus *Hodges.* Veruntamen quia multorum amuletorum operationis ratio non omnibus æquè patet, multi quoque autores illam utplurimum ad totam substantiam, & qualitates occultas referunt. Confer in illam rem *Sitonum in Jatrosophia Miscell. tr. 42. p. 254. & ... Casp. Bauhinum de remed. formulis l. 1. c. 10. p. 33.* & alios autores, qui de medicamentor. facult. & compositionibus scripserunt. De eadem

me-

materia ita loquitur *Joh. Jonstonus syntagmat. universæ medicinæ p.* 298. amuleta, inquit, occultô quodam modô vim suam exserere creduntur. Nam si manifestè agerent, sentiret æger, cui appenduntur, aliquam alterationem; efficerentque idem alia medicamenta iisdem qualitatibus manifestis instructa. Hæc *Jonstonus*, in quæ plura commentari supersedemus, etiamsi fortè non nulla valeremus. Exponunt præterea quipiam illum modum operandi per Φυσικὸν, & alia Synonyma. *Reinesius l.* 3. *Variar. lect. c.* 4. triviale, inquit, Φύσιν naturam, & Φυσικὸν naturale significare; sunt enim, quæ formâ & totâ substantiâ, quæ verè natura est, vi occultâ suos edunt effectus, à *Tralliano* vocantur ἀναιτιολόγητα auxilia, quorum rationes non possunt reddi; & quæ experientiâ solùm sunt cognita. Inter hæc ἀναιτιολόγητα refert pariter amuleta *Rolfincius chym. p.* 410. Physicas amuletorum quorundam ligaturas ab occulta rerum proprietate dependere &c. docet itidem *Joh. Langius lib.* 1. *Epist. med.* 34. *p.* 160. De sententia *Galeni*, quâ inter alia hic periaptâ quæpiam secundum totius substantiæ proprietatem agere velit, illi simul assentiendo, agit *Jac. Zvingerus examine princip. chym. p.* 50. Olim verò etiam sub Physicis incantamenta intellecta fuisse ostendit *Reinesius l. a. lib.* 3. *c.* 15. *p.* 364. Citat pariter illic autor quosdam scriptores, qui de physicis rebus egerint, addens insimul quomodo τὸ Φυσικὸν seu Φύσις debeat explicari. Sunt itidem magica *Augustino*, quæ physica vocant medici; à Dæmonibus verò esse ista magica, ergò etiam à Dæmonibus ea, quæ solùm mitiori vocabulo medici Physica dicunt; adducta verò hæc prostant apud *Joh. Rainoldum censura libror. Apocryphor. veter. Testamenti tom.* 2. *prælect.* 202. *p.* 1105. De annulis physicis, quales iidem reputentur, alius locus nostri scrutinii solicitus est, qui itidem utplurimum malæ notæ sunt. De physici nominis ratione egimus etiam *p.* 12. nostri scrutinii, quod mitiùs ita quædam dicantur, quæ suspectæ aliàs sunt notæ; atque hæc illicita, non nisi refutationis gratia nos attingimus. Sunt etiam qui medicamenta substantiâ totâ agentia, & qualitate occultâ operantia, inter se differre, nec eadem confusè pro uno eodemq; valore ac-

 cipienda

cipienda eſſe ſtatuunt, de quo *Gregor. Horſtius conciliatore con-cleato quæſt. 71. p. 101.* Sed jam non erimus ampliùs anxiè ſo-liciti de ſtrictâ harum appellationum acceptione, cum ſæpe eam-dem rem diverſis nominibus exprimant quipiam autores, velut de variis ejusmodi ſynonymis, & hac materia benè quoq; differit *Eraſtus de occultis pharmacorum poteſtatib. c. 3. p. 3.* Quomodo alii plures velint hujusmodi appellationes interpretari, ii conſuli poſſunt, qui ex profeſſo de occultis qualitatibus, aut etiam medi-camentorum facultatibus ſcripſerunt. Lubet nobis ſolùm jam mentem paucorum adhuc indagare, quomodo iidem totiꝰ ſubſtan-tiæ operationes, vel qualitates occultas, & juxta hæc amuleta ef-ficacia eſſe exiſtiment. *Zwelferus Pharmac. Reg. p. 141.* indicat, quòd talismodi actio ſit qualitas vehementer activa, quæ ſub ſenſum non (addimus omnium facilè) cadit, ſed ſolô effectu innoteſcit &c. Reliqua ex *Helmontio* & aliis ibidem de eadem ferè operatione annotata, legendo ſuppleri merentur. Cùm etiam toti-us ſubſtantiæ operationem, juxta quorundam mentem, benè vide-atur explicare *Chriſtoph. Beſoldus in theſauro practico & quidem in voce* Atzney *pag. 50.* non immeritò ipſius verba hùc trans-ſcribimus, dum inquit: ab omnibus ſubſtantiæ viribus amule-torum operatio procedit: non enim materia agit ſeorſim, non forma, non craſis elementaria; ſed, ajunt, in unione per contem-perationem coëuntium elementorum facta, ut ita tota ſubſtantia aliud nihil ſit, quàm conſpiratione quædam omnium ſubſtantiæ virium ad effectum eundem, illisq; conſentaneum producendum; hæc *Beſoldus.* Eadem de amuletis verba annotata reperies etiam apud *Rodolph. Goclenium de peſte p. 76. Ibidem* quoque autor p. 83. &c. pluribus defendit occultas & ſpecificas amuletorum vires. Inter alios autores etiam ſpecificam poteſtatem amuletis vendi-cant *Ronſeus Epiſt. med. 22. p. 65. Jonſonius Lexico chymico p. 227. Helmontius ignota actione Regim. §. 19. & Zwelferus Appendice ad Animadverſion. pharmac. Auguſtan. p. 39.* explodit ſimul autor hic ultimus qualitates primas.

Quia jam mentio incidit de occultis qualitatibus, nolumus noſtram facere controverſiam aliàs de iis occupatam, cum de iis multi, & inter eos ſatis probabiliter agat *Caſmannus in phyſ. l. 1. p. 595.*

l. 1. *p.* 595. Reperiuntur præter hæc autores quidam; qui occultas qualitates dependere statuunt ab elementis, alii ab ideis formatricibus, alii ab intelligentiis, ab astris alii, & alii à spiritu mundi, de quibus assertis, & horum autoribus vide *Mich. Bapstium* im wunderbarlichen Leib- und Wund- Artzney- Buche *part.* 1. *p.* 196. Dicit etiam illic autor de hujusmodi operationibus & earum conciliatione agere *Henr. Corn. Agrippam in philos. occulta l.* 1. *c.* 13. & 14. Non nullis autoribus equidem animus est qualitates occultas planè ex Philosophia eliminare, idque masculè inter alios conatur effectum dare *Kircherus* in suis scriptis de magneticis actionibus, unde ista appellatio ipsi etiam ignorantiæ asylum audit. Statuit quippe venerandus pater, nullam rem esse tam abstrusam, de qua non probabilis, vel verisimilis ratio dari possit; sed datur quandoque, verùm vix vero consona, dum sæpe obscurum per æquè obscurum explicatur. Nobis è contrario etiam non est ignotum illud, quô dicitur, quòd in physicis nihil adeò verum vel firmum sit, de quo non in utramque partem disputari possit. Citatus *Kircherus* rerum obscurè agentum modos operandi inter alia deducit à sympathia & Antipathia rerum, dum occultas qualitates proscribit; quod facilè quidem ex effectu concludi, ratio verò hujus difficulter, vel planè non cognosci sæpe potest. Laudatus *Kircherus* interim nihil novi videtur indicare per sympathiam & antipathiam, cùm eò etiam respexisse videantur veteres, qui loco sympathiæ simile, & antipathiæ dissimile quid agens aut patiens intellexerint, uti hoc inter alia innuit *Gesnerus l.* 3. *histor. animal. p.* 184. inquiens: scio occultas esse rerum facultates, qualis est magnetis in attrahendo ferro. Sed in illis, cùm ex primis aut secundis qualitatibus (ut Physici & medici vocant) caussas, cur quodque fiat, reddere nequeamus, unam habemus communissimam, nempe totius substantiæ similitudinem, ὡς ἀεὶ τὸ ὅμοιον ἄγει φύσις εἰς τὸ ὅμοιον. Respondet verò paulò ante adductæ sententiæ *Kircheri Scaliger Exercitat.* 218. *f.* 8. & aliis in locis: ad manifestas omnia deducere qualitates, summa imprudentia est. *Keckermannus System. phys. l.* 1. *c.* 8. *p.* 50. Non est, ait,

probanda eorum confidentia, qui existimant, omnium virium naturalium causas exquisitè dari posse; plura etiam alia loca, tùm profana, tùm sacra in suam dictam sententiam allegat dictus autor, quæ si placent, ibidem videri possunt. Invehitur etiam in illud vituperatum ignorantiæ asylum ab argutulis protrusum *Palmarius de morbis contagios. p.* 346. De profunditate itidem ejusmodi rerum differens *D. Ziegera differtat. de sympath. & Antipathia* ait: scimus ex operibus Domini nobis innotuisse pauca. Velle inquirere harum naturam, explorare occulta, nunquam errare, est rem tentare impossibilem. Non etiam dubium videtur, quin in quibusdam obscuris medicinæ, nec facilè indagandis, locus sit concedendus sequentibus verbis *Scaligeri:*

Nescire velle, quæ Magister maximus
Nos scire non vult, erudita inscitia est.

Benè proinde faciunt ii, qui nec timidi, nec tumidi, vel temerarii nimis sunt in abstrusis rerum operationibus tractandis, vel considerandis: ne scilicet cum *Hippia* omnia scire profiteantur, aut cum *Archesilao* de omnibus dubitent. Non malè etiam in hanc rem, pro media via hac in sententia eligenda, loquitur *Sennertus in Institution. major. p.* 910. Ille enim de medicamentorum occultis qualitatibus agens: etsi, inquit, quia occultæ sunt, natura eorum penitus investigari non possit; tamen de causis, à quibus pendent, & de subjecto quædam non solùm dici possunt, sed etiam passim controvertitur; de quibus inquirere non inutile est. Non statim ergò ad occultas, priscorum reputatas, seu imperscrutabiles res, non-entia (& quæ sunt aliæ ejusmodi appellationes) referenda sunt ea, quorum causæ, vel operandi rationes non statim ab initio, aut indaganti omni patent. Quamvis fortè hoc non nullorum stratagema subinde possit esse, ut conentur ita arcana provocare, vel prolicere ab aliis; dum res alioquin cognitu graves, imperscrutabiles, aut non-entia esse prætendunt, vel declarant. Sic n. tritô quopiam Germanicô: *ex rusticis vel puerulis artes eliciuntur:* Velut in hanc rem loquitur penè magni mihi æstimatus *Borrichius de ortu chemiæ p.* 134. accedit, inquit, quod multi publicè in chemiam debachentur, privatis autem

tem studiis nihil ament teneriùs, quorum & aliquos in itineribus mihi contigit videre. Verum insimul tamen est, quòd non adeò qualitates occultæ existant secundum se, quàm secundum nostri & cognitionis nostræ majorem partem, uti inter alia de hac materia concludit *Sitonus in Jatrosophiæ tr. 28. p. 128. & 149.* Eadem est mens *Erasti de occultis pharmac. proprietatibus c. 34. p. 61. &c.* Non statim, inquit, ab occulta vi (quod aliquos indoctos facere memini) operationes varias profectas statuas, cujus non ipse mox causam perspicis; sunt quàmplurima, quæ aliis aperta & plana videntur, mihi autem obscura & incomprehensibilia judicantur. Res ipsa loquitur de his; proh! quot & quanta ex ignorantiæ atque obscuritatis tenebris, & occultarum qualitatum faucibus & cryptis eripuit, ac eruit aliquot lustris modò præterlapsis curiosorum virorum industria. Laudantur itaqve, nec satis unquam dilaudari possunt societates & collegia variarum nationum, quæ indefessô studiô obscuras rerum proprietates, & dubia scrutantur bonoque publico communicant. De multis obscuris hactenus existimatis sine dubio quoque

Judicium melius posteritatis erit.

Promittimus inposterum etiam nobis multa adhuc salubria & solidiora detectum iri ab inclytis iis Collegiis, quibus anatomia varia & ars spagyrica adminiculum felix hactenus præbuit. Manet etiam viros illos celebres atque felices sua corusca laus, & non nisi cum mundi ruina desitura. Acclamamus hinc omni ex numero illo illustri notum illud:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas!

Etiamsi non cuivis licet adire Corinthum; non immeritò tamen abstrusorũ indaginē sequimur & sectamur, usq; dum melioris atq; verioris portionem consequimur; animum quippe nobis indunt verba *Hippocratis* dicentis: nihil in natura fit, hoc est sine naturali causa. Hactenus adducta de occultis qualitatibus, ut plurimum generalem tractationem de iis continent; restant pauca adhuc subnectenda, quomodo quidam amuleta juxta dictas qualitates suas vires corpori concedere arbitrentur. *Heurnius meth. ad prax. l. 3. c. 28. p. 401.* inquit: in illis rebus, quæ appenduntur non ra-

rò

rò latitat quædam occultior facultas, quæ incalescens à corporis contactu atomos ac miasmata & effluvia nobis nescientibus effundunt, & infundunt, nobis hausta ore & cutæ, efficaci morborum antidotô. Idem paulò post pergit: inest quibusdam rebus congenita inter se consortii aut dissidii proprietas, quâ citra visibilem tactum sese alterant &c. De ejusmodi operatione paulò superiùs *Jonstoni* etiam verba adduximus, ad quæ pro lubitu, qui cupit, reverti potest. Satis speciosè etiam ostendit *Goclenius* (*in Rattray theatro sympath. p.* 176.) quomodo occultæ & specificæ virtutes ex rebus cuti admotis insensibiliter, minusqve manifestô modô in corpus agant.

Fortassis suspicio hic locum etiam invenit, quòd vires naturaliter non insint semper quibusdam periaptis, sed eædem limites naturæ transgredientes vel à Deo, vel à Dæmone prodire subinde possint. Novimus quippe, quòd si Deus pro nobis sit, nemo contra nos possit aut debeat esse, & quòd præpotens ille Dominus rebus inefficacibus validas vires indere, & ex adverso rebus efficacibus vires suas detrahere possit. Constat quippe alias, quòd vel araneæ tela murus piorum extiterit, & extare etiamnum possit, Deô id dirigente. Novimus pariter, quòd venena piis innocua extiterint, & ex promissione Salvatoris sanctis Apostolis facta vel data. Sic proletariis & miseris hominibus victus vulgaris, panis quippe & aqua, vel vilius quid, in bonam nutritionem cedit ex Dei clementia & benedictione: quod item efficiunt vulgaria medicamenta egenis hominibus simul condita; adeò, ut hæc idem illud præstent in morbis percurandis, atq; pretiosa, & exotica medicamenta divitibus ac magnatibus præscripta vel porrecta, multisqve sumtibus comparata; de quo alia occasione, ubi de *domesticis vel facilè parabilibus medicamentis* nos plura suppeditabimus. Non fugit nos ex adverso, quod irritus sit conatus medentium Deô abnuente, uti patet ex illo noto:

Ni Deus affuerit, viresque infuderit herbis,
Nil nos Dictamnus, nil panacea juvat.

De pluribus his nostrum scrutinium etiam in aliis locis fusiùs agit; hinc negandum non esse arbitror, quòd Deo etiam competant

petant quædam vires, quas ille peculiariter amuletis quibusdam, ac aliis medicamentis indit. Imò quòd sine mediis vel medicamentis, pro immensa suâ bonitate & arbitrio Deus optimus maximus, ex morbi & mortis faucibus homines eripere possit, sacra atque profana scripta docent.

Non indulgebimus prolixo discursui illi, dum autores quidam θεῖον amuletis inesse pronuntiant, quô scilicet eadem efficacia existimantur. Locus ejusmodi innuens hoc prostat apud *Forestum obs. 52. lib. 9. p.* 301. cujus verba hoc in capite tradere supersedemus, cùm in subsequentibus scil. *c.* 4. *sect.* 3. exprimamamus ista fusiùs. In præcedentibus etiam dictum fuit θεῖον illud in venenatis periammatibus latitare, de quo inter Zenechtorum operandi modos autorum sententiæ *p.* 329. inquiri possunt, & nostra dissertatio *de divino in medicina* aliquando edenda.

Dehinc nec Satanæ potentia vel concursus semper ab amuletis excludi potest, cum & hic suas præstigias & malitiam subinde admisceat rebus alioquin inefficacibus, citra usurpantium piorum intentionem; atque hoc eò citiùs contingit in infidelium actionibus, medelis superstitiosis, atque pentaculis illicitis. Sed omnia hæc potiùs miramur, quàm rimamur, aut in dubium vocamus; veluti de his abundè etiam in præcedentibus sparsim actum fuit.

Et sic his absolutis claudimus considerationem operationum amuletorum, de quibus forsitan meliora nobis cogitationes posteriores inposterum suppeditabunt, quæ communia suo tempore etiam faciemus. Non erramus interim fortè, si medicamentorum operationes, & Pathologiam in medicina cognitu difficillimas res esse pronuntiemus; de quibus quidem multa jam dicta prostant, sed plurima sine dubio restant indaganda & adhuc docenda. Forsitan inposterum etiam alii autores suis eruditis scriptis non nihil difficultatis dement de doctrina amuletorum; veluti quidam ferè ejusmodi tractatus de amuletus promiserunt. Sic recordor *Nobilissimum Dominum Doctorem Georgium Francum P. P. Heidelberg. Celeberrimum, meum conterraneum, amicum & collegam* (propter Academiam Leopoldino Imperialem)

perialem) honoratissimum, in *lexici sui vegetabilium præfatione* ferè ejusmodi tractatum promisisse; sed laborum aliorum cumulô eundem repressum ideò tractatum illum vix absoluturum aut daturum eum posthæc ex literis ejus mecum communicatis ferme intellexi. Doleo interim, iterumq; doleo nostri itidem Collegæ insignis, Velschii obitum, qui de eadem materia sine dubio non inutilia communicasset, vel communicare potuisset publico, nisi mors ipsius varia utilia scripta intercepisset; non inopem enim hujus materiæ illum fuisse, loca quædam ipsius librorum innuunt.

CAPUT IV.

SECTIO I.

Judicium rejiciens improbanda & illicita pendacula.

DIspiciemus jam, quæ periammatum legitimorum mereantur nomen, cùm vix aliis medicamentis, quàm quidem his, adeò multa illicita, superstitiosa & magica sint commista. Dolendum insimul, quòd medici doctiores non raró indulgeant illicitorum amuletorum usui, à quo tamen Christianæ atque sobriæ philosophiæ dediti meritò abhorrere debent. Si verò inquirimus in causas, cur illicitæ & impiæ medendi actiones adhuc hodiè perseverent ac observentur, & quidem in centro vel medio Christianæ atque orthodoxæ religoinis, rationes sequentes à verò forsan non alienæ locum invenient. Deprehendimus quippe, quòd malæ curiositatis scintillæ prostent adhuc relictæ in libris variis ab Ethnicis, & Pontificiis, uti & monachis inprimis & magiæ doctoribus editis. Illicita ejusmodi posthæc eo magis hominū mentes occupant, occæcant, atq; propagantur, quia non quibꝰ vis Satanæ nequitia, Philosophia licita, & cauta, sive etiam eruditio solida, aut sacræ scripturæ norma, semper adeò curæ cordiq; est. Hoc modô itaq; talismodi corrupti vel seducti homines (etiamsi medentium, nec infimorū subinde numero adscripti sint) de-

desperant sæpe de sufficientibus aliis sanandi adminiculis sive neglectis, sive minùs cognitis, quibus morbi legitimè curari debent aut possunt. Dehinc quia sine magno molimine, ingrato sapore aut odore, tristive sensatione ejusmodi scenicæ & illicitæ medelæ applicari solent aut possunt, homines in illarum admirationem rapiuntur, atque eò magis, si quæ sanatio interdum subsequitur. Magna etiam non raò autoritas & gloria medicis istis (titulô tamen hoc indignis) accedit; vulgus quippe eosdem digitô monstrat, & plus quàm perfectorum medicorum nomine salutat atque effert: Si nimirum adeò jucundè, vel citra medicamentorum nauseosorum usum, & citò interdum (modò etiam satis tutò atque piè) aufferantur morbi. Accedit etiam ad propagationem vetitarum curationum, & inprimis periaptorum hoc, quòd magnates quidam (quæ conqueri etiam deprehendi post meas has meditationes *Dan. Sennertum prax. lib. 5. part. 4. c. 24. p. 521.*) Ducissæ, matronæ nobiles, senes utriusq; sexus, inprimis verò sequioris, & si speciem sapientiæ, pietatis, ac multijugæ experientiæ præ se ferentes, communicent ac doceant istiusmodi arcana atque medelas. His verò non omnes semper reclamare audent, quibus meliora & licita nota, & eloqui alioquin concessa sunt: hinc istæ lacrymæ, & errorum variorum ac impietatis istud seminium. Indigitat id etiam *Francisc. Petrarcha Dial.* 112. quò divinans, inquit, insignior, eò mentiendi libertas major & fides pronior mendacio est. Præterea, si doctores istiusmodi arcanorum culpandorum sacras quasdam actiones, verba & gestus adhibent; si vitæ inculpatæ (quantum de iis publicè constat) student; aut si nihil mali, nec evidentem incantationem suis actionibus admiscere deprehenduntur, hinc applausum multorum hominum aufferunt. Non omnes autem æquè pensitant, quod Cacodæmon satis antiqvus sit, & tamenà Dei præceptis desciscat, erret enormiter, & in errores ac perniciem corporis atq; animæ præcipitare conetur quoscunq; incautos vel impios, nec ferietur priùs, quàm illos capiat aut decipiat. Notũ est insimul, quod vafer ille hostis & veterator se in angelum lucis transfomare, vel repræsentare illum non ineptè posit. Dæmon quippe, uti ab initio est, etiam ad finem usq; mundi manebit sine dubio mendax, & fallax, uti spiritus talismodi in ore pseudoprophetarum

Yyy 2

phetarum etiam olim extitit; licèt subinde veri, boni, ac liciti quid depromat. Dicta hæc, quia veritati sunt consona; proinde sacrarum rerum usus, & species licitarum actionū non indifferenter vel simpliciter attendenda est, veluti plura etiam hujusmodi monita innotescunt aliis ex locis nostri scrutinii. Deinde quia ejusmodi doctores turpes subinde nova, inaudita & rarà moliuntur, & inter istos ii inprimis, qui magicis actionibus student, hinc plebeji & qui sacris literis non admodum instructi sunt, illicitas medelas, tanquam naturæ arcana, mirantur, amplectuntur, fovent, ac promovent. Præterea speciosa verba, & prætextus licitus ac honestus dictos doctores, eorumque supellectilem utplurimum non destituunt; sic illi juxta suam philosophiam, superiora sicut inferiora esse prætendunt & inculcant, & sic sæpe astrorum influxus pro voluntate torquent, variisque ceremoniis & actionibus se ultra communem hominum sortem sapere ostendunt, & ostentant. Verùm qui Sacræ Scripturæ normam istis rebus variis applicat, & spiritus malè credulâ, & providâ mente probat, non immeritò reprobat istiusmodi illicita, & bona retinet. Minimè itidem ignorat ejusmodi providus, quod rebus terrenis suus circulus activitatis, vel meta operationis sit posita, quam istæ transcendere non possunt; in quas notas tamen non raro impingunt illicita periapta & curationes. Non latet etiam Christianos sacris literis imbutos, quod medicinæ indulgeat itidem Satanas; utpote qui Protoplastos nostros quoque medium vel medelam docere voluit, quomodo ultra suam sortem sapere & Deo similes reddi possent, prohibitô illô priùs à Deo pomi morsu, svasô autem deindè à Dæmone, ac tentatô postmodum infeliciter à miseris illis; de quo non nulla etiam tradit *Sam. Sturmius de medicis non medicis p.* 8. Non fugit pariter nos, quòd non nullarum rerum effectus, vel operationes naturales ægrè sæpe à magicis, illicitis & Diabolicis negotiis discernantur; cumprimis si nulla suspicio malæ causæ aut originis in iis se manifestet, veluti idem hoc non nullos autores conqueri discimus ex *Hier. Jordano de divino in morbis c. 5. p.* 22. *Ibidem autor c. 7. p.* 23. etiam morbos prodigiosos divinos describit, ex quibus haud difficulter notæ medicamentorum similium colligi possunt.

Quan-

Quantum verò poterimus, noſtrique inſtituti ratio permittit, jam notas & characteres quosdam generales indicabimus, quibus ſuſpectæ & vetitæ curationes, uti & amuleta dijudicari, & à licitis diſtingvi posſint. Faciunt itaque huc illæ normæ, juxtà quas medicamenta veneficio aliàs opponenda dirigi debere innuit *Hildebrandus in Goëtia pag.* 212. Adducit quippe ex concione quapiam *D. Joh. Gayleri*: quòd talismodi medicamentum debeat eſſe non prohibitum, ſcandaloſum, inordinatum, Diabolicum, falſum, vanum, aut expectatum. Citatus *Hildebrandus l. a. p.* 313. verò item vult: ſpem quoque non eſſe ponendam in modum, numerum, materiam, tempus, locum, ſitum, & quæ ſunt plura ſequentia in loco citato legenda, omniqve Chriſtianè Philoſophanti contra fucum & defenſiones vel ſvaſiones varias illicitorum ſeriò obſervanda. De notis ſuſpectorum medicamentorum vel magicorum & illicitorum audiendus etiam eſt *Longinus trino magico cap.* 4. *p.* 9. *&c.* qui rejicit iſta: ſi operatio naturalem facultatem excedit, ſi in operatione aliqua adhibeantur verba ignota, falſa, apocrypha, abſurda, ſacrave, ad ſenſus alienos retorta; ſique operatio tribuitur certis quibusdam deſignatis ritibus; & denique ſi vis effectrix collocatur in obſervantiis planè ſuperfluis & indifferentibus: ſi hæc, inquam, vel ſimilia adhibeantur, resque non eſt proportionata ad effectum producendum, magicis tribuatur incantationibus & artibus neceſſe eſt. Eadem penè verba proſtant apud *Maxim. Sandaum in Theologia medica l.* 3. *comment.* 2. *p.* 40. *&c. Dan. Sennertum de conſ. & diſſ. chym. cum Ariſtot. & Galen. c.* 13. *p.* 229. *Freitagium in noctib. medic. p.* 194. *&c.* addit tamen inſimul poſtremus autor, quòd ſi non posſit circa ejusmodi medicamenta allegari vis naturæ, aut artificis ſolertia, vel miraculum, necesſariò intercedat pactum cum Dæmone. Suſpecta poſtmodum etiam in ejusmodi rebus ille cenſet hæc: ſi verba blasphema, parum convenientia, nomina aliaque Dei, incognitæ ſignificationis, vel angelorum bonorum, maloriumve inſerantur iis, vel ſi adhibeantur ſeræ, clauſtra & ſimilia. Si præterea etiam virtus imputetur certis horis, cœli conſtitutioni, ordini aut numero, inde hæc ſuſpecta eſſe concludit autor citatus. *Idem hic*

Autor ibidem cap.39. pag.188. porrò in hunc modum loquitur: virtutem ad majora perficienda vel alia, quàm à Deo destinata, ipsique inditum & insitum est, certâ utentis confidentiâ peculiari ritu usurpatur, idque prævio cum Diabolo pactô, vel tacitâ consensione, svasu Magi vel alterius, fit sacramentum Diaboli. Alius locus nostri scrutinii etiam docet, quod sine confidentia ægri sive medicamentis, sive veneficiis tentatæ curationes vel veneficia subinde non processerint, de quo etiam *Henn. Grossius in magicis de spectris part.* 1. §. 238. *&* 257. Non obstat his quorundam insufficiens, sive calva excusatio, dum se nihil mali moliri dicũt iidem & arbitrantur variis suis ausis & ceremoniis, Baalitarum more institutis, aut si tales prætendunt, minùs se fœderis cum Dæmone facti reos vel memores existere. Exulent verò hæ futilitates omnes execrandæ, & retia incautis hominibus à Diabolo expansa. Non infrequens etiam olim fuit apud Ægyptios, ut sacerdotes horrendas ceremonias atque gestus exercerent in sacramentis suis, quò simplices homines in admirationem majorem ac venerationem incitarentur. De Ægyptiorum fama, non admodum bona, plura inferiùs in hujus *nostri Scrutinii cap.* 4. *sect.* 2. occurrent. *Jacobus Gaffarellus in curiositatib. inaudit. p.*130.140.143.164. aliisque in locis pluribus damnat equidem & exsecrat illas Talismas, quæ certâ verborum recitatione, murmure vel gestibus & actibus componuntur; verùm levi istô prætextu reliqas maculas, à sua Talismanica doctrina, mirificè licet defensa, vix abluit. Caute itaque ejusmodi res tractandæ sunt, ne in divinam majestatem, ejusque verbum impingamus. Cui verò hæc adducta de notis illicitorum medicamentorum, & apotropæorum non sufficiunt, plura de vetitis ejusmodi collectionibus institutis, per certas ceremonias adhibitas, & incantationes, annotata eaque decretis publicis prohibita, reperiet in *Christoph. Besoldi thesauro practic. sub voce* Artzney *p. m.* 51. Præterea Alphabeti seriè illicitas istas medicandi ceremonias, ritus, & observationes complectitur, & tradit *Prætorius Alectryomantia p.*123. Imò sanæ doctrinæ autores, de superstitione agentes, abundè etiam docent istiusmodi varia circa illicitas curationes notanda.

Denique

Denique etiam hoc aliqualem notam vel suspicionem suspectorum amuletorum subministrat, si eadem proveniant à spurcis & immundis hominib9; cùm sæpe immunditiei sint dediti, qui immundo spiritui hujus mundi inserviunt, scilicet Diabolo. De hoc autem sacra atque profana scripta loqvuntur; quòd immundis actionibus, locis, hominibus ac brutis inesse gaudeat iste spiritus. Non ignotum etiam est, quòd fœtore, & aliis notis horrificæ immunditiei relictis, Satanas sæpe assumtam formam Angeli lucis, vel etiam personæ majoris deseruerit, transformatus postea in terrificam larvam, vel phasma. Fœditatem autem Dæmonibus malis apprimè gratam esse ostendit *Casp. Barthius in Adversar. p. 27. Corn. à Lapid. comment. ad Esaia c. 64.* Plura etiam nos aliquando de simili materia daturi sumus, ubi *de fœtore & fœtidis* acturi sumus. Alioquin *Hier. Jordanus de divino in morbis c. 26. p. 102.* memorat: Diabolum columbæ formam non induere, de cujus fide historica jam nolumus anxiè soliciti esse. *Cornel. Agrippa de vanit. scient. p. 172.* disserens de Theurgia, quòd hæc munditiem animi, corporis, vestium, utensilium, habitaculorum &c. exigat, tandem autem hæc inculcat: verùm non nunquam immundi spiritus & deceptrices potestates, ut venerentur & adorentur pro Diis, etiam hanc munditiam exquirunt; ideò hic maximâ opus est cautelâ, de quibus latè in libris nostris de occulta philosophia disseruimus.

Cæterùm *Jordanus l. a. cap. 5. p. 23.* varias etiam notas recenset, quibus illiciti ejusmodi actus medendi à licitis distingvi possint. In catalogo nostro amuletorum superius pariter varia ejusmodi suspectæ notæ amuleta adduximus, atque eadem dissuasimus; exempla illorum denuò jam repetere, vel nova huc trahere supersedemus, cùm tantus illorum cumulus, præcipuè verò apud plebejos, detur

Quantum quadrijugi nequeunt agitare juvenci.

Multos quidem reperies, qui speciosè & strictè conantur defendere illud dictum; quòd in *herbis verbis & lapidibus magna lateat virtus.* Hoc quidem in tantum, non verò in totum approbandum ducimus, uti pluries illud in nostro scrutinio ostendimus.

Probè

Probè enim attendendum est ne rebus medicis vituperandarum istiusmodi scoriarum quidpiam adhæreat. Sic de herbis Mœridis vix tanta efficacia naturaliter speranda est, ac quidem iis inesse canit *Virgilius in Bucolic.*

Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri & se condere sylvis,
Mœrin sæpe animas imis exire sepulchris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Optandum quidem foret, ut planè deleri posset memoria, vel usus saltem omnium illicitorum istorum medicaminum, sed hoc optare citiùs, quàm sperare licet. Nolumus autem videri, ac si docere velimus illicita, dum subindè mentionem eorundem facimus; cùm seriò potiùs detestemur atque dissvadeamus ista. Hinc nostra etiam facimus verba celeberrimi (à medicis multis pariter atque Politicis magni æstimati) *Conringii introduct. medic. cap. 11. pag. 222.* his, inquit, similibusque pessimis remediis, nos licèt minimè, utamur, sed totô pectore ab iis abhorreamus, propterea tamen nota esse debent vel possunt tandem; ut rectè de iis judicare, & alios, ne tantis peccatis Deum offendant, admonere possimus. Iterum itaque moneo, ut quivis Christianus prudenter tractet medicamenta suspecta, & inprimis amuleta; sive ipsemet quis præparationis, collectionis, aut applicationis suspectæ sit gnarus, sive ab aliis malæ notæ hominibus eadem nanciscatur. Nec moveat in his quempiam facilè autoritas, dum Patroni celebres sceleratorum remediorum existunt; sicuti medicos etiam, celebres alioquin & viros, pietatis splendore radiantes, subinde illicitis curationibus & periaptorum usui impudenter aut imprudenter indulgere observamus. Non omnes enim, qui jam filios vel Angelos lucis se se simulant, tandem cum gaudio lucem intuebuntur! Quo verò Satanæ istiusmodi ausus astus, & nequitia (medicis actionibus non rarò commista) atque suspecta medicamenta, & amuleta inprimis luculentiùs innotescant, non nulla adhuc in sequentibus de his bonæ intentionis ergò monebimus & annotabimus.

Suſpecta præterea utplurimùm exiſtunt ea, quæ contra Dæmonem, ipſius auſus, organa, & veneficia in uſum trahuntur, licet eadem boni atque liciti uſus ſpeciem præ ſe quandoque ferant, palliôque liciti & naturalis tegantur. Sæpe enim Diabolus rebus iis ſpecioſis ſuam nequitiam ac vaframentum, & quidem ſub prætextu divinarum actionum (ſit venia dictis) muſcerdam ſuam admiſcet; ſed hoſti illi ἀσπόνδῳ, nec per pacta, neque per ſuſpecta, quoquô modô alioquin corraſa, & ſvaſa medicamenta fidendum eſt. Novimus quippe, quod Diabolus ſit verſipellis, & quod ſimiam Dei atque Angelum lucis frequenter agat, dum ſanctas perſonas, res, ceremonias & ritus in ſuum deteſtabilem cultum & fabulas convertit, velut de hoc videre eſt apud *Dilberrum diſput. de cacozelia Gentilium Henric. à monte acuto in libro inſcript. Dæmonis mimica, Chriſtoph. Adam. Rupertum in obſervat. ad Beſold. ſynopſin hiſtor. univerſal. Fabricium de Diabolo Dei ſimia, Tertullianum in Apolog. c. 47. Georgium Mœbium de oracul. Ethnicor. Matth. Zimmermannum in analect. miſcellan. menſtr. menſ. 3. §. 7. p. 133. Frommanum tr. de faſcinatione appendice p. 1056. Conr. Dietericum in Antiquit. Biblicis p. 22. 274. 746. 752.* Quibus jungi præterea poſſunt, qui fabulas Ethnicorum tradiderunt vel expoſuerunt. Infidelis etiam eſt Satanas, ejusque axioma vel principium quaſi eſt, quod homini, & Chriſtiano inprimis fides non ſit ſervanda; ſive itaque captum, ſive raptum, modò illi ſit aptum quid. Imò ſi de ſalute æterna homines defraudare poſſit, ei par eſt omne; nihil enim relinquit inauſum, ut id expediat: velut hoc tremenda exempla hodienum interdum comprobant, & autores de faſcino, ſagis, aut magis agentes demonſtrant. Obſervamus etiam quòd morbi à Dæmone inducti, nonnunquã à Dæmone ſolvantur & curentur, idque ideò fortè, quia juxta plauſibilem quorundam ſententiam, alter Diabolus altero eſt potentior, (*de quo Thomas part. 1. quæſt. 50. art. 4. Svarez in diſp. 35. ſect. 6. & Mich. Freudius* Gewiſſens-Fragen von der Zauberey *qv. 119. 133. 134. & 136.*) vel quia idem Dæmon cedit, & bonum quid apparens præſtat, ut ſtratagematibus ſuis, & ſimulatione credulos & incautos miserè decipiat, atque perdat, & ſic majus quid lucretur. Quæſtionem quadrantem huc ventilat *Joh. Freitagius noctibus medicis cap.*

cis cap. 38. *p.* 185. Num ſcilicet aliquid ſalutaris, veri præſidii, & opis ægrotis à Diabolo, ejusque miniſtris & diſcipulis expectandum ſit? Plura in hanc rem etiam citatus autor ibidem in ſequentibus capitibus annotat, quæ pro lubitu illic evolvi poſſunt. Sic ſolet ſæpe Diabolus lutum vel aurum dare, ut aurum conſequatur, vel aufferat; quemadmodum non pauca de hac illius nequitia referre poſſemus: interim cui placet, plura de hoc inquirat in *Roberti Triezii Inſulenſis tr. de techniis & impoſturis Dæmonum.* De eodem monita etiam quæpiam proſtant apud *Philip. Camerar. Horar. ſucciſ. cent.* 1. *c.* 73. *p.* 337. *&c.* Disſvadent itaque omni niſu viri pii curationes ſuſpectas, & à Dæmone profectas, quia conſtat, quòd hoſtis iſte ſacerrimus animam captet, dum corpus ſanat, eôque palpô tremendô ſibi mancipia devincire, & æternæ damnationi devovere intendit, de quo eleganter loquitur eloquentiæ atque medicinæ laude quondam eminens *B. Rolfincius tr. de febribus cap.* 10. *p.* 355. *Hermannus Lignaridus oblectamentis med. cap.* 22. *Sam. Sturmius de medicis non medic.* §. 27. *&c. Sim. Majolus diebus canicul. tom.* 2. *colloqu.* 3. *p.* 278. In eo colloquio etiam autor multa ſtupenda de aſtu Dæmonum recenſet. Plura de priori, quòd ſcilicet Dæmon animas aucupetur, dum corpus ſanat, aut ſanare intendit, vel promittit, proſtant apud *Bernh. Swalvium disquiſit. Therapevt. ſect.* 1. *p.* 18. *Piens de febribus cap.* 8. *p.* 277. *&* 278. apud *Freitagium* im Bericht von der *Melancholia p.* 205. *&c. Joh. Prætorium Alectryomantia pag.* 168. *Pfulium de Magia pag.* 112. *Joh. Rainoldum cenſura libr. apocryph. Vet. Teſtamenti tom.* 2. *prælect.* 202. *pag.* 1106. *&c. Mich. Freudium loc. cit. quæſt.* 209. 211. *Caſ. Longinum trino magico cap.* 4. *pag.* 8. *& cap.* 8. *pag.* 13. *&c. & Wierum*, cujus verba notatu digna (propter Satanæ malitiam atque calliditatem) annotat *Johan. Jacob. Weckerus de ſecretis lib.* 15. *c.* 4. *pag.* 689. *&c.* Solennis etiam eſt quæſtio inter eruditos: an Dæmones fuget naturale remedium, de quo doctè, pro more, disquirit *Reies campo Elyſ. quæſt.* 28. *p.* 331. de quo etiam videatur *Freudius l. c. quæſt.* 234. *&c.* Oſtendit, inter alios quosdam, *Johan. Freitagius* (*in noctib. medicis cap.* 40. *p.* 196. *&c.*) quòd morbi magicè introducti piis precibus & natu-

naturalium, ordinariorumque remediorum sedulâ applicatione expugnari debeant, & quidam illorum etiam possint. Ventilat quoque *ibidem* autor quæstionem (nimirum *in cap.37.p.182.*) an Diabolus possit sine ministerio causarum naturalium morbos inferre hyperphysicos, & cum eodem naturales & consvetos. Illicita verò media vel remedia *ibidem* taxat & damnat *cap.41.p.199.* Sic etiam quæstionem sequentem ventilat *Raineldus l.c. tom.1. prælect.49.p.502. &c.* num corporeum possit agere in incorporeum, scilicet an Dæmon medicamentis possit fugari vel expelli, idque negat. Similiter *Levin. Lemnius post mirac. natur. c.58. pag.* 572. disquirit, an herbæ & gemmæ aliquam vim conferant in profligandis Dæmonibus, ac depellendis rebus aliis noxiis, cujus decisio *l.a.* videatur. Parum autem efficaciæ vel fidei tribuit his medicamentis *Joh. Wierus de præstigiis Dæmon.l.5* & *Freudius* in Gewissens-Fragen von Besitzung des bösen Geistes *n.35.p.55.* Quod verò Dæmoniaci post Ecclesiæ preces operâ medicorum sæpè restitui soleant (quemadmodum etiam veteres Dæmone obsessos per medicamenta, vel ante vel post exorcismos, administrata liberarint) demonstrat *Johan. Schenckius l.1. obs. medic. de Dæmoniacis l.2. p. m.*146. Arma & remedia spiritualia verò, quibus contra Dæmonem militare liceat, luculenter patent ex *Epistol. ad Ephesios 6.v.11. &c.* De illorum opinione refutata, qui superstiosis aut naturalibus mediis fascino vel Dæmoni oppositis, nimium fidunt, agitur etiam in *Mich. Siricii victrice veritate contra Wirdigium p.37.&c.* Istiusmodi negotium autem, nimirum expellendi Dæmonem, & effectus supernaturales procurandi sibi facilè promittunt Pontificii, dum eum in finem aquam, oleum, candelas, panem, ramos varios, reliquias, aliaque similia benedictione, consecratione & similibus aliis ceremoniis adoranre, vel præparare allaborant. Num verò devotioni huic non insit sæpe, vel subinde, magia, aut an non cultui ejusmodi sacro putatitio, & fictitio Satanas fraudes suas interdum vel sæpe admisceat, alii pleniùs examinent, ac perpendant; cùm alioquin Pontificiorum artificia & miracula non sint ignota. Constat verò ex *Jobi c.41.v.18.* quòd

Diabolus ferrum quasi paleas reputet, & æs quasi lignum putridum. Utut hactenus dicta neganda non sunt, interim tamen tentari potest licitis medicamentis (si spiritualia non fuerint neglecta) utrum morbi quidam à Dæmone aut sagis inducti curari possint. Satanas enim & organa ipsius rerum naturalium statum & sanitatem variis mediis naturalibus turbare, & turdare possunt, Deô permittente, ut status præternaturalis inde emergat. Hinc medici etiam in suis libris practicis non rarò de ejusmodi morbis eorumque curatione agunt. Si placet etiam de hujusmodi morbis, qui nimirum sint curabiles, videatur *Sennertus de consens. & dissens. chym. p.* 342. Cæterùm morbos à Dæmone inflictos non semper curare posse Diabolum, constat ex *Henr. Grossii magicis de spectris l.* 1. §. 259. Innotuit insimul etiam hoc, quòd Dæmon subinde in morbis ejusmodi, irregulari modô inductis, peritorum medicorum industriam & adhibita medicamenta eliserit, & cachinnô eluserit; velut hujus rei testes citat *Hier. Jordanus de divino in morbis c.* 8. *pag.* 30. *c.* 21. *p.* 83. *c.* 22. *c.* 25. *& cap.* 45. *p.* 162. Cui addatur *Johan. Wierus de præstigiis Dæmon. l.* 4. *c.* 17. *p. m.* 402. Videant ergò medici, qui nimium sibi tribuunt istiusmodi in curationibus, quomodo præstent illud. Plura alia non inutilia, aut injucunda circa dictos morbos monere aut in medium proferre valeremus, nisi nimis longè à scopo nostro eâ ratione deviaremus; ideoq; hanc tractationem in locum commodiorem reservam9. Addatur his *p.* 89. *&c.*

Indictum vel intactum insimul hoc loco prætermittere nequimus illud, quòd morbi multi chronici, convulsivi, dolorifici, hominesque miserè ac mirè torquentes, uti & ii, de quorum curatione medici quidam vel plebeji desperant, falsò incantationi vel Dæmoni non rarò adscribantur. Sic nihil frequentiùs ferè in ore plebejorum & muliercularum versatur, quando de tabe, ejulatu, inquietudine, aliisque morbis infantum, item de dissidio & sterilitate conjugii, nec non pertinacibus morbis scorbuticis, & arthriticis, luxationibus, convulsionibus vehementibus & insvetis, paralysi, cardialgia, hypochondriaco aut uterino affectu vehementi ac diu perseverante, doloribus, & ulceri-

bus

bus sermo est apud nostros Gemanos, quàm hoc effatum: Er ist beruffen/ beschrien/ behexet/ ist über eine böse Stelle gangen/ er hats von bösen Leuten/ hat es in einem bösen Trunck oder Bissen bekommen/es ist ihm gethan/gemacht oder beygebracht &c. Sæpe ego etiam in praxi mea ejusmodi morbos varios observavi ab imperitis, iracundis, ac suspicacibus hominibus ex incantatione, sed falsò, deductos esse. Indicant id pariter *Deckerus in notis ad prax. Barbetti p.152. Poterius observ. cent. 3. c. 25. pag. 233.* & in aliis locis pluribus. *Hier. Jordanus l. a. c. 1. p. 2. c. 5. pag. 26. c. 12. p. 53. c. 35. p. 123. Freitagius l. a.* & in noctibus medicis *c. 27. p. 123. Miscell. Acad. Leopold. Cæsar. curios. dec. 2. anno 5. p. 77. Honorat. Faber de plantis tr. 1. l. 2. p. 91. Job.* von Meckern in Chirurgischen Anmerckungen *c. 34. p. 221. Joan. Wierus de præstigiis Dæmonum lib. 2. c. 18. p. m. 195. Job.* Rüdinger *dec. 1. concion. de magia illicita conc. 10. p. 400. &c. Nic. Hobokenius anatomia secundin. p. 145. Ioh. Schenckius observ. medic. lib. 1. f. 145. allegati apud Ioh. Christianum Frommannum tr. de fascino l. 3. part. 8. sect. 1. c. 3.* & apud *Mich. Freudium* in Gewissens-Fragen von der Zauberey *quæstion. 210. p. 427.* Quibus insuper jungatur *Sennertus prax. med. l. 6. p. 444. Robert. Sibbaldus scotia illustrata fol. 56. Helmontius action. regimin. §. 45. Excell. Garmannus de miraculis mortuorum l. 1. p. 30. §. 11. Th. Bartholinus cent. 2. epistol. 23. Hæferus Herc. medic. p. m. 267. 340. & 341. Pæon & Pythagoras Exercitat. anatom. & medic. 10. p. 50. &c. & exercitat. 11. p. 52. Mollenbroccius de Arthritide vaga scorbut. p. 77. Carolus Piso de morbis prætervisis à colluvie serosa pag. m. 112. Philip. Camerarius hor. succisiv. cent. 1. c. 73. p. 337. Gordonius de passionibus capit. part. 2. c. 10. p. 164. Lutherus tom. 1. Altenburgensium p. 186. Vallesius philosoph. sacr. p. 185. Francisci* lustige Schaubühne *volum. 1. p. 534. & 535.* Mulierum morbos uterinos sæpe pro morbis à Dæmone vel incantatione inductos, sed falsò reputari, adstruunt quoque *Zachias quæst. medico Legal. Helmontius*, & alii plures. Similiter morbos melancholicorum falsò Dæmonibus tribui scribit etiam *Hier. Mercurialis consil. medic. 64. p. m. 272.* Sic annotant etiam autores, quòd quidam vehementibus morbis laborantes falsò

pro Dæmoniacis, aut à Dæmone obsessis interdum existimati sint, de quo *Bartholinus de morbis Biblicis p.* 84. *& in mantissa de morb. biblic. p.* 3. quæ annexa est autoris ejus tractatui de inauribus veterum. Confer etiam Exc. *Ammanum medicin. Critic. pag.* 134. 476. & 479. *Hippocratem de morb. sacr. c.* 1. & 2. *eundem iterum lib. de morb. virginum, & de flatibus, Joh. Helvigium observ. phys. med. obs.* 56. *p.* 190. *cum schol. ab Excell. Luc. Schröckio ibidem p.* 191. *&c. additis, & beat. Dn. Ettmüllerum disput. medic. de chirurgia infusoria conclusion.* 5. §. 1. Facilè verò accusatio ejusmodi locum invenit aqud mulierculas plebejas vel imperitas, & credulos alios, à quo assensu medici sæpe non sunt alieni; ut eorum gloria, & autoritas etiam major postea evadat, si morbi illi curentur ab ipsis, aut ne infelicitatis sive imperitiæ arguantur, si non expetita curatio sequitur. Frequenter etiam ancillæ & servi accusant Diaboli & spectrorum technas, illusiones ac insultus, dum se afflatu, compressione vel aliô modô ab ipsis læsos, & in morbos deductos esse prætendunt, dicentes: Es habe sie geteuschet/bethöret/gedrucket/angehauchet oder angeblasen. Nota est etiam aliàs causa morborum, quam famulatui addicti prætendere solent communiter, scilicet luxatio, contorsio, vel fractura, nescio quarum partium; dum iidem dicunt, sie haben sich über den Hauffen gebrochen/zerbrochen/zerhoben/verrencket/wehe gethan &c. *De ejusmodi luxatione vulgi* (vom Wehe thun) verò nos inposterum peculiari tractatione erimus pleniùs soliciti. Atque istiusmodi prætextus eò sæpe collimant, ut ægroti dominorum suorum commiserationem emendicent, vel comparent, ne facilè deserantur; cùm in illorum servitio mala vel morbos suos dictos, nec adeò ab ordinaria morbifica causa antea contraxerint. Observabis etiam gravidas, puerperas, & mulierculas inprimis (quando ipsis alioquin imminent febres ardentes, aut malignæ) accusare persæpe sibi à spectris illusiones & molestias esse illatas; hinc etiam sæpe monita muliercularum audiuntur, quæ gravidas aut puerperas variis horis diei cautas & lecto suo affixas jubent esse. Verùm æque istas personas terror, horror, aura frigida vel afflatus putatitius (das Anhauchen oder Anblasen der Gespenste)
&

& prava ejusmodi imaginatio invadit, ac eos, qui peste aliàs affici incipiunt: hi quippe communiter desubito sibi ortum pavorem, & eum itidem cum falsa imaginatione sæpe conjunctum, tanquam unicam causam sui mali accusant. De ægrotis, qui sibi spectra, vel alia terriculamenta molesta fuisse falsò conquesti sunt, videri possunt *Galenus lib. de præsagit. ad posthum. cap. 12. Rolfincius lib. 4. consultat. 9. & lib. 8. Consult. 9. Salmuth. centur. 3. observ.* 41. aliique plures, qui medicis, præter suam experientiam, non erunt ignoti. Quid mirum autem, quod insultu ejusmodi terrificô se exerat pestis, aut febris malignæ præsentia; cùm ebullitio & corruptio summa sangvinis spirituumque passio præsupposita, facilè depravatam imaginationem, timorem, & delirii prodromum, vel ipsum delirium comparare possit. Quòd vero de teneræ & debilis ejusmodi constitutionis personis inprimis dicta istiusmodi conditio metuenda sit, præter experientiam, non malè illud exponere videtur *Phil. Camerarius* (*Hor. succis. cent. 1. c. 72. p. 329.*) ita inquiens: Constat certè olim Ethnicis cordatioribus, præceptisque philosophicis solidioribus imbutis, firmiter persvasum fuisse, viris bonis & fortibus simulacta & nocturnas apparitiones nunquam apparuisse: sed pueris, mulierculis, vecordibus atque ægrotis, qui per animi imbecillitatem assiduâ formidine exagitentur. Ii enim putant se videre per hallucinationis speciem phantasmata, ad quæ rapiuntur phantasticô & inani attactu, quæ revera non vident, quæque etiam nusquam sunt. Sed de spectris alio in loco plura.

Sic habent etiam sæpe melancholici, vel maniaci, quod accusent; præcipuè si in juventute ipsis accidat ejusmodi malum, tum nolunt illud suâ culpâ naturæ melancholicæ vitiô, vel debilitate se pati, atque ideò accusari; cùm alioquin inter alia suspicio de hæreditario malo in familiam inde redundet; & quæ aliæ causæ intercedere possunt, propter quas invisam illam accusationem declinare ii satagunt. Hinc in alios homines malevolos, veneficos, & philtra porrecta, immerenter tamen, illi melancholici suum malum ortum conjiciunt. Consolentur interim iidem se suô istô prætextu, quòd sua perditio non ex se oriatur; modò non hi innocentes.

centes alios ſubinde contaminent illicitâ ſuâ ſuſpicione, vel accuſatione. Hactenus adducta verò eò collimant, ut indicemus medicamenta & amuleta, inprimis incantationi oppoſita eſſe cautè tractanda, atque eadem non omnia vel ſemper id efficere, quod de iis quidam ſtatuunt; vel demum etiam, quòd eadem non operentur aliô altiori aut ſupernaturali quaſi modô, quia morbi iſtiusmodi curandi non ſemper à veneficio, vel Dæmone ortum trahunt.

Non poſſumus hoc loco iterum reticere fraudulentiam Satanæ, dum ſcilicet iſte rebus & actionibus variis hominum obreptitio modô ſubinde ſuam opem confert, & ſe iisdem aſſociat; licet illi nunquam deſiderarint, vel implorarint auxiliũ aut concurſum Dæmonis, vel ſuſpicati ſint per ſomnum quidem mali quid ſuis actionibus ſubeſſe; de quo teſtimonia paſſim proſtant, atque ideò legi poteſt *Smetius in miſcellan. l. 5. Sennertus de conſenſ. & diſſenſ. chym. cum Ariſtot. cap. 13. in Prax. lib. 5. part. 4. c. 24. p. 519. &c. & l. 6. part. 9. c. 5. p. 417. &c. & Delrio in diſquiſit. mag. l. 2. qu. 29. sect. 1.* Ex poſtremo hoc autore allegans illam hiſtoriam non admodum ignotam de *Agrippa* famulo, miſerè à Dæmone interfecto *Caſpar. Ebelius (oper. philoſoph. tom. 3. de viribus imaginationis p. 20. 21.)* aliam etiam hiſtoriam annectit de ſtudioſo in celebri Academia, qui ignarus illicitarũ rerum, in fratris ſui conjurationum aut impiarum artium librum incidens & quæpiam legens ordinariâ ſerie & modô, Dæmones ſpecie nigrorum corvorum comparere obſervavit, qui poſteà, inversô ordine lectis iſtis diſparuerunt. Superſedeo illos autores recenſere, qui ſtatuunt, quòd Diabolus amuletis illicitis, & inefficacibus aliàs vires clanculum indat, atque eò magis, ſi impii confidentiam quandam in illis ponant, uti jam ante etiam id in noſtro ſcrutinio indicatum fuit. Hinc neutiquam effectus, ex amuletis quibusdam contra veneficia vera, vel falsò accuſata uſurpatis, ſubinde reſultans, nos in admirationem rapiat: unius enim effectus plures poſſunt eſſe cauſæ. Ideoque in amuletis quibusdam naturalis pariter, & ſupra naturam poſita poteſtas vel facultas, & magis quidem in ſuſpectis, probè attendenda eſt. Difficulter etiam quandoque dignoſcuntur illicitæ res ſi ng-

ræ

tæ suspectæ, ab ipsis absunt, veluti hoc inter alios autores displicescit ex *Hier. Jordano de divino in morbis c. 5. p. 22. &c.* Quòd verò clam, & citra intentionem usurpantis rebus variis Dæmon suam opem subinde conferat, testantur inter alia historiæ, demonstrantes quosdam ex periculis emersisse auxiliô Diaboli, licet minimè imploratô, vel priùs cognitô. Notum est similiter de quibusdam gnaris Diabolicæ notitiæ, indurandi nimirum corpora, quòd iidem pariter se atque comites suos (præcipue milites, rapinis & latrociniis inhiantes) ita indurarint, ut nullô telô, vel bellicâ violentiâ violari postea potuerunt, licet hi nullius magicæ artis, suæque indurationis, clanculùm sibi ab aliis communicatæ, conscii fuerint. Videatur de hac re *Io. Ern. Pfulius de magia p.* 101. Sic ego etiam quadantenus interpretor de malitia Diaboli verba *Corn. Agrippæ de vanitat. scient. c. 45. pag.* 167. ubi autor dictus *de Goëticis* differens, quòd scilicet iisdem dæmones adjuvare, advocare, & cogere possint, idque virtute divinorum nominum; cùm omnis creatura timeat & revereatur nomen illius, qui fecit eam. Sed boni ac liciti hujus asserti adducti species non concordat cùm fine bono atque verbis jam tradendis ejusdem *Agrippæ*; ex quo & aliis similib9 notis apparet, virum hunc ad finem vitæ suæ vix seriò resipuisse, atq; respuisse illicita, licet iste pietati se maximè mancipasse subinde testetur & videatur. Ita verò *Agrippa* ibidem loquitur: licet Goëtici Dæmonibus se non submittant, illis sacrificent, adorent eos, & criminibus his æquè ac illi, qui modò dicta faciunt, obnoxii sint, tamen manifestis periculis se exponunt. Nam etiam coacti Dæmones invigilant semper occasioni, quò errantes nos dicipiant &c.

Constat etiam aliàs, quòd Beelzebub sub forma muscæ & araneæ facilè compareat, & simplicibus vel perversis hominibus illâ sub specie loco spiritus familiaris inserviat, de quo *Nic. Remigius l. 1. Dæmonolatr. c. 23. Hier. Jordanus de divino in morbis*, & alii plures. Alias historias, quas à fide dignis ea de re pluries accepi, intactas jam prætereo. Interea etiam, si placet, cur Diabolus Beelzebub dicatur, videatur *Mich. Freudi9* Gewissens-Fragen von der Zauberey *qu. 127. p. 179. &c.* Non minùs constat etiam, quòd, si

 joci

joci vel turpis lucri causa vafri & malitiosi homines quandoque plebejis & impiis loco παρέδρων vel spirituum familiarium vendiderint muscas aut araneas vulgares, nec Dæmonis ope eum in finem comparatas vel seriò destinatas, quòd inquam tamen Satanas illi negotio succurrerit, illisque insectis vires impertiverit, quas simplices illi desiderarunt; de quo *Harsdorfferus* in Mordgeschichten *num.* 45. *pag.* 151. & alii historici evolvi possunt. De modo vel fallacia, quâ ejusmodi πάρεδροι vel comites spiritus in amuletis efformati, ac postea grandi pretiô venditi sint, constat etiam ex *Gabrielis Naudai de studio militari l.* 1. *p.* 383. Sic in Francia & Italia venales reperiri Dæmones vasculis, speculis, phialis, aut annulis alligatos & inclusos, ex *Crespeto & Ronsardo* memorat *Joh. Adam Osiander de magia p.* 266. Hæ merces verò fortasſis cacodæmonis majori apparatu & concursu præparatæ fuerunt, quàm paulò ante dicta insecta.

Perfidiam Satanæ paulò ante quadantenus attigi, quæ inter alia itidem quosvis deterrere debet, ne facilè ipsi, vel medicamentis ab ipso acquisitis fidant. Illustrat hoc inprimis locus ille ex Godelmanno petitus, qui prostat apud *Camerariumhorar. succis. cent.* 3. *c.* 30. *p.* 104. quòd scilicet Dæmon militibus quibusdam noctu subtraxerit schedulas, vel carmina, quibꝰ se antea contr ahostium virtutem, & vires crediderunt & experti sunt aliquoties munitos; quô furtô factô postmodum ii strangulati in aërem elevati perierunt. Repeti potest, si placet, de dicta materia locus ex *p.* 448. *&c.* Si nusquam alioquin tuta fides est in hoc immundo mundo, mirum certè non est, si mundi hujus princeps, & pater mendacii suis filiis non servet semper fidem; unde quivis cautè procedat in rebus quibuscunque de Dæmonis aperta vel clandestina malitia suspectis. Plura testimonia de fraudulentia & perfidia Dæmonis suppeditant oraculorum ambiguæ & noxiæ responsiones olim datæ & passim annotatæ. De malitia Satanæ testatur etiam hoc, quod ille sæpe ex pacto priori cum aliis facto, cujus alii minimè conscii sunt, interdum suis promissis stet, & succurrat rebus vel actionibus ludicris. Veluti innotuit hoc, quòd ille schedulis, characteribus, ceremoniis vel similibus rebus pariter succurrerit, & effica-

efficaciam indiderit, quæ ex curiositate vel simplicitate solùm, ad illarum normam ex pacto priori, scriptæ vel confectæ postmodum fuerunt, de quo *Camerarius l. 4. p. 105.* Illud etiam quadantenus colligere licet ex historia consalini vel famuli *Agrippæ*: qui istô absente in ejus museum admissus libellum conjurationum evolvens ac legens, vix tamen contenta illius intelligens, à Dæmone januam pulsante jugulationem miserè perpessus esse dicitur, uti habet *Delrio disquisit. mag. lib. 3. q. 29. sect.* 1. quod etiam allegat *Sennertus de consens. & dissens. chym. cum Aristot. c.* 18. *p.* 335. Proh! Dæmonis autem astum & truculentiam. Non est inauditum quoque quòd aviditas sola noscendi veneficia ad eadem derivarit homines, de quo *Bernh.* Waldschmiedt *in Pythonissa Endorea part.* 1. *concion.* 2. *p.* 35. Frivolam curiositatem ad veneficia sæpe fores pandere testatur etiam *Joh. Adam. Osiander de Magia p.* 44. De curiosis ad conventum magorum delatis, *ibidem pag.* 155. Imo curiositas (cui Ephesii etiam olim dediti fuerunt, atque ideò notæ sunt literæ illorum) autoribus quibusdam idem valet, ac magia illicita; uti iterum autor exponit l. c. *p.* 38. Sic aviditas legendi libros magicos itidem ad veneficia deduxisse homines, claret ex *Zeilleri Theatro tragic. histor.* 2. & *Rudingeri de magia illicit. dec.* 1. *concione* 4. *p.* 119. *&c.* Præterea etiam fraudulentiam Dæmonis ex hoc colligimus, quòd famosa & Diabolica pentacula, atque Tilsemæ non semper indifferenter, & ad cujusque voluntatem vel expectationem effectus suos ediderint; Veluti de variis hujus farinæ periaptis, & iis inprimis ostendi posset, quæ corpora indurare, & à vulneribus immunia reddere antea observata sunt. Quanta enim copia militum in bellis succumbit, quos deserit efficacia sperata ab amuletis suis, sine dubio frequenter gestatis! Quo alioquin præmiô etiam communiter Dæmon sagas & magos suos afficere tandem soleat, nolo prolixè significare, cùm historiæ multæ id ipsum non obscurè commonstrent. Et hæc iterum propter amuleta suspecta notentur.

Ductu paulò ante dictorum periaptorum inefficacium observatorum adhuc monemus, quòd Tilsemarum Patroni equidem communiter defendere norint suam doctrinam, si Tilsemæ non semper exerant vires, quæ iis inesse dicuntur:

tur. Sic cum *Alberto M. Jacobus Gaffarellus in curiosit. inaud-dit: pag.* 112. & 115. prætendit hanc rationem, si inefficaces reddantur vel reperiantur Talismanicæ res, quòd scilicet illæ tractu temporis, & certis periodis potentiâ vel operatione suâ destituantur, quando influxus de cœlo in istas desinat. Idem *Gaffarellus l. a. p.* 144. Tilsemas quasdam *Mizaldi* examinans adducit amici cujuspiam querelam, qui affirmavit, se ex Tilsemis, ad mentem & monitum dicti *Mizaldi* confectis, nullum effectum exoptatum observasse. Verùm fortè in dictarum Tilsemarum præparatione (loquor ex mente doctorum istorum) neglectum quid, aut lapsus quispiam commissus fuit; unde effectus illarum non respondit promissis aut expectationibus; velut etiam in hunc modum de inefficacibus istiusmodi rebus subinde deprehensis more Talismanistarum, excipit (modò citatus patronus non infimus istiusmodi arcanorum) *Gaffarellus l. c. p.* 159. Verùm cui non suspicio oriatur de inexhausta Satanæ malitia, qui inefficacibus rebus efficaciam subinde impertit; & ex adverso vires detrahit rebus ex pacto & concursu suo primitùs promisso, nec non collato antea quibusdam, quæ scil. efficaces fuerunt observatæ? Ecquis igitur facilè escam ex subdola & perniciosa talismodi Satanæ nassa capiat; cùm ratio status illius consistat in fraudulentia, astu & perditione creaturarum, inprimis verò animarum hominum; minimè enim benè agere novit iste, licet boni prætextus subinde ex ipsius actionibus quibusdam eluceat. Inter mille alia testimonia de Diaboli fallacia & perfidia agentia, licet veritatem non nunquam profiteatur iste, legi meretur *Mich. Freudius l. c. quæst.* 82.

Restant porrò verò præter hactenus adducta, plura monenda & indicanda circa periapta suspecta & illicita, quæ fugere omnino decet. In istorum classe itaq; meritò etiam collocamus medicamenta vel amuleta ista, quæ à morbosis corporibus demta postmodum in apricis locis, viis publicis, compitis, aliisque locis exponuntur, defodiuntur, aut suspenduntur; & quidem istâ intentione & confidentiâ, ut alii sani homines transeuntes ista loca, vel attingentes exposita illa scelerata, inficiantur morbô eodem, & ut ægroti illi priores sanentur. Non absimilis est modò dictis his apud exte-

ros

ros & Ethnicos etiamnum usitata curatio sequens, qualem *O Dapper in der Beschreibung von Africa p. 160.* memorat, quod Arabiæ vel Barbariæ populi admodum veneficiis & divinationibus inhient, & quod illorum inprimis ægroti, propter defectum medicorum ad incantatores & veneficas confugiant & characteribus atque verbis ex Alkorano recitatis convalescant. Sancti inter illos ægrotantes dicuntur etiam visitare loca, ubi Matabi seu sancti illorum sepulti sint, atque illuc etiam in defunctorum istorum monumenta cibos deferri, quâ ratione redire illis sanitas credatur, si animal quodpiam devoret non nihil de dictis cibis, unde pariter hoc contrahat postea morbum; ægrotus verò liberetur à suo malo, vel saltem illud speret ille sive expectet. Sic notum fortassis etiam est priscorum illud negotium, quo narium gravedine laborantes in charta se emungentes, in formam epistolæ chartam illam redactam in publicum abjecerunt, ut abiret gravedo in alios apprehendentes istam chartam; sed ista actio, per modum contagii potest fortè absolvi, si quis chartam naribus admoveat: uti aliàs istiusmodi infirmi sua præsentiâ potatoriis vasis, sudariô seu muccinið aliis communicant suã labem. Sed reminiscimur nos impium & illicitum ejusmodi transplantationis opus, amuleta quoq; complectens, jam antea etiam examinasse atq; rejecisse *p. 171. &c.*

Porrò in amuletorum penu non sunt melioris census, quæ dicuntur comparare & procurare Deum propitium, imò Dei potestati æquales effectus, divinationem vel futurorum præscientiam, sapientiam, divitias, thesaurorum indubitatam indagationem & usuram, serarum apertionem, invisibilitatem, immunitatem à fulmine, aliisque variis malis, conjugii tranquillitatem, secundos successus in bello, foro, aliisque negotiis. Similis itidem notæ sunt, quæ pollicentur itinera felicia, potentiam, robur, bonam fortunam, gratiam penes principes sive mulieres aliosque homines. Hi & plures ejusmodi effectus passim amuletis tribuuntur, quos tamen vanos esse, vel à principio & causa minùs naturali atque licita dependere liquidò constat. Piguit nos in catalogo nostro amuletorum ejusmodi absurda, (præter pauca quæpiam, certum ob scopum adducta) prolixô sermone prosequi,

 qui-

quibus tamen facilè magnam illius nostri catalogi partem explere potuissemus. Tradit non nulla de his illicitis *Reies campo Elys. qu. 23. §. 1. & 2. refutat etiam simul ista autor l. a. §. 9. & 10. & Joh. Cunr. Dietericus Iatreo Hippocratico p. 878.* Invehitur quoq; in ejusmodi stolida, quæ in *Kiranidibus* continentur, vir multijugæ eruditionis *Reinesius var. lect. l. 3. c. 15. p. 264.* Qualia etiam attingunt non nulli autores paulò post allegandi, qui amuleta, & illicitas curationes rejiciunt; veluti plures etiam de gemmarum hyperbolicis viribus agentes brevi producemus. Effectus hujusmodi quidem varios de superstitiosis phylacteriis & Tilsemis promittit *Gaffarellus* in suo libro pluries citato, sed illum cum aliis pluribus autoribus, vel patronis dictarum nugarum solidè refutat *Jul. Reichelius de amuletis p. 4. &c.* Etiamsi non pauci homines in vanorum variorum periaptorum doctrina mentem, aures, atque lingvam facilem præbeant, ab iis tamen rectiùs sapientes divortiô electô secedere non verentur. Ad varia hujusmodi vitanda non malè applicari possunt sequentia, dum de tetraphylli viribus istiusmodi vanis sequenti modô benè canit Poëta: (quem

Lipsica terra tegit surreptum peste feroci:)
Hanc ipsam causam quoque deprehendimus, ergò
In supra dictis foliis, queis vincere tentant,
Et sibi fortunam propriam, fixamque laborant
Efficere illorum mentes, præsentiâ inertes:
Quam tamen omnipotens rerum moderator & auctor
Magnificus solus præstat; phlegetontius autem
Impostor saltim svevit spondere dolosè!

Idem judicium pronuntiandum quoque est de lapide philosophorum gestato, atque pro vario ejusmodi effectu alioquin commendato ab Alchymiæ fautoribus & scriptoribus; de quo in *Rosarii philosophici* fine, aliisque in libris cumulata, sed ab aliis tumulata laus prostat. Nolo jam esse prolixus in adducendis pluribus similibus autoribus, qui, piè pariter agentes, rejiciunt & refutant talismodi operationes ab amuletis expectatas.

Potuissemus itidem hoc loco multos effectus similes de gemmis

gemmis annotare, sed quia recensione indignos istos judicavimus, silentiô potiùs illos cum gemmis istis, præterire voluimus. Imò non solùm gemmæ superstitiosis & illicitis Tilsemis præcipuam & priscam materiam præbent, sed etiam sine hoc reatu credulis medicinam docentibus ac usurpantibus incredibilium effectuum plaustra, & quidem admodùm invisibili modô, pollicentur. Rectè etiam *Scaliger (exercitat. de subtilit. contra Cardanum* 115. *&* 125. aliisque in locis *)* indignatur sententiæ *Cardani* (*lib.* 7. *de subtil. p.* 240.) quam de gemmis quibusdam fovet, quòd scilicet adeò magnas dotes, vel vires possideant, quas gestantibus etiam largiantur eædem. Satis autem notum est, quòd *Cardanus* in superstitionem atque credulitatem pronus exstiterit; si quis plura de illo rescire cupiat, colliget eadem ex Theologi notæ optimæ, scilicet *Gregor. Michaëlis notis ad Gaffarelli curiosit. inaudit. pag.* 432. Non immeritò autem istiusmodi Gemmarum hyperbolicos usus itidem rejicit *Joh. Langius l.* 2. *Epist. medic.* 49. *p.* 793. *Sanct. Sanctorius de vitand. erroribus l.* 8. *c.* 11. *p.* 160. *&c.* Collegerunt etiam ejusmodi gemmas multas ex autoribus, earumque hyperbolicas ac vanas, communiter ipsis tributas, vires consignarunt *Exc. Adamus Rechenbergius*, & (insignis Theologi jam Dresdæ degentis filius spei optimæ) *Joh. Jac. Spenerus Lipsiæ* 1687. *in disputatione gemmarum errores vulgares exponente.* Quibus jungatur *Henric. Lubbertus* von der Wassen Cur *pag.* 161. aliique plures *Bartholinus de lap. nephrit. c.* 11. *p.* 29. *& Gregor. Hornius histor. natural. c.* 9. *p.* 101. *&c.* Sic etiam *Poterius Pharmacop. Spagyr. l.* 2. *c.* 24. *p.* 489. proferens non nulla de origine signaturarum gemmis impressarum, rejiciendas eas censet. Idem etiam hic autor *ibidem p.* 490. ubi aliquot autores de gemmis recensuit, concludit locum illum his verbis: omnes ii solâ opinione ducti citra ullam experientiam de his haut pauca commentati sunt. Digna heic etiam recensione de gemmis videntur verba *M. Andr. Rivini*, quæ continentur in *Kirani Kiranidum præfat. ab ipso editar.* hîc, inquit, verè illud aurifabrorum dicterium obtinet: Steinichen sind Beinichen. Nescio namque qui fiat, quòd tota illa superbiæ officina vanitate plerumque non careat, usque adeò, ut quicunque

cunque de lapidibus, gemmisque non nihil commentati sunt, ad superstitiosa maximam partem abierint. Consulatur modò speculum lapidum *Camilli Leonardi*, cum sympathia septem metallorum ac septem selectorum lapidum ad septem Planetas, *Petri Arlensis de Scadalupis, Presbyteri Hierosolymitani*, ut & *Francisci Ruai Insulani syntagma de gemmis*, quæ in *capite penultimo Apocalypſ. Iohannis* recensentur; quibus & aliæ gemmæ postea additæ, ubi cumprimis quoque docet quibus Diis, vel potiùs Planetis sacri illi crediti fuerint antiqvis lapilli. Plura etiam ejusmodi apud *Albertum Magn. Cornel. Agrippam, Hier. Cardanum, Petrum Messinam, & Anſelmum Bootium* reperiuntur. Nam de sculpturis & sigillis magicis gemmarum, talibusque amuletis, & periaptis, seu sacramentis Diaboli quid sentiendum sit, è *Scaligeri exercitat. Mart. Delrii disquisition. Magic. G. Godelmanni c. 8. l. 1. de curat. morbor. præstig. Bodini l. 2. de Dæmonom. c. 2.* Imò ex *Æl. Spartiano*, vel gentilem Imperatorem *Caracallam* ejusmodi reculas appendi vetuisse novimus. Hactenus ille *Rivinus* in *Kiranidum l. c.* reliqua verba ibidem continuata & contenta prolixitatis vitandæ gratia huc non transscribam.

Reperiuntur plures autores etiam ex priscis, qui audaculè adstruunt gemmas, aliasque res in animas rationales agere, inter quos existit *Bartholom. Anglus libro de proprietat.* & *Albertus Magnus de virtutib. herbar. lapid. & animal.* Propter varia, malè curiosè corrasa, superstitiosa & magica pentacula minùs benè etiam *Albertus Magnus* audit *Gersonio in Trilogio Astrologiæ Theologizata*: ab hoc enim ille pro nimium superstitioso declaratur, à quo effato non dissentit multum *Joh. Baptist. Hamelius oper. phil. tom. 1. p.* 454. Sunt equidem autores, qui scripta quædam, sub *Alberti* dicti nomine edita, pro genuinis illius admittere nolunt; velut eò inclinat *Picus Mirandula de prænotionibus rerum lib. 7. cap. 7.* Indicat itidem *Herm. Conringius in Hermet. medicin. p.* 411. quòd multa scripta nomen *Alberti* mentiantur, cui suffragatur quoque *Agrippa de vanitat. scient. c. 45. p. m.* 168. Statuit pariter *Robertus Bellarminus de scriptor. Ecclesiastic. pag.* 363. quòd illi *Alberto liber de mirabilibus & secretis mulierum* falso tribuatur; indignos enim

enim istos censet tantô virô, propter superstitiosa & vana multa in iis contenta. Utrum verò alia indicia in genuinis ipsius scriptis prostent, quòd delectatus curiositate illâ illicitâ sit, alii dijudicent. Censuram tamen merentur illa scripta, propter varia medicamenta, & pendacula illicita atque impia divulgata istorum editorum adminiculô. Post has meditationes *Albertum* istum & *Joh. Trithemium Abbatem* propter turpem magiam non optimè commendatos iterum vidi in *Joh. Wolffi lection. memorabilium tom. 2. fol. 925. &c.* Hactenus interserta, in transitu quasi de Alberto suspecto doctore multorum periaptorum dicta sint.

Miramur præterea non immeritò simplicitatem & credulitatem multorum autorum defixam in paulò antè consideratarum gemmarum mirabili, & impossibili efficacia cum *Ioh. Bapt. Hamelio operum philosophic. tom. 1. p. 454.* Non aversantur periapta similia etiam docere *Arabes*, & alii populi qui ab ipsis illorum arcana hauserunt, & eadem similiter propagarunt. Sed recensitas has ineptias, nefarias curiositates, vanitates & effectus naturam superantes, gemmisque, herbis, animalibus & aliis rebus tributos, cum *Plinio* pariter rejicit, & refutat *Johan. Rainoldus censur. libror. apocryphor. vet. Testam. tom. 1. prælect. 49. &c. p. 507. &c.* Sic etiam *Beverovicius in Epistol. quæstion. pag. 162.* se non valdè credulum in illis esse dicit, quæ Evax Rex Arabum, atque alii de gemmis scripserunt, ob magiam vetitam, & vanitatem, quam redoleant. Sordet etiam aliàs doctrina de efficacia gemmarum ideò quibusdam, quia apud Ægyptios, similesque superstitiosos populos magna ex parte orta, & exculta illa est præcipuè. Sic etiam vir philologica atque Theologicâ eruditione insignis *Gregor. Michaëlis l. c. p. 394.* invehitur in multas gemmas, figuris Zodiaci atque planetarum signatas, quæ pro varia felicitate paulò ante adducta facere dicuntur, si gestentur. Addatur etiam ibidem *p. 240. &c.* Abstinuimus in catalogo nostro amuletorum studiosè, & quantum è re nostra visum fuit, à facultatum medicarum etiam tolerabilium, nec nimium suspectarum recensione, quas gemmis innumeri autores confidenter

 tribuere

tribuere assolent. Cui verò lubet varia de gemmis earumq; æstimio, medicoque usu reperiet apud *Plinium*, *Cardanum*, *Albertum*, *Rueum*, *Baccium*, *Mizaldum*, *Hermetem*, *Boyleum*, *Bootium*, *Gesnerum*, *Kentmannum*, *Lemnium l. 2. de occult. nat. mirac. c. 30. Schröderum pharmac. med. chym. l. 3. Pomarium de consens. & dissens. p. 70. §. 14. Helmontium tr. potest. medicamin. §. 61. & 62. Schwimmerum curiositat phys. 89. &c. Reiesium Camp. Elys. quæst. 6. §. 6. & 7. Jonstonum Thaumatograph. class. 4. de fossilibus. Bartholinum de lapide nephrit. Francisci* lustige Schaubühne *volum. 2. p. 215. &c. Wittichium* von denen edlen Steinen. *Petr. Joh. Fabrum oper. vol. 1. seu panchymic. l. 4. s. 4. c. 8. p. 516. &c. & Borrichium in Hermetis sapientia p. 318. &c. Ioh. Bapt. Hamelium in oper. philosoph. tom. 1. p. 452. &c. Rud. Capelleum Bibliotheca gemmarum & margaritarum promissa vel edenda inposterum. Similiter Andr. Laurentium in oper. Therapevt. tr. de strumar. sanat. l. 1. c. 5. f. 10. Rattrayum theatr. sympath. p. 23. 189. & 643. Kirchmannum de annulis p. 157. Pictorium in pantapolio, Becherum in Phys. subterran. l. 1, sect. 6. c. 3. p. 534. &c.* Evolve sis etiam *allegatos in Gesneri Bibliotheca tom. 2. pag. 193. in Petri à Castro Biblioth. erudit. medic p. 50. in Conringii introductione medic. p. 162. 164. &c. item Morhofii de transmutatione metallorum p. 14. &c. Frid. Hoffmanni Clave Schrederi p. 148. & 150. in Actis philos. Anglic. Anni 1667. p. 37. Israel. Spachi nomenclat. scriptor. med. p. 182,* & in *Ioh. Lindenii de scriptis medic. p. m. 680. &c.* Reperies etiam non nulla de gemmis apud *Longinum in trino Magic. p. 181. Sperlingium in phys. l. 6. c. 6. p. 108.* & innumeros alios qui systemata physica scripserunt. Adde his, si placet *Camerarium in sylloge memorab. à cent. 6. part. 17. &c. Primerosium de vulgi error. Cornel. Agrippam lib. 2. de occult. philos. cap. 23. Bapt. Portam in mag. nat. lib. 4 c. 588. Dioscoridem lib. 5.* (quem de lapidibus verò plurima occulta referre, rationi & experientiæ reluctantia, prodit *Sanctorius de vitand. error. l. 8. c. 11. f. 167.*) & alios plures, quos jam prætermitto recensere.

Hactenus adductis locis, varia de gemmarum viribus hyperbolicis continentibus, non incommodè fortassis etiam annectemus

mus alia quædam generalia, de gemmarum viribus & conditione solicita, quæ uti speramus, multum ad doctrinam amuletorum conferent, ex quibus insimul illicita vel infirma dogmata varia innotescent. Quemadmodum autem notum est, quod quipiam gemmis majores vires tribuant, quàm par est, tum quoad licitum usum medicum, tum quoad magicum superstitiosum, atque vetitum: sic delinqvunt è contrario alii in diffidentia, dum paucas admodum, vel nullas facultates medicas iisdem tribuunt. De dictis utrisque, & quòd media via inter gemmarum ejusmodi operationes vel laudes tenenda sit, benè agit *Ans. Boët. de Boot in hist. gemmar. l.* 1. *c.* 25. *p.m.* 86. *&c.* Qui autores alioquin gemmarum usui & viribus patrocinantur, argumentum operationum inter alia trahunt à splendore in iis conspicuo, velut dispalescit ex *Alex. Baccii tract. de unicornu*; addit etiam ille autor, quòd parum materiæ, plurimum verò formæ, adeoque mirabiles virtutes insint gemmis. Verùm hanc autoritatem, & operationis fundamentum illis dubium reddit *Erastus ad Monavium: (in Epist. Cratonianis dictis à Scholtzio editis, Epist.* 271.) quid, inquit, lux & fulgor gemmarum ad spirituum alitionem: fortè putas spiritus oculos habere, & etiam splendore ingestarum gemmarum voluptatem capere? at dico tibi, tritas gemmas omnem fulgorem amisisse. Si lux indicaret spirituum cum lucidis rebus cognationem, quàm multa, quæso te, forent eorum amuleta. Porrò magni ideo faciunt alii gemmarum operationes, quod astra efficacissimas & occultas proprietates iis indant; si scilicet elementorum temperamentum magis efficax, & qualitatum subtilior ac purior apparatus in materia concurrat. Proinde concludunt etiam autores ex eodem dicto fundamento, quòd in India & Æthiopia, tanquam in locis, benigiori astrorum influxi expositis, materia lapidum meliùs & perfectiùs elaboretur, quàm in nostris regionibus; unde etiam hæ non adeò efficaces existant, de quo videatur *Vel curio l.* 3. *comment. phys. c.* 15. *Pictorius in cent.* 3. *quæstion. Physic.* 76. *&* 84. *Balduin. Ronsseus in Epist.* 22. *p.* 65. & alii plures. Similem efficaciam cœlestem, autoritate *Mercurii Trismegisti, de gemmis probans Gabelchoverus in*

notis ad Andr. Baccii de nat. gemmar. c. 2. p. 31. & 32. concludit inter alia: Topatium, Carbunculum & Adamantem gestatum etiam exerere cœlicas potentias, primùm quidem in hominis spiritum, demum in humores & solidiores ejꝰ partes, quibus à peste & venenis defendunt &c. Non attingam elogia, & lusus Rhetoricos ac Poëticos circa gemmas subinde occupatos, qui quidē sæpe auribꝰ & animis aliquid jucundi & plausibilis propinant, sed manibꝰ oculatis curiosorū, & veritati non semper eximii quid proponunt vel satisfaciunt. Audiunt quippe gemmæ illis terræ stellæ, & quæ sunt aliæ similes laudes. De *Cardani*, aliorumque autoritate circa gemmas occupata, qualis sit æstimanda, jam visum vel ostensum fuit quadantenus; quemadmodum de eodem, & aliis fontibus, è quibus alii gemmarum æstimium, & efficaciam medicam haurire satagunt, consuli etiam potest *Herm. Grubius de transplantat. morbor. pag. 77.* Verùm & hic autor *l. c.* parum fidei videtur impertiri dictis illis. Nolo his etiam abesse monitum, si quid veri fortè huic subest, quòd gemmæ & margaritæ exteriùs corpori appensæ propter suam frigiditatem (& fortè multitudinem) noceant mortemque inferant, quemadmodum mors Leonis IV. Cæsaris & Pauli II. Papæ à coronis (gemmis ac margaritis exornatis) ac gestatis secuta esse dicitur, de quo *Joh. Ad. Weberus* in der Unterredungs-Kunst *part. 1. p. 703. &c.* modò non veneni culpa sub hoc prætextu latuerit, vel alia & subitaneæ mortis variæ facile conjiciendæ causa; si non contactu gemmarum frigiditas actualis nocuit illorum corpori admota. Porrò de laude & aptitudine gemmarum, quòd scilicet Talismata præ rebus aliis ex iis confici possint, cum rationibus additis ac desumtis ex *Joh. Bapst. Porta*, agit *Joh. Jacob. Weckerus de secret. lib. 11. c. 1. p. 581. &c.* Volunt etiam quidam gemmas quasvis peculiaribus planetis vel astris subjectas esse, atque ideò etiam illas aptiores existere statuunt pro influxu illorum recipiendo, Tilsemisque constituendis; de quo evolvantur allegata *Georg. Michaëlis in not. ad Gaffarelli curios. inaudit. pag. 259.*

Cùm autem animadvertant quidam, gemmas encomia sua in variis morbis externè atque internè applicatas non adimple-

re, suspicionem incurrunt, gemmas plurimas non esse veras vel naturales, sed factitias, atque ideò ipsis etiam vires varias, olim decantatas, colligunt denegandas esse. *Vallesium* autem (*l.* 4. *meth. c.* 2.) de plurimis, & tantùm non omnibus gemmis, ne factitiæ sint, dubitare dicit *Guttierez in febrilog. tom.* 1. *cursu* 8. *lect.* 10. *p.* 229. Testem etiam se sistit in hac re *Crato in Epistol.* (*à Scholzio edit.*) 121. *f.* 217. nullas ferè, inquit, gemmas habemus in Pharmacopoliis veras, quam margaritas & Hyacinthos. Rubini interdum habentur, Granati & Amethisti Bohemici non sunt rari. Similiter quòd mercatores smaragdi lapides vitrô viridi sæpe adulterare soleant, indicat *Frid. Hoffmannus clave Schöderi pag.* 156. quòd attingit etiam *Bernard. Swalvius querel. ventric. pag.* 114. Verum omninò est, quòd magna fraus inter gemmas occurrat, cùm eædem arte adeò eleganter præparari possint, ut peritissimi alioquin in dignoscendis veris à falsis fallantur. Quomodo verò variæ gemmæ veris similes arte confici possint, docent *Kretschmarus in mineralogia cap.* 4. *Porta in mag. natural. l.* 6. *c.* 5. *p.* 27. *Francisci* in der Schaubühne *volum.* 2. *Anselm. Boëtius de Boot gemmar. histor. l.* 1. *c.* 19. *p.* 63. *&c. Alex. Pedemontanus secretor. l.* 6. *p.* 264. *&c. Ath. Kircherus mund. subterran. l.* 12. *sect.* 5. *p.* 3. *c.* 4. *p.* 478. *Anton. Neri arte vitriaria, Andr. Libavius tr. de igne natura cap.* 42. *p.* 87. *&c. Joh. Bapt. Hamelius operum philosoph. tom.* 1. *p.* 452. *Morhofius de transmutatione metallorum p.* 20, 21, 27. 28. 69. *&* 164. *& idem de Scypho vitreo, Borrichius de ortu chem. p.* 113. *Balduinus de auro aura p.* 38. *Johan. Jac. Weckerus de secretis l.* 11. *c.* 1. *p.* 576. *& cap.* 2. *p.* 587. *Junckenius chymia experimental. p.* 289. & alii plures. Jungi etiam his possunt ii, qui de re vitraria & fusoria scripserunt.

Utcunque tandem constitutæ sint gemmæ, non movet tamen quicquam autores quosdam, ut illas vel efficaciam illarum adscribant classi amuletorum. Citandus nobis ideò videtur *Erastus de occult. pharmac. potestatib. cap.* 53. 94. innumeri, inquit, lapilli sunt, quibus admirandas vires multi adscripserunt; si experiri velis, nihil illorum, quæ promittunt plurimi de ipsis scribentes,

notis ad Andr. Baccii de nat. gemmar. c. 2. p. 31. & 32. concludit inter alia: Topatium, Carbunculum & Adamantem gestatum etiam exercere cœlicas potentias, primùm quidem in hominis spiritum, demum in humores & solidiores ejꝰ partes, quibus à peste & venenis defendunt &c. Non attingam elogia, & lusus Rhetoricos ac Poëticos circa gemmas subinde occupatos, qui quidē sæpe auribꝰ & animis aliquid jucundi & plausibilis propinant, sed manibꝰ oculatis curiosorū, & veritati non semper eximii quid proponunt vel satisfaciunt. Audiunt quippe gemmæ illis terræ stellæ, & quæ sunt aliæ similes laudes. De *Cardani*, aliorumque autoritate circa gemmas occupata, qualis sit æstimanda, jam visum vel ostensum fuit quadantenus; quemadmodum de eodem, & aliis fontibus, è quibus alii gemmarum æstimium, & efficaciam medicam haurire satagunt, consuli etiam potest *Herm. Grubius de transplantat. morbor. pag. 77.* Verùm & hic autor *l. c.* parum fidei videtur impertiri dictis illis. Nolo his etiam abesse monitum, si quid veri fortè huic subest, quòd gemmæ & margaritæ exteriùs corpori appensæ propter suam frigiditatem (& fortè multitudinem) noceant mortemque inferant, quemadmodum mors Leonis IV. Cæsaris & Pauli II. Papæ à coronis (gemmis ac margaritis exornatis) ac gestatis secuta esse dicitur, de quo *Joh. Ad. Weberus* in der Unterredungs-Kunst *part. 1. p. 703. &c.* modò non veneni culpa sub hoc prætextu latuerit, vel alia & subitaneæ mortis variæ facile conjiciendæ causa; si non contactu gemmarum frigiditas actualis nocuit illorum corpori admota. Porrò de laude & aptitudine gemmarum, quòd scilicet Talismata præ rebus aliis ex iis confici possint, cum rationibus additis ac desumtis ex *Joh. Bapst. Porta*, agit *Joh. Jacob. Weckerus de secret. lib.* II. *c.* 1. *p.* 581. *&c.* Volunt etiam quidam gemmas quasvis peculiaribus planetis vel astris subjectas esse, atque ideò etiam illas aptiores existere statuunt pro influxu illorum recipiendo, Tilsemisque constituendis; de quo evolvantur allegata *Georg. Michaëlis in not. ad Gaffarelli curios. inaudit. pag.* 259.

Cùm autem animadvertant quidam, gemmas encomia sua in variis morbis externè atque internè applicatas non adimple-

re,

re, suspicionem incurrunt, gemmas plurimas non esse veras vel naturales, sed factitias, atque ideò ipsis etiam vires varias, olim decantatas, colligunt denegandas esse. *Vallesium* autem (*l.* 4. *meth. c.* 2.) de plurimis, & tantùm non omnibus gemmis, ne factitiæ sint, dubitare dicit *Guttierez in febrilog. tom.* 1. *cursu* 8. *lect.* 10. *p.* 229. Testem etiam se sistit in hac re *Crato in Epistol.* (*à Scholzio edit.*) 121. *f.* 217. nullas ferè, inquit, gemmas habemus in Pharmacopoliis veras, quam margaritas & Hyacinthos. Rubini interdum habentur, Granati & Amethisti Bohemici non sunt rari. Similiter quòd mercatores smaragdi lapides vitrô viridi sæpe adulterare soleant, indicat *Frid. Hoffmannus clave Schröderi pag.* 156. quòd attingit etiam *Bernard. Swalvius querel. ventric. pag.* 114. Verum omninò est, quòd magna fraus inter gemmas occurrat, cùm eædem arte adeò eleganter præparari possint, ut peritissimi alioquin in dignoscendis veris à falsis fallantur. Quomodo verò variæ gemmæ veris similes arte confici possint, docent *Kretschmarus in mineralogia cap.* 4. *Porta in mag. natural. l.* 6. *c.* 5. *p.* 27. *Francisci* in der Schaubühne *volum.* 2. *Anselm. Boëtius de Boot gemmar. histor. l.* 1. *c.* 19. *p.* 63. *&c. Alex. Pedemontanus secretor. l.* 6. *p.* 264. *&c. Ath. Kircherus mund. subterran. l.* 12. *sect.* 5. *p.* 3. *c.* 4. *p.* 478. *Anton. Neri arte vitriaria, Andr. Libavius tr. de igne natura cap.* 42. *p.* 87. *&c. Joh. Bapt. Hamelius operum philosoph. tom.* 1. *p.* 452. *Morhofius de transmutatione metallorum p.* 20, 21, 27. 28. 69. *&* 164. *& idem de Scypho vitreo, Borrichius de ortu chem. p.* 113. *Balduinus de auro aurae p.* 38. *Johan. Jac. Weckerus de secretis l.* 11. *c.* 1. *p.* 576. *& cap.* 2. *p.* 587. *Junckenius chymia experimental. p.* 289. & alii plures. Jungi etiam his possunt ii, qui de re vitraria & fusoria scripserunt.

Utcunque tandem constitutæ sint gemmæ, non movet tamen quicquam autores quosdam, ut illas vel efficaciam illarum adscribant classi amuletorum. Citandus nobis ideò videtur *Erastus de occult. pharmac. potestatib. cap.* 53. 94. innumeri, inquit, lapilli sunt, quibus admirandas vires multi adscripserunt; si experiri velis, nihil illorum, quæ promittunt plurimi de ipsis scribentes,

tes, præstare illos cognosces. Hoc si objeceris harum rerum admiratoribus & assertoribus, respondent adulterinos illos esse. Et cùm id non possunt hoc responso in veris eluctari, *Albertum Magnum* (in istis rebus mirè superstitiosum philosophum) adducunt asserentem, seniò confectos lapillos occultas istas vires amittere. Alii ineptiùs fabulantur, ideò nimirum eos nihil agere, quòd, qui ipsos gestant, scelere flagitiôque aliquô polluti sint. Efficaciores autem reddi, si aquâ frigidâ per multos dies abluantur, quasi peccatum illis adhæserit, ut inquinatio per aquæ ablutionem crebram detergi tandem possit. Rectè profectò ille monuit, eum, qui præclarus esse medicus cuperet, non hisce, sed agentibus per qualitates cognitas, confidere debere; hactenus *Erastus.* Sic etiam eos, qui Talismanicis rebus & Alchymiæ laboribus student, non facilè exceptionibus vel excusationibus destitutos observabis, quando Tilsemarum effectus inanis, & Alchymistarum labor frustraneus observatur. Qui verò volunt vel statuunt, gemmas tractu temporis suas vires amittere, illorum sententiam examinare jam supersedemus, eosque solùm ad illos ablegamus, qui alioquin gemmas & metalla ideò ad Tilsemas, præ reliquis rebus, accersunt, quòd vires astrorum tenaciùs retineant ob soliditatem suam. Ne verò sententia modò adducta nostra videatur, testem hujus citamus *Marf. Ficinum l. 3. de vita cœlitùs comparand. c. 13. p.* 228. lapilli, inquit, atque metalla, etsi ad accipiendum cœleste munus duriora videantur, diutiùs tamen retinent: quòd confirmat Jamblichius, si acceperint: suâ nempe duritie vestigia quoque, donaque vitæ mundanæ post evulsionem diutisimè continent, quæ quondam hærentia terræ possederant. Quamobrem ob hoc saltem aptæ materiæ ad capienda tenendaque cœlestia judicantur &c. *Idem autor ibidem c. 11. pag.* 214. statuit, quòd colores in metallis, lapidibus, atque vitris propter cœlestem similitudinem sint potentes. Autor ille iterum *cap. 13. p.* 227. non diffitetur quidem molliora medicamenta faciliùs atque citiùs influxus cœlestes suscipere, quàm materias duriores, ex quibus imagines fieri consueverint. Pergit demum *ibidem autor p.* 228. inquiens: imagines ex ligno confectæ vim fortè parvam habent: nam

nam lignum & forsan durius est ad cœlestem influxum facilè capiendum, & minùs tenax, si acceperit, retinendum &c.

Oritur præterea lis quæpiam inter autores circa gemmarum usum: putat quippe *Petr. Johan. Faber in Panchym. lib* 4 *cap.* 11. *pag.* 520. *&c.* quod gemmæ integræ parum efficaciæ exerant, nisi sint in sua principia, & arte quidem, resoluta; cui etiam adstipulatur *Poterius Pharmacop. spagyrio. l.* 2. *cap.* 24. *p.* 489. Interim tamen hic autor in suæ *centur.* 2. *observat. med.* 68. *p.* 169. *& tr. de febr. l.* 2. *c.* 23. commendat & communicat epithema ex pretiosis ejusmodi lapidibꝰ compositum. Verùm *Zwelferus in Animadversionib. pag.* 196. *& in Pharmacop. Reg. p.* 103. illam *Fabri* sententiam pluribus verbis dilucidat; irritam quoque censet idem ille hanc intentionem, quòd pro confortatione inter hujusmodi medicamenta externa gemmæ & similia alia recipiantur. Miror tamen & ego, cur gemmas, periaptorum loco adhibitas, & eas etiam ritè ac debitô suô menstruô in liquorem solutas eximiis viribus pollere asserat dictus *Zwelferus in Animadvers. l. c.* Si verò integræ gemmæ vires quasdam medicas exserunt, mirum est, cur non contritæ, & epithematibus admixtæ similiter usum quempiam medicum præbeant. Non erimus hoc loco ampliùs soliciti de operatione gemmarum, utrum tanta eadem sit, quanta communiter fermè existimatur, cùm aliâ occasione forsitan de eodem commodiùs acturi simus.

Fovent interim illam sententiam, issique favent alii, quòd integræ gemmæ pro amuletis commodiores sint, quàm contritæ, quemadmodum hoc statuunt *Helmontius tumul. pest. p.* 183. *& tract. natur. contrar. nescia §.* 45. item *Hæferus Herc. med. p. m.* 103. *&* 164. Videtur etiam de rebus duris, solidis ac integris quibusdam majorem vim præsumere (veluti in magnete integro, nec in contrito id ita apparere ostendit) *Godfrid. Davidis de medicina magnatum. pag.* 130. Conqueritur verò *Sanctorius de vitandis error. cap.* 2. quòd multa fabulosa de lapidibus narrentur & scribantur, cum quo conspirat *Joubertus cap.* 18. *pag.* 300. Multis autoribus etiam risus penè nascitur, quando mentio fit gemmarum in medicina efficacium reputatarum. Excell. *Paulus*

An-

Ammanus de mater. medic. pag. 16. dum invehitur in illud tritum, & malè à multis acceptum atque expositum; quòd in herbis, verbis & lapidibus magna lateat virtus: Lapidibus, inquit, inest, & non inest. Si per virtutem intelligas molem, magna procul dubio inerit virtus, exemplo tibi sit motus lapidum projectorum. Contra verò si medicam facultatem consideres, multa in illarum Historia erunt falsa, dubia, superstitiosa, & juxta *Wierum* (*de præstig. Dæmon. p.* 411. & 412.) in hunc tantum finem excogitata, ut mendaciis, Diaboli nundinis majus autoritatis pondus accedat &c. Alia similia de eadem materia dicta vide apud laudatum *Dn. D. Ammanum l. c. p.* 23. 24. *&c.* Benè quidem per se canon ille vel sermo de herbis, verbis & lapidibus habet, veluti etiam *Avenzoar de mente Hermetis* tradit, quòd in vegetabibus & mineralibus sint virtutes, quas si homo sciret, operaretur illud quòd per artem Magicam operatur. Sic verum omninò etiam est, quòd varia medicamenta, inprimis verò mineralia ritè præparata & applicata, stupenda in morbis quibusdam, & desperatis alioquin existimatis, præstent; ut ideò Mysochymici hallucinentur, vel fallaciam secundum quid sæpe committant in sua persecutione vel inquisitione mineralium medicamentorum.

Veruntamen verba illa de herbis verbis &c. non extendenda sunt ultra ipsorum sphæram activitatis, ne fortè occulti, & magici quid lateat sub herbis, verbis & lapidibus, quod neutiquam tamen illis naturæ bonitate competat, sed falsò affingatur. Quemadmodum etiam canon dictus raro ab omnibus ritè exponitur, sed utplurimùm pro suspectarum actionum medicarum pallio allegatur, & in defensionem istarum torquetur. *Conradus Gesnerus l.* 1. *Epistolarum p.* 4. uti aliàs exiguas vires ac fidem interno usui plurimarum gemmarum (præter corallia & perlas) tribuit: sic eas pariter externè adhibitas parvi facit, & solum experientiam indubitatam de illarum efficacia toties decantatam desiderat; licet non diffiteatur dari subinde occultas aliquas rerum vires, quas ratio nostra à sensibus dependens, per se minùs assequatur. Inter alia plura etiam autor illic profert hæc: video ferè, ait, indoctissimos quosque, & maximè superstitiosos homines,

nes, cùm olim, tùm nunc lapidibus, aliisque apotropæis, amuletis, & rebus ejusmodi, quarum ratio nulla ferè constat, & experientia plerumque fallit, plurimum tribuisse. Credulitas fortè & persvasio in non nullis aliquid faciunt: nec mirum in paucis aliquando succedere, quod in plurimis tentatur; φύσιες νούσων ἰητροὶ· κατὰ συμβεβηκὸς δὲ πολλάκις ἰᾶσθαι τὰ ἰάματα, hactenus *Gesnerus*. Ridiculas & rejiculas vires de gemmis aliàs decantatas, refutatas tamen, comperimus porrò apud *Rattrayum theatr. sympath. p. 643. &c.* Verba jam jam sequentia sunt *Roberti Boylei præfatione specimin. gemmar.* historia gemmarum, inquit, adeò fabulis est distincta, ut multi, inprimis recentiores philosophiæ & physicæ periti, propter tantas improbabiles & non nunquam impossibiles virtutes gemmis vulgò adscriptas, non dubitarint asserere, *nullis penitùs illas præditas esse virtutibus.* Imò apud modernum quempiam Satyricum gemmarum præcipuarum vires recensentur, & ostenditur simul, in communi vita argenti vel pecuniæ vires illis longè efficaciores esse, cùm hujus adminiculô homines reddantur hilares, magnanimi, felices & similes alii, quod non ita sit expectandum à gemmis loco amuletorum adhibitis. Facetus quispiam alius autor vini usui, pro conservatione cordis, majorem efficaciam tribuit, quàm multis affixis globulis ex corallis, & succino confectis; etiamsi penitùs occultent ista quempiam, aut pondere suô ad terram deprimant. Solent verò gemmæ, à multis magni æstimari, uti & nos hoc antea innuimus, & citra nostram mentionem notum jam quoque est, idque sæpè fit, non adeò propter ornatum, splendorem, & pretium, quàm vires medicas. *Baptist. Sylvaticus controvers. medic. 47. pag. 223.* de gemmis ita: maximè, ait, arduum & difficillimum existimarunt viri gravissimi gemmarum non modò essentiam, sed & nomina rectè scire & literis mandare. Cui lubet, non nulla de æstimio & modô, quo operentur gemmæ, inquirere potest in *Helmontii potest. medicam. §. 62. de herb. & lapid. &c.* aliisque in locis. Ratio quoq; & experientia (quarundam gemmarum vires dari,) suadet *Grubio (de transplantat. morborum p. 80.)* ut non omnem illarum efficaciam neget. Non malè

facit experientiâ destitutus *Jul. Cæs. Scaliger. Exerc.* 113. inquiens: de gemmis quæ referuntur miracula neque credere, neque refellere statutum habeo. De dictis his verò, uti nos non planè diffidimus, ita tamen non omnes vires decantatas de iis indifferenter pro veris amplectimur, sed potiùs in medio persistentes majori experientiæ id omne negotium commendamus.

De annulis, armillis aliisque similibus ornamentis gemmas recipientibus, iisque loco amuletorum sæpe commendatis, multi quoque agunt autores; quemadmodum de non nullis videri potest *Verulamius in sylv. sylvar.* §. 960. 961. *&c.* & §. 967. *&c. aliisque in locis ipsius operum.* Addi huic itidem possuntii, qui de annulis & gemmis in specie scripserunt. Singularis etiam alioquin eminentia digiti annularis nota est, quem annulis continendis vel gerendis aptiorem communiter censent; de quo adhuc paulisper dispiciemus. *Pierius l.* 41. *Hieroglyph. c. de annulo* scribit ita: erat digitus minimo proximus cordis indicium, inde annulô, tanquam coronâ ornabatur. Sunt qui digitum hunc etiam medicum vocant, quòd si medicamenta eô commoveantur, cor persentiscat, si venenati quid iis sit admixtum; de quo etiam *Lev. Lemnius de occult. mirac. natura l.* 2. *c.* 11. Fortè etiam ob sequentes rationes medicus ille digitus dicitur, quia præ reliquis medicarum virium vehiculum & adminiculum à quibusdam putatur. Communis enim aliàs veterum est traditio, quòd annuli dicto digito affixi auri & gemmarum efficaciam citiùs cordi communicent, propter nervum à corde prodeuntem, ac desinentem in eodem digito, de quo *Gellius in noct. Attic. lib.* 10. *c.* 10. & alii plures. Verum *Gellii* sententiæ adductæ non adeò applaudunt *Rod. Goclenius de peste* p. 176. *Lemnius l.* 2. *Baricellus hort. genial.* p. 160. 161. & 190. & alii plures. Sed posteriorem opinionem potiùs apprehendunt de arteria, idque variis probabilibus argumentis confirmare annituntur. Alii malunt illam operationem etiam teneræ arteriæ, (quæ digito annulari à corde peculiariter concessa sit) tribuere, unde præ aliis locis celerior operatio cordi concedatur, de quo plura prostant legenda apud *Sam. Pomarium de consens. & dissens. corpor. natur.* p. 60. *Casp. Hoffmannum*

mannum instit. med. D. Horstium von dem Geheimniß der Natur *lib. 8. p. 4. cap. 5. p. m. 236. Henr. Salmuthum comment. ad Panciroli memorabil. l. 1. p. 671. &c.* & eos, quos citat *Conrad. Gesnerus Bibliotheca tom. 2. p.* 170. Quibus adde sis *Phil. Caroli Animadversion. in Agellium l.* 10. *c.* 10. *p.* 410. *Joh. Baptist. Casalium de ritibus profan. & sacr. veteribus part.* 1. *c.* 18. *p.* 104. *Langium l. 2. Epist. med.* 49. *p.* 794. *Novar. Schediasm. lib. 6. c. 21. Michael. Dilherrum disputat. Acad. tom. 1. dissert.* 25. §. 25. *pag.* 788. *&c. Polydor. Vergilium in de rer. inventor. lib. 2. cap. 21. pag. m. 178. Alciatum lib. 8. Parerg. cap.* 10. *Joh. Rud. Camerarium syllog. memorab. medic. cent.* 10. *partic.* 33. *p. m.* 761. Verùm opiniones etiam hæ ex fundamentis anatomicis jam antè rejectæ & explosæ sunt, de quo agunt *Pomarius l. a. Sperlingius Synops. Anthropologiæ p. 177. Joh. Kirchmannus de annulis p.* 14. *&* 17. *Val. Henr. Voglerus de rebus natural. in Sacra Scriptura occurrentibus p.* 461. *Exc. Petrus Müllerus disput. Jurid. de annulo pronubo Jenæ edit. Joh. phil. Pfeifferus antiquitat. Græcis Gentilib. l. 4. c. 12. pag. 626. G. B. Metzgerus in disput. quadam de Anatomia cordis* §. 11. Jungatur etiam præmissis *Joh. Helwigius in obs. phys. med. obs.* 148. *p.* 396. *& Exc. Luc. Schröckius in scholiis illic additis.* Taceo, quod stante circulatione sanguinis, arteriæ non adeò sangvinem à partibus extimis ad cor vehant, quam iis invehant vel infundant, mediante cordis pulsu; nisi quis venis illud vehiculum peculiare velit assignare. Cur verò annuli in sinistra potius manu gerantur quàm dextra, hujus rationes non nullas ex *Macrobii lib. 7. Saturnal. c.* 13. cum aliis adhuc adducit *Kirchmannus l. c. Pictorius cent. 3. Quæst. phys.* 53. *& Watsonus theatr. rer. variar. pag.* 60. Non nulli credunt commoditatis majoris gratia id factum esse, ne scilicet annuli dextræ manui (utpote quæ laboribus magis est destinata) impedimento essent, aut isti annuli læderentur facilè propter dictos labores.

Quia mentio hactenùs facta est annulorum & gemmarum illis inhærentium, non possum intermittere, quin id etiam addam, quòd gemmæ procidentes ex annulis pro mortis indicio quandoque fuerint reputatæ, de quo, & causa ejusdem non nulla videantur in *Timæi l. 2. cas. med. 2. p. 79. &c.* & qui ibidem allegantur. Sed ista de annulis à Christianis rite sunt excipienda & exponen-

da (& quidem æquè ac prodigia vel somnia de aliis rebus vel notis similibus) quæ quandoque circa gemmas observari dicuntur, cum variæ traditiones suspectæ iis insint. Nolo prolixitati jam inhiare; interim de rubini colore, eleganti alioquin in annulo mariti, ante obitum conjugis ipsius aliquoties mutato, atque obscuro facto, consulatur *Baccius de gemmis pag.* 63. Sic referunt *Franc. Rueus de gemmis lib.* 1. *cap.* 18. *& l.* 2. *cap.* 7. *atque Jacob. Schoperus de gemmis* 12. *pag.* 153. de Torcoide in annulo gestato ab ægroto, ac postea mortuo, penes quem gemma ista priùs obscura facta sit, rimamque porraceam per medium contraxerit, quæ signa verò postea evanuerint, ubi ad alium sanum devenerit gemma illa. Turcoidem item morbô, malôve imminente nitorem amittere, atque sordescere, claret ex *Rudolph. Goclenii physf. general. l.* 2. *p.* 430. De eadem gemma, casus pericula avertente vel excipiente, superius in peculiari loco *p.* 70. istiusmodi inter amuleta alia, plura attigimus. Similiter annuli de digito *Hadriani* spontaneus lapsus inter signa ejus mortis *à Spartiano* quondam numeratus fuit; de quo *Pontanus in Bellar. Attic. part.* 1. *Syntagm.* 4. *§.* 77. *p.* 150. De similibus videri quoque potest allegatus *Ursinus* apud *Schwimmerum in curiositat. physf. pag.* 91. Sic de ominibus, quæ ex amuletis captari solent, agit *Joh. Kirchmannus l. a. cap.* 22. *&* 23. *pag.* 169. quibus & nos non nulla in aliis observata jungere possemus, si commodè id jam nobis liceret. Sed nostrum non est prolixiùs de his rebus jam disquirere; quivis interim Christianus, ceu decet, ista interpretabitur, & accipiet.

Sicuti in genere paulo antè prolixè ostendimus autorum ductu, quod gemmarum doctrinæ, præ aliis rebus, varii superstitiosi & iniqui usus medici sint admixti: ita etiam adhuc paucis attingemus, quod Diabolus & ipsius mancipia inprimis quoque delectentur gemmis, idque fortè ideò, quia primicerius ille homines observat istas majoris æstimare, quàm par est. Constat verò, quod crystalli, aliæve similes gemmæ aut lapides hariolorum à Diabolo sine dubio ita instruantur vel præparentur, ut postea furta, adulteria, ignota, futura, vel similia scelera per certum quoddam schema, signum, vel glaucoma in illis conspiciantur. De Crystallomantia verò vide, si lubet *Mich. Freudium* in Ge-

wis-

wissens-Fragen von der Zauberey *quæst.* 84. & 344. aliosque non paucos. Conferri etiam in hanc rem possunt, quæ de auguratione superiùs in Catalogo amuletorum de quibusdam indiciis in gemmis apparentibus tradidimus, cùm non sit planè absimilis istis eadem materia. Sic admirabilis etiam est gemma ista Henrico II. Regi Galliæ oblata Bononiæ Anno 1550. quæ non passa fuit, ut terrâ obrueretur, arctiori loco includeretur, aut manibus comprimeretur; uti legere est apud *Thuanum libro 6. Gregor. Hornium histor. nat. l. 2. c. 9. p. 103. Rudolph. Goclenium physic. general. l. 2. p. 430. & Joh. Adam. Weberum part. 1.* der Unterredungs-Kunst *p. 502.* Eôdem in loco *Hornii cap. 10. p. 166.* indicatur etiam, quòd adamantes quipiam crebrò alias sibi per omnia similes gemmas produxerint; O pulchram v. atque utilem fœcunditatem! De iisdem dictis etiam agit *Erasm. Francisci* im Jüdischen und Sineischen Lust-Garten *part. 2. p. 1225.*

Non semper notæ melioris sunt annuli varii; sicuti illi, qui ex suspendiosorum catenis, aut quocunque patibuli ferro parati sunt, aut saltem dicuntur, & pro medico usu commendantur, de quorum usu olim apud priscos etiam familiari adi sis *Reinesii var. lect. l. 3. c. 4. p. 392.* Plura de his alius quoque locus nostri scrutinii suppeditat *pag. 392. &c.* Qui plura alia de annulis magicis, Physicis & suspectis desiderat, huic satisfaciet *Joh. Kirchmannus de annulis c. 21. p. 146.* qui indicat, istos appellare Græcos Φαρμακίτας καὶ γεγοητευμένας. Plures autores, qui de illis similiter scripserunt, suggeret benev. lectori *Conrad. Gesnerus Pandect. vel Bibliotheca tom. 2. p. 170.* De annulo Diabolico, quô usus est *Jacobus Jodocus de Rosa, mentio fit in Wieri l. 6. de præstig. Dæmon. c. 2.* De annuli Gygis virtutibus videatur Kirchmannus *l. c.* De eodem Gygis annulo *Gabr. Naudæus de studio militari lib. 1. pag. 376. &c. & p. 424. &c. Dan. Hartnaccius admiranda physica pag. 137.* quibus in locis etiam aliorum superstitiosorum annulorum fit mentio. Addantur prioribus quoque *Herm. Conringius & Casp. Sagittarius in exercitatione ad* Justini *histor. (lib. 1. c. 7. p. 142.) Helmstadii edita 1665. & Frider. Hoffmannus clave Schröderi pag. 185.* Hujus etiam meminit, in illoque πάρεδρον, assessorem, vel spiritum familiarem inclusum fuisse suspicatur *Andr. Beyerus additamen-*

tamentis ad Syntagma Seldeni de DIS Syris p. 202. Jungi præmissis pariter potest de eodem annulo agens *Henr. Kippingius Instit. Physf. l.* 2. *c.* 7. *p.* 98. & *Rhodiginus lib.* 6. *c.* 11. De eodem & aliis similibus magicis annulis agitur etiam apud *Sylv. Rattrayum in theatr. sympathet. p.* 193. Confer quoque de his *Cunr. Dietericum Antiqu. Biblic. f.* 630. *Ioh. Langium l.* 1. *Epist. med.* 34. *p.* 164. &c. *Andr. Laurentium oper. tr. de mira strumarum sanatione c.* 3. *p.* 5. *Hier. Iordanum de divino in morbis c.* 53. *Theodor. Hopingium de jur. insign. c.* 18. §. 8 *f.* 908. *Augustinum de civit. Dei c.* 8. *Seldenum p.* 36 37. *Mich. Bapstium* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney Buche *part.* 1. *p.* 205. &c. De annulo Judæi Eleazari, in quo spiritus familiaris, latuit juxta quorundam opinionem, videri potest *Beyerus l. a.* & *Henr. Kippingius l. c. p.* 97. De eodem & aliis annulis magicis defensis agit etiam *Rudolph. Goclenius de peste p.* 84. &c. De similibus annulis magicis vel talismanicis evolvi etiam potest *Gregor. Michaëlis in notis ad Gaffarelli curios. inaudit. p.* 166. &c. De ejusmodi annulis, quibus Dæmones inclusi fuerunt, consulatur itidem *Ioh. Georg.* Schiel *Bibliotheca enucleata tit. annuli p.* 57. & 59. Tandem de annulo multos morbos sanante, & ab Octavio Augusto Agrippæ tradito confer allegata apud *Theodor. Hopingium de notis natural. genitiv. & Gentilit.* §. 8. *p.* 31. Facilè verò quivis judicabit de annulis his & gemmis, quodnam principium vel causam agendi sibi inditam habeant, quando adeò stupendos effectus, metamque naturæ transscendentes ab iis provenire animadvertit. Ideoque etiam hanc suppellectilem ex classe legitimorum ac verè medicorum amuletorum proscribimus, omnique Christiano seriò dissvademus, vel suspectam illam esse inculcamus.

Aggredimur jam alia non melioris notæ pendacula, scilicet Tilsemas, characteres, cabalas, sigilla, schedulas variis carminibus, verbis aut signis notatas, aliasve similes res superstitiosas appensas. Atque harum rerum non pauci patroni reperiuntur, & ii sæpe, qui cæteroquin boni æstimii sunt inter Medicos. Persvasum etiam sibi habent illi, quod suis his arcanis, vel impossibilia alioqui comparari possint; imò vel è cœlo Deum elicere

co-

conati sunt olim suis carminibus, uti *Jovem elicium* inter Ethnicos propterea dictum volunt. Inserere his lubet verba petita ex *Raym. Mindreri Threnodia medica c. 13. pag. 294.* illam, inquit, artem forsan non probè tenens Tullius Hostilius Rex, qui ex Numæ libris eodem, (cùm ille simili sacrificiô Jovem cœlo devocare conaretur) fulmine ictus unà cum æde miseræ conflagravit. Simile quid ferè de *Zoroastre* nos annotabimus adhuc inferius. Propter tragicum eventum obiter his inserimus, quod etiam frivolus quispiam homo Salisburgi conjuratione serpentes aliquando certum in locum convocarit, sed demum à magno serpente (fortè cujus mentio fit *Apocal. 12. v. 9.*) arreptus & in foveam præcipitatus perierit, ceu claret ex *Mich. Freudii* Gewissens-Fragen von der Zauberey *quest. 124. p. 276.* Constat præterea etiam, quod olim ex hostium locis vi bellicâ obsessis certô carmine priùs Deos tutelares evocare conati sint, quàm expugnarent illa, de quo *Elias Schedius de DIS German. Syngrammat. 2. c. 31. p. 386.* Sic in Poëtis frequenter fit mentio carminum, quibus iidem incantandi vires olim tribuerunt, uti ideò *Virgilius Tibullus, Petronius Arbiter* & alii evolvi possunt; his carminibus lunam etiam & stellas de cœlo flecti posse putarunt. Inter alios autores de ejusmodi rebus quoque agit *Elias Schedius l. c. syngramm. 1. cap. 9. p. 169. Henr. Cornel. Agrippa de vanitate scient. c. 45. p. 166. Cerda in Virgilii Eclog. 8. p. 159. Roderic. à Castro in Medic. Polit. l. 4. c. 3. p. 225.* & alii plures. Cæterùm an in cœlum & astra aliqua Magorum & Dæmonis sit potestas, id communiter negatum adstruit *Freudius l. c. qv. 162. p. 349.* Propter malas autem ejusmodi actiones, carminibus, cantu, & aliâ simili ratione peractas, verbum *Cantare* idem ac incantare quibusdam autoribus est, de quo *Cerda l. a. pag. 160.* Cantuum autem magistros vel Poëtas olim admodum scaturisse veneficis artibus *ex Hieron. Jordano de divin. in morb. c. 2. pag. 12.* aliisque autoribus constat. Apud citatum *Cerdam* etiam agitur de vocibus & carmine, quibus angves à gradu cohibere quidam ausi vel soliti sint, de quibus etiam *Taubmannus ad Virgilium p. 84. b.* De incantatione serpentum qui plura expetit, huic satisfiet ex *Mich. Freudii quæst. 121, 122. & 124.* Thessalas item mulieres olim hac in arte celebres

fuisse

fuisse constat inter alios ex *Natal.Comitis mythologia l. 3. c. 16. p. 250. &c.* De istiusmodi incantatione varia, & qui illam perperam dilaudatam deludunt, agit etiam *Raymund.Mindererus Threnodia medic. c. 2. p.66. &c.atque c. 20. p.448. &c. &* 481. Quibus adductis addatur *Joan. Renodæus institut. pharmacevt. l. 1. c. 12. p. 13. &c.* Non nulli pro refutatione horum etiam allegant versum illum, *Ovidii de rem. amor.*

Ergò quisquis opem nostra tibi poscis ab arte,
Tolle veneficiis, carminibusque fidem.

Innumera pentacula ex hujusmodi characteribus, verbis carminibus, & signis constantia potuissemus conscribere; valeremus etiam autores non paucos allegare, qui similia periapta docent, & magni faciunt, verùm indigna censuimus ista prolixâ recensione, quia nostræ considerationis non, nisi refutationis gratia talia sunt. Paulò inferiùs autem multi autores occurrent, qui, inter alia superstitiosa periammata & curationes illicitas, sæpe etiã eadem vetita simul attingunt.

Intercedit nobis adhuc lis quædam cum illis, qui Hebraicis verbis & literis singularem licentiam, eminentiam, sanctitatem & efficaciam medicam præ aliis, aliarum lingvarum tribuere nituntur. Sic *Job. Tilemannus de mater. med.p.* 326. *&c.* verba Hebraica, materiæ cuipiam certô mòdô præparatæ, docet insculpere, illamque materiam pro confortatione septem partium principalium corpori affigere. Citatus hic autor speciosè quoq; conatur suum allegatum amuletum defendere, dum scribit: Doctorem Martinum Lutherum pariter curasse inscribi verba primæ promissionis (*ex Genes.3.v.* 15.) parietibus & januis pro Diabolo atque spectris profligandis. Allegat etiam autor dictus *Tilemannus Theophrastum l.5.6. Archidox.* ac si hic *Theophrastus* (non semper aliàs divina loquens) in illa doctrina testis omni exceptione major esset. Imò quòd majus est, *Tilemannus* indignatur omnibus, qui Theophrasti vitam & actiones, uti & illam curandi methodum taxant; verùm certiora nobis aliisque de bono hoc viro constant. Prolixus aloquin idem est *Tilemannus* & operosus ibidem, ut adstruat toleranda esse ejusmodi pentacula, quæ verba divina, &

&

& quidem vernaculæ cumprimis vel primæ & originalis lingvæ continent. Sententiæ huic, de verbis vel literis Hebraicis magis efficacibus reputatis in medicina, applaudunt etiam alii autores plures; ficuti non ultimum locum inter eos tenet *Cornel. Agrippa l. 1. de philos. occulta cap. 69.* qui pariter sanctiorem autoritatem tribuit, verbis, si ex digniori ista Hebraica lingua petita, atque contra morbos affixa sint. De radicalium & primævarum vocum valore videatur etiam *Kozakus de Hæmorrhagia pag.* 419. ubi singularem tractatum de eodem ille promittit. Rectè quidem quadantenus *l. a. Tilemannus* in hæc prorumpit: notandum est, inquit, ipsos characteres & literas materialiter intellectas hoc ipsum non præstare, sed fidem duntaxat in rem istam omnibusque hisce formaliter significatam &c. Idem ferè hoc vult *Rogerius Bacho*, qui non solis his remediis fidendum esse, sed opem à Deo, vel à natura, rerum ab eo conditarum magistra, implorandam esse dicit. Porrò *Tilemannus* scribit fidem nostram firmam erga Deum directam fortificare nostros ausus & petita; quæ benè quadantenus itidem habent, sed latet angvis sæpe in herba talismodi; imò prætextus hic reliqua culpanda, in ipsius doctrina contenta neutiquam emendat. Eò penè recidit doctrina Cabalistarum, quâ volunt illi doctores deificari actiones & intentiones hominum, varia desiderantium, de quo *Roder. à Castro in med. Politic. l. 4. c. 1. p.* 214. Verùm norunt Christiani veri, quòd pro temporalibus bonis impetrandis spes & confidentia nostra non simpliciter ita defixa debeat esse in precibus, expectatione, & intentione nostra; cùm conditionaliter potiùs nos deceat petere dicta temporalia bona. Notum verò est, qualem aut quantam fiduciam requirant Tilsemarum artifices, partim pro structura Tilsemarum, partim pro effectu expectando ab iis gestandis, nisi quis fine suo velit frustrari, & à spe sua dejici. Veluti de eodem scripta ejusmodi evolvi possunt, ut & ea quæ in præcedentibus de confidentia erga istas res monuimus *p.* 522. Certum quippe est, quòd varia absona antipathiæ & sympathiæ negotia (magiæ licitæ titulô vel peplô sæpe vestita) uti & ipsa veneficia vel incantationes non semper procedant, vel finem suum ex-

pectatum consequantur, nisi firma usurpantis confidentia istis succurrat. Quæ causa alia verò, vel architectus sub hujuscemodi actionibus sæpe lateat, sedulò perpendendum esse, id à nobis crebriùs monitum fuit hucusq;. Ut ex multis pauca huc iterum traham, solent quipiam quærere, cur mercuriales vel metalliscopicæ virgulæ non in cujusvis plebeji, vel minùs creduli manu indicent tremulô suô motu nota illa, quæ desiderantur; & cur metallarii solùm periti sint atque felices in illa arte vel negotio. Ratio hujus sine dubio non rarò requiescit in diffidentia &c. licet fautores illarum rerum rarò prætextu aliô quopiam vel rationibus fictitiis destituantur, quod omne tamen collimare videtur eò, ne dictæ virgulæ sua vis naturalis prætensa & autoritas decedat. Sic quando quæritur, cur non omnes homines æque apti sint ad magicas actiones absolvendas, prætendunt hujus doctrinæ patroni, quòd felices ad hoc negotium nasci debeant sub certa constellatione. Sed vereor, ne Satanæ mancipia atque corcula sint sæpe, quibus tanta felicitas & eminentia præ aliis in dictis actionibus concessa est; iterum itaque colligo, quod iis, qui diffident circa dictas actiones, non ita promptè successus ex illis emergant. Sic solet Satanas clanculum & palam sæpe ejusmodi confidentiâ requisitâ sibi devincere perversos homines, ne postea facilè eluctentur, vel exsiliant ex suo hamo, & ungvibus rapacibus. De confidentia sagarum alioquin requisita ad illicitas curationes benè agit *Mich. Freudius* in Gewissens-Fragen von der Zauberey *qv.* 214. *p.* 435. Plebeji nostri Germani non rarò etiam verba hæc medicamentis vel curationibus dubiis addunt: wer den Glauben darzu hat. De qua materia etiam alius nostri scrutinii locus plura communicat. De hac fiducia illicita non possum intacta præmittere verba *Johan. Heurnii in meth. ad prax. libro* 3. *cap.* 28. non ignorant, inquit, doctissimi quidam viri, cùm signaculis & carminibus curent, non inde dimanare vires, sed maximè ex persvasione. At ea persvasio à contemplatione operum Dei abducit, & fastidire discit creatas ab omnipotente Deo vires, adscribitque potentias rebus, quæ his inditæ non sunt à summo numine, natura, nec

arte,

arte. Quare his facilè miscet suum virus mendacii auctor: paulo post ea pergit idem ille citatus: religiosam medicinam vult Deus,& se in ea agnosci & coli cupit sic *Langius lib. 3. Epist. med. 6. p.* 1047. dicit, quòd qui res ejusmodi usurpat,cum blasphemia illas observet & adoret. Porrò concidit autoritas, uti verborum omnium, ita etiam lingvæ sanctæ, seu Hebraicæ propterea,quia nulla per se ipsis inest vis verbis; licet etiam Hebraica vel alia peregrina articulata & vera, nec fictitia vox vel verba recitentur, aut chartæ inscripta gestentur. A plurimis etiam qui gestant illa, non intelliguntur, atque sic Dei optimi maximi cultus neutiquam promovetur; sed potiùs profanatur, dum imperiti & plebeji multi verbis nudis appensis, vel aliô illicitô modô usurpatis, vires attribuunt. Plures exceptiones *Tilemanno* vix superesse credo, quam ut dicat (cum illo Latinæ lingvæ minimè gnaro, vel moniali, precationes Latinè conscriptas legente, vel alio iterum Latinæ lingvæ imperito aulico latinas preces ex libro recitante:) Deum omnes lingvas callere, adeoque par esse, sive periti, sivè imperiti aut ignari lingvæ cujuspiam eâ utantur. Dehinc suspecta est peregrinarum lingvarum usus penes imperitos: sic serpens in Paradiso ascititia lingvâ utens Protoplastorum deceptionem meditabatur, eosque proh dolor in tremendum,& sangvineis lacrymis deplorandum lapsum præcipites agebat. Interim de speciosa sacræ lingvæ, literarum & aliorum vocabulorum, juxta quorundam mentem, defensione, ac refutatione aliorum videantur quoque *Rod. à Castro med. Polit. l. 4. c. 3. p. 224. &c.* allegati apud *Schwimmerum curiosit. phys. p.* 88. *& Joh. Wierus de præstig. Dæmon. l. 5. c. 4. & 7.* aliisque in locis pluribus. Attingunt multi itidem hoc paulò inferius allegandi, qui de variorum superstitiosorum, & inprimis periammatum illicitorum refutatione agunt. Non facilè etiam sanctitatis specie vel divinis nominibus sibi palpum vendere quis permittat, veluti benè in hanc rem loquitur *Procopius Gacaus Sophista comment. in Leviticum.* Dictus autor verò defendentes isthæc, inducit loquentes hoc modo: invocant Zebaoth. Quid tum? impiè hoc faciunt. Nam illam appellatio-

nem non Deo sed Dæmonibus tribuunt, & plerumque illi Dæmoniaci usurpant nomina divina (quæ magna nomina vocant) dum ea imponunt Dæmonibus, quorum ambitioni serviunt.

Deinde suspectæ etiam sunt peregrinæ literæ, characteres, & verba, quia Dæmonis invocatio, aliaque dira sæpe in iis continentur, quæ Diabolus ipse quandoque docuit, atque adeò suô concursu & ope postea dignatur illa ac dirigit. *Joan. Rudolph. Camerarius syllog. memorabil. cent.* 8. *particula* 44. magos dicit propterea suas nugas, characteres & similia peregrinô idiomate vel obscurâ notâ docere vel tradere, quò majorem confidentiam istis concilient; quibus alioquin patefactis omne æstimium & efficacia decedit. *Plinius* quoque illud indicat, quod minorem fidem adhibeant homines iis, quæ intelligunt. Forsitan ideò etiam *Clemens Alexandrinus* scribit, preces vel ejusmodi actiones ex vocibus exoticis vel Barbaris conceptas esse efficaciores, de quo *Heraldus in Arnobium lib.*1. Sæpe etiam ignota, & suspecta vocabula, mixobarbara, monstrosa, & horrisona sunt in suppellectili amuletorum, uti patet ex his (à nobis ante etiam expositis:) hax, pax, adimax &c. vel aliis similibus, quæ forsan rapax iste Erebi nycticorax suos clientes non rarò docet. Sanè hujusmodi impia non ex alphabeto naturæ, sed diri & miri Diaboli depromta sunt, adeoque omni nisu & risu improbanda & reprobanda sunt. Ducenda quoque huc reor verba celeberrimi *Reinesii ex Epistol.* 45. *p.* 382. multa, inquit, Latinis istis monstra verborum sunt, quæ lingua Barbara subinde admurmurat, magica carmina veterum hæreticorum Gnosticorum, quos Ægyptus & Syria primô, secundôque exclusit & fovit reliquias, & aniles vanitates Christianô indignas; quibus corrigendis quis sufficiat: quis exponendis horam dare velit? abominari & despuere talia satius est, & æternis tenebris damnare, quæ seculo spiritus tenebrarum invexit &c. Beatus *Jac. Thomasius in schediasmate histor.* 35. *p.* 26. de ejusmodi vocibus ita: Barbaræ inquit planeque profanæ voces, quales post Simonem quoque amaverunt ejus nepotuli (ut Jaldaboth, Abraxas, Prunicus, Caulacan) plenæ sunt talibus horum historiæ. Non licet alioquin etiam facilè mutare vel abolere absona & horrida vocabula ab amuleticis ejusmodi artificiis, veluti

luti *Zoroaſtres*, *Joh. Picus de Merandula in Poſition.* aliique hoc ſeriò inculcant. Licet quoque multi artifices talismanici, & morphiſtæ ipſimet hodie non intelligant, quid ſignificent variæ voces obſcuræ, characteres & figuræ, Satanas tamen, primus illorum autor facilè novit iſthæc à ſe docta, vel quâ intentione à ſuis aſſeclis primum efficta ſint; nequaquam verò in divinum cultum iſta collimant. Merentur etiam huc trahi pro majori luce aſſerti noſtri verba *J. Th. Freigii l.* 18. *Phyſ. p.* 412. omnes, ait, figuræ magis ſunt occultè initi cum Dæmonibus pacti, quam cauſæ ad effectum naturaliter concurrentis. Sicut enim imaginibus necromanticis Angelorum, ſeu potiùs Dæmonum inſcriptio, & aliorum nominum ac characterum ignotorum, & diverſarum ſuffimigationum & invocationum uſus, ſigna ſunt manifeſti pacti cum Dæmonibus &c. *Andr. Laurentius operum tr. de mira ſtrumarum ſanatione c.* 6. *p.* 13. *&c.* de variis dictis ejusmodi Barbaris & aliis vocibus, carminibus, cantu, ſchedulis ac magicis rebus agens, ſimiliter mentem ſuam aliquoties exponit in modum dictum, atque inter alia hæc prodit illic: quæſitum eſt, inquit, olim à Porphyrio, cur ſacerdotes uterentur plerumque nominibus nihil ſignificantibus. Reſpondet Jamblicus, verba hæc incognita, ſuas apud Deum, & Dæmones habere notiones &c. De lingva in Satanæ Academia uſitata ſuggeret plura *Mindereri Threnodia medica.* Quis non ſuſpicetur etiam Dæmonem verba ignota, characteres & figuras cultum ſuum concernentes, ideò inculcare, quò ſanctitas amplior confidentia, & æſtimium majus erga iſtas extorqueatur imperitis, ſimplicibus & impiis. In hunc modum ferè de Barbaris & inſolentibus vocabulis loquitur etiam *Gabr. Naudeus de ſtudio militari l.* 1. *p.* 433. Eandem penè ſententiam quoque fovet ac depromit de ceremoniis, circa helleborũ colligendum, olim injunctis, atque uſitatis & à *Plinio* annotatis *Franc. Redi experiment. natural. p.* 59. ineptiæ, inquit, quibus fidem adhibuerunt antiqui, vel quas eum in finem fortasſis ſcripſerunt, ut autoritatem & venerationem illius herbæ ſartam tectam conſervarent. Sed claudimus, de his obſcuris, ſermonem noſtrum verbis illis *Plinii* 28. 8. *&* 29, 3. dum ſcribit; Magi ſolertes ſunt in fraudibus ſuis tegendis.

inquit ille, in more positum fuit, ut quæ maximè cordi essent, in tabulis aut laminis aureis & argenteis exarata & incisa, ad pectus appenderentur &c. Hinc certè formulæ loquendi ejusmodi (attentionem vel studium indigitanter in memorāda salutaria) ortum inter alia traxisse possunt. Sicuti Germanis etiam aliàs frequentes hujusmodi locutiones sunt. Imò Deus præcipit Israëlitis *Numer*. 15. *v*. 38. ut notam quampiam ex panno, certâ ratione tincto, manicis affigerent, quò crebrò intuitu suorum præceptorum divinorum memores forent, nec adeò facilè peccata contra illa perpetrarent. In quam rem etiam videatur *Deuteronomii* 11. *v*. 18. *&c*. Subsequentia nostri scrutinii illorum porrò etiam mentionem facient, quæ astu quandoque commendata fuerunt, ut circumferrentur, ad declinandum varia mala; ubi postea bonus effectus sedulam potiùs curam & inspectionem, quàm vanum illud, amuleti loco commendatum, secutus est. Eandem ferè sententiam mecum fovet de illicitis ejusmodi alexicacis collo appensis, vel aliô modô indecenti usurpatis: scilicet imagunculis, characteribus, aut Evangeliô Johannnis (ubi verbum Dei potius in corde, cum vera invocatione, & fiducia in Deum reposita atque conservata præstare illum effectum dicit) *Camerarius* paulò ante citatus. De eodem, & quòd Judæi tropicum illum sensum sua in *φυλακτήρια* malè torserint, uti & quod Christus istiusmodi Judæorum tephyllim non gestarit, adstruit autoritate quorundam fretus Celeb. *Aug. Pfeifferus Antiquit. Ebraic. select. c.* 11. §. 3. *&* 4. *p*. 83. *&* 87. Non pigrabimur in hanc rem etiam allegare *Chrysostomum hom*. 43. *in Matthaeum*: quidam sacerdotes, inquit, antiquam Evangelii partem scriptam circa collum portant. Sed dic sacerdos insipiens, nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur, & auditur ab omnibus, cui ergò in auribꝰ posita Evangelia non prosunt, quomodo hunc possunt circa collum suspensa servare? Deinde ubi est virtus Evangelii? in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in intellectu, ergò meliùs in corde posita prosunt, quàm circa collum suspensa. Cui plura lubet indagare de Evangelio S. Johannis, quòd amuleti loco ad collum suspensum sit olim frequenter, adeat

deat *Bonartium Commentar. in lib. Esther. c.3.v. 8. p. 289. & Baronium A. C.*232. & 604. aliosque non paucos. Notum præterea eſt, quòd Beatus *Lutherus* ejusmodi medendi rationem per verba, etiam Hebraica, characteres, & ſimilia pentacula illicita alia, uti & abuſum ſacræ ſcripturæ, non ſemel in ſuis ſcriptis deteſtetur. Quid ſentiat idem de voce Schemhamphoras, & quàm falsè explodat hujusmodi nugas, conſtat ex ipſius *operum tom.* 8. *Jenenſ. German. p.* 109. 212. *&c.* confer etiam ipſius *Tom.* 2. *Isleb.* ſuper 1. *cap. Johannis fol.* 432. Sed in hac re perſpicua nolumus eſſe prolixi; dixerimus penè propter ipſius innocentiam, quæ continentur in *Valer. Max.* 4. 7. quòd vani ſit illud narrare, & ſtulti credere. Niſi fortè, in primis ipſius ſcriptis, ejusmodi quid Pontificiæ doctrinæ fermentum redolens contineatur. Quid mirum præterea, quòd ex boni illius viri ſcriptis ejusmodi irriti quid colligatur; cùm ex ſacræ ſcripturæ locis quibusdam malè tortis verbi divini abuſum ſimilem demonſtrare, & Chriſtum aliosque varios ſanctos Magiæ atque illicitis medendi auſibus ſtuduiſſe quidam inſimulent; quod tamen diluent ſequentia noſtra. De aliis pluribus talismodi dictis ex ſacra Script. petitis, quæ quoad ſenſum præcipiunt verbi divini ſuſpenſionem, vel alligationem, quomodo orthodoxè exponi & accipi debeant, agit *Jul. Reicheltus de amuletis pag.* 25. quo in loco etiam juxta multorum rectè ſentientium effatum ejusmodi auſus illiciti damnantur. Jungi quoque his meretur *Matthias Zimmermannus in Amœnitat. hiſtor. Eccleſ. p.* 609. *&c.* & *Joh. Mich. Dilberrus cantic. cantic.* ubi multa etiam myſticè, in modum dictum explicat, quæ juxta canticum illud ſponſa collo, pectori atque uberibus appendiſſe dicitur. In præcedentibus itidem attigimus nos hanc materiam quadantenus, quòd commemoratio crebra indicetur ſæpe per monilia, armillas, annulos aliasve res ſimiles, quæ collo aliisve partibus geſtandæ appenduntur & affiguntur. Conſtat quippe quòd hujusmodi res ante oculos verſantes nobis citiùs in memoriam illa revocent, quæ nobis alioquin curæ, cordique ſunt, & quorum crebro recordari volumus. Adde ſis etiam in hanc rem *Gregor. Michaelem in notis ad Gaffarelli curioſitat. inaudit. pag.* 294.

tamentis ad Syntagma Seldeni de DIS Syris p. 202. Jungi præmissis pariter potest de eodem annulo agens *Henr. Kippingius Instit. Phys. l.* 2. *c.* 7. *p.* 98. & *Rhodiginus lib.* 6. *c.* 11. De eodem & aliis similibus magicis annulis agitur etiam apud *Sylv. Rattrayum in theatr. sympathet. p.* 193. Confer quoque de his *Cunr. Dietericum Antiqu. Biblic. f.* 630. *Ioh. Langium l.* 1. *Epist. med.* 34. *p.* 164. &c. *Andr. Laurentium oper. tr. de mira strumarum sanatione c.* 3. *p.* 5. *Hier. Iordanum de divino in morbis c.* 53. *Theodor. Hopingium de jur. insign. c.* 18. §. 8 *f.* 908. *Augustinum de civit. Dei c.* 8. *Seldenum p.* 36 37. *Mich. Bapstium* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney Buche *part.* 1. *p.* 205. &c. De annulo Judæi Eleazari, in quo spiritus familiaris, latuit juxta quorundam opinionem, videri potest *Beyerus l. a.* & *Henr. Kippingius l. c. p.* 97. De eodem & aliis annulis magicis defensis agit etiam *Rudolph. Goclenius de peste p.* 84. &c. De similibus annulis magicis vel talismanicis evolvi etiam potest *Greger. Michaëlis in notis ad Gaffarelli curios. inaudit. p.* 266. &c. De ejusmodi annulis, quibus Dæmones inclusi fuerunt, consulatur itidem *Ioh. Georg.* Schiel *Bibliotheca enucleata tit. annuli p.* 57. & 59. Tandem de annulo multos morbos sanante, & ab Octavio Augusto Agrippæ tradito confer allegata apud *Theodor. Hopingium de notis natural. genitiv. & Gentilit.* §. 8. *p.* 31. Facilè verò quivis judicabit de annulis his & gemmis, quodnam principium vel causam agendi sibi inditam habeant, quando adeò stupendos effectus, metamque naturæ transscendentes ab iis provenire animadvertit. Ideoque etiam hanc suppellectilem ex classe legitimorum ac verè medicorum amuletorum proscribimus, omnique Christiano seriò dissvademus, vel suspectam illam esse inculcamus.

Aggredimur jam alia non melioris notæ pendacula, scilicet Tilsemas, characteres, cabalas, sigilla, schedulas variis carminibus, verbis aut signis notatas, aliasve similes res superstitiosas appensas. Atque harum rerum non pauci patroni reperiuntur, & ii sæpe, qui cæteroquin boni æstimii sunt inter Medicos. Persvasum etiam sibi habent illi, quod suis his arcanis, vel impossibilia alioqui comparari possint; imò vel è cœlo Deum elicere co-

conati sunt olim suis carminibus, uti *Jovem elicium* inter Ethnicos propterea dictum volunt. Inserere his lubet verba petita ex *Raym. Mindreri Threnodia medica c. 13. pag. 294.* illam, inquit, artem forsan non probè tenens Tullius Hostilius Rex, qui ex Numæ libris eodem, (cùm ille simili sacrificiô Jovem cœlo devocare conaretur) fulmine ictus unà cum æde miseræ conflagravit. Simile quid ferè de *Zoroastre* nos annotabimus adhuc inferius. Propter tragicum eventum obiter his inserimus, quod etiam frivolus quispiam homo Salisburgi conjuratione serpentes aliquando certum in locum convocarit, sed demum à magno serpente (fortè cujus mentio fit *Apocal. 12. v. 9.*) arreptus & in foveam præcipitatus perierit, ceu claret ex *Mich. Freudii* Gewissens-Fragen von der Zauberey *quæst. 124. p. 276.* Constat præterea etiam, quod olim ex hostium locis vi bellicâ obsessis certô carmine priùs Deos tutelares evocare conati sint, quàm expugnarent illa, de quo *Elias Schedius de DIS German. Syngrammat. 2. c. 31. p. 386.* Sic in Poëtis frequenter fit mentio carminum, quibus iidem incantandi vires olim tribuerunt, uti ideò *Virgilius Tibullus, Petronius Arbiter* & alii evolvi possunt; his carminibus lunam etiam & stellas de cœlo flecti posse putarunt. Inter alios autores de ejusmodi rebus quoque agit *Elias Schedius l. c. syngramm. 1. cap. 9. p. 169. Henr. Cornel. Agrippa de vanitate scient. c. 45. p. 166. Cerda in Virgilii Eclog. 8. p. 159. Roderic. à Castro in Medic. Polit. l. 4. c. 3. p. 225.* & alii plures. Cæterùm an in cœlum & astra aliqua Magorum & Dæmonis sit potestas, id communiter negatum adstruit *Freudius l. c. qv. 162. p. 349.* Propter malas autem ejusmodi actiones, carminibus, cantu, & aliâ simili ratione peractas, verbum *Cantare* idem ac incantare quibusdam autoribus est, de quo *Cerda l. a. pag. 160.* Cantuum autem magistros vel Poëtas olim admodum scaturisse veneficis artibus *ex Hieron. Jordano de divin. in morb. c. 2. pag. 12.* aliisque autoribus constat. Apud citatum *Cerdam* etiam agitur de vocibus & carmine, quibus angves à gradu cohibere quidam ausi vel soliti sint, de quibus etiam *Taubmannus ad Virgilium p. 84. b.* De incantatione serpentum qui plura expetit, huic satisfiet ex *Mich. Freudii quæst. 121, 122. & 124.* Thessalas item mulieres olim hac in arte celebres

fuisse

fuisse constat inter alios ex *Natal.Comitis mythologia l. 3. c. 16. p. 250. &c.* De istiusmodi incantatione varia, & qui illam perperam dilaudatam deludunt, agit etiam *Raymund.Mindererus Threnodia medic. c. 2. p. 66. &c. atque c. 20. p. 448. &c. & 481.* Quibus adductis addatur *Joan. Renodæus institut. pharmaceut. l. 1. c. 12. p. 13. &c.* Non nulli pro refutatione horum etiam allegant versum illum, *Ovidii de rem. amor.*

> *Ergò quisquis opem nostra tibi poscis ab arte,*
> *Tolle veneficiis, carminibusque fidem.*

Innumera pentacula ex hujusmodi characteribus, verbis carminibus, & signis constantia potuissemus conscribere; valeremus etiam autores non paucos allegare, qui similia periapta docent, & magni faciunt, verùm indigna censuimus ista prolixâ recensione, quia nostræ considerationis non, nisi refutationis gratia talia sunt. Paulò inferiùs autem multi autores occurrent, qui, inter alia superstitiosa periammata & curationes illicitas, sæpe etiã eadem vetita simul attingunt.

Intercedit nobis adhuc lis quædam cum illis, qui Hebraicis verbis & literis singularem licentiam, eminentiam, sanctitatem & efficaciam medicam præ aliis, aliarum lingvarum tribuere nituntur. Sic *Joh. Tilemannus de mater. med. p. 326. &c.* verba Hebraica, materiæ cuipiam certô modô præparatæ, docet insculpere, illamque materiam pro confortatione septem partium principalium corpori affigere. Citatus hic autor speciosè quoq; conatur suum allegatum amuletum defendere, dum scribit: Doctorem Martinum Lutherum pariter curasse inscribi verba primæ promissionis (*ex Genes. 3. v. 15.*) parietibus & januis pro Diabolo atque spectris profligandis. Allegat etiam autor dictus *Tilemannus Theophrastum l. 5. 6. Archidox.* ac si hic *Theophrastus* (non semper aliàs divina loquens) in illa doctrina testis omni exceptione major esset. Imò quòd majus est, *Tilemannus* indignatur omnibus, qui Theophrasti vitam & actiones, uti & illam curandi methodum taxant; verùm certiora nobis aliisque de bono hoc viro constant. Prolixus aloquin idem est *Tilemannus* & operosus ibidem, ut adstruat toleranda esse ejusmodi pentacula, quæ verba divina, &

&

& quidem vernaculæ cumprimis vel primæ & originalis lingvæ continent. Sententiæ huic, de verbis vel literis Hebraicis magis efficacibus reputatis in medicina, applaudunt etiam alii autores plures; ſicuti non ultimum locum inter eos tenet *Cornel. Agrippa l. 1. de philoſ. occulta cap. 69.* qui pariter ſanctiorem autoritatem tribuit, verbis, ſi ex digniori iſta Hebraica lingua petita, atque contra morbos affixa ſint. De radicalium & primævarum vocum valore videatur etiam *Kozakus de Hæmorrhagia pag.* 419. ubi ſingularem tractatum de eodem ille promittit. Rectè quidem quadantenus *l. a. Tilemannus* in hæc prorumpit: notandum eſt, inquit, ipſos characteres & literas materialiter intellectas hoc ipſum non præſtare, ſed fidem duntaxat in rem iſtam omnibusque hiſce formaliter ſignificatam &c. Idem ferè hoc vult *Rogerius Bacho*, qui non ſolis his remediis fidendum eſſe, ſed opem à Deo, vel à natura, rerum ab eo conditarum magiſtra, implorandam eſſe dicit. Porrò *Tilemannus* ſcribit fidem noſtram firmam erga Deum directam fortificare noſtros auſus & petita; quæ benè quadantenus itidem habent, ſed latet angvis ſæpe in herba talismodi; imò prætextus hic reliqua culpanda, in ipſius doctrina contenta neutiquam emendat. Eò penè recidit doctrina Cabaliſtarum, quâ volunt illi doctores deificari actiones & intentiones hominum, varia deſiderantium, de quo *Roder. à Caſtro in med. Politic. l. 4. c. 1. p.* 214. Verùm norunt Chriſtiani veri, quòd pro temporalibus bonis impetrandis ſpes & confidentia noſtra non ſimpliciter ita defixa debeat eſſe in precibus, expectatione, & intentione noſtra; cùm conditionaliter potiùs nos deceat petere dicta temporalia bona. Notum verò eſt, qualem aut quantam fiduciam requirant Tilſemarum artifices, partim pro ſtructura Tilſemarum, partim pro effectu expectando ab iis geſtandis, niſi quis fine ſuo velit fruſtrari, & à ſpe ſua dejici. Veluti de eodem ſcripta ejusmodi evolvi poſſunt, ut & ea quæ in præcedentibus de confidentia erga iſtas res monuimus *p.* 522. Certum quippe eſt, quòd varia abſona antipathiæ & ſympathiæ negotia (magiæ licitæ titulô vel peplô ſæpe veſtita) uti & ipſa veneficia vel incantationes non ſemper procedant, vel finem ſuum ex-

pectatum consequantur, nisi firma usurpantis confidentia istis succurrat. Quæ causa alia verò, vel architectus sub hujuscemodi actionibus sæpe lateat, sedulò perpendendum esse, id à nobis crebriùs monitum fuit hucusq;. Ut ex multis pauca huc iterum traham, solent quipiam quærere, cur mercuriales vel metalliscopicæ virgulæ non in cujusvis plebeji, vel minùs creduli manu indicent tremulô suô motu nota illa, quæ desiderantur; & cur metallarii solùm periti sint atque felices in illa arte vel negotio. Ratio hujus sine dubio non raró requiescit in diffidentia &c. licet fautores illarum rerum raró prætextu aliô quopiam vel rationibus fictitiis destituantur, quod omne tamen collimare videtur eò, ne dictæ virgulæ sua vis naturalis prætensa & autoritas decedat. Sic quando quæritur, cur non omnes homines æque apti sint ad magicas actiones absolvendas, prætendunt hujus doctrinæ patroni, quòd felices ad hoc negotium nasci debeant sub certa constellatione. Sed vereor, ne Satanæ mancipia atque corcula sint sæpe, quibus tanta felicitas & eminentia præ aliis in dictis actionibus concessa est; iterum itaque colligo, quod iis, qui diffident circa dictas actiones, non ita promptè successus ex illis emergant. Sic solet Satanas clanculum & palam sæpe ejusmodi confidentiâ requisitâ sibi devincere perversos homines, ne postea facilè eluctentur, vel exsiliant ex suo hamo, & ungvibus rapacibus. De confidentia sagarum alioquin requisita ad illicitas curationes benè agit *Mich. Freudius* in Gewissens-Fragen von der Zauberey *qv.* 214. *p.* 435. Plebeji nostri Germani non raró etiam verba hæc medicamentis vel curationibus dubiis addunt: wer den Glauben darzu hat. De qua materia etiam alius nostri scrutinii locus plura communicat. De hac fiducia illicita non possum intacta præmittere verba *Johan. Heurnii in meth. ad prax. libro* 3. *cap.* 28. non ignorant, inquit, doctissimi quidam viri, cùm signaculis & carminibus curent, non inde dimanare vires, sed maximè ex persvasione. At ea persvasio à contemplatione operum Dei abducit, & fastidire discit creatas ab omnipotente Deo vires, adscribitque potentias rebus, quæ his inditæ non sunt à summo numine, natura, nec

arte,

arte. Quare his facilè miscet suum virus mendacii auctor: paulo post ea pergit idem ille citatus: religiosam medicinam vult Deus,& se in ea agnosci & coli cupit sic *Langius lib. 3. Epist. med. 6. p. 1047.* dicit, quòd qui res ejusmodi usurpat, cum blasphemia illas observet & adoret. Porrò concidit autoritas, uti verborum omnium, ita etiam lingvæ sanctæ, seu Hebraicæ propterea, quia nulla per se ipsis inest vis verbis; licet etiam Hebraica vel alia peregrina articulata & vera, nec fictitia vox vel verba recitentur, aut chartæ inscripta gestentur. A plurimis etiam qui gestant illa, non intelliguntur, atque sic Dei optimi maximi cultus neutiquam promovetur; sed potiùs profanatur, dum imperiti & plebeji multi verbis nudis appensis, vel aliô illicitô modô usurpatis, vires attribuunt. Plures exceptiones *Tilemanno* vix superesse credo, quam ut dicat (cum illo Latinæ lingvæ minimè gnaro, vel moniali, precationes Latinè conscriptas legente, vel alio iterum Latinæ lingvæ imperito aulico latinas preces ex libro recitante:) Deum omnes lingvas callere, adeoque par esse, sive periti, sivè imperiti aut ignari lingvæ cujuspiam eâ utantur. Dehinc suspecta est peregrinarum lingvarum usus penes imperitos: sic serpens in Paradiso ascititia lingvâ utens Protoplastorum deceptionem meditabatur, eosque proh dolor in tremendum, & sangvineis lacrymis deplorandum lapsum præcipites agebat. Interim de speciosa sacræ lingvæ, literarum & aliorum vocabulorum, juxta quorundam mentem, defensione, ac refutatione aliorum videantur quoque *Rod. à Castro med. Polit. l. 4. c. 3. p. 224. &c.* allegati apud *Schwimmerum curiosit. phys. p. 88. & Joh. Wierus de præstig. Dæmon. l. 5. c. 4. & 7.* aliisque in locis pluribus. Attingunt multi itidem hoc paulò inferius allegandi, qui de variorum superstitiosorum, & inprimis periammatum illicitorum refutatione agunt. Non facilè etiam sanctitatis specie vel divinis nominibus sibi palpum vendere quis permittat, veluti benè in hanc rem loquitur *Procopius Gazæus Sophista comment. in Leviticum.* Dictus autor verò defendentes isthæc, inducit loquentes hoc modo: invocant Zebaoth. Quid tum? impiè hoc faciunt. Nam illam appellatio-

 nem

nem non Deo sed Dæmonibus tribuunt, & plerumque illi Dæmoniaci usurpant nomina divina (quæ magna nomina vocant) dum ea imponunt Dæmonibus, quorum ambitioni serviunt.

Deinde suspectæ etiam sunt peregrinæ literæ, characteres, & verba, quia Dæmonis invocatio, aliaque dira sæpe in iis continentur, quæ Diabolus ipse quandoque docuit, atque adeò suô concursu & ope postea dignatur illa ac dirigit. *Joan. Rudolph. Camerarius syllog. memorabil. cent.* 8. *particula* 44. magos dicit propterea suas nugas, characteres & similia peregrinô idiomate vel obscurâ notâ docere vel tradere, quò majorem confidentiam istis concilient; quibus alioquin patefactis omne æstimium & efficacia decedit. *Plinius* quoque illud indicat, quod minorem fidem adhibeant homines iis, quæ intelligunt. Forsitan ideò etiam *Clemens Alexandrinus* scribit, preces vel ejusmodi actiones ex vocibus exoticis vel Barbaris conceptas esse efficaciores, de quo *Heraldus in Arnobium lib.* 1. Sæpe etiam ignota, & suspecta vocabula, mixobarbara, monstrosa, & horrisona sunt in suppellectili amuletorum, uti patet ex his (à nobis ante etiam expositis:) hax, pax, adimax &c. vel aliis similibus, quæ forsan rapax iste Erebi nycticorax suos clientes non rarò docet. Sanè hujusmodi impia non ex alphabeto naturæ, sed diri & miri Diaboli depromta sunt, adeoque omni nisu & risu improbanda & reprobanda sunt. Ducenda quoque huc reor verba celeberrimi *Reinesii ex Epistol.* 45. *p.* 382. multa, inquit, Latinis istis monstra verborum sunt, quæ lingua Barbara subinde admurmurat, magica carmina veterum hæreticorum Gnosticorum, quos Ægyptus & Syria primô, secundôque exclusit & fovit reliquias, & aniles vanitates Christianô indignas; quibus corrigendis quis sufficiat: quis exponendis horam dare velit? abominari & despuere talia satius est, & æternis tenebris damnare, quæ seculo spiritus tenebrarum invexit &c. Beatus *Jac. Thomasius in schediasmate histor.* 35. *p.* 26. de ejusmodi vocibus ita: Barbaræ inquit planeque profanæ voces, quales post Simonem quoque amaverunt ejus nepotuli (ut Jaldaboth, Abraxas, Prunicus, Caulacan) plenæ sunt talibus horum historiæ. Non licet alioquin etiam facilè mutare vel abolere absona & horrida vocabula ab amuleticis ejusmodi artificiis, veluti

luti *Zoroastres*, *Joh. Picus de Merandula in Position.* aliique hoc seriò inculcant. Licet quoque multi artifices talismanici, & morphistæ ipsimet hodie non intelligant, quid significent variæ voces obscuræ, characteres & figuræ, Satanas tamen, primus illorum autor facilè novit isthæc à se docta, vel quâ intentione à suis asseclis primum efficta sint; nequaquam verò in divinum cultum ista collimant. Merentur etiam huc trahi pro majori luce asserti nostri verba *J. Th. Freigii l.* 18. *Phys. p.* 412. omnes, ait, figuræ magis sunt occultè initi cum Dæmonibus pacti, quam causæ ad effectum naturaliter concurrentis. Sicut enim imaginibus necromanticis Angelorum, seu potiùs Dæmonum inscriptio, & aliorum nominum ac characterum ignotorum, & diversarum suffimigationum & invocationum usus, signa sunt manifesti pacti cum Dæmonibus &c. *Andr. Laurentius operum tr. de mira strumarum sanatione c.* 6. *p.* 13. *&c.* de variis dictis ejusmodi Barbaris & aliis vocibus, carminibus, cantu, schedulis ac magicis rebus agens, similiter mentem suam aliquoties exponit in modum dictum, atque inter alia hæc prodit illic: quæsitum est, inquit, olim à Porphyrio, cur sacerdotes uterentur plerumque nominibus nihil significantibus. Respondet Jamblicus, verba hæc incognita, suas apud Deum, & Dæmones habere notiones &c. De lingva in Satanæ Academia usitata suggeret plura *Mindereri Threnodia medica.* Quis non suspicetur etiam Dæmonem verba ignota, characteres & figuras cultum suum concernentes, ideò inculcare, quò sanctitas amplior confidentia, & æstimium majus erga istas extorqueatur imperitis, simplicibus & impiis. In hunc modum ferè de Barbaris & insolentibus vocabulis loquitur etiam *Gabr. Naudæus de studio militari l.* 1. *p.* 433. Eandem penè sententiam quoque fovet ac depromit de ceremoniiis, circa helleborũ colligendum, olim injunctis, atque usitatis & à *Plinio* annotatis *Franc. Redi experiment. natural. p.* 59. ineptiæ, inquit, quibus fidem adhibuerunt antiqui, vel quas eum in finem fortassis scripserunt, ut autoritatem & venerationem illius herbæ sartam tectam conservarent. Sed claudimus, de his obscuris, sermonem nostrum verbis illis *Plinii* 28. 8. *&* 29, 3. dum scribit: Magi solertes sunt in fraudibus suis tegendis.

Quod verò concernit *B. Lutherum* paulò ante à *Tilemanno* malè citatum, ille vocibus, vel dictis istis (si hæc parietibus vel januis adscribi voluit) vix nudis iis vim pellendi Dæmones attribuit, sed potiùs fidem, ex iterata recordatione dicti illius Biblici, voluit resuscitatam; veluti reminiscentiam etiam ejusmodi beneficiorum, miraculorum, ac legis divinæ Deus inculcat *Deuteron. 6. v. 6. &c.* Eâdem ratione verba illa primæ promissionis contra Satanæ tentationes aliquando juvasse metallorum fossorem Freibergæ memorant historiæ. Virum hunc verò non adeò verba nuda, quàm pondus verborum, & devotam ipsorum considerationem, atque in fide fundatam applicationem adjuvasse credendum est. Sic *Phil. Camerarius hor. succis. cent. 3. cap. 28 p. 99.* dum de illicitorum amuletorum & Evangelii Johannis, ad collum à quibusdam suspensi, abusu loquitur: quasi, inquit, verba chartis inscripta *ἀλεξίκακα* sint, & adversus noxia præstent auxilium; & non potiùs Deus seu verbum in corde, cum vera invocatione & fiducia in Deum, positum atq; conservatum. Pluries olim & etiamnum hodiè quibusdam piis hominibus ex usu est, ut crebræ recordationis ac piæ meditationis, vel boni scopi ergò verba salutaria, & commemoratione digna certis locis & oculis expositis inscribere soleant; quis verò verbis his & literis nudis, extra usum legitimum, & applicationem licitam efficaciam faciiè tribuat. Sic constat ex *Nicephoro lib. 17. c. 3. & Evagrio libro 4. c. 5.* quod Antiochiam olim terræ motus crebrò invaserint ac devastarint; unde quivis civium aliquando, monente quapiam divinâ revelatione (ceu referunt illi autores) vel oraculô foribus suis nomen Christi inscribens mala illa antevertit. Præcepisse etiam oraculum volunt quidam, ut verba hæc inscriberentur foribus: Christus nobiscum est, state: Veluti hæc allegat *Henric. Eckstormius in histor. terræ motuum pag. 122.* Possemus quoque his accensere dona patrinorum, quæ pro commemoratione sacri baptismatis quidam collo gestare solent. Sic anulis sponsalitiis etiam subinde literæ initiales certorum quorundam verborum memorabilium, aut rhitmorum insculptæ sunt, quò conjuges crebriùs reminiscantur mutuæ suæ fidei, atque amoris perpetui. Quidni etiam contremiscat iste generis humani hostis ad paulò ante allegata

ver-

verba illa primæ promissionis divinæ, si ritè usurspentur; cùm iisdem obex ipsius potestati positus sit in Paradiso, nobis verò reserata sit illis æternæ salutis janua; Satanæ enim insimul dictis verbis indicata est regni ipsius destructio. Æquè igitur efficax est fides & applicatio firma contentorum in illis verbis, ac commemoratio vel recordatio fœderis Christianorum in baptismo sacro cum Christo, sanctaque Trinitate facti. De hoc notabilis prostat historia, dum Satanas invidiam contra prænomen in Baptismo acquisitum ostendit directam: noluit enim illud in obsessi, vel Dæmoniaci cujuspiam juvenis indusio insutum filô sericô, & quidem quoad literas initiales, tolerare truculentus iste hostis: id verò ideò factum constat, quia sacerdos quispiam fœdus baptismi crebrò in mentem revocavit obsesso illi, ductu scipsius prænominis, vel literæ initialis, quod mirificè torsit, atque anxium reddidit infensissimum Christiani cœtus hostem. Qui plura de memorabili hac historia appetit, consulat *Christ. Scriveri* verlohren und wieder gefundenes Schäfflein *in appendice* §. 26. Crebram salvifici verbi divini, & præceptorum Dei considerationem requirit etiam Deus in *Deuteronomii* loco paulò superius allegato: hoc verbum suum Deus ἀσύλευτον, quasi inseparabile amuletum corpori affixum, aut aliis locis impressum, sive inscriptum vult, ne obliviscamur facilè illius. Absit autem, ut quis verbum Dei ludicrô ausu loco amuleti medici pro variis malis abigendis adhibeat. Absit id etiam à fideli Dei ministro *Luthero*, quôd verbis illis primæ promissionis, ad mentem *Tilemanni*, adeò abusus fuerit. Non ignoravit enim ille *Theander* verum usum sacræ scripturæ, quemadmodum etiam salubria ipsius scripta sincerè ac decenter illum explanant. Consensit potiùs ille orthodoxæ religionis restaurator cum dicto loco *Deuteronomii & Proverbiorum* 3. v. 3. ac voluit, ut collo appenderemus dogmata sacra, & cordi nostro inscriberemus verbum Domini, quò veram sapientiam, & gratiam penes Deum ac homines nobis compararemus. Lucem ferè fœnerantur dicta hæc ex more priscis usitatô, de quo *Conrad. Dietericus in Antiquit. Biblic. f.* 722. idque ex *Ferdinando de Salazar* allegat: Olim, in-

inquit ille, in more positum fuit, ut quæ maximè cordi essent, in tabulis aut laminis aureis & argenteis exarata & incisa, ad pectus appenderentur &c. Hinc certè formulæ loquendi ejusmodi (attentionem vel studium indigitanter in memorāda salutaria) ortum inter alia traxisse possunt. Sicuti Germanis etiam aliàs frequentes hujusmodi locutiones sunt. Imò Deus præcipit Israëlitis *Numer.* 15. *v.* 38. ut notam quampiam ex panno, certâ ratione tincto, manicis affigerent, quò crebrô intuitu suorum præceptorum divinorum memores forent, nec adeò facilè peccata contra illa perpetrarent. In quam rem etiam videatur *Deuteronomii* 11. *v.* 18. *&c.* Subsequentia nostri scrutinii illorum porrò etiam mentionem facient, quæ astu quandoque commendata fuerunt, ut circumferrentur, ad declinandum varia mala; ubi postea bonus effectus sedulam potiùs curam & inspectionem, quàm vanum illud, amuleti loco commendatum, secutus est. Eandem ferè sententiam mecum fovet de illicitis ejusmodi alexicacis collo appensis, vel aliô modô indecenti usurpatis: scilicet imagunculis, characteribus, aut Evangeliô Johannnis (ubi verbum Dei potius in corde, cum vera invocatione, & fiducia in Deum reposita atque conservata præstare illum effectum dicit) *Camerarius* paulò ante citatus. De eodem, & quòd Judæi tropicum illum sensum sua in φυλακτήρια malè torserint, uti & quod Christus istiusmodi Judæorum tephyllim non gestarit, adstruit autoritate quorundam fretus Celeb. *Aug. Pfeifferus Antiquit. Ebraic. select. c.* 11. §. 3. *&* 4. *p.* 83. *&* 87. Non pigrabimur in hanc rem etiam allegare *Chrysostomum hom.* 43. *in Matthæum* : quidam sacerdotes, inquit, antiquam Evangelii partem scriptam circa collum portant. Sed dic sacerdos insipiens, nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur, & auditur ab omnibus, cui ergò in auribꝰ posita Evangelia non prosunt, quomodo hunc possunt circa collum suspensa servare? Deinde ubi est virtus Evangelii? in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in intellectu, ergò meliùs in corde posita prosunt, quàm circa collum suspensa. Cui plura lubet indagare de Evangelio S. Johannis, quòd amuleti loco ad collum suspensum sit olim frequenter, adeat

deat *Bonartium Commentar. in lib. Esther. c.3.v. 8. p. 289. & Baronium A. C.232. & 604.* aliosque non paucos. Notum præterea est, quòd Beatus *Lutherus* ejusmodi medendi rationem per verba, etiam Hebraica, characteres, & similia pentacula illicita alia, uti & abusum sacræ scripturæ, non semel in suis scriptis detestetur. Quid sentiat idem de voce Schemhamphoras, & quàm falsè explodat hujusmodi nugas, constat ex ipsius *operum tom. 8. Jenens. German. p. 109. 212. &c.* confer etiam ipsius *Tom. 2. Isleb.* super 1. *cap. Johannis fol.* 432. Sed in hac re perspicua nolumus esse prolixi; dixerimus penè propter ipsius innocentiam, quæ continentur in *Valer. Max.* 4. 7. quòd vani sit illud narrare, & stulti credere. Nisi fortè, in primis ipsius scriptis, ejusmodi quid Pontificiæ doctrinæ fermentum redolens contineatur. Quid mirum præterea, quòd ex boni illius viri scriptis ejusmodi irriti quid colligatur; cùm ex sacræ scripturæ locis quibusdam malè tortis verbi divini abusum similem demonstrare, & Christum aliosque varios sanctos Magiæ atque illicitis medendi ausibus studuisse quidam insimulent; quod tamen diluent sequentia nostra. De aliis pluribus talismodi dictis ex sacra Script. petitis, quæ quoad sensum præcipiunt verbi divini suspensionem, vel alligationem, quomodo orthodoxè exponi & accipi debeant, agit *Jul. Reichelius de amuletis pag.* 25. quo in loco etiam juxta multorum rectè sentientium effatum ejusmodi ausus illiciti damnantur. Jungi quoque his meretur *Matthias Zimmermannus in Amœnitat. histor. Eccles. p. 609. &c.* & *Joh. Mich. Dilberrus cantic. cantic.* ubi multa etiam mysticè, in modum dictum explicat, quæ juxta canticum illud sponsa collo, pectori atque uberibus appendisse dicitur. In præcedentibus itidem attigimus nos hanc materiam quadantenus, quòd commemoratio crebra indicetur sæpe per monilia, armillas, annulos aliasve res similes, quæ collo aliisve partibus gestandæ appenduntur & affiguntur. Constat quippe quòd hujusmodi res ante oculos versantes nobis citiùs in memoriam illa revocent, quæ nobis alioquin curæ, cordique sunt, & quorum crebro recordari volumus. Adde sis etiam in hanc rem *Gregor. Michaelem in notis ad Gaffarelli curiositat. inaudit. pag.* 294.

Delectantur equidem Pontificii mirificè abusu sacræ scripturæ, & pentaculis sacri quid olentibus; verùm quibus purior Evangelii lux affulsit, & mentem fulcit, meritò ab iisdem abhorrent. Qui plura rescire cupit de iniquô modô medendi, verbis sacræ scripturæ, vel literis Hebraicæ lingvæ institutô, reperiet istum dissvadere *Heurnium Meth. med. ad prax. l. 3. c. 28. p. 404. Andr. Laurentium in oper. tr. de mira strumarum sanatione c. 6. p. 13. Sennertum in prax. lib. 6. p. 427. & 446. Psfulium de magia p. 103. Hieron. Jordanum de divino in morbis c. 52. p. 183. &c.* Exc. *Joh. Dan. Majorem* (cujus varia scripta edenda, & ab eodem alicubi promissa, magnô desiderio expecto) *Epist. ad Sturmium* §. 36. 37. 38. 39. *&c. Mich. Freudium* in Gewissens-Fragen 218. von der Zauberey *pag.* 440. *&c. El. Henr. Henckelium de Energumen. pag.* 202. *&c. Freitagium de melancholia hypochondriaca pag.* 205. *Casparum Peucerum de divinatien. pag.* 161. Exc. *Frommanum diss. de fascino p.* 126. 129. *&* 131. Cum quo autore miror cur Bibliothecæ celebres deflagrent, cùm tot libri Hebraicè conscripti in iis prostent; Judæi verò incendia cohibere tentent paucis literis, vel verbis Hebraicis. Varia itidem ejusmodi, sancti quid ostendentia, observantur collo appensa apud Pontificios: scilicet agni Dei effigies, Evangelia, Psalmi Davidis, & alia scripturæ sacræ dicta, reliquiæ Sanctorum &c. Constat quoque quanti faciant iidem aquam lustralem, oleum, salem, candelam ceream consecratam, monachorum sanctum habitum, cucullum, imagines varias &c. quæ instar amuletorum, ex Dei beneficentia operari statuit, eorumque usum ex aliorum sententia defendere conatur inter alios etiam *Delrio disquisition. mag. tom. 1. l. 1. c. 4. qu. 4.* Verùm multa ibidem adducta, contra ipsius defensionem dictam pugnant, uti facilè quis illic deprehendere potest: Hinc subsumo eum autorem, propter illarum rerum communem autoritatem, & usum Pontificiis familiarem, nolle penitùs doctrinam hanc deserere; animus verò ipsius alioquin non parum in saniorem sententiam inclinare videtur, de quo etiam citatus autor consuli potest *l. 4. quæst. 3. p.* 40. *&c.* Paulò liberiùs itidem taxat usum verborum & characterum, exteriùs corpori bonâ fide ve credulitate olim inter Pontificios

tificios frequentem observatum *Maxim. Sandaus in Theologia med.* *l. 3. p. 39.* Impugnat verò isthæc dicta, & legitimum sacrorum textuum ac verborum usum docet ac injungit *Joh. Wierus de præstigiis Dæmon. l. 5. c. 9. p. 570. &c.* Nolumus prolixitati hoc loco studere, eosque anxiè conquirere, & allegare, qui istiusmodi res varias inter Pontificios pro morbis sanandis commendant. Nos potius, sacræ scripturæ canonem sequentes, ista aversamur ac detestamur. De non nullis hujusmodi medicationibus vel nugis papisticis, & quòd istæ à protestantibus Theologis rectè rejiciantur, scilicet à *Riveto T. 1. Cathol. orthodox. tr. 2. quæst. 31. & D. Dannhauero in præfat. dramat.* de istis, inquam, agit fulgentissimum Ecclesiæ nostræ Evangelicæ (etiam post mortem) sidus, nimirum *D. Mart. Geierus disput. de conformitate Judæo-Papistica, in locis de Deo, angelis, & homine Lipsiæ habita* 1661. Contra easdem res prostant itidem quædam in *Sennerti prax. lib. 6. & de consf. c. 18. p. 334. & 346. in Hieron. Bardii medico Politic. catholic. Johan. Mich. Freudi l. c.* Rectè etiam, contra genium plurimorum Papicolarum, superstitiosa ejusmodi usitata rejicit *Kircherus de peste p. 289. & 331. in suo Oedipo, & aliis locis.* Consuli itidem possunt ex nostratibus Theologis, qui de reliquiis sanctorum eorumque abusu dicto in specie agunt; quemadmodum etiam *dissertationem Theologicam de cultu reliquiarum habuit Lic. Thom. Stegerus Lipsiæ Anno* 1668.

Imò redegit eò quosdam temeritas, ut Christum, Apostolos, aliosque viros sanctos (longè aliis tamen, & altioribus privilegiis dotatos) imitari ausi, verbisque illorum æquè, ac illi, morbos curare conati sint. In quos tamen (à Diabolo, Dei simia, in illa peritia edoctos vel ad hanc instructos) invehitur meritò *Freitagius in noctlib. med. cap. 39. p.* 191. Ibidem etiam autor *p.* 193. indignabundus loquitur de abusu verborum vel dictorum sacræ scripturæ, pro morbis profligandis quibusdam frequenti. Quomodo verò sanctorum virorum verba quondam operata sint, quorum efficacium in sacris passim fit mentio; & quòd verbis non physica, sed supernaturalis & moralis sæpe insit vis, videatur Exc. *Frommanus dissp. de Fascino p. 116. &c.* Ex

propria itidem vi non habere potestatem verba, sed vel à Deo, vel à Dæmone istam dependere, docent annotata apud *Caspar. Bravo disp. Apolog. f.* 1. *Resolut.* 17. *p.* 57. Alia plura innumera de sermone vel verbis, quæ iisdem peracta dicuntur, non attingemus; augetur enim præter spem amuletorum nostrum præsens scrutinium. Exclamamus itaque interea de his: abeat litera, quæ mortificat; nobis potiùs cordi erit spiritus, qui vivificat, si certo respectu hîc licet applicare locum illum 2. *ad Corinth.* 3. *v.* 6.

Dispiciemus ac differemus adhuc paulisper de anili ac superstitiosa benedictione vulgò usitata, cui etiamnum hodie indulgent multi, veterum superstitiosorum vestigia legentes. Quando verò sermo vel laus occurrit de infantibus, vel pecoribus, aut plantis & segete, tenellis adhuc iis & in vigore suo constitutis, arbitrantur multi communiter *γοητείαν*, vel fascinum in illa potestatem habere, nisi certa benedictionis verba præmittantur, vel annectantur iisdem loco amuleti cujusdam. Germanis enim plebejis frequenter in ore sunt hæc verba: Gott gebe es ihm zu gute/ daß ichs zur guten Stunde rede/ daß ichs nicht beruffe/ beschreye/ Christ- oder Gott segne und behüte es 2c. Cui plura de ejusmodi benedictione arrident, evolvat *Deusingii dissertat. fasciculum diss.* 1. §. 22. *Tandleri dissert. p.* 278. & 279. *Sennerti prax. l.* 6. *p.* 377. Exc. *Christ. Frommani dispp. de Fascino p.* 63. &c. *Joh. Nicol. Werneri corpuscul. philol. c.* 10. *g.* 87. &c. *Ursini Analect. sacr. l.* 3. *Analect.* 28. *p.* 201. *Roderici à castro med. Polit. lib.* 4. *c.* 1. *p.* 207. & *Hornii histor. nat. l.* 3. *c.* 13. *p.* 183. Veteribus inter alia & Latinis, inprimis quoque vox *Præfiscini* (quam Græci per *ἀβασκάντως* &c. exprimunt) usitata fuit, loco verborum Germanorum modò adductorum; de qua voce & aliis formulis variis, laudibus rerum præmissis, & quidem pro fascino vel invidia avertenda, de his inquam plura suppeditabunt laudatus *Sennertus prax. lib.* 6. *c.* 1. *Rod. à Castro med. polit. Frommannus l. c. p.* 52. & 59. &c. *Eryc. Puteanus l. genial. serm. p.* 68. *Codronchius de morbis venefic. Pancirollus memorabil. part.* 2. *l.* 4. *p.* 270. *Thom. Jordanus de divino in morbis c.* 13. *p.* 53. Exc. *Joach. Fellerus in notis ad Petr. Lotichii Eclog. pag.* 88. *Frendius* in Gewissens-Fragen von der Zauberey

quæst.

quæst. 194. *n.* 9. In qua, & in *quæstione* 229. *pag.* 453. de hujusmodi benedictione, & verbis pro morborum curatione malè adhibitis autor plura exhibet. De voce verò *Præfiscini* plura ex Lexicographis Latinis & quidem in hujus titulo, aliisque autoribus peti possunt. Vocem illam autem attingens laudatus *Fellerus*, arbitratur etiam carmina Fescennina (id est obscœna, lasciva & mollitie diffluentia) vel ab urbe Fescennia, unde allata, vel quòd fascinum putentur avertere, dicta esse; & eadem præterea nupta vel prætextata etiam appellata, atque in nuptiis fusa fuisse in scopum illum, idem autor suspicatur. Quæ exposita etiam est mens *Rosini in Antiquit. Roman. cum notis Demsteri p.963.* & *Joh. Phil. Pfeifferi in antiquitat. Græcis gentilib. lib.4. c.15. p.639.* Ponderent verò Christiani, utrum non superstitio & profanatio nominis divini insit in istiusmodi paulò ante adducta benedictione, anili utplurimùm; non enim devotio, nominis divini seria invocatio, vel votum legitimum & attentum paulò ante adductis verbis Germanicis sæpissimè junctum est; sed consvetudini obtemperantes homines plebeji, verba illa sine attentione recitant, ut modò dictæ consuetudini & canoni anili satisfaciant, aut suspicionem malevoli & malefici à se declinent. Imò invaluit mos penes quasdam mulieres, vetulas, & plebejos, ut sordita verba tacitè reponant, si quis ad laudem vel sermonem prolatum de tenellis infantibus, brutis, aut plantis obliviscatur illius amuleticæ formulæ, nec annectat ejusmodi benedictinis verba. De his & aliarum nationum formulis, gestibus ac ceremoniis vulgò contra fascinum usitatis videatur iterum citatus Exc. *Frommannus l. a. p. 63. &c.* Tanta autem est vulgi & consvetudinis observantia, ut hujusmodi rebus nemò facile obloqui audeat, vel debeat. Priusquam verò hæc de mulieribus adducta deseramus, cùm videamus verbô divinô illas personas, & plebejos communiter abuti passim (quibus nimirum suos illicitos ausus sæpe palliant) non possumus non verba allegare in Latinam ex Græca lingva versa & quidem ex *Chrysostomo* in fine *homil.* 21. *ad Pop. Antioch.* non ligaturas tantùm, inquit, sed etiam excantamenta tibi circumducis, vetulas ebrias & titubantes

domum ducens. Nec confunderis, nec erubescis, post tantam ad hæc trepidans disciplinam; & gravius est errore, quando hæc admonemus, & dissuademus, putantes se excusari, dicunt, quòd Christiana est mulier hæc excantans, & nihil aliud loquitur, quàm Dei nomine ad contumeliam utitur: quòd se dicens esse Christianam, Gentilium opera facit: etenim & Dæmones Dei nomen fatebantur, sed tamen erant Dæmones, & ita Christo dicebant *Marci* 1 v. 14. Scimus te, qui sis, sanctus Dei: & tamen ipsos increpavit & ejecit &c. hactenus *Chrysostomus*. Nihil etiam juvabit aliquando impios, licet sanctissimos se reputari velint, quando quærent; Domine nonne in tuo nomine miracula effecimus, Dæmonia ejecimus &c. sed responsio atque judicium de iis, tacentibus etiam nobis, jam notum est.

Non paucæ etiam actiones aliæ similes amuleticæ priscis in usu fuerunt, inter quos itidem hoc adhuc addo, quòd quidam, dum ominosum atque periculosum quid sibi futurum audiunt, retorsione quapiam amuleticâ quasi utuntur inquientes: εἰς κεφαλήν σου, es komm, oder ergehe über deinen Kopff oder Halß, de quo videatur *Pontanus Bellar. Attic, p.* 547. §. 3. & alii. Sic retulit mihi fide digna persona, quod anicula quæpiam canonem illum mente fovens aliquando corvi suo tecto insidentis invisam crocitationem audiverit, quod malum omen antevertere conata est his verbis: Schreye über deinen Halß und meinen besten Hahn, unde factum, ut paulo post sine aliqua violentia nota gallus gallinaceus illius mulieris exanimis in fimo reperiretur. Proh! cui non hic fit suspectus Dæmonis astus & actus vocis in distans agens. Noto hoc loco, quod sub istiusmodi auspicio Satanæ sæpe fraus, & truculentia etiam ipsius lateat: qui nimirum titulo suo satisfaciens, quatenus perditor vel homicida à mundi primordio dicitur, inhiat cædi; etiamsi interdum ignobiliorem creaturam vel prædam tantummodò aufferat. Similis huic negotio est species, vel conditio quæpiam transplantationis morborum, vel magorum aut sagarum intentio, quâ sanantes quempiam, alium interimunt, vel morbum sublatum ab aliis inferunt hominibus aliis, aut saltem brutis vel ignobili magis creaturæ. Ex hoc

ungve

ungue, quis non leonem istum infernalem cognoscet? Videatur verò, si placet, de isto negotio *Mich. Freudius l. c. quæst.* III. Plura etiam similia nostri scrutinii alia loca asservant.

Quia Ethnici etiam ac veteres nostri admodum timuerunt incantationem variis ausis iidem sunt usi contra eandem; veluti periammata contra fascinum in præcedentibus adduximus, & infinita pene alia passim occurrunt, licet exiguum applausum plurima mereantur. Adduximus autem hactenus amuleta in verbis à quibusdam quæsita vel deposita; lubet præterea nobis alia adhuc ventilare, quæ in gestibus vel ceremoniis quibusdam consistunt, & à nobis pariter non approbantur. Pro infringendo fascino autem olim ter in sinum solebant exspuere, de quo *Theocriti Idyll.* 6. *v.* 40. De illo actu medendi contra fascinationem, uti & maniacos aut epilepticos obviam venientes, aut etiam de lapidibus tribus trans viam missis, pro malis quibusdam putatitiis & futuris avertendis videatur *Joh. Phil. Pfeifferus in Antiquitatibus Græcis Gentilibus p.* 174. De terno despuendi actu addatur etiam *Virgilius in Ciri v.* 369. *&c.* Terni alioquin numeri pro magicis actionibus usitati mentio quoque fit apud *Virgil. Eclog.* 8. *v.* 73. *&c.* aliisque in locis, uti & apud alios autores plures; jungi hoc de numero his etiam potest alius nostri scrutinii locus. Quidam itidem medium digitum ostendunt, idque in Hispania adhuc dicitur fieri, & Fica appellatur hic illudendi actus, de quo *Eryc. Puteanus l. c. p.* 70. Sic quod salivam jejuni hominis quoque olim frequenter adhibuerint pro avertendis fascinis constat ex *Plinii l.* 14. *c.* 4. aliisque pluribus autoribus. De artificiis autem istiusmodi prioribus *Persius Satyr.* 2. *v.* 31. ita canit:

Ecce avia aut metuens divum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digitô & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

Dicitur autem infamis digitus medius, quia cæteris depressis ille extendi solet in Cinædorum & mollium notam sive ignominiam; atque sic simul penis forma efformatur, vel indicatur; de quo *Farnabius in notis ad locum allegatum Persii.* Sed de hac materia in

in variis locis nostri scrutinii directè atque indirectè mentio inseritur, ubi de Fascino Deo, phallo atque hujus usus & origine nostra meditationes communicavimus.

Proh! quantus etiam abusus signi crucis occurrit in rebus vel actionibus medicis & amuleticis. Juxta *Augustini* monitum quidem crucem Christi in mente circumferre debemus; aut sicut sacra pagina illud exprimit: Christum crucifixum semper in mente tenere debemus, vel crebrò illius ac meritorum ipsius recordari nos decet. Meritò itaque suspecta nobis sunt, bona alioquin existentia periammata, quæ à superstitiosis inditam aut additam crucis notam vel formam ostendunt. Stupendi equidem effectus sæpe tribuuntur signo crucis, modò ficto, picto, vel alio variô modô facto aut usurpato; verùm rectiùs cultus, honor, & omnis potestas ac efficacia signato, scilicet Christo crucifixo meritisque ipsius, quàm signo ipsius nudo, videlicet cruci, tribuenda foret. Atque eatenus crucis usum licitè contra veneficia inter alia usurpari ex Patribus declarat *Lev. Fischerus in corpore med. imper. l. 12. p. 223. &c.* Cùm ergò crucis abusus adeò frequens atque enormis sit, indulgebo adhuc speculationibus nonnullis de eodem occupatis, quæ tamen nostræ doctrinæ amuletorum dilucidandæ simul inservient. Referunt quippe historiæ, quòd crucis forma quondam vexillis impressa fuerit, circa quam verba sequentia scripta fuerunt: *in hoc signo vinces*; scilicet in Christo, quem signat vel significat crux ista; atque istius modi vexillis usus esse dicitur *Constantinus Magnus* Christianus recens factus contra hostes pugnans; signum autem ejusmodi dictum priùs Imperatori illi comparuisse, & verba ista ab eodem audita fuisse, referunt autores. De signato nummo Constantini vid. *pag. 9. Antiquit. Augustin. dial. 1. & Kormannus de miracul. vivor. pag. 294.* Nolumus hoc loco illud prolixè ventilare, utrum Græcis (ἐν τούτῳ νίκα) vel Latinis verbis paulo ante relatis sensus ille expressus fuerit; aut qualis extiterit figura, quæ Constantino magno apparuerit; nec erimus soliciti de utroque, an oculis & auribus verè ista, vel in somno menti fuerint impressa. De his autem fusius disquirunt *Eusebius in vita Const. M. lib. 2. c. 22. 24. & 31. Rivetus Cathol. orthod.*

orthod. tom. 1. tr. 2. c. 2. quaest. 19. pag. 437. & Michaëlis in not. ad Gaffarelli curiosit. inaudit. p. 19. & 20. uti & nostri temporis non incelebris Historicus *Casp. Sagittarius de Jannis veter. pag. 197. &c.* & *Joh. Henr. Ursinus Acerr. philol. p.* 51. De conditione hujus historiæ verò à quibusdam in dubium vocatæ benè agit Dominus Mag. *Joh. Reiskius in programmate scholastico, Constantini Imperatoris Historia vindicias continonte, atque edito Gwelferbyti* 1681. Adde sis etiam dissertationem (nostræ Jenens. Academiæ hodie Prorect. Magnif.) *Jo. Andr. Schmidii & Neovin. de duobus phænomenis lunæ in cruce, & meteoro ignito Jenæ habit.* 1682. Benè aliàs etiam de signo illo crucis, quod illud constituerit litera Græcorum Chi, cui litera major Ro in medio inserta fuerit, & quando illud signum in cœlo priùs apparuerit Imperatori illi, ut & quomodo postmodum hoc in labara, gladios aliaque instrumenta bellica impressum, illaque consuetudo & usus propagatus sit, agit *Henr. Kornmannus de mirac. vivor. p.* 294. *& Jac. Colius syntagmat. herbar. encomiastico p. 68. &c.* Agitur etiam in loco proximè dicto de abusu signi crucis in aëre solùm signati, quòd hominem beare, & à Cacodæmone liberare alioquin credatur. De eodem ferè, quòd olim bonâ intentione variis instrumentis bellicis, & aliis utensilibus crucis signum fuerit impressum, prolixè atque eruditè disserit *Theodor. Höpingius de insignium jure* variis in locis, quæ index ostendet.

De his modò memoratis, & quod olim variô modô usurpaverint illud signum crucis, uti & quòd stavrolatria ejusmodî taxanda multis etiamnum, & quidem Pontificiis inprimis usitata sit; item quod crux picta fuerit primitùs, non ut adoraretur, sed ut adorandum in ea memoriæ subjiceret, de his inquam bene agit Exc. *Joach. Fellerus in notis ad Eclogam Petr. Lotichii pag. 99. &c.* cui adde Exc. *Joh. Daniel. Majoris tr. de nummis Græcè inscriptis p. 20. &c.* Ex prioribus inter alia colligere licet, quod benè cogitata malè non rarò cedant; vix etiam in ulla re major superstitio occurrit, quàm in usu crucis, uti quotidiana experientia docet; & quod majus, inter eos etiam, de quibus cautio ac prudentia major speranda vel præsumenda foret. Benè pariter in-

ter alios de abusu crucis taxato agit acerrimus hostis superstitiosarum rerum & actionum, videlicet, *Joh. Prætorius* vom Diebsdaumen *p.* 121.&c. ubi etiam ex *Schwimmero* adducit opinionem de signo crucis, quô variæ res olim signatæ fuerunt, quòd scilicet illud etiam fuerit decimarum indicium, hocque postea pro crucis signo reputatum sit. Docet quoque autor ibidem legitimum usum crucis, & ostendit, quòd dictus abusus signationis crucis cumprimis frequens etiam sit cunarum & gravidarum simplicibus (sciolis tamen, & pertinacibus) curatricibus uti & à consiliis muliebribus existentibus. Varia item de signo crucis, quod *Constantino Magno apparuit*, uti & de typo vel figura illa varia, quâ crux indicetur, nec non quòd hujusmodi signa ante Christi adventum apud Ethnicos, atque Ægyptios inprimis frequenter signata vel usurpata sint, tradit *Joh. Baptist. Casalius de vet. sacr. Christian. ritibus c.* 1. Elegans alioquin etiam dialogus de crucis usu prostat in *Francisci* lustigen Schaubühne *volum.* 1. *dialog.* 1. *p.*192. Cæterùm de abusu crucis qui plura cupit indagare, adeat *Ursinum in Analect. sacr. l.* 1. *Anal.* 14. *p.*25. *Geierum de superstitione l. c. qv.*240. *n.*14. *Mich. Freudium l.c. qv.*240. *n.*14. aliosque plures autores.

Cautè tamen inter alia etiam circa crucis signum procedendum esse monemus, ne scilicet quis omnes istas ceremonias & actiones sanctas reputet, quibus crucis signatio admiscetur; veluti ii etiam homines nefarii non omnes Christo addicti sunt, qui nomen & signum crucis illius in ore gerunt, vel gestibus exercent. Diabolus enim & venefici quoque signô illô utuntur, minùs verò in salutem hominum, Deive gloriam, veluti quidem tolerabilis ipsius usus exigit. Constat quippe inter alia, quòd Tartari Anno Christi 1140. in prælio quopiam usi sint vexillô, in quo figura X. picta fuit; postquam autem vexillum illud vehementius quassit signifer, inde in adversariorum detrimentum nebula densissima ac fœdissima orta est, de quo allegata ex historic. Polon: *Cromero l.* 8. *tradit. Marc. Anton. Zimara in Trino Magico c.*12. Arbitrantur quidam etiam crucem AntiChristi signum esse, quòd membris & asseclis ipsius in certa

quaqiam

quapiam parte corporis impressum, vel signatum conspiciatur, aut schedulæ vel metallo inscriptum ab iis gestari debeat. Sicuti etiam Julianus Apostata nomen Christi literâ Græcorum Chi X. expresſit, de quibus *Johan. Adam. Weberus* in der Unterredungs-Kunst im 2. Theil *p. 609. &c.* Parvi quoque aliàs facit Satanas nudum signum crucis quoquô modo fictum, pictum, signatum, aut factum; nisi quis fide verâ & salvificâ erga Christum crucifixum, ejusque merito innixus firmiter istud ac decenter applicet, de quo historiam annotavit *Freudius* in Gewissens-Fragen von geist- und leiblicher Besitzung und Austreibung des bösen Geistes *qv. 35. p. 59.* Quemadmodum etiam *Beatus Lutherus in Postillis domesticis Dominicæ oculi concione* itidem in Pontificios invehitur, & ridet irritos illorum ausus pro Dæmone expellendo illis usitato, mediante videlicet cruce, lucernâ consecratâ, aquâ lustrali, aliisque præstigiis usitatis. Cacodæmonem autem non curare nudam crucem, innuit inter alia notus versiculus eum in finem annotatus:

Signa de signa temerè me tangis & angis.

Imò longè majus quid, iis hactenus dictis innotescit ex historiis, nimirum quòd immundus ille ac sceleratus Christi atque Christianorum hostis, interdum ad pietatem, Christique cultum & invocationem nominis Dei admonuerit infideles & impios, quibus tamen iste insidiatus est. Quâ verò intentione id fecerit, facilè ex aliis ipsius fraudibus & actionibus conjunctis colligi potuit: dum alia flagitiosa media vel adminicula istis dictis suis mancipiis unà subministravit, quibus illa invocatio & cultus svasus facilè impeditus aut cum deterioribus permutatus fuit. Notum autem est, quod seria invocatio nominis Jesu atque applicatio illius, mediante fide verâ facta, tremenda sæpe observata fuerit Dæmoni, atque obsessis ab eodem; sicuti etiam devota recordatio iterata, atque invocatio salvatoris Jesu Christi frequenter istum expulit ab obsessis; de quo locus instructionis atq; consolationis plenus annotatus prostat apud *Christ. Scriverium* im verlohrnen und wiedergefundenen Schäfflein.

Ut denuò verò id de crucis aliarumque ceremoniarum vel

 rerum

rerum sanctarum usu observandum inculcemus, sciendum est, Diabolum versipellem esse,& varias in formas se transformare; quemadmodum istum profundæ malitiæ spiritum,hominum alias perniciei mirifice intentum,exactè delineat *Hieron.Iordanus de divino in morbis c.8.p.30.* Tueatur verò Deus misericors omnes pios, ne à scelerato ac impudente isto hoste (incedente sæpe sub larva vel veste lucis Angeli) decipiantur atque miserè perdantur; quæ monita etiam optimus noster sospitor in sacra pagina pluries inculcat. Sic quòd Satanas alioquin non adeò terreatur figurâ nudâ crucis, elucet inter alia ex hoc: quod ipsemet iste cum suis mancipiis, & veneficis subinde hujus usum svadeat, veluti docet *Scriverius l. 4. §. 34. & 48. & in appendice ad concionis tertia §.56. & 57.* De variis signis crucis aliisque notis à Dæmone vel saga in fœminæ cujuspiam cute pictis, notabilem historiam legimus post *Sennerti Praxeos l.6. in appendice.* Innotuit itaque ex dictis, atque adhuc innotescet ex sequentibus, quod non crux solum, sed etiam res sanctissimæ profanationem atque abusum patiantur,eumque sæpe speciosô bonôque prætextu incrustatum vel inauratum. Miror verò non immeritò Satanæ temeritatem, & Dei optimi maximi clementiam ac permissionem, quando animadverto, & lego quòd dictus Diabolus divinis rebus & actionibus adeò frivolè sæpe se admisceat, iisque utatur vel abutatur potiùs; atque sic miseris suis mancipiis simplicibus atque credulis hominibus illudat, eosq; non satis cautos in sua retia non rarò cogat. Mirabitur quippe, qui lecturus est *Mich.Freudii l.c.priori qv.227.p.472.* & Maximè Reverendi *Georg. Mæbii tr. de oraculis Ethnicorum c.3.p.44.&c.* quàm bona scilicet moralia & dogmata, sacræ scripturæ conformia, dederit subinde Dæmon, & quomodo homines de essentia Dei & personis ejus, aliisque monitis necessariis, nec alioquin culpandis, instruxerit. Sospitator autem noster optimus Christus optimè hujus conscius,eundem pluries describit in sacris, atque nos dehortatur,ne ab ipso decipiamur *Luc.22.v.31. Matth.24.v.24.* Angelus lucis Dæmon etiam dicitur *2.Corinth.11.v.14.* cui loco jungatur etiam *Iobi 1,v.6.& 7.* In quam rem videri quoque potest

Cass.

Casp. Reies Camp. Elys. qv. 37. & 38. Iosephus Antiquit. l. 1. c. 5. & Mich. Freudius l. c qv. 18. n. 4. & qv. 29. Non ignotum etiam est, quòd Satan nitatur vel ipsos selectos seducere. Exstitit iste pariter spiritus & operator mendacii in ore pseudoprophetarũ *2. Reg. 2. v. 22. & Matth. 7.* In lapsum tremendum protoplastos nostros palpò præcipitavit. Ex adductis his, & cæteris adhuc adducendis, quis Satanæ tentatoris ac mendacii patris res non habeat suspectas? Etiãsi Apostoli redemtoris nostri Christi sæpe Dæmonia ejecerunt, sibique subjecta eadem habuerunt; attamen Salvator illis non simplici vice metuendos Satanæ astus ac tristes tentationes inculcat. Imò impudens, astuque potens iste tentator nec Christo (*Matth. 4. v. 5.*) nec Apostolis ipsius, auditu horrendis ac temerariis suis tentationibus, pepercit. Dæmon quoque subinde innocentes, & insontes invadit, eosque obsidet, ac miserè torquet. Sic novimus item, quod Simon Magus non procul sæpe ab Apostolis Christi fuerit remotus. Hæc si probè ventilamus, de cacodæmone facilè subsumere possumus, monita in sacris atque experientia crebrâ fundata scitu admodum nobis esse necessaria.

Non terreant vel seducant etiam quempiam facilè miracula quæcunque; cùm constet, quòd signa & prodigia etiam peccatores faciant, & quod iis clarus fiat Christianus, non autem sanctus, uti verba habent ad *Gennadi de Ecclesiasticis dogmatibus commentatoris Geverh. Elmenhorstii cap. 84. & 85. pag. 187.* Simiæ isti Dei Diabolo Deus quoq; permittit interdum miracula divina æmulari, & quidem per divini verbi abusum, variis modis institutum; veluti de hoc disserit Exc. *Ioh. Christianus Frommanus dispp. de fascino p. 129. §. 28.* Sic Christus etiam infideles eos, qui miracula in Christi nomine se effecisse ajunt aut gloriantur, non admittit vel agnoscit, uti clarum est ex *Matth. 7. v. 22.* Non ignotum præterea est, magos in suis incantationibus nomine Christi sæpe uti, veluti docet *Augustinus tr. 7. in Ioh.* & alii plures. Eosdem magos suæ nequitiæ non rarò nomen Dei Abrahami, Isaaci & Jacobi immiscuisse constat ex *Heraldi Animadv. ad Arnob. p. 40.* De angelorum nominibus ad similia negotia adhibitis fidem facit etiã *Elmenhorstius ad Arnob. p. 26.* Plura in hanc rem accumulare jam supersedeo.

Horror & stupor pariter me invasit subinde legentem, quòd Diabolus comparuerit sub persona & officio boni concionatoris, confessionariorum, Angelorum, S. Mariæ, Eliæ, Apostolorum, virorum sanctorum, & Christi ipsius; de quo *in vitis patrum, in Mattah. Zimmermanni Analect. Miscell. menstr. mense* 3. §. 7. *p.* 735. Item in *Mich. Freudii* Gewissens-Fragen von der Zauberey *quæst.* 28. *n.* 4. *p.* 50. In denen Trauer-Geschichten *à Zeilero in Germanicam lingvam vers. n.* 102. *Harstorfferi* Mordgeschichten 2. *p.* 83. *Lutheri scriptis & Balduini Commentario ad Epist. Pauli in* 2. *Corinth.* 11. *v.* 14. *qu.* 7. *p.* 548. Ex *Wiero* etiam recenset *Hier. Jordanus de divino in morbis cap.* 9. *p.* 33. quòd spectrum in templo & alibi vices personæ cujuspiam gesserit interea, dum illa cum Dæmone domi spurcissimè oblectavit. De Dæmone confessionarium agente videri etiam potest *M. Jac. Daniel. Ernesti* im historischen Bilderhause 2. Theil. De Satana, qui personæ alterius loco peccata confessus & cœnâ dominicâ usus est, certi reddimur in *Christiani Scriverii l. c. appendicis* §. 21. *&c.* Sic quod Cacodæmon etiam coram altari sub forma sacerdotis Cœnam Dominicam administrarit indicat *M. Joh. Winckl. in concione funebri M. Godfridi Andreæ, Superintendentis Bornensis impressa Altenburgi* 1670. *p. lit. H.* 2. Hactenus adducta verò nobis elicuit indignatio erga eos directa, qui verba Hebraica, dicta S. Scripturæ, crucis signum & alias res sanctas in morbis sanandis turpiter adhibent; ex quibus insimul innotescit, quòd sanctissimæ res subinde citra suum legitimum usum, etiam à Diabolo enormiter adhibeantur, & sic sub illorum specie stupenda quoque efficiantur; quæ omnes omnino homines cautos esse jubeant. In hanc rem apponimus his quoque monitum *Philippi Melanchtonis lib.* 2. *phys.* variis, inquit, modis grassatur Diabolus. Interdum velut ludens ostendit bona signa hominibus. Inserimus his insimul notæ vel moniti alicujus ergò verba *Jamblici*: Dii, inquit, & Angeli boni, non apparent phantasticô modô, sed propriô prorsus, & verò; Spiritus verò mali phantasticô, fallacique simulant Deorum præsentiam, Dæmonumque bonorum; ideoque cultorem suum jubent esse justum, ut ipsi videantur boni, sicut & Dii &c. Cùm itaque ex hactenus dictis

dictis Diaboli nequitia eluceat, quâ pios sæpe etiam, fallere ac seducere ausus, nec mutaturus est pellem aut naturam suam ante resolutionem universi hujus; quid non molietur inter filios suos infideles, & qui ipsius opem variô modô implorant, aut non reluctantur masculè ipsius technis & astutiæ, cum sanctis ceremoniis, officiis, & actionibus conjunctæ. O! ter quaterq; beatos, qui spiritus rectè probare norunt, ac sedulo cavent ne fallantur. Non possumus hoc loco abstinere adhuc semel à characterum luculentorum quorundam Satanæ alia recensione, quos consignavit *Augustinus De Civitate Dei* 21. Dæmones, ait, Spiritus nocendi cupidissimi, superbiâ tumidi, insidentiâ lividi, fallaciâ callidi. Proinde probè legendi illi, (horumque fundamentum & lapis Lydius, videlicet Sacra Scriptura) qui Spiritus probare docent.

Increpet Deus autem te, (incedentem impudenti magis specie) Dæmon, tuosque, quos instruis, variô aliô liciti & lepidi prætextu in variis ausibus medicis: Sic persvasum sibi quipiam habent, par esse in difficilibus rebus, & morbis gravibus, utrum à Deo, an verò à Diabolo auxilia petantur. Caveat proinde quivis, ne sua faciat verba vel mentem eâ ratione expressam, juxta illud notum apud *Virgilium Æneidos* 7.

Flectere si nequeo superos Acheronta movebo,

& juxta *Paracelsi* usitatam loquendi formulam: Will GOtt nicht helffen/ so helffe der Teuffel: de quo *Freudius l. c. qu.* 386. *p.* 685. Conantur quoque non nulli statuere cum *Paracelso* (minimè tamen celsi habendo in hac re) Diabolum quoque piorum imperio subjectum esse, eumque oportere iis remedia suppeditare, quæ sine conscientiæ læsione aut suspicione pacti usurpare isti possint. Innuit idem ille bonus autor, parum referre, an Angelus bonus vel malus, Sagæ, vel Diabolus ipse ferat opem, dummodo morbi depulsio fiat; Quemadmodum hunc autorem iterum statuere (in *lib. de occult. philos. & morb. caduco & lib. de orig. morborum invisib. pag.* 113. aliisque in locis allegatis) indicat *Herm. Conringius Hermet. medicin. l.* 2. *cap.* 4. *pag.* 215. *&c.* De *Paracelso* alioquin etiam scribit *Ramirezius* eum, suâ confessione, medicinam immediatè à Diabolo didicisse, & cum *Avicenna* in vestibulo inferni de auro potabili disputasse. Contra hunc verò

quid

quid moveat *Sennertus*, videatur in ipsius *prax. med. l. 6. p. 427. Mich. Freudius* in Gewissens-Fragen von der Zauberey *qu. 386. p. 684. &c.* aliique plures à nobis fortè aliquando allegandi. Absit itaque, ut *Paracelsi* hoc, & *Scoti* nos occœcet scotoma, qui *lib. 4. distinct.* statuit: superstitionis esse dicere, quòd maleficium superstitione non debeat depelli. Credat etiam Apella sententiam *Apulei in Apolog.* 1. qui criminosum non ducit omne id, quod salutis quærendæ gratia fit. Nos rectius ex sacris edoctos non latet, quòd mala non sint facienda, ut inde eveniant bona *ad Roman. 3. v. 8.* Sed apage: numquid non Deus est in Israël, ut eant iniqui ad Beelzebub, Deum Acharon juxta 4. *Reg. c. 1. v. 3.* Sedulò itaque fugiat omnis Christianus illicita à Sagis, Magis, Diabolo ipsiusque asseclis provenientia pendacula & remedia quæcunque, sive horridi & suspecti quid adjunctum habeant, sive etiam prætextum bonum præ se ferant. Impii enim, licet Christum in ore, tamen Diabolum in corde sæpe gerunt. Sed sufficiant hæc de materia proxime ventilata, cùm pluries in præcedentibus dissvaserimus infensissimi & capitalis generis humani hostis machinationes, quas variis medendi actionibus admiscere non rarò iste solet.

Nobis adhuc res est cum iis, qui melioris conditionis suam supellectilem characterum esse contendunt, si scilicet illi non sint absurdi, aut constent ex vocabulis vel literis Barbaris, & si non concernant Diabolum; sed si modò sint typi, vel imagines sculptæ, vel aliô modô formatæ, quæ referant res illas quibus prodesse vel obesse debent. Jam ante etiam aliquoties de hujusmodi sigillis egimus, *p. 497.* illaque ex metallis, gemmis, aut aliis rebus medicis colligi & præparari diximus. Conflarunt etiam vel composuerunt ista quidam sub certis constellationibus, certasque ceremonias addiderunt, & quas plures alias circumstantias in Talismanicis his actionibus vel artificiis observarunt. Innuimus etiam superiùs, quòd dicta hæc sigilla, Hebræis Theraphim, Græcis στοιχεῖα, Arabibus Talismat, Talisman &c. dicantur, de quibus, præter alios jam à nobis allegatos, evolvi etiam possunt *Scaliger l. 2. epist. 180. & l. 3. ep. 226. Delrio in Disquis. magic. 4. qu. 1.*

Rab.

Rab. AbenEsra & Rab. David. Kimchi in l. Radic. Defensio harum rerum, juxta quorundam autorum mentem, quoque prostat in *Colleg. curios. Parisiensi (in Germanic. lingv. verso) tom. 1. p. 461. &c.* Verbis speciosis illam doctrinam quoque tuetur, tanquam singularis patronus, *Paracelsus Archidox. l. 1. tom. 1*, aliisque in locis pluribus. Confer etiam, quæ *Goclenius tradit in synarthrosi magnet. apud Rattrayum theatr. sympath. pag. 265. 270. &c.* Nolumus verò denuò prolixam refutationem hujus supellectilis illicitæ, superstitiosæ & Magicæ, imò sæpè etiam Diabolicæ existentis repetere, cum pluries in præcedentibus de his egerimus. Abstinuimus alioquin intentè in scrutinio nostro à prolixa dictarum Tilsemarum tractatione & recensione, utpote quâ alioquin non exiguam illius partem adimplere potuissemus; indicavimus tamen sufficienter fortè loca, ex quibus harum uberior notitia & vituperium hauriri potest; denuo proinde tantùm allegamus evolvendum *Gaffarellum de curios. inaudit. & Jul. Reichelium* de amuletis, uti & *Rattrayum l. c.* qui variis in locis Tilsemarum mentionem faciunt, ansamque præbent plura in aliis autoribus de iisdem inquirendi.

Jam solùm suspectam illorum vetitorum periaptorum originem adhuc perpendemus, quæ itidem commonefaciet omnes, ut cautè circa istorum usum procedant. Docent v. autores, quòd doctrina illa Talismanica apud Gentiles, admodum superstitioni & Idololatriæ deditos, non parum exculta fuerit, de quo *Sennertus de consens. & dissens. chymic. p. 340.* Fatetur etiam *Gaffarellus l. c. p. 114* quod hujusmodi res apud orientales, scilicet Ægyptios, Persas, Chaldæos, & eorum vicinos, præcipuè ortum traxerint. Quanti verò æstimii sint iidem, præcipuè quoad Magicas & illicitas actiones, in *sectione 2. hujus capitis nostri scrutinii* declarabimus. Audiunt inter alios etiam harum rerum promotores, & patroni astrologi, atque chymici impii; quià dictis illis nationibus itidem primordia sua quadantenus traxisse videntur; hi quippe nimiũ suis artibus fidentes, & in superstitionem facilè inclinantes, non sunt pro autoribus optimis & omni exceptione majoribus reputandi.

Helmontius in Tumulo pestis p. 121. ejusmodi veritorum periaptorum propagationem monachis superstitiosis etiam tribuere videtur. Quòd verò Satanas, sævissimus generis humani hostis, ab initio mox in primis mortalibus, nimirum à Deo aversis Caini posteris, magicas artes seminaverit, ostendit *Nicol. Henelius in otio Uratislaviensi cap.* 31. *p.* 250. *&c.* Præterea *Heurnius in method. med. l.* 3. *c.* 28. *p.* 399. inventorem magiæ & Tilsemarum credit esse *Ptolomaeum.* Plurimi verò scriptores earundem autorem statuunt *Zoroastrem* apud Persas, de quo *Reinesius in var. lect. l.* 1. *c.* 2, *p.* 8. *Honderfius in promptuar. exempl. p.* 86. *Longinus in trino Magic. p.* 1. *Libavius in examin. philosoph. nov. p. m.* 25, & allegati in *Joh. Blomii Hexaimero pag.* 3. *&c. Arnoldus Montanus* in seiner Gesandschafft nach Japan *p.* 94. & designati in *Henr. Kippingii institution. physic. l.* 2. *c.* 7. *p.* 97. Arbitrantur etiam non nulli, quòd Zauberer dicatur quasi Zoberer vel Zoboraſtres, de quo citata quædam vide loca apud *Mich. Freudium l. c. qv.* 1. *n.* 5. *p.* 5. De pessimorum horum magicorum inventione & origine consulatur etiam *Ursinus in Analect. sacr. volum.* 1. *l.* 1. *Analecto* 15. *p.* 27. *& lib.* 8. *Anal.* 56. *p.* 425. *& volum.* 2. *l.* 2. *Analect.* 5. *p.* 48. Videatur etiam *Adamus à* Lebenawaldt von der Hebreer *Cabala p.* 11. *&c.* Qui v. plura de hoc Zoroastre, & hujus scriptis magicis cupit scire, & quòd *Persomedis* ipsius nomen fuerit ideò, quia Persarum magister, & magiæ inventor exstitit, evolvat *Johan. Gualteri Chronicon chronicorum l.* 2. *p.* 836. De iisdem & aliis adhuc *Zoroastrem* concernentibus agit itidem *Greg. Michaëlis in notis ad Gaffarelli curiosit. inaudit. p.* 191. *Theod. Jonsson. ab Almeloveen inventis nov. antiq. pag.* 43. *Mich. Freudius l. c. qv.* 9. & *Cunr. Dietericus in Antiquit. Biblicis p.* 130. Examinet etiam quivis verba sequentia, quæ de se ipso *Zoroastrem* scripsisse testatur *Clemens Alex. stromatum:* hæc conscripsi Zoroastres Armenii filius, genere Pamphylus, in bello mortuus, in inferno moratus, & à Diis institutus. De eodem inventore Zoroastre verò, & tremendo mortis genere, quô Diabolus istum affecit, aut igne interfecit, dum sc. (quia Deus haberi voluit) scintillas quasdam ex stellis producere & hominibus ostentare cœpit, agunt *Ph. Camerarius in hor. succis. centur.* 1. *c.* 70. *p.* 316.

p.316. & allegati in *Theodor. Zwingeri theatro vit. hum. vol. 3. pag. 298. & volum. 4. l. 2. p. 597.* Non pauca forsan etiam accedent alia illis, de Zoroastre prolixè consignatis, ex *Petri Lambecii historia literar. l.1. c.7. p.71. &c.* Imò integrum tractatum etiã de Zoroastre dicto edidit *Ursinus*, cujus titulus: *de magorum oraculis, quæ à Zoroastre prodierunt, Parisiis edit. Anno* 1595. Prostat etiam *Francisci Patricii dissertatio de Zoroastre Ferrar.* 1591. Allegata hæc loca si quis evolvet, ac revolvet, atque autorem illum accuratiùs cognoscet, vix magnô desideriô suspectorum pentaculorum tenebitur.

Non nullos equidem invasit hæc temeritas, impia persvasio atque credulitas, quòd scilicet parum referat, licet superstitionis quid subrepat illis periaptis, modò patientis confidentia, atque sic consequenter levamen comparetur. Hinc sequentem quæstionem ventilat *Trallianus l. 23. c. 17.* utrum medico rationali licitum sit, methodicâ cura ritè institutâ, credulis suis ægris amuletorum, characterum, & id genus aliarum ridicularum administrationum usum concedere; refert insimul illic autor plurimos esse curatos, cum viderint vel audierint, quorum desideriô flagrarint. Verùm quia cultus divinus in dictis rebus sæpe periclitatur, atque odium & indignationem nostram justam crebrò in præcedentibus erga istas declaravimus, nolumus his refutandis iterum diutius inhærere.

Non desunt alii etiam plures prætextus, quibus amuleta illicita sæpe defendi solent: sicuti *Magiæ* nomine alioquin multa ejusmodi suspecta atque impia in medicina tegi atque obtrudi solent crebrò. Sed vereor, ne plurima magica, sympathetica, & antipathica sint illicita, & incantamenta, eaque sæpe à Dæmonis doctrina, ope vel concursu non aliena; si nimirum accuratiùs à Christianè philosophantibus ritè examinentur; licet titulô & peplô vel fucô naturæ, liciti, atque veri sint expolita vel vestita. Benè etiam illud monet & injungit *Sennertus in præfat. tract. de consens. & dissens. chym. cum Aristot.* & *in tractatu illius c. 13. p. 224. &c.* Cum his jungi etiam meretur *Joan. Adam. Osiander de Magia*, & *Agrippa de vanitate scientiarum c. 41. &c.* Inprimis quoq; illic

attendi merentur capita de illicita magiâ agentia, uti & *cap*. 42. in quo tamen contenta definitio magiæ licitæ cum aliis indiciis simul de mente *Agrippa* testatur. De hoc autore quippe dici segrè potest, quòd iste sit in numero eorum,

Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.

Non possumus etiam hoc loco intacta prætermittere verba *Plinii l*. 3. *cap*. 1. notum est, ait, primùm in medicina Magiam, ac specie salutari irrepsisse, velut altiorem sanctioremque, quàm medicinam: ita blandissimis promissis addidisse vires religionis, ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus. Non indigna recensione itidem censemus alia verba huc facientia ex *Bernh. Swalvii disquisit. Therapeut. sect*. 1. *p*. 22. quidam, inquit, virtutes magneticas, ac sympathicas allegando, sortem veneficiorum evitare student. Qui quidem falluntur omnes, falluntque alios. Spiritus sanè hujus mundi virus suum specie naturalium actionum occultare solet. Iste itaq; angvis hac sub herba latitans cavendus est, Deus in tot medicamentorum exhibitione non fuit frustraneus. Liceat ergò cum Euphormione scapham dicere scapham; apage illa tot ac tanta. *Raym. Mindererus Threnod. c*. 12. *p*. 273. hunc in modum loquitur: medicina inquit, luget sub sympathiæ & Antipathiæ naturalis prætextu, quàm plurimas nugas venundari, idque pluribus hoc loco reticendis, illic autem adductis demonstrat. Ingemui sæpe, ubi in libros vel textus de Magia agentes incidi, ac deprehendi doctos, & Christianos huic doctrinæ plus justo indulgere, qui tamen ipsius conditionem legitimam & virus latens vix satis ad sacræ scripturæ amussim, & licitæ physicæ constitutionem decenter ac sufficienter examinant. *Hermannus Conringius de Hermet. med. lib*. 2. *c*. 4. *p*. 214. queritur etiam, quòd in remediis magicis, utrique Hermeticæ scholæ usitatis, hodiè magis peccetur, quàm olim. Imò abhorreo tantùm non omnem magiam, deterritus Diaboli ineffabili palpò, atque miris dirisque technis, quas ab isto magiæ (multorum judicio licitæ atque optimæ alioquin declaratæ) sæpe admixtas comperi in autorum lectione. Proinde *Nicol. Henelius otio Uratislaviensi cap*. 31. *p*. 252. Magiam illam, quam etiam bonam vulgò ac natu-

ralem

ralem censent, meram vanitatem reputat; utpote in qua indocta audacia soleat esse efficacissima, & semper etiam aliquid superstitionis implicetur, si non manifestè verbis, aut aliqua ceremonia, tacitè tamen aut opinione & sensu. Melioris notæ videntur olim extitisse apud Persas Magi, & Magiæ titulus, cum teste *Cicerone in l.* 1. *de divinat.* non ad regiam dignitatem pervenerint, nisi magorum disciplinâ imbuti. Erudit etiam nos *Plinius l.* 30. *hist. nat. c.* 1. quòd olim Magi imperarint vel ipsis regibus. De conditione atque æstimio priscæ illius Magiæ consuli etiam potest *Corn. Agrippa l. a. c.* 42. *p.* 158. *&c. Mich. Frendius l. c. qu.* 3. *p.* 5. *&c. aliique plures* autores. Sed quantum mutata moderna magia plurima ab illa prisca licita! Sic *Simonis Magi* persona & nomen suspectum notum est.

Sed abeat hæc plurima Magia, licet speciosè etiam salutetur alba, & statuatur aliàs, quòd ideò sine conscientiæ labe à quovis eadem usurpari posit: de quo, & quòd *Cornel. Agrippa* (magorum vituperandorũ quondam Coriphæus, & fortè usq; ad finem vitæ suæ perseverans, *de vanitate scientiarum cap.* 46. *pag.* 165. *&c.*) istam magiam damnet, videatur *Joh. Freitagius noctibus medic. cap.* 39. *p.* 195. De eadem Magia illicita ejusque divisione rejecta, dum nimirum quidam illam θευργίαν vel albam, & γοητείαν nigram nuncupant, habet etiam non nulla *Joh. Gerard. Vossius de philosophia & philos. sectis l.* 1. *c.* 8. *p.* 65. *Hieron. Jordanus de divino in morbis c.* 5. *p.* 23. *c.* 9. *p.* 36. Aliàs verò oraculorum Zoroastris autor censetur *Julianus Chaldæus Junior*, cognomine *Theurgus* seculô secundô florens, de quo *Petr. Lambecius in histor. literaria l.* 1. *c.* 7. *p.* 118. An autem propter studium illud vel aliam rationem ipsi hoc nomen accesserit, non hariolor. Magia istiusmodi illicita alioquin etiam ars Atracia, juxta quorundam mentem derivatur ab Atrace, qui eam primùm in Thessalonia tradidisse dicitur; atque hoc nomen quidam iterum putant ab atro derivatum, quia noctis opera & carbone notanda ab eo descendunt. Germanis Die Schwartze Kunst audit, uti alii etiam nigromantiam pro necromantia ideò pronunciant; quod tamen aliis non æque placet, de quibus *Bernh. Waldschmied in Pythonissa Endorea part.* 2. *con-*

attendi merentur capita de illicita magiâ agentia, uti & *cap.* 42. in quo tamen contenta definitio magiæ licitæ cum aliis indiciis simul de mente *Agrippa* testatur. De hoc autore quippe dici ferè potest, quòd iste sit in numero eorum,

Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.

Non possumus etiam hoc loco intacta prætermittere verba *Plinii l.* 3. *cap.* 1. notum est, ait, primùm in medicina Magiam, ac specie salutari irrepsisse, velut altiorem sanctioremque, quàm medicinam: ita blandissimis promissis addidisse vires religionis, ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus. Non indigna recensione itidem censemus alia verba huc facientia ex *Bernh. Swalvii disquisit. Therapevt. sect.* 1. *p.* 22. quidam, inquit, virtutes magneticas, ac sympathicas allegando, sortem veneficiorum evitare student. Qui quidem falluntur omnes, falluntque alios. Spiritus sanè hujus mundi virus suum specie naturalium actionum occultare solet. Iste itaq; angvis hac sub herba latitans cavendus est, Deus in tot medicamentorum exhibitione non fuit frustraneus. Liceat ergò cum Euphormione scapham dicere scapham; apage illa tot ac tanta. *Raym. Mindererus Threnod. c.* 12. *p.* 273. hunc in modum loquitur: medicina inquit, luget sub sympathiæ & Antipathiæ naturalis prætextu, quàm plurimas nugas venundari, idque pluribus hoc loco reticendis, illic autem adductis demonstrat. Ingemui sæpe, ubi in libros vel textus de Magia agentes incidi, ac deprehendi doctos, & Christianos huic doctrinæ plus justo indulgere, qui tamen ipsius conditionem legitimam & virus latens vix satis ad sacræ scripturæ amussim, & licitæ physicæ constitutionem decenter ac sufficienter examinant. *Hermannus Conringius de Hermet. med. lib.* 2. *c.* 4. *p.* 214. queritur etiam, quòd in remediis magicis, utrique Hermeticæ scholæ usitatis, hodiè magis peccetur, quàm olim. Imò abhorreo tantùm non omnem magiam, deterritus Diaboli ineffabili palpô, atque miris dirisque technis, quas ab isto magiæ (multorum judiciò licitæ atque optimæ alioquin declaratæ) sæpe admixtas comperi in autorum lectione. Proinde *Nicol. Henelius otio Uratislaviensi cap.* 31. *p.* 252. Magiam illam, quam etiam bonam vulgò ac naturalem

ralem censent, meram vanitatem reputat; utpote in qua indocta audacia soleat esse efficacissima, & semper etiam aliquid superstitionis implicetur, si non manifestè verbis, aut aliqua ceremonia, tacitè tamen aut opinione & sensu. Melioris notæ videntur olim extitisse apud Persas Magi, & Magiæ titulus, cum teste *Cicerone in l. 1. de divinat.* non ad regiam dignitatem pervenerint, nisi magorum disciplinâ imbuti. Erudit etiam nos *Plinius l. 30. hist. nat. c. 1.* quòd olim Magi imperarint vel ipsis regibus. De conditione atque æstimio priscæ illius Magiæ consuli etiam potest *Corn. Agrippa l. 2. c. 42. p. 158. &c. Mich. Freudius l. c. qu. 3. p. 5. &c. aliique plures* autores. Sed quantum mutata moderna magia plurima ab illa prisca licita! Sic *Simonis Magi* persona & nomen suspectum notum est.

Sed abeat hæc plurima Magia, licet speciosè etiam salutetur alba, & statuatur aliàs, quòd ideò sine conscientiæ labe à quovis eadem usurpari posit: de quo, & quòd *Cornel. Agrippa* (magorum vituperandorũ quondam Coriphæus, & fortè usq; ad finem vitæ suæ perseverans, *de vanitate scientiarum cap. 46. pag. 165. &c.*) istam magiam damnet, videatur *Joh. Freitagius noctibus medic. cap. 39. p. 195.* De eadem Magia illicita ejusque divisione rejecta, dum nimirum quidam illam θευργίαν vel albam, & γοητείαν nigram nuncupant, habet etiam non nulla *Joh. Gerard. Vossius de philosophia & philos. sectis l. 1. c. 8. p. 65. Hieron. Jordanus de divino in morbis c. 5. p. 23. c. 9. p. 36.* Aliàs verò oraculorum Zoroastris autor censetur *Julianus Chaldæus Junior*, cognomine *Theurgus* seculô secundô florens, de quo *Petr. Lambecius in histor. literaria l. 1. c. 7. p. 118.* An autem propter studium illud vel aliam rationem ipsi hoc nomen accesserit, non hariolor. Magia istiusmodi illicita alioquin etiam ars Atracia, juxta quorundam mentem derivatur ab Atrace, qui eam primùm in Thessalonia tradidisse dicitur; atque hoc nomen quidam iterum putant ab atro derivatum, quia noctis opera & carbone notanda ab eo descendunt. Germanis die Schwartze Kunst audit, uti alii etiam nigromantiam pro necromantia ideò pronunciant; quod tamen aliis non æque placet, de quibus *Bernh.* Waldschmied *in Pythonissa Endorea part. 2. con-*

cion. 1. p. 420. & Mich. Freudius l. c. quæst. 118. p. 261. Metuo verò, ne eadem magia alba, æquè ac Diabolus albus, præ nigro majora pericula minetur, veluti ni fallor de albi Diaboli fraudulentia pejori integer tractatus prostat. Etiamsi quis album sibi fingat aut censeat existere Diabolum, qualem Æthiopes communiter pingere dicuntur, (ne illum dignari suô Gentilitiô colore videantur, ceu allegat hoc Celeberr. *Jobus Ludolphus in histor. Æthiopic. l. 1. c. 14. §. 35.*) maturè tamen & serio decet eundem versipellem fugere, ne serò quis deprehendat se ab illo deceptum; si fortè ipsius Angeli lucis formam simulatam quis sit veneratus, qualem alioquin peculiariter etiam cavere jubet sacra pagina. Vereor enim, ne ejusmodi incautis aliquando, uti damnatis omnibus in regno ipsius tenebrarum compareat Diabolus iste longè mutatus à colore albo & statu innocenti vel innoxio simulato priori: Cùm in eum, ejusque horrendum ergastulum infernale quadret ferè inscriptio, quæ alicubi in carcere, intùs atrô colore ubivis tincto, annotata dicitur legi:

Ad mala patrata hæc sunt atra theatra parata.

Atro carbone enim istiusmodi omnia notanda sunt, etiamsi maximè album colorem nomenque gerant vel mentiantur. Sic olim albæ Frisiorum mulieres, Sylvæ, aut Nymphæ, puerperis & peregrinantibus infestæ, non melioris census fuerunt, de quibus *Corn. Kempensis lib. 3. de origine & situ Frisiæ, & Mich. Freudius l. c. qv. 45. p. 74. & qv. 79. n. 11.* Magia porrò inter alia ideò etiam nobis suspecta est, quia Diabolus eandem aliaque similia, vel publicis in scholis docere non est veritus olim, de quo *Joh. Prætorius Coscinomantia p. 61. & p. 64.* Meretur etiam huc trahi locus apud *Dav. Frölichium, in Viatorio part. 1. l. 3. c. 33. p. 539.* In arce Vicestria, inquit, prope Parisios Diabolus quondam Magiam docuit, & discipulos suos post annuum spatium, omni diabolicâ arte seu nequitiâ suâ probe instructos, rotæ imposuit, quâ aliquoties agitatâ & versa eum, qui inde delapsus est, mercedis loco sibi reservavit, uti vulgò rumor spargitur. Illud quidem non abs re est, quod locus iste spectris admodum hodie adhuc infestus sit; hactenus *Frölichius.* Quales doctores itidem agnoverint in papatu ii, qui publicè

cè

cè in Academiis Magiam pariter prælegerunt (de quo *Freudius l. 4. quæst. 14. n. 1. p. 19.*) pensitent piè curiosi. Proinde veros Christianos decet omnia ritè probare, nec quodcunque indifferenter, sed quod bonum est, retinere: hinc iidem ludicras istiusmodi res, ac perfida & suspecta periapta, & remedia meritò proscribunt atque damnant; & è contrario licitis, licet segnius interdum operantibus, remediis contenti sunt.

Neminem verò decipiat inter alia etiam in doctrina amuletorum & irritarum curationum varius prætextus, multitudo vel autoritas errantium & illicita svadentium; non ignotum quippe est illud Poëtæ, quô dicitur;

Nil tam blasphemum, quod non reperire patronum
Possit, & autorem reddere honorificum.

Cui sententiæ analoga penè verba, nec à veritate aliena reperiuntur apud *M. Ant. Muretum vol. 2. Oration. 2.* Monendum præterea ducimus hac occasione, ut omnes in superstitionem & credulitatem proni cauti sint, ne varios etiã libros viris sanctis tributos, eorum esse certò existiment, illosq; reos magiæ, & pessimarum artium putent; ceu quidem libri hujusmodi, sed falsò illis adscripti, innuunt. Caveant ideoque omnes ejusmodi suppositititia scripta, & à variis contentis, vel traditis periaptis atque curationibus in libris istis abstineant. Docet verò *Greg. Michaëlis in not. ad Gaffarelli curiosit. p. 490.* quod varia ejusmodi scripta vel ausus medici falsò *Salomoni, Paulo, Eliæ, Esaiæ, Adamo, Abrahamo,* aliisque pluribus tribuantur. De eodem argumento agit *Corn. Agrippa de vanitate scient. c. 45. & c. 47. p. 175. &c.* Inprimis verò Salomonem his rebus indulsisse scribunt illicitæ doctrinæ amuleticæ dediti. Sic patet è *Josephi l. 8. Antiquitat. Judaic. c. 2. p. 212.* quod annulo, naribus Dæmoniaci admoto à *Salomone*, inclusa fuerit radix. Indicatæ sculpturæ, vel sigilla Salomonis etiam ab autoribus non rarò allegantur, de quo in *Zimaræ T. 1. Antr. Mag. p. 2. p. 197. Goclenii de ungvent. armar.* (ceu tractatus hic continetur in *Rattray theatr. sympath. p. 205.* sed id simul illic de Salomone negatur) *& in Cæsaris Longini Trino Magic. p. 430.* Sed de his insimul videri

deri meretur judicium Excell. *Frommani de fascino p. 2. sect. 2. c. 8. p. 176.* & allegata in *Cunr. Dieterici Antiquit. Biblic. f. 630.* quæ veriora de eodem revelant. Similiter de *Josepho*, quòd *Mosen* & *Salomonem* incuset periti:, atque usus magiæ illicitæ, loquitur etiam *Joh. Langius l. 2. epist. 34. p. 165.* Ibidem verò autor *p. 166.* mentem suam de dicto asserto ita exponit: hunc, ait, Mosen & Salomonem non arbitror ignorasse, sed eô nomine didicisse, ut illius impietatem redarguere posset. Mosis miracula autem Dei jussu peracta, neutiquam à magia vetita dependisse innuit *Mich. Freudius l. c. qv. 8.* De Salomone itidem absoluto à prava istiusmodi scientia vel doctrina hausta agit etiam *Hier. Jordanus de divino in morbis c. 9. p. 36. & Freudius l. a. qv. 208. p. 423.* Qui Christum aliosque sanctos Cabalâ atque magiâ usos esse, & ob singulare suum temperamentum stupenda præstitisse, falsò nec sine blasphemia statuant, annotat iterum *Hier. Jordanus l. a. c. 5. p. 23. & 24. uti & capite 6. pag. 26.* ubi insimul autores plures blasphemiam istam refutantes ac rejicientes allegantur. Innumera potuissemus itidem colligere periapta illicita, quæ passim sparsa deprehendimus; sed indigna recensione ista plurima censuimus: ideoq; non nisi indignatione ac refutatione eadem in nostro Scrutinio dignamur. Multa quidem hactenus nominetenus denominavimus istiusmodi medicamenta & periammata illicita, quibus tamen adhuc annumerandi sunt numeri varii harmonici & magici eum in modum adhibiti, gesticulationes, breviculæ, καθάρματα varia, lustrationes & expiationes illicitis rebus institutæ, herbæ, aliæque res consecratæ, incantationes, γλυπτὰ, φάρμακα, characteres, sigilla, laminæ ignorabilibus literis literatæ (juxta *Apul. Madaurensem, in operum metamorphos. l. 3. p. m. 137.*) imagunculæ, & statunculæ, quibus *Sylla* in bello usus esse dicitur apud *Cranzium Saxon. l. 9. c. 10.* Ejusdem malæ notæ quoque sunt Cabalæ, Empsalmi, ἐπῳδαὶ, schediasmata, preculæ, syngraphæ, Fescennini versus, carmina (juxta *Livium*) & verba devotoria varia; item *Hecatea* Carmina, Marsæ voces: ultimæ verò hæ quales sint, docet *Reinesius var. lect. p. 27.* & alii plures. Nequaquam etiam inter licita periapta locum inveniunt Curationes Homericæ (juxta ipsius

19. Odyss.)

19. *Odyss.*) sangvinem sistentes, de quibus aliisque similibus agunt *Plato l. 4. de Republ. Plinius lib. 28. c. 2. Trallianus l. 1. cap. 9. &c. Gabr. Naudaeus de stud. milit. lib. 1. pag. 404. & 422. Nicolaus Myrepsius* & alii allegati apud *Pererium in meth. med. lib. 2. cap. 11. Delrio disquisit. mag. lib. 6. cap. 2. sect. 1. quaest. 1. & Hornius Histor. nat. lib. 3. c. 13. p. 184.* Exulent pariter à nostris amuletis licitis annuli physici & magici varii (de quibus plura alius nostri Scrutinii locus sistit) item inaures similes, & scuta Davidica; Hæc verò, qualia sint, si quis experiri gestit, evolvat *Jul. Reichelti tract. de amuletis p. 86. &c. & Greg. Michaëlis notas in Gaffarell. curiosit. inaudit. p. 272.* Pertinent quoque ad dicta prohibita: niceteria, literæ Ephesiæ, de quarum postremarum conditione & usu nos erudiunt *Erasmus Roterod. Adag. p. 751. Henn. Grossius Magicis p. 82. Mich. Freudius l. a. quaest. 377. n. 23. Henr. Kippingius in instit. physic. l. 2. c. 7. p. 97. Greg. Michaëlis l. a. p. 264. Ursinus in Analect. Sacr. volum. 2. l. 2. An. 5. pag. 28. Basil. Faber. Thesauro f. 832. Dan. Hartnaccius admiranda Physica p. 135. Gabr. Naudaeus de studio militari l. 1. p. 374. Cunr. Dietericus Antiquitat. Biblicis f. 522. & Ioh. Michaël. Dilherrus tom. 1. disput. Acad. 8. p. 154. Plutarchus 7. Sympos. 5. Clemens Alex. l. 5. Strom. Suidas, Hesichius Apostolius & Athenaeus l. 13.* & allegati apud *Bernh.* Waldschmiedt *in Pythonissa Endorea part. 1. conc. 15. p. 370. &c.* Quales præterea fuerint autores literarum dictarum, scilicet Ephesiî, & quibus scriptis vel libris delectati sint, ex illorum resipiscentia colligere licet, dum libros suos contulerunt & combusserunt coram omnibus, de quo & istorum pretio *Actorum 19. v. 18. 19. &c.* ubi in Græco textu τὰ περίεργα nihil aliud sunt, quàm magica & curiosa illicita, juxta quorundam mentem: velut etiam Syrus & Arabs paraphrastes Magorum nomen illis addunt. De *Periergia disputatio edita prostat Witteberga* 1685. *à Mag. Christ. Andr. Sibero, & Georg. Gottl. Jacobi.* Autores non nullos, qui itidem de libris Ephesiorum combustis & horum pretio magno agunt, quô scilicet æstimati fuerint, annotat doctissimus *Dominus D. Rudolf. Capelleus Nummo-phylacio Luederiano fol.* *** *s.* Suspectæ verò & illicitæ sunt omnes curationes dictis vetitis periaptis & similibus

nugis ac modis institutæ, de quibus sparsim in autoribus mentio fit. Dabimus verò adhuc ejusmodi loca illis fœta, in quibus à scriptoribus quibusdam eadem approbantur, & docentur, à quibusdam verò refutationis gratia solum allegantur. Prostant autem varia in *Conringii introductione med. c. 11. p. 112. &c. Sachsii Gammarologia p. 863. & 868. &c. Bodini Dæmonomania l. 3. c. 5. Sturmii de medic. non medic §. 54. Malach. Geigeri Kelegraph. c. 5. p. 43. &c. Lud.* Hornick's Würg-Engel *quæstion.* 356. *p.* 663. *ad p.* 669. *quæst.* 358. *p.* 673. *& quæst.* 360. *p.* 678. *Hornii historia natural. l. 3. c. 13. p. 184. Stumpfii* in der Erklärung der fürnehmsten Zauber-Greuel *lib. 1. c. 3. p. 31. l. 2. c. 3. p. 68. Mylii Antidotario medico chymic. reformat. lib. 1. c. 6. p. 60. &c. Joh. Conr. Dieterichii Jatreo Hippocrat. p. 723. Gabr. Naudæi de studio militar. l. 1. p. 369. in Jo. Renodæi dispensat. med.* & quidem *in Institut. pharmacevt. l. 2. c. 12. p. 13. &c. Reinesii Epistol. 45. p. 382. & 383. Ejusdem in var. lect. l. 3. c. 11. p. 515. c. 15. p. 572. c. 17. p. 638. Tandleri in dissertationibus, Hippii problemat. physic. p. 24. &c. Franc. Vallesii Philosophia sacr. c. 3. Zwelferi pharmacop. Regia p. 141. Unzeri de nephrit. l. 1. c. 25. p. 117. Salmuth. observat. c. 3. obs. 81. Bartholini de Paralyt. p. 18. in Collegio curios. Parisiens. Germanicè reddito colloqv. 22. in Deusingii fascicul. dissertat. disput. 1. Heurnii method. med. l. 3. c. 28. p. 399. &c. Mollenbroccii de Arthritide vag. scorbut. p. 69. &c. Joh. Ernesti Pfulii de Magia p. 90. &c. Reiesii campo Elys. qv. 22. & 23. Joh. Langii l. 1. Epistol. 34. Wieri de præstigiis Dæmon. l. 5. c. 8. &c. Rattray. theatro sympathet. p. 641. in Pauli Zachiæ quæstion. medic. legal. l. 3. tit. quæstion. 5. pag. 233. Casparis Bravo Resolut. med. 17. & 18. 56. &c. Jac. Pancrat. Brunonis in dogmat. medic. gener. p. 675. &c.* Exc. *Paul. Ammani de mater. med. p. 14. &c. Rutgeri Loënii commentario ad lib. 4. Iohan. Fernelii patholog. p. 187. in Delrio disquis. lib. 1. c. 4. disquis. Cæsaris Longini trino magico.* Jungi his pariter possunt autores, quos de Magia licita vel defensa & illicita scripsisse comperimus; Sæpissimè enim magiæ licitæ putatæ atque declaratæ illicita commixta deprehendent curiosi atque Christiani indagatores; sed reminiscimur nos de magia cautè tractanda in præcedentibus etiam egisse,

giſſe, cujus nomini non rarò in autoribus reſpondent *malæ artes.* De ſimilibus interim curationibus illicitis annotatis ac refutatis agit itidem *Joh. Rudingerus in concionum decadibus duabus de magia illicita impreſſis. Ienæ Anno* 1620. *&* 1635. His annectantur quoque Autores illi qui de ſuperſtitione aliàs ſcripſerunt. Multa loca etiam de variis ejusmodi illicitis curationibus medicis agentia proſtant allegata in autoribus Tiſſemarum doctrinam tradentibus; veluti *Reichelius* inter alios ſcriptores *in tractat. de amuletis* varia iſtiusmodi pentacula ex autoribus collecta tradit. Multa quoque farinæ ſimilis periapta collegit *Athan. Kircherus in Œdipo & Ioh. Prætorius in Philoſophia Colus,* & in tractatu von dem Diebs Daumen *p.* 141. aliisque in ſuis libris, dum multoties ſuperſtitioſas curationes attingit, easque perſtringit. Exoptarem etiam, ut Sacerdotis & Theologi cujuspiam (in urbe quapiam confini ante paucos annos defuncti) collectanea de variis ſuperſtitioſis auſibus medicis, & anilibus curationibus ederentur, quorum titulus dicitur eſſe, alter Weiber Katzen Glauben: quò miſera & mirifica plebs quadantenus erubeſceret, reſipiſceret, & tandem ſceleratas ejusmodi res magis dediſceret ac declinaret, Deique nomen & majeſtatem ſeriô cultu magis proſequeretur, ne adeò læderetur illud, tacita & apertâ iſtiusmodi idololatriâ. Miror verò atque ingemiſco non rarò, quando medio in ſinu & receptaculo Chriſtianæ atque orthodoxæ noſtræ religionis ejusmodi reliquias Ethnicorum, Pontificiorum vel Satanæ obſervo adhuc ſubinde paragi. Neceſſarium itaque, atque ex re Chriſtianæ religionis eſſe cenſeo, ut ſacerdotes noſtri orthodoxi ſeriâ & crebrâ omnium ſuperſtitioſorum & impiorum auſuum prohibitione ac deteſtatione iſta eradicare jugiter conentur. Inculcat etiam ſimilia mandatum illud *Ludovici Imperat. ad capitulation. Karoli magni addit.* III. *cap.* I. *pag.* 1165. admoneant ſacerdotes fideles populos, ut noverint magicas artes, incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil poſſe remedii conferre: non animalibus langventibus, claudicantibus, vel etiam moribundis quidquam mederi, non ligaturas oſſium vel herbarum cuiquam mortaliũ adhibitas prodeſſe; ſed hæc eſſe laqueos

& insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus hominum decipere nititur &c. Quemadmodum etiam *Carolus Magnus* sancit: ut à Clericis vel laicis phylacteria, vel falsæ inscriptiones, aut ligaturæ, quæ imprudenter pro febribus aut aliis pestibus curandis adjuvare putant, nullo modo vel ab illis vel à quopiam Christiano fiant; quia *magicæ* artis insignia sunt.

Si cuipiam dicta hæc non sufficere videntur, & quis plures istiusmodi curationes, sigillis atque characteribus institutas, cum suis autoribus, severis doctoribus, & propugnatoribus scire desiderat, deprehendet hos & illos, evolvens *Paracelsum l.1. philos. sagac. c. 6. & art. 10. appendicis p. m. 67. &c.* uti & de *occult. philosoph. Archidox. mag.* aliisque in locis pluribus illorum autoris librorum. Post hæc reus atq; fertilis quoq; vetitarum curationum est *Agrippa* in suis operibus, cujus defensor ac discipulus *Wierus* non optimè etiam audit, cum aliis pluribus severis magis Magicarum rerum doctoribus, *Iordano de divino in morbis c. 54. pag.* 189. & *Freudio l. c. quæstion.* 383. *p.* 681. In horum complicum numero etiam sunt *Crollius Basil. chym. p.* 231. & 232. aliisque in locis pluribus, *Hybnerus item in myster. sigillor. p.* 144. *&c. Porta mag. natural. p.* 597. & *Trallianus*, qui in *lib.* 9. *c.* 4. etiam ostendere conatur *Galenum* hisce rebus fidem quoque tribuisse; quem tamen, uti & *Hippocratem* immunes hujus reatus pronuntiat *Caspar. Reies camp. Elys. quæst.* 23. §. 8. *p.* 252. Docent etiam alia *Galeni* loca, in ipsius scriptis reperienda, quòd aversatus sit illicitas ejusmodi curationes, velut inter alia *ipsius l. 6. de simpl. med. p. 77. ejusdem 2. de med. local.* evolvi potest. Quod *Galenus* etiam deliria & nugatoria vocet ejusmodi periapta, medicâ ratione aut operatione destituta, constat ex *Sim. Majoli tom. 2. canic. colloqu. 2.* De simili defensione contra *Trallianum* (ipsi tribuentem absurdam amuletorum doctrinam) videri etiam potest *Gabr. Naudaus de studio militari l. 1. pag.* 430. *&c.* & *Erastus disputat. medic.* 22. §. 119. & 123. Inter *Galeni* opera equidem Latina *class. 7. pag.* 364. extat *libellus de incantatione, adjuratione & suspensione* varias istiusmodi nugas dictas continens, quas tamen ille non adeò approbat; *Galeno* etiam falsò adscribi hunc librum sentit *Iordanus de divino in morbis c. 1. p. 3. & c. 52. p.* 181. Plura de ejusdem &

Hippo-

Hippocratis æstimio habet *idem ibidem p.* 182. De non nullis aliis, qui characteristicas & alias superstitiosas medendi actiones pariter defendunt, quos tamen simul impugnat, agit etiam *Mich. Doringius de medico & medicina p.* 100. *&c.* Patronos non paucos hujus doctrinæ reperies quoque annotatos in *Rattray Theatr. sympath. p.* 343. *&c. Gabr. Naudæi l. a. lib.* 1. *pag.* 409. 417. 423. *&c.* & *Freudii l. a. quæst.* 381. *&c. in Hier. Jordani l. d. c.* 54. *p.* 189. Non invidere itidem istis rebus videtur *Sophorin. Kozackus de sale cap.* 11. *sect.* 16. *p.* 516. aliisque in locis pluribus suorum scriptorum. Similiter *Marcus Antonius Zimara Antro mag. medic. Trithemius, Quercetanus in Alexicac. pest. Pomponatius, Albertus Magnus, Arnoldus de villa nov. Thurneusserus Georg. Phædro Chirurg. minor. Mizaldus memorabil. Tilemannus, Mercurius, Marcellus Empyricus de medicament, Fernelius, Plato, Aëtius, Serenus, item qui Cabalisticæ doctrinæ dediti sunt*, uti & *Staricius* im Heldens Schatze *part.* 1. *p.* 27. *&c. & p.* 82. *&c. Marsi. Ficinus de vita cœlitùs comparanda, Joh. Ernest. Burggravius in Achille Panoplo p.* 114. & 119. *aliisque in suis scriptis; & in epistola ab Uranckheim præfixa Burggravii tr. de Biolichnio p.* 7. 8. *&c.* Defendere itidem videtur verba & carmina morbis à quibusdam opposita *Aug. Etzlerus Isag. Phys. mag. med. c.* 6. *pag.* 145. & *Leo Svavius compend. medicin. utriusque Paracelf. p.* 273. 275. *&c. & pag.* 281. Non paucos alios similes verborum & carminum patronos, eosque refutatos quoque sistit *Casp. Bravo disputat. Apologet. sect.* 1. *Resol.* 17. *p.* 56. *&c.* de Impsalmis & Impsalmatoribus simul improbatis *l. 4. sect.* 1. *Resol.* 68. *&c.* Supersedemus fautores plures de hac materia agentes, & autores annotatos apud præmissos huc usque, vel apud paulò post allegandos, iterum jam repetere prolixâ & tædiosâ serie. Multò minùs placet nobis singulas curationes recensere, quæ verbis & aliis ejusmodi vetitis modis peractæ prostant sparsim annotatæ. Forsitan etiam inposterum in publicam lucem prodibunt plures tractatus peculiares de suspectis periaptis & patronis eorundem, quemadmodùm alicubi *Gothofr. Voigtius* promittit librum, cujus titulus est *meletemata physica*, in quo spondet acturum se de verborum virtute; qui liber, & alii plu-

Anno 1674. *Mag. Eberhardi Rudolph.* Rothens / & *Respondentis Mich.* Becks / Item *Ioh. Hartm. Mislerus philosoph. natural. thetica p.* 20. §. 109. *Camerarius in horis succisiv. cent.* 3. *cap.* 30. *p.* 102. &c. *Dan. Hartnaccius in admiranda physica p.* 134. &c. *Diemerbrœkius de peste p.* 176. *Phil. Hæchstetterus dec.* 2. *obs.* 2. *p.* 212. &c. *Schottus Technic. curios. lib.* 12. *Casp. Ebelius oper. philos. tom.* 3. *de viribus imaginationis p.* 18. &c. *Gabr. Fontanus medic. Antihermetica sect.* 3. *c.* 4. *p.* 176. *Bald. Timæus à* Güldenklee *lib.* 8. *cas. med.* 20. *p.* 367. *Forestus l.* 9. *obs. med.* 52. *p.* 301. &c. *Fernelius de abdit. rer. causis lib* 2. *c.* 16. *p.* 519. *Conringius de Hermetic. medicin. l.* 1. *c.* 11. *p.* 112. *aliisque in locis pluribus.* Martinus *Delrio disquisit. magic. Tom.* 1. *l.* 1. *c.* 4. *quæst.* 1. &c. *p.* 29. *tom.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. *tom.* 3. *l.* 6. *c.* 2. *sect.* 1. *qv.* 1. *p.* 140. *Alberic. Gentilis ad Tit. C. de maleficiis & mathematicis p.* 83. *Ioh. Langius l.* 1. *Epist.* 34. *p.* 159 &c. *Simon* Majolus *tom.* 2. *colloqu.* 3. *dier. canicular. p.* 278. *Ioh. Christian* Frommanus *disput. de fascino p.* 61. &c. *p.* 114. &c. & *p.* 143. &c. Mich. *Freudius* in Gewissens-Fragen von der Zauberey *qv.* 218. *p.* 439. &c. Mich. *Havemannus Amusio sect.* 2. *c.* 34. *p.* 700. &c. *Cas. Longinus in trino* Magico *c.* 8. *p.* 14. & *c.* 9. *p.* 15. *item c.* 10. *p.* 18. *Christoph. Besoldus Thesauro practic. sub voce* Artzney *p.* 51. *Herm. Grubius de arcan. medic. p.* 84. &c. *p.* 92. &c. Felix Bidenbach *in consilior. Theolog. decad.* 2. *num.* 12. *p.* 50. *Cunr. Dietericus Antiquitat. Biblicis f.* 521. &c. & *in Iatreo Hippocratico p.* 723. &c. & 977. &c. *Henricus Kippingius* Institut. *Physic. l.* 2. *c.* 7. p. 97. *Ioh. Pharam. Rhumelius medicina Spagyrica* p. 371. & *in medic. militar. dogmat. Hermet.* Magic. *c.* 4. *Rugerius* Ferrerius *method. med. l.* 2. *c.* 11. *Ioh. Gerard. Vossius de Philosophia & Philosophorum sectis l.* 1. *c.* 8. p. 64. & 65. *Iac. Panc. Bruno Lexico Castelli renovat. sub voce characteris p.* 281. &c. *Sanctorius de vitand. error.* l. 8. *c.* 11. *f.* 162. *Athanas. Kircherus de art. magnet.* l. 3. *p.* 689. & *in Oedipo*, *Mich. Dœringius de Medicin. & Medico p.* 99. *Fel. Platerus de febribus p.* 198. & *aliis in locis J. J. Boisardus de divinatione*, *Gregor. Michaëlis notis ad Gaffarelli curiosit. inaudit. multis in locis*, *Laurent. Pignorius characterib. Ægyptior. variis in locis*, *Iohan. Rainoldus censura libr. Apocryphor. veter. Testament. pluribus in locis tomi utrimque*

atque, Iohan. Gerhardus L. C. de lege Dei §. 122. Marc. Aurel. Severinus Scilomastige p. 69. Mart. Schmuckius occult. magic. morbor. curat. p. 44. *Mich. Bapstius* im Artzney Kunst- und Wunderbuche *part. 1. p. 354. &c. aliisque in locis pluribus*, & *idem* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part. 1. p. 45. &c. Jac. Joseph. Jæpserus manuductione ad vitam longiorem c. 10. p. 347. &c. Cunr. Dietericus in Eccl. T. 2. p. 668. &c. Frid. Balduinus cas. conscient. l. 3. c. 5. cas. 2, 3. & 4. pag. 715. Ludov. Dunte cas. conscient. c. 10. sect. 1. quæst. 42. &c. p. 305. Nath. Hodges Loimologia pag. 237. Joh. Prætorius Alectryomantia aliisque in hujus scriptis variis, & Adam. à* Lebenwaldt von des Teuffels List und Betrug in der hebreer Cabala.

Sed finem facio in allegandis his autoribus disſvadentibus ac deteſtantibus iſtiusmodi curationes (ſchedulis nimirum, verbis aut voce, characteribus, & ſimili aliâ ratione illicitâ) inſtitutas. Rationes eorundem autorum nolui, prolixitatis majoris fugiendæ gratia, excerpere, atque huc trahere, quibus videlicet illi inſurgunt contra medendi actiones illicitas; facilè itaque ex iis adductis eædem peti poſſunt, ſi quis harum deſideriô tenetur. Lubet nobis adhuc his annectere verba de abſurdis ejusmodi actionibus, quibus contra *Gaffarellum*, docentem atque defendentem aliàs cœli & aſtrorum Alphabetum, utitur *Ath. Kircherus Oedipo Ægypt. T. II. part. 2. & VII. pag. 215.* hoc tempore, inquit, quantò commenta ſunt abſurdiora, tantò in animis ſuperſtitioſorum hominum plauſibiliora ſunt, ac veluti ambobus brachiis avidis excipiuntur; quibus quidem erroribus paulatim ſerpentibus remedium efficacius adhibere non poſſe exſtimavi, quam inſanorum hujusmodi dogmatum apodicticam confutationem; quorum ſuppreſſâ falſitate veritas tandem ſuæ integritati reſtituatur. Si verò tot teſtimonia, rationes ſanæ, & dehortationes ex profanis & ſacris ſcriptis deductæ non deterreant quempiam, qui amorem ac patrocinium adhuc erga vetita iſta alere velit, ac poſſit; deterreri tamen ille ſe patiatur ſiniſtrô & lugubri utplurimum effectu, tandem ex illicitorum iſtorum uſu promanante. Conſtat quippe, quòd

cion. l. p. 420. & Mich. Freudius l. c. quæst. 118. *p.* 261. Metuo verò, ne eadem magia alba, æquè ac Diabolus albus, præ nigro majora pericula minetur, veluti ni fallor de albi Diaboli fraudulentia pejori integer tractatus prostat. Etiamsi quis album sibi fingat aut censeat existere Diabolum, qualem Æthiopes communiter pingere dicuntur, (ne illum dignari suô Gentilitiô colore videantur, ceu allegat hoc Celeberr. *Jobus Ludolphus in histor. Æthiopic. l.* 1. *c.* 14. §. 35.) maturè tamen & serio decet eundem versipellem fugere, ne serò quis deprehendat se ab illo deceptum; si fortè ipsius Angeli lucis formam simulatam quis sit veneratus, qualem alioquin peculiariter etiam cavere jubet sacra pagina. Vereor enim, ne ejusmodi incautis aliquando, uti damnatis omnibus in regno ipsius tenebrarum compareat Diabolus iste longè mutatus à colore albo & statu innocenti vel innoxio simulato priori: Cùm in eum, ejusque horrendum ergastulum infernale quadret ferè inscriptio, quæ alicubi in carcere, intùs atrô colore ubivis tincto, annotata dicitur legi:

Ad mala patrata hæc sunt atra theatra parata.

Atro carbone enim istiusmodi omnia notanda sunt, etiamsi maxime album colorem nomenque gerant vel mentiantur. Sic olim albæ Frisiorum mulieres, Sylvæ, aut Nymphæ, puerperis & peregrinantibus infestæ, non melioris census fuerunt, de quibus *Corn. Kempensis lib.* 3. *de origine & situ Frisiæ, & Mich. Freudius l. c. qv.* 45. *p.* 74. *& qv.* 79. *n.* 11. Magia porrò inter alia ideò etiam nobis suspecta est, quia Diabolus eandem aliaque similia, vel publicis in scholis docere non est veritus olim, de quo *Joh. Prætorius Coscinomantia p.* 61. *& p.* 64. Meretur etiam huc trahi locus apud *Dav. Frölichium, in Viatorio part.* 1. *l.* 3. *c.* 33. *p.* 539. In arce Vicestria, inquit, prope Parisios Diabolus quondam Magiam docuit, & discipulos suos post annuum spatium, omni diabolicâ arte seu nequitiâ suâ probe instructos, rotæ imposuit, quâ aliquoties agitatâ & versa eum, qui inde delapsus est, mercedis loco sibi reservavit, uti vulgò rumor spargitur. Illud quidem non abs re est, quod locus iste spectris admodum hodie adhuc infestus sit; hactenus *Frölichius.* Quales doctores itidem agnoverint in papatu ii, qui publi-

cè

cè in Academiis Magiam pariter prælegerunt (de quo *Freudius l. a. quæst.* 14. *n.* 1. *p.* 19.) pensitent piè curiosi. Proinde veros Christianos decet omnia ritè probare, nec quodcunque indifferenter, sed quod bonum est, retinere: hinc iidem ludicras istiusmodi res, ac perfida & suspecta periapta, & remedia meritò proscribunt atque damnant; & è contrario licitis, licet segnius interdum operantibus, remediis contenti sunt.

Neminem verò decipiat inter alia etiam in doctrina amuletorum & irritarum curationum varius prætextus, multitudo vel autoritas errantium & illicita svadentium; non ignotum quippe est illud Poëtæ, quô dicitur;

Nil tam blasphemum, quod non reperire patronum
Possit, & autorem reddere honorificum.

Cui sententiæ analoga penè verba, nec à veritate aliena reperiuntur apud *M. Ant. Muretum vol.* 2. *Oration.* 2. Monendum præterea ducimus hac occasione, ut omnes in superstitionem & credulitatem proni cauti sint, ne varios etiã libros viris sanctis tributos, eorum esse certò existiment, illosq; reos magiæ, & pessimarum artium putent; ceu quidem libri hujusmodi, sed falsò illis adscripti, innuunt. Caveant ideoque omnes ejusmodi suppostititia scripta, & à variis contentis, vel traditis periaptis atque curationibus in libris istis abstineant. Docet verò *Greg. Michaëlis in not. ad Gaffarelli curiosit. p.* 490. quod varia ejusmodi scripta vel ausus medici falsò *Salomoni*, *Paulo*, *Eliæ*, *Esaiæ*, *Adamo*, *Abrahamo*, aliisque pluribus tribuantur. De eodem argumento agit *Corn. Agrippa de vanitate scient. c.* 45. & *c.* 47. *p.* 175. &*c.* Inprimis verò Salomonem his rebus indulsisse scribunt illicitæ doctrinæ amuleticæ dediti. Sic patet è *Josephi l.* 8. *Antiquitat. Judaic. c.* 2. *p.* 212. quod annulo, naribꝰ Dæmoniaci admoto à *Salomone*, inclusa fuerit radix. Indicatæ sculpturæ, vel sigilla Salomonis etiam ab autoribus non rarò allegantur, de quo in *Zimaræ T.* 1. *Antr. Mag. p.* 2. *p.* 197. *Goclenii de ungvent. armar.* (ceu tractatus hic continetur in *Rattray theatr. sympath. p.* 205. sed id simul illic de Salomone negatur) & *in Cæsaris Longini Trino Magic. p.* 430. Sed de his insimul videri

deri

deri meretur judicium Excell. *Frommani de fascino p. 2. sect. 2. c. 8. p. 176.* & allegata in *Cunr. Dieterici Antiquit. Biblic. f. 630.* quæ veriora de eodem revelant. Similiter de *Josepho*, quod *Mosen* & *Salomonem* incuset periti r, atque usus magiæ illicitæ, loquitur etiam *Job. Langius l. 2. epist. 34. p. 165.* Ibidem verò autor *p. 166.* mentem suam de dicto asserto ita exponit: hanc, ait, Mosen & Salomonem non arbitror ignorasse, sed eô nomine didicisse, ut illius impietatem redarguere posset. Mosis miracula autem Dei jussu peracta, neutiquam à magia vetita dependisse innuit *Mich. Freudius l. c. qv. 8.* De Salomone itidem absoluto à prava istiusmodi scientia vel doctrina hausta agit etiam *Hier. Jordanus de divino in morbis c. 9. p. 36.* & *Freudius l. a. qv. 208. p. 423.* Qui Christum aliosque sanctos Cabalâ atque magiâ usos esse, & ob singulare suum temperamentum stupenda præstitisse, falsò nec sine blasphemia statuant, annotat iterum *Hier. Jordanus l. a. c. 5. p. 23. & 24. uti & capite 6. pag. 26.* ubi insimul autores plures blasphemiam istam refutantes ac rejicientes allegantur. Innumera potuissemus itidem colligere periapta illicita, quæ passim sparsa deprehendimus; sed indigna recensione ista plurima censuimus: ideoq; non nisi indignatione ac refutatione eadem in nostro Scrutinio dignamur. Multa quidem hactenus nominetenus denominavimus istiusmodi medicamenta & periammata illicita, quibus tamen adhuc annumerandi sunt numeri varii harmonici & magici eum in modum adhibiti, gesticulationes, breviculæ, καθάρματα varia, lustrationes & expiationes illicitis rebus institutæ, herbæ, aliæque res consecratæ, incantationes, γλυπτὸν, φαρμάκια, characteres, sigilla, laminæ ignorabilibus literis literatæ (juxta *Apul. Madaurensem, in operum metamorphos. l. 3. p. m. 137.*) imagunculæ, & statunculæ, quibus *Sylla* in bello usus esse dicitur apud *Cranzium Saxon. l. 9. c. 10.* Ejusdem malæ notæ quoque sunt Cabalæ, Empsalmi, ἐπῳδαὶ, schediasmata, preculæ, syngraphæ, Fescennini versus, carmina (juxta *Livium*) & verba devotoria varia; item *Hecatea* Carmina, Marsæ voces: ultimæ verò hæ quales sint, docet *Reinesius var. lect. p. 27.* & alii plures. Nequaquam etiam inter licita periapta locum inveniunt Curationes Homericæ (juxta ipsius *19. Odyss.*)

19. *Odysf.*) sangvinem sistentes, de quibus aliisque similibus agunt *Plato l. 4. de Republ. Plinius lib. 28. c. 2. Trallianus l. 1. cap. 9. &c. Gabr. Naudaus de stud. milit. lib. 1. pag. 404. & 422. Nicolaus Myrepsius* & alii allegati apud *Ferrerium in meth. med. lib. 2. cap. 11. Delrio disquisit. mag. lib. 6. cap. 2. sect. 1. quaest. 1. & Hornius Histor. nat. lib. 3. c. 13. p. 184.* Exulent pariter à nostris amuletis licitis annuli physici & magici varii (de quibus plura alius nostri Scrutinii locus sistit) item inaures similes, & scuta Davidica; Hæc verò, qualia sint, si quis experiri gestit, evolvat *Jul. Reichelti tract. de amuletis p. 86. &c. & Greg. Michaëlis notas in Gaffarell. curiosit. inaudit. p. 272.* Pertinent quoque ad dicta prohibita: niceteria, literæ Ephesiæ, de quarum postremarum conditione & usu nos erudiunt *Erasmus Roterod. Adag. p. 751. Henn. Grossius* Magicis *p. 82. Mich. Freudius l. a. quaest. 377. n. 23. Henr. Kippingius in instit. physic. l. 2. c. 7. p. 97. Greg. Michaëlis l. a. p. 264. Ursinus in Analect. Sacr. volum. 2. l. 2. An. 5. pag. 28. Basil. Faber. Thesauro f. 832. Dan. Hartnaccius admiranda Physica p. 135. Gabr. Naudaus de studio militari l. 1. p. 374. Cunr. Dietericus Antiquitat. Biblicis f. 522. & Ioh. Michaël. Dilberrus tom. 1. disput. Acad. 8. p. 154. Plutarchus 7. Sympos. 5. Clemens Alex. l. 5. Strom. Suidas, Hesichius Apostolius & Athenaeus l. 13.* & allegati apud *Bernh.* Waldschmiedt *in Pythonissa Endorea part. 1. conc. 15. p. 370. &c.* Quales præterea fuerint autores literarum dictarum, scilicet Ephesii, & quibus scriptis vel libris delectati sint, ex illorum resipiscentia colligere licet, dum libros suos contulerunt & combusserunt coram omnibus, de quo & istorum pretio *Actorum 19. v. 18. 19. &c.* ubi in Græco textu τὰ περίεργα nihil aliud sunt, quàm magica & curiosa illicita, juxta quorundam mentem: velut etiam Syrus & Arabs paraphrastes Magorum nomen illis addunt. De *Periergia disputatio edita prostat Wittebergæ 1685. à Mag. Christ. Andr. Sibero, & Georg. Gottl. Jacobi.* Autores non nullos, qui itidem de libris Ephesiorum combustis & horum pretio magno agunt, quô scilicet æstimati fuerint, annotat doctissimus *Dominus D. Rudolf. Capelleus Nummo-phylacio Luederiano fol.* *** 6. Suspectæ verò & illicitæ sunt omnes curationes dictis vetitis periaptis & similibus

nugis ac modis institutæ, de quibus sparsim in autoribus mentio fit. Dabimus verò adhuc ejusmodi loca illis fœta, in quibus à scriptoribus quibusdam eadem approbantur, & docentur, à quibusdam verò refutationis gratia solum allegantur. Prostant autem varia in *Conringii introductione med. c. 11. p. 112. &c. Sachsii Gammarologia p. 863. & 868. &c. Bodini Dæmonomania l. 3. c. 5. Sturmii de medic. non medic §. 54. Malach. Geigeri Kelegraph. c. 5. p. 43. &c. Lud.* Hornicks Würg-Engel *quæstion. 356. p. 663. ad p. 669. quæst. 358. p. 673. & quæst. 360. p. 678. Hornii historia natural. l. 3. c. 13. p. 184. Stumpfii* in der Erklärung der fürnehmsten Zauber-Greuel *lib. 1. c. 3. p. 31. l. 2. c. 3. p. 68. Mylii Antidotario medico chymic. reformat. lib. 1. c. 6. p. 60. &c. Joh. Cunr. Dieterichii Jatreo Hippocrat. p. 723. Gabr. Naudæi de studio militar. l. 1. p. 369. in Jo. Renodæi dispensat. med.* & quidem *in Institut. pharmacevt. l. 2. c. 12. p. 13. &c. Reinesii Epistol. 45. p. 382. & 383. Ejusdem in var. lect. l. 3. c. 11. p. 515. c. 15. p. 572. c. 17. p. 638. Tandleri in dissertationibus, Hippii problemat. physic. p. 24. &c. Franc. Vallesii Philosophia sacr. c. 3. Zwelferi pharmacop. Regia p. 141. Unzeri de nephrit. l. 1. c. 25. p. 117. Salmuth. observat. c. 3. obs. 81. Bartholini de Paralyt. p. 18. in Collegio curios. Parisiens. Germanicè reddito colloqv. 22. in Deusingii fascicul. dissertat. disput. 1. Heurnii method. med. l. 3. c. 28. p. 399. &c. Mollenbroccii de Arthritide vag. scorbut. p. 69. &c. Joh. Ernesti Pfulii de Magia p. 90. &c. Reiesii campo Elys. qv. 22. & 23. Joh. Langii l. 1. Epistol. 34. Wieri de præstigiis Dæmon. l. 5. c. 8. &c. Rattray. theatro sympathet. p. 641. in Pauli Zachiæ quæstion. medic. legal. l. 3. tit. quæstion. 5. pag. 233. Casparis Bravo Resolut. med. 17. & 18. 56. &c. Jac. Pancrat. Brunonis in dogmat. medic. gener. p. 675. &c.* Exc. *Paul. Ammani de mater. med. p. 14. &c. Rutgeri Loënii commentario ad lib. 4. Iohan. Fernelii patholog. p. 187. in Delrio disquis. lib. 1. c. 4. disquis. Cæsaris Longini trino magico.* Jungi his pariter possunt autores, quos de Magia licita vel defensa & illicita scripsisse comperimus; Sæpissimè enim magiæ licitæ putatæ atque declaratæ illicita commixta deprehendent curiosi atque Christiani indagatores; sed reminiscimur nos de magia cautè tractanda in præcedentibus etiam egisse,

giſſe, cujus nōmini non rarò in autoribus reſpondent *malæ artes.* De ſimilibus interim curationibus illicitis annotatis ac refutatis agit itidem *Joh. Rudingerus in concionum decadibus duabus de magia illicita impresſis. Ienæ Anno* 1620. & 1635. His annectantur quoque Autores illi qui de ſuperſtitione aliàs ſcripſerunt. Multa loca etiam de variis ejusmodi illicitis curationibus medicis agentia proſtant allegata in autoribus Tilſemarum doctrinam tradentibus; veluti *Reichelius* inter alios ſcriptores *in tractat. de amuletis* varia iſtiusmodi pentacula ex autoribus collecta tradit. Multa quoque farinæ ſimilis periapta collegit *Athan. Kircherus in œdipo & Iob. Prætorius in Philoſophia Colus,* & in tractatu von dem Diebs Daumen *p.* 141. aliisque in ſuis libris, dum multoties ſuperſtitioſas curationes attingit, easque perſtringit. Exoptarem etiam, ut Sacerdotis & Theologi cujuspiam (in urbe quapiam confini ante paucos annos defuncti) collectanea de variis ſuperſtitioſis auſibus medicis, & anilibus curationibus ederentur, quorum titulus dicitur eſſe, alter Weiber Katzen Glauben: quò miſera & mirifica plebs quadantenus erubeſceret, reſipiſceret, & tandem ſceleratas ejusmodi res magis dediſceret ac declinaret, Deique nomen & majeſtatem ſeriô cultu magis proſequeretur, ne adeò læderetur illud, tacita & apertâ iſtiusmodi idololatriâ. Miror verò atque ingemiſco non rarò, quando medio in ſinu & receptaculo Chriſtianæ atque orthodoxæ noſtræ religionis ejusmodi reliquias Ethnicorum, Pontificiorum vel Satanæ obſervo adhuc ſubinde peragi. Neceſſarium itaque, atque ex re Chriſtianæ religionis eſſe cenſeo, ut ſacerdotes noſtri orthodoxi ſeriâ & crebrâ omnium ſuperſtitioſorum & impiorum auſuum prohibitione ac deteſtatione iſta eradicare jugiter conentur. Inculcat etiam ſimilia mandatum illud *Ludovici Imperat. ad capitulation. Karoli magni addit.* III. *cap.* 1. *pag.* 1165. admoneant ſacerdotes fideles populos, ut noverint magicas artes, incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil poſſe remedii conferre: non animalibus langventibus, claudicantibus, vel etiam moribundis quidquam mederi, non ligaturas oſſium vel herbarum cuiquam mortaliũ adhibitas prodeſſe; ſed hæc eſſe laqueos

& insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus hominum decipere nititur &c. Quemadmodum etiam *Carolus Magnus* sancit: ut à Clericis vel laicis phylacteria, vel falsæ inscriptiones, aut ligaturæ, quæ imprudenter pro febribus aut aliis pestibus curandis adjuvare putant, nullo modo vel ab illis vel à quopiam Christiano fiant; quia *magica* artis insignia sunt.

Si cuipiam dicta hæc non sufficere videntur, & quis plures istiusmodi curationes, sigillis atque characteribus institutas, cum suis autoribus, severis doctoribus, & propugnatoribus scire desiderat, deprehendet hos & illos, evolvens *Paracelsum l.1. philos. sagac. c. 6. & art. 10. appendicis p. m. 67. &c.* uti & de *occult. philosoph. Archidox. mag.* aliisque in locis pluribus illorum autoris librorum. Post hæc reus atq; fertilis quoq; vetitarum curationum est *Agrippa* in suis operibus, cujus defensor ac discipulus *Wierus* non optimè etiam audit, cum aliis pluribus severis magis Magicarum rerum doctoribus, *Iordano de divino in morbis c. 54. pag.* 189. & *Freudio l. c. quæstion.* 383. *p.* 681. In horum complicum numero etiam sunt *Crollius Basil. chym. p.* 231. *&* 232. aliisque in locis pluribus, *Hybnerus item in myster. sigillor. p.* 144. *&c. Porta mag. natural. p.* 597. & *Trallianus*, qui in *lib.* 9. *c.* 4. etiam ostendere conatur *Galenum* hisce rebus fidem quoque tribuisse; quem tamen, uti & *Hippocratem* immunes hujus reatus pronuntiat *Caspar. Reies camp. Elys. quæst.* 23. §. 8. *p.* 252. Docent etiam alia *Galeni* loca, in ipsius scriptis reperienda, quòd aversatus sit illicitas ejusmodi curationes, velut inter alia *ipsius l. 6. de simpl. med. p. 77. ejusdem 2. de med. local.* evolvi potest. Quod *Galenus* etiam deliria & nugatoria vocet ejusmodi periapta, medicâ ratione aut operatione destituta, constat ex *Sim. Majoli tom. 2. canic. colloqu. 2.* De simili defensione contra *Trallianum* (ipsi tribuentem absurdam amuletorum doctrinam) videri etiam potest *Gabr. Naudæus de studio militari l. 1. pag.* 430. *&c.* & *Erastus disputat. medic.* 22. §. 119. *&* 123. Inter *Galeni* opera equidem Latina *class.* 7. *pag.* 364. extat *libellus de incantatione, adjuratione & suspensione* varias istiusmodi nugas dictas continens, quas tamen ille non adeò approbat; *Galeno* etiam falsò adscribi hunc librum sentit *Iordanus de divino in morbis c. 1. p. 3. & c. 52. p. 181.* Plura de ejusdem & *Hippo-*

Hippocratis æſtimio habet *idem ibidem p.* 182. De non nullis aliis, qui characteriſticas & alias ſuperſtitioſas medendi actiones pariter defendunt, quos tamen ſimul impugnat, agit etiam *Mich. Döringius de medico & medicina p.* 100. *&c.* Patronos non paucos hujus doctrinæ reperies quoque annotatos in *Rattray Theatr. ſympath. p.* 343. *&c. Gabr. Naudæi l. a. lib.* 1. *pag.* 409. 417. 423. *&c.* & *Freudii l. a. quæſt.* 381. *&c. in Hier. Jordani l.d. c.* 54. *p.* 189. Non invidere itidem iſtis rebus videtur *Sophorin. Kozackius de ſale cap.* 11. *ſect.* 16. *p.* 516. aliisque in locis pluribus ſuorum ſcriptorum. Similiter *Marcus Antonius Zimara Antro mag. medic. Trithemius, Quercetanus in Alexicac. peſt. Pomponatius, Albertus Magnus, Arnoldus de villa nov. Thurneuſſerus, Georg. Phædro Chirurg. minor. Mizaldus memorabil. Tilemannus, Mercurius, Marcellus Empyricus de medicament, Fernelius, Plato, Aëtius, Serenus, item qui Cabaliſticæ doctrinæ dediti ſunt*, uti & *Staricius* im Heldens Schatze *part.* 1. *p.* 27. *&c. & p.* 82. *&c. Marſ. Ficinus de vita cœlitùs comparanda, Joh. Erneſt. Burggravius in Achille Panoplo p.* 114. *&* 119. *aliisque in ſuis ſcriptis; & in epiſtola ab Uranckheim præfixa Burggravii tr. de Biolichnio p.* 7. 8. *&c.* Defendere itidem videtur verba & carmina morbis à quibusdam oppoſita *Aug. Etzlerus Iſag. Phyſ. mag. med. c.* 6. *pag.* 145. *& Leo Suavius compend. medicin. utriusque Paracelſ. p.* 273. 275. *&c. & pag.* 281. Non paucos alios ſimiles verborum & carminum patronos, eosque refutatos quoque ſiſtit *Caſp. Bravo diſputat. Apologet. ſect.* 1. *Reſol.* 17. *p.* 56. *&c.* de Impſalmis & Impſalmatoribus ſimul improbatis *l. 4. ſect.* 1. *Reſol.* 68. *&c.* Superſedemus fautores plures de hac materia agentes, & autores annotatos apud præmiſſos huc usque, vel apud paulò poſt allegandos, iterum jam repetere prolixâ & tædiosâ ſerie. Multò minùs placet nobis ſingulas curationes recenſere, quæ verbis & aliis ejusmodi vetitis modis peractæ proſtant ſparſim annotatæ. Forſitan etiam inpoſterum in publicam lucem prodibunt plures tractatus peculiares de ſuſpectis periaptis & patronis eorundem, quemadmodùm alicubi *Gothofr. Voigtius* promittit librum, cujus titulus eſt *meletemata phyſica*, in quo ſpondet acturum ſe de verborum virtute; qui liber, & alii plu-

res similem materiã attingentes & refutantes suô tempore consuli poterunt. Ne verò nos pessima isthæc docere velle videamur, claudimus mentionem hactenus factam de improbandis iis, lepidis his verbis *Caspar. Reiesii (in camp. Elys. qv.23.§.2.)* his, inquit, vanitatibus innixa prior ætas, cùm se maximè sapere putaret, immensum desipere deprehensa est; utinam & sigillum aliquod ad vanas hujusmodi doctrinas abolendas, & temulentiam animi (ad magiam declinantis) fugandam concinnassent. Verbis his addi quoque meretur ex allegato loco justa indignatio autoris reperienda *in c.l.§.7.* Optaremus nos etiam circa multa ludicra & illicita à quibusdam autoribus edocta illud, quod comprecatur *Democrito Plinius lib.* 28. *c.*8. Utinam, inquit, ramo palmæ ille contactus esset, quoniam ita loquacitates immodicas inhiberi promisit; palam enim est, virum alias sagacem, & vitæ utilissimum nimiô juvandi mortales studiô prolapsum.

Sicuti verò abstinuimus à recensione illorum periammatum & curationum absonarum innumerarum: ita etiam à laude vel refutatione illorum prolixa ampliùs exponenda, juxta diversam autorum mentem, sponte abstinuimus; rati quippe sumus sufficere loca solùm allegasse, quæ de utroque uberiorem notitiam suppeditant. Restant proinde autores solum adhuc denominandi, qui (circa similes curationes occupati) nugas vel deliramenta istiusmodi largâ serie, & quidem refutata inprimis, sistunt: nimirum *Casp. Reiesius camp. Elys. qv.*22.*&* 23.*Goekelius de venenis p.*30.*&* 96. *idem de peste cap.*19.*p.*71. *Sturmius de medic. non med.*§.45.48.50. 51.*&* 56.*Stockmannus bodoget. pestil. sacr. qv.* 48.*p.*297. *Thom. Bartholinus cent.* 3.*histor. anatom.* 62.*pag.*122. *Bodinus Dæmonom. Roderic. à Castro medic. Polit. l.*3.*c.*24.*p.* 104. *Caspar Bravo disput. Apologet. sect.*1.*resol. med.* 17. 18. *p.* 56. *&c. Hildebrandus Goetia p.*212.*Joh. Wierus de præstig. Dæmon. Heurnius meth. med. pag.*400.*&c. Deusingius fasciculo diss. p.* 6.*&c.p.* 30. *&c. Chrysostomus Homil.* 8. *in Epist. ad Coloss. p.*798.*&c. Hippocrates lib. de morbo sacro, Plato* 2. *de Repub. Plinius lib.* 30. *in proœm.* 10. Idem, quod priores, faciunt allegati in *Henn. Wittenii repertor. Homilet. pag.*179. *& in Jul. Reichelti de amuletis pag.* 22. *&c.*

Jungan-

Jungantur his porrò *Dan. Sennertus med. prax. l. 6. part. 9. c. 8. p. 426.* aliisque in locis pluribus *Ios. Quercetanus in operibus à Schrödero editis tom. 3. p. 124.* Porrò *ad Gennadii homiliam sacram in comment. Goverhard. Elmenhorstius p. 195. Hier. Iordanus de div. in morb. c. 52. &c. p. 181. Erastus disp med. 22. §. 103. & disp. de med. Paracelsi part. 1. p. 186. Andr. Laurentius oper. therapevt. tr. de strumar. sanatione l. 1. c. 5. & 6. p. 13. Paulus de Sorbait medicina universali f. 109. &c. Gerhardus in L. C. de lege Dei §. 122. Bernh. Swalvius disquisit. therapevtic. general. sect. 1. p. 18. Raym. Mindererus Threnodia medica c. 13. p. 296. &c. Ioh. Dan.* Ernst in Gemühts Ergetzlichkeiten 34. Gespräch *p. 636. &c. Nob. Abasv. Fritschius in medico peccante, conclusione 8. p. 33. Matth. Zimmermannus amoenitat. histor. Eccles. p. 608. Nicol. Henelius in otio Uratislaviensi cap. 31. Mirandulanus, Codronchius, Zacutus, Scaliger Exercit. 349. Rolfincius Chym. p. 413. & 414. Grulingius florileg. chym. p. 476. Helmontius potest. medicam. §. 62. Tandlerus Dissertat. p. 224. 265. & 285. Rogerius Baco Epist. de secretis operib. artis & nat. à Ioh. Dee Londinensi edit. cap. 2.* Item allegati apud *Sachsium Gammarolog. p. 866. Porrò Hornungius cista medic. p. 161. Laurent. Strausfius Exercitat. medic. 17. §. 12. p. 134. Fabricius Paradox. loimic. p. 123. Wormius museo p. 387. Ioh. Matthai centur. difficultat. medic. quaest. 31. p. 115. & 116. & quaest. 3. p. 12. quaest. 52. p. 192. Levin. Fischerus corp. medic. imperial. l. 3. p. m. 224.* Item citati apud *Mollenbroccium de arthrit. vaga scorb. p. 69. &c.* uti & contenti non nulli autores cum suis scriptis in *Rattrayi theatro sympath.* Non etiam benè sentiunt de curationibus hujusmodi *Unzerus de Nephrit. l. 1. c. 25. p. 120. Schwimmerus in curiosit. physic. p. 88. Freitagius noctibus med. c. 39. &c. Gierus de superstitione, Ammanus medicina Critic. p. 331. Petraus nosologia l. 1. p. 325. qv. 80. Ludov.* Hörnigk im Würg-Engel/ *Duretus apud Hollerum de morb. internis l. 1. c. 62 p. 160. Geigerus Kelographia c. 5. p. 43. &c. Libavius singular. l. 1. p. 294 &c. Kirstenius adversar. in Agricolam part. 2. p. 285. &c. Berneggerus in Corn. Tacitum qv. 39. Claud. Minois in Alciatis Emblemat. 78. commentar. p. 317.* Addantur etiam hactenus adductis *Disputatio de Tephillin seu Judaeorum ligamentis precatoriis in capite & brachio, Jena habita*

Anno

Anno 1674. Mag. *Eberhardi Rudolph.* Rothens / & *Respondentis* Mich. Becks / Item *Ioh. Hartm. Mislerus philosoph. natural. thetica p.* 20. §. 109. *Camerarius in horis succisiv. cent.* 3. *cap.* 30. *p.* 102. &c. *Dan. Hartnaccius in admiranda physica p.* 134. &c. *Diemerbrækius de peste p.* 176. *Phil. Hæchstetterus dec.* 2. *obs.* 2. *p.* 212. &c. *Schottus Technic. curios. lib.* 12. *Casp. Ebelius oper. philos. tom.* 3. *de viribus imaginationis p.* 18. &c. *Gabr. Fontanus medic. Antihermetica sect.* 3. *c.* 4. *p.* 176. *Bald. Timaus à* Güldenklee *lib.* 8. *cas. med.* 20. *p.* 367. *Forestus l.* 9. *obs. med.* 52. *p.* 301. &c. *Fernelius de abdit. rer. causis lib* 2. *c.* 16. *p.* 519. *Conringius de Hermetic. medicin. l.* 1. *c.* 11. *p.* 112. *aliisque in locis pluribus.* Martinus *Delrio disquisit. magic. Tom.* 1. *l.* 1. *c.* 4. *quæst.* 1. &c. *p.* 29. *tom.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 3. *tom.* 3. *l.* 6. *c.* 2. *sect.* 1. *qv.* 1. *p.* 140. *Alberic. Gentilis ad Tit. C. de maleficiis & mathematicis p.* 83. *Ioh. Langius l.* 1. *Epist.* 34. *p.* 159 &c. *Simon* Majolus *tom.* 2. *colloqu.* 3. *dier. canicular. p.* 278. *Ioh. Christian* Frommanus *disput. de fascino p.* 61. &c. *p.* 114. &c. & *p.* 143. &c. *Mich. Freudius* in Gewissens-Fragen von der Zauberey *qv.* 218. *p.* 439. &c. Mich. *Havemannus Amusio sect.* 2. *c.* 34. *p.* 700. &c. *Cas. Longinus in trino* Magico *c.* 8. *p.* 14. & *c.* 9. *p.* 15. *item c.* 10. *p.* 18. *Christoph. Besoldus Thesauro practic. sub voce* Artzney *p.* 51. *Herm. Grubius de arcan. medic. p.* 84. &c. *p.* 92. &c. Felix Bidenbach *in consilior. Theolog. decad.* 2. *num.* 12. *p.* 50. *Cunr. Dietericus Antiquitat. Biblicis f.* 521. &c. & *in Iatreo Hippocratico p.* 723. &c. & 977. &c. *Henricus Kippingius* Institut. *Physic. l.* 2. *c.* 7. p. 97. *Ioh. Pharam. Rhumelius medicina Spagyrica* p. 371. & *in medic. militar. dogmat. Hermet.* Magic. *c.* 4. *Rugerius* Ferrerius *method. med. l.* 2. *c.* 11. *Ioh. Gerard. Vossius de Philosophia & Philosophorum sectis l.* 1. *c.* 8. p. 64. & 65. *Iac. Panc. Bruno Lexico Castelli renovat. sub voce characteris p.* 281. &c. *Sanctorius de vitand. error. l.* 8. *c.* 11. *f.* 162. *Athanas. Kircherus de art. magnet. l.* 3. *p.* 689. & *in Oedipo, Mich. Dœringius de Medicin. & Medico p.* 99. *Fel. Platerus de febribus p.* 198. & *aliis in locis J. J. Boisardus de divinatione, Gregor. Michaëlis notis ad Gaffarelli curiosit. inaudit. multis in locis, Laurent. Pignorius characterib. Ægyptior. variis in locis, Iohan. Rainoldus censura libr. Apocryphor. veter. Testament. pluribus in locis tomi utri-*

usque

usque, *Iohan. Gerhardus L. C. de lege Dei §. 122. Marc. Aurel. Severinus Scilomastige* p. 69. *Mart. Schmuckius occult. magic. morbor. curat.* p. 44. *Mich. Bapstius* im Artzney Kunst- und Wunderbuche *part. 1. p. 354. &c. aliisque in locis pluribus*, & *idem* im wunderbarlichen Leib- und Wund-Artzney-Buche *part. 1. p. 45. &c. Jac. Joseph. Jæpserus manuductione ad vitam longiorem c. 10. p. 347. &c. Cunr. Dietericus in Eccl. T. 2. p. 668. &c. Frid. Balduinus cas. conscient. l. 3. c. 5. cas. 2, 3. & 4. pag. 715. Ludov. Dunte cas. conscient. c. 10. sect. 1. quæst. 42. &c. p. 305. Nath. Hodges Loimologia pag. 237. Joh. Prætorius Alectryomantia aliisque in hujus scriptis variis, & Adam. à* Lebenwaldt von des Teuffels List und Betrug in der hebreer Cabala.

Sed finem facio in allegandis his autoribus disſvadentibus ac deteſtantibus iſtiusmodi curationes (ſchedulis nimirum, verbis aut voce, characteribus, & ſimili aliâ ratione illicitâ) inſtitutas. Rationes eorundem autorum nolui, prolixitatis majoris fugiendæ gratia, excerpere, atque huc trahere, quibus videlicet illi inſurgunt contra medendi actiones illicitas; facilè itaque ex iis adductis eædem peti poſſunt, ſi quis harum deſideriô tenetur. Lubet nobis adhuc his annectere verba de abſurdis ejusmodi actionibus, quibus contra *Gaſſarellum*, docentem atque defendentem aliàs cœli & aſtrorum Alphabetum, utitur *Ath. Kircherus Oedipo Ægypt. T. II. part. 2. & VII. pag. 215.* hoc tempore, inquit, quantò commenta ſunt abſurdiora, tantô in animis ſuperſtitioſorum hominum plauſibiliora ſunt, ac veluti ambobus brachiis avidis excipiuntur; quibus quidem erroribus paulatim ſerpentibus remedium efficacius adhibere non poſſe exſtimavi, quam inſanorum hujusmodi dogmatum apodicticam confutationem; quorum ſuppreſsâ falſitate veritas tandem ſuæ integritati reſtituatur. Si verò tot teſtimonia, rationes ſanæ, & dehortationes ex profanis & ſacris ſcriptis deductæ non deterreant quempiam, qui amorem ac patrocinium adhuc erga vetita iſta alere velit, ac poſſit; deterreri tamen ille ſe patiatur ſiniſtrô & lugubri utplurimum effectu, tandem ex illicitorum iſtorum uſu promanante. Conſtat quippe, quòd

morbi, ex illicitorum pentaculorum usu profligati, brevi sæpe, & eâdem quidem, vel majori sævitiâ reverti soleant; de quo nonnulla allegata prostant in *Herm. Lignaridi oblectament. Academic. c.* 12. Annotat etiam *Heurnius ad sect.* 2. *Aphorism.* 27. quod propter monitum illius aphorismi, de recidivis agentis, excludendæ sint omnes vetularum & veneficarum præstigiæ & imposturæ, quæ carminibus, colloque appensis, subitò morbos levent, qui tamen postea recrudescant. Sic *Duretum* ap. *Hollerium* itidem hoc annotare meminit *Joh. Laur. Dieterichius Jatreo Hippocratico p.* 977. Exemplum hujus asserti prostat etiam apud *Henr. Smetium miscellan. med. l.* 10. *p.* 549. Facit huc etiam annotata historia in *Miscellan. Acad. Leopold. Cæsar. Dec.* 2. *Ann.* 2. *obs.* 106. *p.* 261. Utrum etiam illud Christianos deceat, ut morbi variis modis & rebus illicitis aufferantur, ac mediantibus istis deinde abjectis, (ea destinatâ intentione & scopô) in alios homines sanos propagentur, judicent ii, quorum mentem non occœcavit simplicitas, stupiditas, aut Diabolicum palpum. Ecquid boni etiam à sceleratis istiusmodi medendi actionibus expectandum erit, cùm Dæmon, veneficæ, scelerati homines, & corrupta ratio insana, ista svadeant & suppeditent. Sed de his plurimis etiam alia scrutinii hujus loca agunt, ideoque iis repetendis denuò non immorabor. Utinam verò memoria omnium impiorum ausuum medicorum, & Diabolicarum rerum hactenus dictarum, & inprimis etiam libri docentes isthæc ultricibus flammis committerentur, magistratûs autoritate atque persecutione severâ & perseverante: quò Satanæ regnum indies magis magisque destrueretur, & è contrario veri Dei Deorum cultus sincerus solùm floreret, atque unicè post hæc propagaretur. *Ulpian. Jc.* libros istiusmodi vocat improbatæ lectionis, eosque protinùs comburendos esse statuit, cujusmodi primus excogitasse dicitur *Zabulus*, quidam illicitis artibus deditus, deinde *Barnabas quidam Cyprius*; hanc verò notitiam debemus *Iohan. Renodao in Instit. pharmaceut. lib.* 1. *c.* 12. *p.* 13. Plura de simili pœna ab Imperatoribus, judicibus, vel doctoribus libris istiusmodi destinata habentur in *Mich. Freudii l. c. quæst.* 40. *p.* 707. *&c.* De exemplis

verò,

verò, quòd scelerata ejusmodi scripta flammis adjudicata sint, agit *Greg. Michaëlis in notis ad Gaffarelli curios. inaudit. pag.* 484. *&c.* Vovet etiam *Joh. Mich. Dilherrus tom.* 1. *disput. Acad.* 8. *pag.* 154. ut Christiani vetitos libros conferant & comburant eosdem coràm omnibus æquè, ac Ephesii olim fecerunt. De similibus libris, impia continentibus, & flammis pariter adjudicatis videri itidem potest *Mich. Siricii victrix veritas contra Wirdigium edit. p.*17. *&c. Nazianzenus orat.* 18. *in laudem Cypriani pag.* 105. *Damascenus historia de Barl. & Joseph. p.*364. Hic ultimus autor quoque meminit, quòd *Theodas* suæ magicæ artis libros assumens, velut totius malitiæ autores & mysteriorum Dæmoniacorum thesauros, igne combusserit. Si verò digna hæc dicta elementaris flamma ultrix non nauseosa satis reddat & dissvadeat cuipiam ista illicita, atque libros talia docentes; tamen æterna gehennæ flamma iis illicitis indulgentibus, & omnibus damnatis tandem destinata quemvis deterreat, ne delectetur istis.

Agmen tandem in hac materia refutata claudet verbis suis *Corn. Agrippa*, qui restim penè ducit, vel duxit aliàs inter superstitiosorum atque impiorum amuletorum, tilsemarum, magicarum curationum ac rerum, præstigiarumque doctores. Resipuisse equidem videtur *Agrippa* dictus in senio, dum sua molimina impia varia juventutis exsecrat atque damat; velut dispalescit hoc ex ipsiusmet verbis consignatis in ipsius tractatu *de vanitate scientiarum cap.* 48. *p. m.*182. de magicis, inquit ille, scripsi ego juvenis adhuc libros tres amplô satis volumine, quos de occulta Philosophia nuncupavi, in quibus quicquid tunc per curiosam adolescentiam enatum (erratum alii legunt) est, nunc cautior hac palinodiâ recentatum volo. Permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contrivi. Tandem hoc profeci, quod sciam quibus rationibus oporteat alios ab hâc pernicie dehortari. *Omnes autem ii opera Demoniaca exercentes, cum Jamme & Mambre & Simone Mago æternis ignibus cruciandi destinabuntur.* Plura similia *item l. a. c.*30. communicat. De dictis licet non sit dubium, conatur tamen *Agrippæ* discipulus vel amanuensis, nimirum *Joh. Wierus* (quod non adeò tandem miramur,

cùm ipsemet incantator exstiterit, ceu colligimus ex *Mich. Freudii l. c. qv. 383. pag. 681.*) impensè sui præceptoris dicti vitam & actiones defendere in *tract. de præstig. Dæm. lib. 2. c. 5. p. 161. &c.* Ibi enim à Magia illicita, reatu vario, scriptisque magicis eum immunem declarare allaborat Wierus; Verum ipsemet *Agrippa* fatetur ac detestatur *l. a.* illa, suæque juventutis eâ ratione commissos errores (modò non hos etiam continuatos in senectute) dolet, deprecatur, & aliis disſvadet. Suspicionis meæ autem modò dictæ, scilicet de Agrippæ perseverantia pessima, fundamentum firmius tandem hausi ex *Joh. Wolffii Lect. memorabil. tom. 2. f. 924.* Cui adde sis *Mich. Freudium l. c. qv. 52. p. 88. 89. & qv. 382 p. 680. Hier. Jordanum de divino in morbis c. 5. Excell. Christian. Francisci Paulini Cynograph. p. 121.* ubi inprimis de ipsius cane atro, sedulò ipsi adhærente ac famulante &c. Quibus dictis jungi pariter potest *Sennertus de consens. & dissens. chym. c. 13. p. 226.* uti & in *prax. med. lib. 5. part. 4. c. 24. p. 522.* ubi autor ex *Delrio disquis. mag. lib. 2. quæst. 27. sect. 1.* horrendam historiam enarrat de ipsius quopiam famulo malè vel intempestivè curioso, scilicet Domini absentis scripta evolvente, nec consciò penitùs heri sui incantationum, quem Diabolus tamen miserè trucidavit.

SECTIO II.

Judicium diffidens amuletis, alioquin licitis, propter characterem quadantenus suspectum.

ABsolvimus in præcedenti sectione illicita periammata, jam itaque de licitis, quatenus eadem pariter non omnia omnibus placent, dispiciemus. Imò opus ferè fuisset ut citiùs inquisivissemus, an planè dentur efficacia ejusmodi periapta, cùm quidam adeò parum efficaciæ iisdem tribuant. Dubium ferè non foret, si quis scepticum agere vellet in hac doctrina, quin multa illorum apotropæorum redige-

re

re posset ad angustam, infirmamque basin. Reperies etiam non pauca pentacula, licita alioquin, à superstitiosa appendicula vel circumstantia raro immunia. Notas istiusmodi suspectas frequenter deprehendet B. L. in catalogo nostro amuletorum, & in aliis autoribus à nobis non attactis vel adductis, periaptis annexas; quæ à quovis attento facilè observari atque examinari possunt. Non inquiram hoc loco prolixè in causas, cur tot hyperbolicæ medicarum rerum laudes passim consignatæ reperiantur, & cur eædem simili, vel majori conatu & severitate ad posteros propagentur; cùm tamen plurimis illis parum rationis, probabilis veritatis, vel experientiæ inculpabilis insit. Forsitan etiam de his aliæ nostræ meditationes, occupatæ circa *fabulas Physicas*, aliquando plura tradent. Interim huc quadrare videtur sermo, circa varias lubricas traditiones Physicas occupatus, *Marci Aurelii Severini*, qui continetur in ipsius particula *Seilo-mastrix dicta p. 65.* (ea verò particula in *Collegio Anatomico à tribus Medicis conflato & Francofurti 1668. edito*, deprehenditur:) certè, inquit ille, video frequenter multa narrari ab hominibus admiranda, & avidissimè transscribi à scriptoribus, quæ postea re ipsâ non apparent. Imò laudatus *autor ibidem p. 68.* videtur amuleta inter perperam inveteratæ medendi rationes ac traditiones numerare. Sic ejusmodi census medicamenta, quæ antea nostri

Narravêre patres, & nos narrare solemus,

Non omnes autem olim soliciti fuerunt, quid veritatis aut efficaciæ possiderent multa medicamenta, & inprimis amuleta; cùm priscorum autoritas persvaserit multis posteris, quòd *Galeno*, vel aliis oraculis similibus & eorum dogmatibus sit nullatenus reclamandum. Præterea magna difficultas adhuc amuletorum inquisitioni & scrutinio inest, atque inerit futuris temporibus, si quæ sunt expectanda: siquidem cordatus & conscientiosus medicus raro ansam solidè indagandi illa nanciscitur. Si enim urgentes morbi curandi occurrunt; ecquis Medicorum solis illis periaptis confidat ita, ut posthabeat alia medicamenta, præcipuè verò interna, tanquam magis congrua atque efficacia. Quando itaque ejusmodi medicamenta plura simul adhibentur, quis certus erit,

cuinam manus victrices, vel efficaciorem eminentiam assignare deceat? Si verò morbi mites vel curatu leves occurrunt, naturæ bonitati vindicari potest convalescentia, etiamsi nulla periammata in usum vocentur, uti in præcedentibus etiam hoc innuimus. Amuletis ejusmodi seu externis medicamentis item exiguam fidem & efficaciam tribuens, interna majoris facit *Sanct. Sanctorius de vit and. errorib. l. 8. c. 11. f. 160.* Imò vox amuleti, propter innumera superstitiosa & illicita, quæ periaptis admixta sunt, à multis inter taxanda & rejicienda medendi media refertur. Hinc sententia illa videtur *Christoph. Besoldo* (*in thesauro pract. sub voce* Artzney *p. m.* 51.) hæc verba elicere: mihi sanè, inquit, ejusmodi remedia (loquitur autem de amuletis & magnetica vulnerum curatione) quæ manifestam non habent rationem, magis nunc, ac olim suspecta videntur. Idem hoc de amuletis licitis, aliàs, quod suspecta quibusdam sint de incantatione, innotescit ex *Sylv. Rattray Theatro Sympath. p.* 641. Sed notus est valor & acceptio vocis amuleti, & quæ farrago medicaminum illius classi inseratur! nobis verò jam sermo solùm erit de licitis & inculpatis physicis periaptis, quatenus eadem non semper penes omnes autores sunt tanti æstimii, quanti quidem fiunt apud quospiam. Imò multi ad alterum extremum lapsi (cùm alii nimii fecerint amuleta) eadem planè spreverunt & rejecerunt, ac penitùs illorũ usu interdixerunt; & quidem impulsi id fecerunt abusu & superstitione vulgi metuenda; cùm observarint his stupendos affectꝰ tribui, quos natura neutiquam ipsis concessit. De Satanæ autẽ vaferrimi astu, pluries indicatum fuit, quòd hic à levibus ejusmodi rebus non procul sæpè abesse soleat, & quòd istæ actiones obviæ in hujusmodi negotio facilè ad veneficia fores pandant, & ad pejora viam sternant. Illustrat hanc meam sententiam *Camerarius hor. succisiv. cent. 3. c. 30. pag.* 103. Exiguum etiam est æstimium periaptorum, quod his tribuit *Joh. Cunrad. Dietericus Iatreo Hippocratico p.* 978. Sed quantulum, ait, est frustuli lapidis & radicis, vel alterius rei appensæ effluvium? In quibusdam vix illum; in aliis etsi majus sit, attamen (cùm partem affectam morbique causam, vel difficulter admodum minimâque quantitate, vel planè non contingat) anceps

ceps exiguaque sanationis spes ab istiusmodi periaptis promitti potest. Admitti tamen possunt, utpote quæ naturalem cum morbo pugnantiam habent; quamvis & in his vulgò erretur, dum in vertigine, epilepsia, uteri suffocatione, & aliis cujusmodi morbis omnia de collo suspendautur, & cordis regioni applicentur, cùm ori & naribus potius illa essent objicienda. Dubia quorundam autorum, circa licita periammata varia, & iis quidem annotatis in præcedentibus addidimus, juxta tenorem catalogii nostri amuletorum in superioribus absoluti, quibus cordalus lector pro confirmanda doctrina amuletorum suum pro lubitu etiam judicium jungere potest.

Restant autem adhuc non nulla alia ejusmodi nondum memorata eum infinem recensenda, quò ansam majorem inquirendi in veritatem amuletorum licit: curioso lectori suggeram; sic de ætitæ viribus, magni à plurimis alioquin in partu difficili æstimatis, *Gesnerus lib. 3. histor. animal. p.* 183. & 184. ita: quicquid, appenderis parturienti, instantibus jam doloribus partus, & uterô nitente, naturâque movente fœtum, ut plurimùm procedet, nisi nimium infirma & debilitata sit natura. Scio animum & fiduciam non nihil præstare: sed hic verbis potiùs, spe & consolatione plenis, & religione confirmari atque in Deum dirigi debet, non in Phylacteriis & amuletis hærere, ne per simplicem in illa fiduciam idololatria committatur. Conatur enim Dæmon, ut per alios innumeros dolos, sic præcipuè per magiam (quâ verbis & amuletis vires mirificas tribuit) mentes hominum à Deo abstrahere, hanc interim non magiam, sed creatæ à Deo creaturæ vim esse asserens. Hactenus adducta *Gesneri* verba duabus de causis potissimùm amplector, quia scilicet multa amuleta parum vel nihil operari videntur, tum ob suam debilem efficaciam, tum ob experientiam dubiam, ab autoribus licet veram seriò interdum prætensam. Si itaque effectus expectatus ex debilibus quibusdam applicatis periammatibus sequitur, quæritur an ille naturæ bonitati, & huic quidem vel soli, vel imginationi firmatæ, vi medicamentosæ, vel alii causæ adscribendus sit; veluti simili pene mòdò de ætita vi dubia concludit

Andr.

Andr. Dudith. in Cratonis Epist. 35. p. 46. Deinde verba *Gesneri* non procul adhinc allegata movent nos, ut cum quovis Christiano Medico & Philosopho cautè in amueltorum administratione versemur, ne Deo debita sua detrahamus, nimium scilicet indulgentes fortè amuletis; quod eò magis etiam metuendum est, si simplicibus & credulis hominibus eadem speciosè commendentur. Cæterùm de ætitæ operationibus infirmis autores agentes offendes in *Bauschii de Ætite p. 48. &c.* De ætitæ & aliorum similium amuletorum hyperbolicis persvasionibus parvi æstimatis agit etiam *Ludovici de Pharmacia moderna dissert. 1. pag. 789.* Nolumus de ætitæ operatione id etiam intactum prætermittere, quòd quidam illam non adeò ex lapide provenire arbitrentur, quàm ex fascia femori interno arctiùs unà sæpè circumligata; unde pelvis amplior reddatur; atque propter dolorem ac tensionem illic excitatam partes ibidem irritentur, ut adjuvent conatum parturientium; de quo *in dissertatione medica de superstitione & remediis superstitiosis Joh. Dav. Reinii sub Præsidio Joh. Joch.* Zentgraffen *& Marci Mappi Argentorati habita.*

Citatus brevi abhinc *Gesnerus* etiam gemmis præcipuè, & aliis apotropæis parum fidei tribuit, de quo in præcedentibus quoque non nulla talia interseruimus. Quòd verò per accidens, aliamve rationem, non nunquam dictis periaptis potestas tribuatur potiori jure, quàm illorum specificæ proprietati, vel rationi, & causæ efficaci medicæ, suspicionem inter alia suggerunt hæc: dum *Casp. Bartholinus de lap. Nephritico cap. 10. p. 26.* meminit, alectorium ori inclusum, vel lapidem carpionum ore detentum sodam prohibere; quod etiam alia corpora duriuscula in ore volutata, salivam alliciendo, efficiunt. Sic ni fallor quidam amuleta quæpiam in panno vel linteo crocô tinctô contra dolores admovent quibusdã partibus, ubi quipiam croco malunt vim sopiendi dolores aut somniferã tribuere. Quid de amuleto plumbô munito in cephalalgia commendato sentiamus, exposuimus *p. 64.* Attigimus superius itidem in amuletorum Catalogo vires quorundam, quæ sangvinis fluxum compescere existimantur, has autem multi autores in frigiditatem actualem eorundem conjiciunt; uti

uti de hæmatite aliisque similibus autorum sententiæ notæ sunt. Cæterum rerum externarum frigidarum usus, in hæmorrhagiis familiaris quibusdam, nostrâ commemoratione vel explicatione non indiget; quamvis iste non admodum approbandus videatur. Porrò *Franc. Redi experim. naturalibus p. 99. &c.* circa vires Hippopotami dentis, itidem contra hæmorrhagias commendatas, dispiciens, non negat hoc præstare posse frustum illius dentis, æquè ac aliam rem duram quamcunque, si venis ruptis vel dissectis imponatur: eô enim vulnus illud supprimi, ac sangvinem emanantem cohiberi arbitratur. Vim autem medicam peculiarem sangvinis fluxum cohibentem in dente dicto nullam agnoscit ille autor. Non veretur etiam in hæc verba prorumpere *Joh. Cornel. Weberus anchora sauciatorum p. 117.* inquiens: recensentur quidem à multis remedia sangvinem sistentia, quæ tamen semper & ubique non satisfaciunt &c. Plura ejusmodi alia periapta occurrunt, quæ similiter non occultâ vel specificâ vi suas operationes exerunt, sed potiùs evidenti quapiam ratione; veluti quoque superiùs inter colicæ amuleta varias pelles dilaudatas tradidimus, quas autores singulari curiositate vel opinione persvasi dicto malo opponunt; verùm præter calorem à variis illis pellibus expectandum, vix suspicor specificam aut ab aliis pellibus distinctam facultatem emanare. De lapidibus & sacculis, variis rebus repletis atque calefactis, ac in colica conducibilibus existimatis, quotidiana docet praxis medica & vulgaris usus. Quid si etiam à calce in pellibus dictis residua vis subtilis prodiret, quæ juxta calorem unà concitatum flatibus discutiendis ac dolori sedando inserviret. Sine dubio etiam propter Sumach vel Rhus (Germanice Schmack) Corduani corii segmina commendata aliàs pro hæmorrhagiis sedandis profuisse observata sunt. Vis adstrictiora autem dictæ illius arboris nota est, uti & illud, quòd ejusmodi constringentia varia contra varios sangvinis aliosque fluxus, tum internè tum externè adhibeantur. Plura alia similia curiosus lector sine dubio observabit, quæ eôdem in amuletorum operatione recidunt.

Pro ulteriori hujus rei demonstratione, quòd amuletis multis casu, vel aliis ex circumstantiis atque causis rectius effectus

inquit, eorum uti componuntur, ita & ad usum adhibentur sine ratione, sive religione, sine conscientia; cum summa superstitione, & Dei blasphemia. Nihil autem turpius est homini rationali, quàm sine ratione aliquid docere, aut discere, multò turpius contra rationem patrare aut credere, aliisque persvadere velle: atque hôc modô peccatur & à medicis & ab ægris, in compositione, & usu amuletorum &c. Dehinc quòd amuletis tanta vis insit, quantam vulgus sibi persvadet, jamdudum dubitavit *Andreas Dudithius ab Horckowiz in Epistolis ad Petr. Monavium datis, de quo apud Scholzium in Epistolis Cratonianis dictis, Epist. 40. 49. & 51.* Allegatus *Dudithius loco ultimo citato p. 63.* pergit ita: de amuletis, & φίλτροις sollicitus sum, nam nondum animum inducere possum, ut credam eorum esse vim aliquam, aut certè non tantam, ut vulgus existimat, quod de amuletis intelligi volo. Nam φίλτρα potiones esse noxias non dubito &c. Addemus insuper etiam ab hac sententia non aliena verba *Excell. Georg. Wolffg. Wedelii*, quæ continentur *in Miscell. Acad. Leop. Cæs. Dec. 1. Ann. 2. obs. 195. p. 296.* quæ, inquit, de amuletis vulgò scribuntur, raro admodum explent autorum effata, si ad experientiæ amussim judicentur, ut ferè omni exciderint præconiô. *Gabr. Fontanus Medic. Antihermetica sect. 3. c. 4. p. 176.* docet hæc: alia amuleta, quorum vis magnetica censetur, non omninò à Medicis improbantur, & reverâ proprietate quadam abditâ sæpè effectus salutares proferunt. Experientia enim de quibusdam docet &c. Et paulò post ille de quibusdam, suffragiô Autorum laudatis, hæc depromit: hæc verè naturalia censentur, sed per multa sunt inania & anilia, quæ hominum superstitionem occupant, qualia à diversis autoribus enarrantur. Neutiquam etiam sub simplicitatis vexillo militat vir ingeniosissimus, & propter plurima sua alioquin dogmata magni æstimandus *Francisc. de le boe Sylvius, qui in operibus Medic. p. 653. §. 1010. &c.* difficulter credulum se præbet in doctrina amuletorum, licet veritatem quibusdam non disputet. Prolixum etiam discursum ibidem autor de præconceptis opinionibus Medicorum in mala causa medica, deque autoritate Medicorum & Physicorum in-

certa pertexit; quô ipsô non obscurè pulsat vel impetit amuletorum doctrinam atque hujus Patronos, licet non expressè id designet. Annectam adhuc his pauca ipsius verba ex *l. a. p.* 1011. petita; agit quippe illic autor de mercurio in peste loco amuleti usitato: didici, ait, de omnibus dubitare, nec amplius fidem illis adhibere, qui quævis venditant pro veris ac certissimis, quæ opinioni suæ confirmandæ putant servitura; licet norint eadem esse falsissima, fictitia saltem, ac minimè certa. Desudarunt itidem manus oculatæ curiosi, & sæpè à nobis allegati, *Domini Franc. Redi,* (velut in *Experimentis ejus naturalibus* videre est) in indagatione amuletorum non nullorum; verùm vanus fuit ille in plurimis experimentis tentatis. Sic vereor ne aliis pentaculis, licet mirè passim commendatis, idem illud accidat, si ad experientæ trutinam, sine præconceptis opinionibus vel affectibus, revocentur. Non nimis etiam in omnibus rebus medicis, & inprimis amuletis, credulitati indulget *Erastus de occultis pharmacor. proprietatib. c.* 21, *& seqv.* dum inquit: quæ *Fernelius lib.* 2. *de abdit. rerum causis cap.* 18. de corde hirundinis palpitante, de corde turturis & corvi, de araneis inclusis in testa juglandis, ranarum oculis, & anate vivâ refert, indigna sunt quorum fiat mentio. Aut enim superstitiosa aut ementita & falsa sunt; quod de aliquibus, ipsô periculô factô, certissimè affirmo, aut hæc certè propter manifestam causam prosunt. Ostendit porrò idem *autor c.* 33. 45. Galenum multa falsa deprehendisse in Medicina, quæ ab antecessoribus fuerint tradita; ipsemet *Erastus* etiam non pauca examinans, eadem minùs vera deprehendit; adeò ut meritò increpet segnitiem Medicorum, propter varia ab ipsis promulgata, & magnarum virium perperam existimata, vel ad occultas qualitates relata, de quo plura paulò post. Non optimè quoq; audiunt, ut in genere alia, ita præcipue venenata amuleta *Ibr. Diemerbrockio in tr. de peste p.* 176. multa, ait, inania amuleta timor, multa fallacia & superstitiosa excogitavit avaritia: Illa maximè à Medicis timidis inventa sunt, ut hominibus inservirent consolationi, dum ipsi auxiliatores fugitivi essent; Hæc ab avaris quibusdam Medicis & circulatoribus eum in finem maximè concin-
nata

nata sunt, ut si non venenum pestilens, saltem loculorum nummos evacuarent; quorum talibus major solet aliàs esse cura, quàm sanitatis aliorum &c. Plura verò de Zenechtorum valore vel æstimio in præcedentibus absolvimus. Verba quæ mox jamseqvuntur sunt *Petri Hoffmanni ad Sigismundum Schnitzerum*, (uti videre est in *Hornungii Cista Medic. Epistol. 205.*) tuam, inquit, sententiam de amuletis partim recipio, partim asserere ambigo. Rectè enim, quia in minoribus morbis nihil possunt, in majoribus multò minùs aliquid præstare illa concludimus &c. Aliquoties à nobis citatus *Dominus D. Johan. Tobias Major in tertio invento Medico.* §. 3. de verbena, passim amuleti loco contra capitis dolores commendata ita: valdè, inquit, vereor, ne casu quandoq; eventus successerit; & sicut universus opinione mundus regitur, multæque ac ineptæ veterum traditiones restant ex foro medico adhuc eliminendæ, ita constans à tot annis persvasio mortalibus imposuerit ad hunc usque diem &c. *Manardus l. 13. Epist. Med. 6. p. 361.* dum de medicamentis contra Epilepsiam agit, scribit ita: Occurrunt nonnulla amuleta, quæ cum physicè hunc morbum curare ab excellentibus quibusdam Medicis scripta sint, quamvis à me parum sint credita &c. In eandem sententiam abit verbis paulò aliter adductis *Hæchstetterus observat. decad. 3. cas. 2. p. m. 215.* Ubi amuleta physica plus promittere, quàm præstare ostendit. Non nulla item amuleta epilepsiæ examinans suâ experientiâ rejicit, & in genere parum fidei, atque efficaciæ omnibus periammatibus impertit *Jac. Primerosius de vulgi erroribus l. 4. c. 57. §. 10. p. 158 &c.* Quando etiã veteres medicamenta vel amuleta commendarunt, quorum operandi rationem non adeò exponere valuerunt, id Physicæ, occultæ, aut totius substantiæ operationi tribuerunt, uti in præcedentibus dictum; atq; sic his prætensis se à ratione reddenda immunes censuerunt. Verùm *Gvil. Puteanus l. de medic. purgant. facult. c. 5. Galeni* ipsius sententiam non admodum intentam vel defixam de hujusmodi medicamentis præmittens, suamque opinionem de pœoniæ semine & radice in Epilepsia, uti & de stercore lupi in colica inefficaci annectens, concludit tandem inquiens: experiri placuit sexcentis

ejusmodi alia, quæ à totius substantiæ proprietate *Galeno* dicuntur operari, quæ nihil adjumenti infirmis & malè se habentibus, attulerint. Unde facetè quidam nostræ tempestatis Medicus, per jocum dicere solitus erat, hujusmodi proprietates meritò occultas nominari, rarò enim inquit, accidit ut quispiam earum effectus, sive utilitates percipere possit. &c.

Quidam, qui doctrinam amuletorum de sede & autoritate sua dejicere conantur, allegant vel in suffragium vocant *Theophrastum de historia Plantarum* 10. *cap.* 21. qui multa quidem recenset amuleta, ea tamen simul deridet, tanquam vana & superstitiosa. De rationibus non nullis etiam examinatis atque impugnatis, quibus *Erastus* aliique omnem, vel plurium amuletorum valorem destruere nituntur, cui placet, adire potest *Rod. Goclenii tractatum de peste p.*71.*&c.* Non possumus non verba adhuc ipsius allegare *Erasti de occultis pharmacorum potestatibus c.*29.*p.*55. quid Galenus, inquit, cùm de lupino stercore differit, scripserit non ignoro. Quantum aliàs talibus tribuendum judicavit, id quoque non nescio. Ego pleraque ejus generis ad decorem ornatumque, vel etiam ad fallendum rudes excogitata fuisse existimo à doctis. Horum postea multitudinem imperiti auxerunt, ac celebriora reddiderunt. *Idem autor in disput. Medic.* 22. (quam demum in fine hujus, & ad hæc pene verba, expressi mei tractatus conspexi) agit in specie de *amuletis*; verùm in eadem pauca reperi, quæ speciali ipsius titulo respondent. Inter alia verò lubet mihi iterum verba, minùs faventia huic doctrinæ, ex eodem loco excerpere §. 2. *p.*95. scribit Græcos veteres rarò admodum usos esse amuletis §. 4. miratur idem, quòd præter impostores & imperitos etiam docti & boni viri his remediis tantum tribuant, ut nullum ferè morbum graviorem absque his curari posse opinentur, aliaque rationabilia magis pro nihilo pene habeant. §. 37. 40. 41. exiguam vim naturalem amuletis tribuit, earumque vires non adeò à Deo sæpe, sed Dæmonibus ori credit. §. 43. ideò talia etiam Christianis indigna pronuntiat. §. 45. *ad* 49. idem quoque non nulla contra periapta conatur adstruere, quæ tamen responsionem aut limam merentur, & (forte in *ipsius* §. 90.) inveniunt. §. 91. cùm apertâ vir-

virtute operantia sint ad manus, iis occultè magis, vel extrinsecùs operantibus non esse opus idem dicit: §. 92. propter tarditatem penetrandi vel operandi inutilia esse externa in morbis acutis; in longis verò in sufficientia ad evacuationem requisitâ. § 103. porrò experientiâ verâ, nec fallaci cognita esse debere medicamenta vult autor, (unde hanc etiam crebrò in disputat. desiderat vel provocat; & in § 119. *&c.* 123. *Galeni* testimonum de quibusdam amuletis proficuis declaratis in dubium videtur vocare) item ne alia medicamenta cum illis sint adbibita, ut ita perperam effectus tribuatur incerto cuipiam. Imò putat à natura sæpe, aliave causa (unà juxta §. 123.) aut per accidens fieri curationem, quæ itidem falsò medicamentis istiusmodi tribuatur. §. 104. scribit ille externa non habere locum & potestatem in morbis internis curandis, aut saltem non adeò probatam §. 117. pergit multa equidē occultâ virtute operantia amuleta, aliaque medicamenta contra venena commendari, sed ægrè talia deprehendi. Demum inter alia autor §. 97. ita: ad nostri seculi, inquit, experientiam si descendamus, minùs commodare intelligemus. Ego sanè per annos circiter 30. diligenter observavi, hac in re quid fieret: ac neque à præceptoribus meis, neque ab aliis ullis deprehendere veri aliquid potui. Per impietatem & superstitionem, artesque illicitas, vel casu, vel Dæmonum operatione quosdam liberatos vidi, sed infinitè sæpius frustratos artifices cum ægris spe suâ perspexi. Dehinc *Beverovicius Epistolic. quæstionib. p.* 163. dum de gemmarum valore medico disserit, quod multi magnô molimine de eodem scripserint: rectiùs, inquit, ergò Medicorum filii fecerint, si in morbis acutis & malignis, qui celeritatem postulant, à talibus pharmacis manum abstineant, certiora sectantes. Atq; hoc omninò observare decet, ne fortè in periculosis vel subitaneis morbis insufficientibus medicamentis fidentes, serò & frustra postea nos seria & efficaciora media imploremus. Gemmas alioquin etiam non tantarum virium esse, veluti quidem existimarunt prisci, pluries in præcedentibus demonstravimus. Quemadmodum etiam *Erastus Disputat. contra Paracelsi. part. 1. p.* 187. gemmarum varias vires occultas ridiculas censet, plurimasq; amuletorum operationes negat; de gemmarum autem æstimio ambiguo, nostri scrutinii *capitis* 4. *f.* 1. *p.* 558. *&c.* plura communi-

municant. Multi equidem varia argumenta conquirunt, quibus autoritatem periaptis comparare satagunt; sed ego nullius in verba juro, quin potiùs experſentiæ & veritatis trutinæ omnem amuletorum doctrinam committo & commendo. Penſitet inter alia ſimul Curioſus Lector quid de amuletis quibusdam ſentiendum ſit, quæ cœlo delapſa olim non nulli crediderunt: veluti de quibusdam, ſcilicet Palladio, ancili, guttis Apollinis ſeu Solaribus, aut ſpermate ſolis & iridis traditiones veterum notæ ſunt, & de his accuratè, negando tamen dictam illorum originem, agit *Jul. Reicheltus de amuletis p. 29. &c.* Quid nos verò de his, & aliis amuletis ſimilibus, miris & ſpecioſis modis quandoque inventis vel uſurpatis, ſentiamus, paulò inferiùs in hac ſectione pronuntiabimus. Si fateri debeo, quæ vero conſona in amuletorum doctrina deprehendi, eloqui omnino cogor, quòd multa difficilia, abſurda, incredibilia & anilia in eadem latere obſervaverim.

Inter alia in catalogo noſtro amuletorum itidem occurrunt non rarò periammata, quæ planè diverſas & ſibi invicem contrarias operationes edere ab autoribus dicuntur: ſicuti de ætite indicatum fuit, autorum teſtimoniô id comprobante; quòd modò retinere, modò propellere fœtum ſoleat, vel debeat, de quo præcedentia etiam revolvantur *p.* 512. Sed fortean loci diverſitas, quibus ille lapis pro alterutro effectu admovetur, aut confidentia gigantea prægnantium effectus illos diſtinctos efficit, ſi modò effectus verus relinquitur ab iſtis. Sæpe etiam fallacia in illis rebus intercedit, quemadmodum urticæ variô modô corpori applicatæ vis ſangvinem ſiſtendi communi pene ſuffragio tribuitur, de quo *p.* 199. *&c.* Illi urticæ tamen alii contrariam operationem affingere malunt; verùm poſtrema hæc vis ab integræ urticæ ſpinulis potiùs, quàm alia medicâ facultate metuenda eſt, uti bene Nob. *Schröckius monet. in ſcholio ad Miſc. Acad. Leopold. Cæſ. Dec. 2. Ann. 2. obſ. 25. p. 75. &c.* Sic etiam millefoliô contra fluxus humorum & hæmorragias quipiam variâ ratione utuntur, quô tamen integrô in nares immiſſo norunt pueri, ſcholæ & vitæ ſedentariæ pertæſi, hæmorrhagiam ſimulatam provocare & exeundi veniam emendicare. Si placet etiam, pro hoc ſcopo quadantenus fa-

facientia superiùs *p.* 200. de mentha videantur. Absolutis his meditationibus incidi in *Reinesium* de ætitæ genuino isto usu disquirentem, qui truncatam sententiam illam de duplici efficacia esse, & errorem inibi latere, cujuscunque culpâ inductum, affirmat; inclinat verò eò potius ut dicto ætitæ vim fœtus retinendi solùm tribuat nominatus autor in suis *Lection. var. l.* 3, *c.* 15. *p.* 565. *&* 566. *& idem in defens. variar. lect. p.* 75. *&* 76. Cæterùm etiam *Excell. Dominus Luc. Schröckius exam. Zwelfferi Pharmacopœiæ Augustan. restitutæ p.* 455. dicit non nullos contendere, quòd fiduciæ in dictum lapidem plus, quam virtutibus meritisque ejus tribuendum sit. Similiter de stellionis nigri cineribus traditur (uti constat *ex Bartholini de lap. nephrit. c.* 9. *p.* 22. §. 27.) quod illi in petia ligati, & manu sinistrâ gestati impotentiam veneream sanent; nam si dextra manu (ceu pergit autor) teneantur venerem impedire & imminuere dicuntur. Sic de samio lapide, aliisque pluribus amuletis geminum vel contrarium usum iidem sæpè, vel diversi autores deprædicant. Porrò in doctrina periaptorum *Soph. Kozakus de Sale p.* 111. *&* 311. videtur contra quædam amuleta regerere, dum distingvit inter morbos à causis merè naturalibus ortos, & eos qui à Deo vel angelis suam originem trahunt, quibus postremis frustra opponi ista periapta statuit. Ut ut divinum in morbis attendendum censemus, autoris tamen dicti patrocinium atque æstimium amuletorum inclinat eò, ut multorum irritum usum vel efficaciam sæpius in medicina observatam, eâ ratione vel excusatione tegat, ne eadem spernantur.

Si spectemus inter alia experientiam sæpius hactenus ab autoribus concussam amuletorum multorum, ea sæpè admodum infirma, vel nulla propemodum existit, quæ usum probatum illorum confirmare, & eum incertitudini eximere possit. Hinc porro, etiamsi apotropæa in autoribus allegata reperias, non rarò iis tamen incertitudinis notas has annexas animadvertes: Scilicet hoc amuletum id præstare dicitur, creditur, putatur &c. De aliis medicamentis variis itidem aliàs subdubitantia, vel parcæ atque incertæ experientiæ innitentia verba passim reperienda, vel audienda vulgò iisdem nota sunt, dum Germani inquiunt: Es soll vor diese oder

jene Kranckheit gut seyn oder helffen; quòd rectè etiam circa multorum medicamentorum raram ac suspectam experientiam annotat acutissimus & Exc. D.D. *Paul. Ammannus de materia med. p.6.* Sed debent sæpè medicamenta hôc vel illö modô commendatô prodesse, modò vellent aut possent, & scriptorum autoritas circa laudem illorum occupata non esset dubia. Inter alia autorum testimonia etiam hoc loco sistimus illud *Henr. Smetii misc. med. l.2.c.29. p.96.* periaptis, inquit, quæ de collo vel alia corporis parte suspenduntur, nemo admodum confidere ausus est. Ego pleraque ejus generis ad decorem ornatumque, vel etiam ad fallendum rudes excogitata fuisse existimo à dolosis. Horum postea multitudinem imperiti auxerunt, ac celebriora reddiderunt. Si *Dioscoridis* loca varia de amuletis evolvimus, eadem simplicium hominum vel mulierum autoritate sæpe inniti, vel ab iis edocta; rarò verò experientiâ confirmata illa comperiemus. Uti idem hoc, & alia indicia de incertis amuletis à *Dioscoride* traditis consignata prostant apud *Sanct. Sanctorium de vitandis error. l. 8. c. 11. f. 161.* Fortassis non omnia in *Dioscoridis* scriptis contenta eum agnoscunt autorem. *Erastus etiam Disp. med. 22. §. 122.* scribit *Dioscoridem l. 6. de venenatis* amuleta cum *Erasistrato* ridere. Quadrant pene in periapta multa, vel illorum doctrinam verba illa *Prudentii*:

> — — — *Sic observatio crevit*
> *Ex atavis quondam malè cœpta: deinde secutis*
> *Tradita temporibus, seriisque nepotibus aucta*
> *Traxerunt longam corda inconsulta catenam,*
> *Mosque tenebrosus vitiosa in secula fluxit.*

Sic zenexton ex rubeta paratum, atque pestis tempore insigniter à multis commendatum, per traditiones tantùm laudatum ac propagatum non malè vocat *Dan. Ludovici de medicina moderna diss. 1. p. 303.* de quo inter Zenechta superius uberius egimus. Plures autores de aliis amuletis, traditione potius quàm experientiâ probatis ac propagatis, idem statuentes haud difficulter in medium produci possent: proinde in ejusmodi aliis suspectis aut dubiis medicamentorum operationibus occupatus *Thom. Erastus de occult.*

occult. medicamentor. potestat. c. 53. p. 94. ait: quid, inquit, hîc aliud putabimus, quàm præstantes hosce viros, quæ ab aliis acceperunt, credidisse ac operibus suis inseruisse? quod cùm hodie quoque fiat à plerisque, mirari non debemus, quod tanta enumeretur horum medicamentorum sylva, & nihil tamen proficiant, qui illis crebrò & ferè semper utuntur. Facerem itaque etiam mea ferè verba ista, quæ sunt *Hippocratis Epidem. l. 5. text.* 45. ita est naturâ comparatum, ut harum rerum, quæ admirationis gratia narrantur, audiantur plurimæ, videantur paucæ. Hinc itaque vires tot & toties decantatorum apotropæorum adeò

Apparent rara nantes in gurgite vasto.

Multi igitur fidem tantùm non omni amuleto derogant; sed restant alia adhuc his opponenda, & in subsequenti sectione dilucidanda, postquam adhuc in hac sectione quædam absolverimus, quæ ampliùs doctrinam pendaculorum suspectam, infirmique valoris constituunt, atque sic accuratiorem indagationem inposterum requirunt.

Non pauca periammata etiam ortum suum debent mulierculis; utpote quæ variis malis atque morbis ancipitibus vel suis ipsismet, vel suorum, aliorumve tandem commiseratione dignorum ægrotorum obrutæ (verbi gratia in generationis & partus negotio, vel liberorum calamitatibus, misericordiâ vel maternô affectu impulsæ, mentisq; infirmitate illæ comitatæ) media & auxilia, quæ congrua putant, vel impetrare possunt, petunt ac poscunt. Quæ verò corrasa ab iisdem sæpe admittantur in usum, experientia quotidiana testatur, & amuleta, in Catalogo nostro muliebribus & puerilibus affectibus opposita, non obscure illud subinnuunt. De mulierum variis verò incantationibus & superstitionibus, apud priscos, & certas nationines usitatis, circa infantium nutriendorum & lactandorum negotium, videatur in *Gvevara horologio Princip. lib. 2. cap. 27. & 28. f. 326.* Benè etiam de variis superstitiosis medelis & amuletis, quæ à mulieribus in puerperarum tractatione aliisve morbis institui & defendi solent, agit *Michael. Freudius* in dem unsinnigen und verdammlichen Aberglauben und Ab-

 götte-

göttercy *p.* 1. *&c.* Benè quoque aliàs de ejusmodi vetularum medendi ausu circa infantes occupato canit *Persius Satyr.* 2. *vers.* 31. *&c.* Sicut etiam constat, quod præter vota olim pro infantibus laborantibus facta, in subsidium quoque advocata sint purgationes, incantationes, & gestationes docente *Caspar. Bartholinô, Thomæ* (hei vivis exemti) *filiô in exercitat. miscellan.* 1 *p.* 9. Hæc ergò ego perpendens, dixerim pene de anxietate muliercularum dictarum & solicitudine circa remedia occupatâ, quòd ea illis ansam dederit arripiendi varia periapta, similiter ferè, ac de electione Deorum indicatur:

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cælo
Fulmina cum caderent.

Præterea cum sequior sexus, nimium quantum in superstitionem pronus sit, quia ille sacrarum literarum imperitior existit, ac judicium confirmatum sæpè isti deest, non possunt non amuletorum inventionem & applicationem (ceu eidem sexui familiare) comitari credulitas & alia improbanda negotia. Sic *Fortunatus Fidelis relation. med. l.* 2. *sect.* 2. *c.* 5. *p. m.* 224. iisdem penè verbis rationem reddit: videlicet quòd mulieres frequentiùs, quàm viri, propter suam credulitatem & exiguum animum, dæmonum oppressionibus sint obnoxiæ. Innuit porrò quoque *Saliberiensis Policraticus* 2. 27. quòd mulierculis, & viris simplicioribus ac infirmioribus in fide, Dæmonum malitia magis illudat. Non abludit admodum ab hac sententia *Plinius l.* 16. *c.* 2. statuens quod in veneficio fœminarum scientia prævaleat. Testatur itidem *Fab.* 5. *c.* 9. quod latrocinium faciliùs in viro, veneficium autem in fœmina credendum sit. Admodum exigua quoque post hæc laus est sexus muliebris, quod scil. præ virili faciliùs incantationis crimine laboret, idque multis testimoniis autorum confirmatum (juxta ductum divini præcepti *Exod.* 21. *vers.* 18. *Præstigiatricem* non sinas vivere, quam vocem etiam vulgatus malè in masculino reddere dicitur) indicat *in appendice* vel confutatione *Wieri Johannes Bodinus, de Magorum Dæmonòmania p.* 494. Confer etiam de hac materia *Frid. Balduinum in Cas. Conscient. l.* 3. *c.* 5. *p.* 709. Videamus

tur pariter in hanc rem *Henr. Nicolai tr. de Magic. actionib. p. 56.* Præterea cur mulieres præ viris rebus superstitiosis, & veneficiis ipsis inhient, ratio quoque peti potest ex *Sennerti prax. l. 6. p. 420.* Indicat id inter alios ferè *Owenus* canens:

Ecclipsin rarò patitur Sol, Luna frequenter:
Sic magis ad lapsum fœmina prona, viro.

Lutherus Tom. I. oper. Latin. p. 123. itidem, queritur de seductilis hujus sexus ausibus medicis, ac superstitiosis moliminibus variis, & quòd illarum sacerdotium muliebre potius sit sæpe, quàm sacerdotium virile verum, sacris legibus conforme. Eleganter etiã in ejusmodi rebus naturam & indolem mulierum describit *Jacob. Eürlein disput. de Hoplochrismate, reperienda apud Rattrayum theatro sympath. p. 640.* notum est, inquit, fœmineum genus ceu ἀσθενέστερον σκεῦος flecti varias in superstitiones, & quælibet à quovis mendacia credere promtum &c. Confer, si placet, quæ in hanc rem etiam tradunt *Joh. Prætorius Philosophia colus p. 49. v. 142. & p. 61.* atque *Haferus Hercule Medic. l. 7. c. 5. p. 340.* Varia quoque de mulierculàrum debilitate, proclivitate ad veneficium, ut & facilitate lapsus, deceptionis & desperationis habent *Io. Wierus de præstig. Dæmonum. & Mich. Freudius* in Gewissens Fragen von der Zauberey *qv.* 18. Affirmat idem hoc, cum additis quibusdam rationibus, modò dicti *Wieri Dominus ac Præceptor Corn. Agrippa de vanitate scient. c. 45 p. 169.* Recenset etiam hic autor *Circen, Medeam, & Phitonissam* ex sacris notam mulierem, quæ Samuelis Prophetæ animam revocavit. *Strabo l. 7. Geograph. p. 205.* mulierum imbecillitatem exprimit his verbis: Ἅπαντες τῆς δεισιδαιμονίας ἀρχηγὰς οἴονται τὰς γυναῖκας σπάνιον εἴτις ἀνὴρ καθ' ἑαυτὸν ζῶν εὑρίσκεται τοιοῦτος. Alia testimonia de muliebri infirmitate, & in superstitionem prona voluntate prostant etiam in *Exc. Frommani disp. de fascino p. 65.* Proh! quam absurda, vana, & insana vesanæ anus (in sua philosophia colus non meliùs sæpè edoctæ) pro infantium & cunarum cura, atque curatione æmulâ atque tremulâ manu, imò mentô ac mente sæpe moliuntur. Pluries me horripilatio & pene febrilis paroxysmus invasit, dum curatũ & cunarum ejusmodi Potronas vidi adeò impios, superstitiosos,

sos, & illicitos varios dictos ausus committere, illorumque ubi defensioni pariter istas pertinaciter ac pessimè, (etiam contra divini verbi ac voluntatis jubar, & jussa sanamque rationem) inhærere deprehendi. Forsitan Lectori benevolo, & piis Medicis non ignota sunt talismodi impia & illicita molimina, quæ

Vana superstitio tradit, tremulaque parentes.

Emphaticè etiam muliercularum pravos atque operosos ausus & curationem contra fascinum puerperarum solicitam, & infantium recens natorum delineat laudatus *Frommannus l.a. p.56. §.67.* Cujus valoris aliàs quoq; sint anilia dogmata, traditiones, actiones, & fabulæ, innuit communis vel vulgaris sermo; tum solùm istiusmodi sacra *anilia* dicuntur. Hinc rectè quondam fecit Pericles Dux ille Græciæ, quòd insanias pronuntiaverit res istas, quas mulieres, insciô se, collo suo appendere voluere, cùm ad tabem, ortam ex peste, redactus esset; veluti *Plutarchus in ipsius vita* refert. Cui lubido est scire quidpiam de Cimbricis mulieribus vatidicis, quæ patriô suo nomine Aironiæ dictæ fuerunt, ex *Strabone* adductum non nihil reperiet in *Greg. Michaëlis notis ad Gaffarelli curiosit. inaudit. p.* 141. *&c.* Sic de mulere quapiam olim in Germania famosissima, quæ maleficia solvit, videri potest *Codronchius l. 4. de morbis venefic. c. 2.* Indignationem directam in hujusmodi anicularum, aliorumque hominum (& quidem inter Christianos) curationes pravas interdum usitatas, & in harum prohibitionem passim olim injunctam vid. in *Camerari horis succisiv. cent. 1. c. 30. p.* 102. *Fab. Paulin. præl. Marc. lib. 1. p.* 130. *& in Guevara Horolog. Princip. l. 1. p.* 346. Præcipuè quoque observamus senes superstitioni, credulitati, veneficiis aliisque culpandis ausibus non raró indulgere, veluti de illorum deliriis variis, & debilitate ingenii deficientis testimonia & exempla adduci possent; qui vult inter alios de hoc argumento adeat Exc. *Frommanum l.c. pag. 65. Mich. Freudium* in Gewissens Fragen von der Zauberey *quæst. 17. aliosque plures.* Cui vero ignotæ sunt medicæ illicitæ actiones vetularum, facilè istas experietur, ubi in consortium illarum venit, inprimis circa puerperarum conclave occupatum vel congregatum; ab his enim illic non tot devotas seriasq; preces, quàm

super-

superstitiosos gestus, verba, medelas & actiones percipiet. Creberrimè enim crepant istæ inter alia hæc in Germania nostra: das und jenes ist nicht gut & quæ sunt plura similia, à nobis itidem jam ante memorata, vel præter hæc aliis etiam nota. Ætiologiam autem illorum prohibitorum nemo facilè experiri potest, quæ tamen non rarò in vanitate vel superstitione fundata est. Cantui harum anuum, vel avium infaustarum senum, deinde mulierculæ juvenes simplices patulâ aure & ore inhiant, more pullorum avium, atque sic haustum eundem ad posteros simili felicitate, vel auctum etiam non rarò, propagant; parum pensi habentes sæpe, quid sana ratio vel tenor verbi divini præcipiat. Malunt autem alii mulierum dictam fragilitatem in lapsus pronam, & varios culpandos ausus institutioni earundem tribuere, quam sexui; cùm juxta *Ambrosium* sanctus ille sit: de quo nolumus magnas disceptationes jam meditari, quia sine dubio etiam educatio citiùs ejusmodi invisos fructus in consortio fœminarum producit, cum secundum illud tritum:

A bove majori discat arare minor.

Similiter juxta aliud notum:

A teneris assvescere multum est!

Annotant etiam autores quod veneficæ liberos suos plerumque doceant suas artes, de quo *Mich. Freudius l. c. quæst.* 19. *n.* 1. In istiusmodi impiis ausibus vitiis mulierum verò sæpè observandis sanè Hercule opus foret, qui Lernææ isti Hydræ superstitionis ac impietatis capita amputaret; sed annosæ quercus omnes in universo mundo citiùs fortè eradicabuntur, quàm sceleratæ ejusmodi actiones medicæ ex mulierum animis. Utinam verò inposterum ejusmodi amuletum adinveniri posset, quod segetem harum superstitionum sterilem reddere vel delere, aut mulieres, aliosve homines medicationum & actionum vetitarum penitùs obliviosos efficere valeret. Quia etiam Medici contra suam meliorem conscientiam, scientiam & pietatem absonam ejusmodi doctrinam anilem, (oraculis tamen similem vulgò existimatam) sæpè auscultare & tolerare, atque obmutescere ad hanc tenentur, nisi varia incommoda obloquentes fortè illis irritis

tis experiri velint; ideò accersam de hoc adhuc in præsenti testimoniũ & monitũ quoddam Excell. *Jac. Pancr. Brunois in dogmatib. medicin. general. p. 676.* qui inquit: eò devenit vanitas, & superstitionis clandestinum venenum adeò irrepsit, ut silentium ipsum quoque inter materiam medicam retulerint. Paulò post ea pergit autor ita: ejusmodi superstitiosis interdum credere cogitur ipse etiam Medicus, nî velit per ora hominum calumniosè traduci. Notum præterea est, quòd Dæmon sæpè per anum tentare audeat, non in Medicina solùm, sed etiam aliis actionibus temerariis, quod ipsemet horrificâ formâ vel specie suâ sæpe ostensâ, peragere aversatur. Idem hoc indicat quoque notum illud distichon:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis Monachus, plenaque fraudis anus.

De quo asserto vide sis *Greg. Richterum in axiomat. œconomic. 237. p. 397.* Graphicè etiam anuum nequitiam pessimosqve medendi actus exprimit *Sam. Sturmius de Medic. non medic. pag. 8. §. 30.* dum anus inter alia vocat apta Dæmonis organa, pharmacopolas, interpretes & vicarios; quæ spe levis lucelli, vel odiô in proximum, regnum infernale strenuè statuminare juvent &c. Non attingam prolixè jam id quod vetulæ fascinandi artificium citiùs calleant vel addiscant, & exerceant quàm mulieres juvenes. Nil quoque movebo hìc de vetularum oculis, quos autores quidam magis pronos & aptos ad fascinationem statuunt, quam aliarum mulierum. Cui de hoc plura indagare placet, & quòd illud à menstruis stagnantibus oriatur, adeat *Rod. à Castro Med. Polit. l. 4. c. 1. p. 206. & 209.* Idem hoc (quod tamen autor prior non ita affirmat,) majori severitate adstruit *Aug. Etzlerus in Isagog. Phys. mag. med. cap. 7. p. 154.* inquiens: mulieres, anus ob retentum menstruum corpusque distortô lunæ radiô obfuscatum, & Spiritus Saturninos ad κακομαγίας inclinantur, quarum plurimas debitis suppliciis affici me vidisse nemini. Similiter de ratione physica cur plures fœminæ quam viri fascinatrices reperiantur, quæ oculis etiam varia mala inducant, videatur *Porta in Magia nat. lib. 8. cap. 14. pag. 360.* Cur adeò sit perniciosum cum vetula rem habere ventilat *Joh. Benedict. Sinibaldus Geneanthrop. pag. 763. &c.* Paulò

lò ante fecimus mulierum quarundam mentionem, quæ olim propter Medicinam,& huic admixtam interdum incantationem notæ ac celebres fuerunt. Idem hoc etiam de aliis constat, quòd medicinam excoluerint, videlicet *de Agameda & Helena*, ficut testatur *Homerus*; *de Medea, Circe, Crocodice* res etiam nota est &c. Verùm & hæ Magicis artibus non parum imbutæ extiterunt, de quo *Conringius in Introductione Medic. p. 47. & 48.* quamvis *Medeam* à veneficiorum calumnia *Diogenes* vendicare velit, uti indicat *Ant. le Grand. curioso naturæ arcanor. scrutatore p. 32.* Nota quoque etiamnum hodie est muliercularum indoles, quòd falcem suam frequenter in messem Medicam immittant; quàm absurda verò atque stupenda ferè totâ die moliantur eædem, homines paucos latet. Hinc mentio etiam fit anuum in catalogo illarum personarum, quæ Medicinam frequentius tractant aut turbant:

Fingunt se Medicos quivis idiota, Sacerdos,
Judæus, Monachus, histrio, rasor, anus &c.

Proindè non immeritò quæritur à Jurisperitis aliisque prudentibus, an mulieri liceat Medicinam exercere? Quod uti cuivis non prohibemus leves mendas suæ domus corrigere: ita tamen, pluribus sanioribus rationibus & argumentis instructi, illarum manus à Medicina ampliori exercenda removendas esse consultum ducimus. Imò obstetricum munus olim ipsis fuisse disputatum, & meritò quidem, novimus, nec improbamus certis de causis; sique unicam ferè causam, scilicet verecundiam mulierum excipias (quæ obstetricum opem magis expetit) promtius ac meliùs illud opus viri exequi possent! Taceo quod obstetrices quæpiam veneficii & infanticidii reæ subinde fuerint observatæ, & plurimæ hodie abundent superstitione ac erroribus variis, immo reatu subinde magicô, & deficiant cognitione muliebris corporis, hujusque partium variarum, & actionum. Ex quibus dictis causis mira physiologia, pathologia &c. sæpe vulgi animis imprimuntur, atque ita propagantur, quorũ Anatomici, Medici practici & Christianè Philosophantes planè sunt ignari. Ductu hujus absoluti discursus obiter etiam his insero, quòd propter obstetricum imperitiam in partu difficili & fœtus mortui tractatione vel extractione, intem-

pestivâ suâ verecundiâ mulieres (aversantes Medicorum vel virorum opem in partu difficili, vel ubi fœtus mortuus est) vitæ discrimen vel mortem ipsam sæpè sibi contrahant, & αὐτοχειρίαν ita committant; in quam stultam verecundiam (quâ periculosè parturientes aversantur periti Medici operam & operationem) justâ indignatione invehitur *Barbette in praxi sua à Deckero edita p.235.* Proinde in quibusdam benè constitutis Rebus publicis etiam publicô salariô certi Chirurgi sunt constituti, qui dictis parturientibus succurrere tenentur. Ne verò novum quid hactenus dixisse videar, cur mulierculis Medicæ & obstetriciæ operationis exercitium olim prohibitum fuerit, cum rationibus additis, id inter alios autores addisci potest ex *Job. Jacob. Genathii collectis disput. Medic. select. Basiliensib. Decad.* 1. *disp.* 1. *de jure & privil. medic.* §. 10. *&c.* Sed plura de his aliquando communicabimus, ubi de *obstetricibus acturi sumus.* Hæc & similia si trutinamus, muliercularum manus plus justo curiosas non immeritò à tabula medica arcemus, accinentes sexui illi illud *Ovidii* de mulierum negotio agens:

Aptior est digitis lana coluque tuis.

Sed à nostra materia & scopo nos mulierum ausus irriti, atque inde orta indignatio, longius ferè abduxit: verùm hoc inter alia ideò factum est, quia cautionem simul inculcare voluimus, ne inter alios ausus muliebres medicos periapta indifferenter corraderentur, & usurparentur; inprimis quæ ab imperitis, suspectis & superstitiosis vetulis docentur. Rumpimus itaque hoc filum jam, de materia hac in philosaphia colus anuum frequenti, nec plausibili inter doctos & Christianos Medicos existente.

Dehinc plebeis periammata & varia superstitiosa ejusmodi medicamenta admodum usitata sunt, quia sine magna molestia vel molimine comparari & applicari possunt, unde eadem inter dictos plebejos propter horum credulitatem & fiduciam facilè ad posteros promoventur. Videtur in hos locum ferè haberi illud *Dionysii Ægyptii Musici*: quod Magiæ in malè moratos vis sit aliqua; in philosophiæ studiosos verò nulla. Atque hoc variô modô de plebejis, & in sacris non ita fundatis exponere possumus. Vulgi creduli

dulitatem in admirabilia atque Homerica, divinè celebrata, miracula nimiopere pronam esse &c. indicatur in *Collegio anatomico triumvirorum, & quidem in parte Severini pag.* 63. Negandum equidem non est, quòd vulgaribus hominibus & rusticis interdum optima medicamenta nota sint, undecunque etiam peritiam istam collegerint; notum quippe est illud, quô dicitur:

Quandoque est olitor verba opportuna locutus.

Quemadmodum hoc satis probabiliter adstruunt *Zwelfferus Appendic. ad Animadvers. p.* 38. *Hybnerus myster. sigillor. p.* 47. *Matthiolus, Velschius post Episagmata sua in Addendorum p.* 1. *Reinesius Epistol.*2.*ad Nesterum p.*2.3.*Conringius Introduct.ad medic.p.*138. 150.196. & 228. *Hippocrates Prae. text.* 11. *Holterhoffius de erroribus Medicorum p.* 24. *Helmontius Pharmacopol. num.* 16. & *Besoldus thesauro practico tit.* Artzney *p.*52.*&c.* De quo etiam nos aliquando in *medicina Domestica vel facilè parabili* plura indicabimus. Verùm, uti omnia alia, ita medicamenta hæc, & periapta inprimis ab hominibus ejusmodi communicata, priùs probanda sunt, & postea quod bonum ex iis, retinendum est: veluti hoc inculcat *Epist.*2. *ad Thessalonicens.* 5. *v.* 20. 21. Impossibile enim non est hoc, si vetulas (juxta *Paracelsi* monitum) vel plebejos indoctos, ac simplices interrogamus, ut sagas à Diabolo instructas consulamus; de quo dehortantem vide *Sennertum Prax. l.*6. *p.* 427. Olitorum verò, aliorumque simplicium & suspectorum hominum laus vel fama non benè semper olet in ejusmodi actionibus; uti dicti autores non nulli etiam hoc innuunt; inprimis quando iidem ad mentem reliquam *Paracelsi* in consilium admittuntur. Sic enim *Anton. Deusingius fascicul. dissertat. selectar. diss.* 1. §. 56. *p.* 49. *Paracelsi* mentem exponit his: nimirum Medicum non omnia, quæ scire debet, in Academiis discere posse, sed opus esse ut interdum vetulas, Zigeunos, Nigromanticos, Agyrtas, rusticos, senes, & ejusmodi viles homines alios consulat & ab iis discat. Taceo altiores Magistros notos quos dictus *Paracelsus* inculcat, consulendos esse, de quo supra *pag.* 599. Sed à *Deusingio* laudato illa intentio & opinio abunde refutatur: sicuti etiam ex dictis his & similibus, (vel solô nomine *Paracelsi* penè pronuntiatô, nedum turpi istiusmodi doctrinâ vel cantu,) affatim a-

vis innotescit. Conferatur etiam de his Excell. *Job. Christ. Frommannus dispp. de fascino p. 65.* Minimè divina itaque (nomini ipsius *Theophrasti* respondentia) ubivis in ipsius scriptis reperiuntur illa, quæ palliô divini vel sacrarum literarum tegit iste (à non nemine etiam indignationis gratia) κακόφραστος dictus. Proinde non omnia ab omnibus istiusmodi doctoribus tradita excipienda tanquam licita, atque ideò propaganda sunt.

Promti etiam artifices in Amuletica & Talismanica doctrina sunt venatores, sicuti variæ ipsorum actiones illicitæ, dictis mediis institutæ, fortasśis paucis ignotæ sunt. Sic eos etiã homines in omnem superstitionem plerumque proclives vocat *Velschius de Ægagropilis dissertat. 1. p. 64.* Adde sis hujus asserti suffragatorem *Psulium de Magia p. 99. Nobil. Ahasv. Fritschium venatore peccante cap. 18. Michael. Freudium* in Gewissens-Fragen von der Zauberey *quæst. 129. p. 282.* & *Miscell. Academ. Leopoldin. Cæsar. Dec. 2. Anno 2. obs. 106. p. 261.* Imposśibile quoquo non est, quin multa medicamenta vel amuleta sint à Dæmone veteratore communicata sub specie venatoris; cùm non rarò callidisśimus ille hostis, tanquam leo rugiens & infernalis venetor eâ formâ apparente, & venenatoriô apparatu præditus ac instructus in saltibus, aliisque in locis comparere soleat; de quo *Sigebertus chron. Camerarius horis succisiv. cent. 2. p. 390. &c. Prætorius* in Rübezahle *l. 1. pag. 166. Delrio disquisit. mag. tom. 3. lib. 6. cap. 2. sect. 1. quæst. 1. pag. 147. & Exc. Paulini Cynograph. membr. 4. cap. 1. p. 121. & 122.* Amat quippe tenebrarum pater & spiritus Diabolus obscuros lucos ac loca solitaria, & inibi suum vaframentum ac truculentiam exercet. Sic constat etiam, quod olim inter Ethnicos lucos Diis suis (atq; sic persæpe quoq; Diabolo) consecrarint, nec non templorum loco illos habuerint; de quibus evolvantur *Plinius l. 12. c. 1. Tacitus l. 20. annal. &c.* aliique pene innumeri. Imò Idolo Zuttibaro (qui Diabolus fuit) & Marti sacram fecerunt sylvam penes Martisburgum olim existentem, quod indicat *Ernest. Brottusius* in der Mersburgischen Chronick *cap. 6.* Qui plura de ejusmodi materia rescire appetit, quod Ethnici sacra sua in lucis instituerint, quibus etiam Dæmon lusus sæpè admiscuit, consulat autores, qui de sacrificiis & Diis majorum aut Ethni-

Ethnicorum scripserunt. Plura etiam nos aliquando de eodem dabimus in *Querceto nostro Medico.*

Præterea amuletorum illicitorum doctrinâ sæpè, nec parcè instructi sunt sclopetarii, sagittarii, vel ballistarii: quorundam de scelerato quopiam ausu agit *Hier. Jordanus de divino in morbis c. 35. p. 126.* Similiter latrones, milites, & quibus res est cum instrumentis vel tormentis bellicis (de quibus *Mich. Freudius l. c. quæst. 129.*) aut qui sunt negotiis violentæ morti dicatis intenti, non rarò item curationibus & amuletis vetitis indulgere deprehenduntur: videlicet chirurgi militares plurimi, & urbani non pauci, cum tonsoribus, & balnetoribus simplicibus; opiliones item non aversantur isthæc, uti & pastores pecuarii, lictores, & carnifices, qui malè etiam audiunt *Sennerto Prax. l. 5. part. 4. c. 24. p. 521.* & *Mich. Freudio l. 4. quæstion. c. num. 2. p. 283. quæst. 179. n. 23. & qv. 290. n. 45.* de quibus etiam non nulla alia nostrum scrutinium attingit. Porrò istiusmodi census quoq; sunt tortores, vespillones, lusores publici, Agyrtæ, serpentum captores (*de quibus Freudius l. 4. qv 125. &c.*) & Præstigiatores, de quibus singulis plura testimonia in medium proferre valeremus, si probatione indigeret nostrum assertum. Quis ignorat etiam Metallariorum simplicium quorundam, ac thesaurorum inquisitorum intentionem & ausus in similibus negotiis medicis vel aliis; mirum quoquè non est, quin Dæmon sæpe dictos homines, vel alios doceat ejusmodi artes prohibitas: cùm Satanas non rarò in fodinis metallorum sub forma virunculorum metallicorum, vel metallariorum in operationibus variis occupatorum, vel etiam sub varia spectrorum specie circa thesauros compareat, suosque lusus & tremendas tragœdias subindè exerceat. Porrò felices propagatores & propugnatores infelicis doctrinæ medicæ atque amuleticæ existunt Monachi, aliique similes hujus à pietate frequenter degeneris generis homunculi, quorum laudes à nobis quadantenus jam ante attactæ, nec ignotæ alioquin sunt. Versus illos *Æneæ Sylvii* de monachorum, horumque consortii anilis encomio sinistro, vel temeritate paulò ante adductos *pag. 640. 641.* denuò hîc repetere supersedeo. Idem ferè judiciũ de his foveo,

 ac de

ac de venatoribꝰ, quòd Dæmon etiam varias ejusmodi medelas illicitas non rarò docere eos potuerit; cùm inauditum non sit, quod iste formam monachi sæpe assumserit, ac sub eadem varias actiones exercuerit, & eremitis in desertis comparuerit. De quo *Johan. Prætorius l. c. p.* 216. De eadem religiosi vel monachi specie, quâ incessit Satanas, non nulla reperiuntur apud *Bernhard. Waldschmidium Pythonissa Enthorea part.* 2. *concionum p.*550. *&c.* Nec vacant simili labe multi alii inter Pontificios, qui varia superstitiosa sæpe pro medicamentis, & amuletis præcipuè obtrudunt credulis, & quidē, religionis vel devotionis prætextu non rarò adhibitô. Aliquoties etiam ejusmodi periapta in præcedentibus, cum doctorum illorum malâ notâ, attigimus & autorum horum indolem pensitandam reliquimus. Animadvertimus insimul tamen saniores quosdam inter Pontificios, qui superstitiosas curationes & pentacula illicita detestantur ac dissvadent, hinc meritò superius *Kircherum* laudavimus, qui etiam *de arte magnet. l.* 3. *f.* 541. rectè taxat *Paracelsi* varia superstitiosa pentacula & medicamenta. Intendit verò illud itidem, (quod apud Pontificios ejusmodi illicitæ variæ actiones in usu sint, vel fuerint) *Casp. Peucerus de divinat. p. m.* 111. hinc, inquit, meminimus, hâc nostrâ ætate, cùm Lutheri operâ, Ecclesiæ doctrina ex tenebris evoluta, repurgataque à cœno errorum pene infinitorum illuxisset rursus; mox post unum atque alterum annum tetra Diaboli ludibria, ex locis Germaniæ plerisque, quibus ad se imperitam multitudinem deceptam allexerat, disperiisse, nunc verò etiam hominum memoriæ excidisse luce doctrinæ sopita: & Diabolum ipsum hac, ceu amuletô quodam, exterritum atque abactum, à præstigiarum mirificarum, quas ante exercuerat, molitionibus & illusionibus destitisse apud eos, qui lucem doctrinæ amplexi sunt; Hactenus *Peucerus.* Utinam verò quæpiam adhuc superstitiosa, farinam illam pristinam sapientia non subinde recrudescerent, & ab impiis, vel imperitis, aut malè curiosis etiamnum hodie in usum vocarentur. Similiter id, quod scilicet ante Lutherum, ipsiusque reformationem major numerus Magorum exstiterit, & adhuc apud Pontificios existat, demonstrat *Freudius l. c. qv.* 14. sed de hac materia alius nostri scrutinii locus itidem uberius differit.

De-

Deinde Muhametani & Judæi admodùm prompti doctores sunt amuletorum, aliarumque artium medicarum illicitarum: sic superstitiosi audiunt Judæi *Apulejo*, de quo, & illicito ejusmodi sigillorum, & curationum usu ipsis familiari, non nulla habet *Hier. Jordanus de divino in morbis c. 53. p.* 185. *&c.* Plura testimonia idem illud approbantia prostant apud *Michael. Freudium l. c. quæst.* 220. Abundantiæ gratia, cui lubet, de Judæis, quòd scilicet ex Ægypto hausta amuleta, carmina, insusurrationes, exorcismos, & omnimodas incantationis res in deliciis & usu habeant, consulat *Lightfoti horas Hebraic. in Evangelium Matth. c.* 24. *pag.* 447. *Et in Evangel. S. Marc. c.* 8. *v.* 12. *p.* 622. *&c.* aliisque in locis pluribus. Quòd Judæi olim etiam incantationibus præ aliis populis (de eadem macula vel reatu suspectis) dediti fuerint, testatur *Esaias cap.* 2. *v.* 5. in quem locum vide sis *Rabbi David Kimchi* uberius illud comprobantem; cum quo consentit pariter *Rabbi Abarbanel in l. c. Esaiæ fol.* 8. *col.* 1. & alii plures ejusmodi commentatores. Sic *Raschi* de simili arte suspecta; loquitur itidem de Judæorum variis magicis curationibus, & incantationibus etiamnum inter illos usitatis, *Schimmusch Tehillim* seu usus psalmorum, qui tractatus brevissimus Rabbinicâ lingua conscriptus incantationes vel remedia ex psalmis Davidicis petita, variis morbis & malis oppedenda illicitô ausu & usu continet. Cujus tractatus etiam quadantenus mentionem facit *Joh. Buxtorfius Bibliothec. Rabbinica pag.* 415. Non nulla etiam de Judæorum malitia inter ea, quæ incendiis resistere putantur, attigimus in præcedentibus *pag.* 223. *&c.*

Præterea *Paracelsum*, aliosque similes autores in superstitionem & vetitam amuletorum doctrinam usumque alioquin pronos, atque ideò suspectos, interdum in nostro scrutinio notavimus ac annotavimus, quibus proinde non tutum est admodum semper fidere; siquidem illi virus occultum sæpe his rebus admixtum reliquerunt, cujus tamen specie recti atque liciti facilè decipi possunt, qui similibus rebus indulgent. Imò observavi interdum, quod homines ejusmodi, qui illicitè curiosis medelis (transplantatione, amuleticis, Alchimicis, aliisque

similibus

similibus actionibus peragendis) inhiarunt ad ductum modò dictorum doctorum, deducti sint ad pejora, magica, somnia, raptus, melancholiam, sacrarum literarum contorsiones, stultitiam & penè veneficia. De hoc argumento, quò scilicet curiositas hominum feratur, conferatur *Freudius l. c. quæst. 17. num. 7. quæst. 19. n. 131. quæst. 229. n. 32. & Jordanus de divino in morbis c. 70. p. 245.* Pro horum demonstratione non studebo prolixitati, tantùm pensitandum interea relinquo unicum illud *Augusti Etzleri Isagog. Mag. Med. p. 12.* annotatum, dum dicit radicem filicis, Magicè à se collectam, propter spiritum saturninum inditum secum locatum fuisse. Proh! Dæmonis astus, qui in hujus filiis, & operibus illis cariosam istam curiositatem sectantibus, efficaces sæpè deprehenduntur. Verus autem Dei cultus nobis non permittit vetitis, ac fœdis istiusmodi actionibus & medelis velificari.

Præterea certæ quæpiam nationes malè audiunt propter superstitiosa usitata pentacula, veluti *Hæferus Hercule Medic. pag. 68.* de dente hominis demortui applicando infanti, ita loquitur: ego verò, ait, quia Arabes & Ægyptii superstitione sunt pleni, superstitiosum credo esse remedium, nisi subsit singularis quædam Antipathia, soli experientia cognita. Concedit id porrò etiam *Beat. Conringo* (*de Hermet. Medic. l. 1. c. 11. p. 112. &c.* aliisque in locis pluribus, ac in *Introductione Medic.*) Exc. *Borrichius de ortu & progressu Chemiæ p. 59.* quòd plurima vana, superstitiosa, magica & ridicula tum medicinæ, tùm reliquis artibus ab Ægyptiis, admixta sint. Sic quod apud Orientales populos, præcipuè in Ægypto, vagetur frequens incantatio & superstitio de corporibus obfirmandis contra armorum violentiam, constat ex *Francisc. Redi de experim. nat. Indic. pag. 21.* Malè itidem audiunt Ægyptii (propter ineptias & abominationes magicas) *Jacobo Gaffarello curiositat. inaudit. p. 123. Hieron. Jordano de divino in morbis c. 53. p. 186. &c. Michaeli Piccarto observ. histor. Polit. Dec. 11. c. 1. Joh. Adam. Osiandro de Magia pag. 151. & Cunr. Dieterico Antiquit. Biblic. pag. 630.* Audiendus inter alios etiam videtur hanc in rem canens *Homerus Odyss. 8.*

Fertilis

Fertilis Ægyptus rerum medicamina mista,
Optima multa simul, deterrima plurima profert.

Et *Juvenalis Satyra* 15.

—— —— *quis nescit, qualia demens*
Ægyptus portenta colat.

Hinc etiam portentorum matrem Ægyptum pronuntiat *Laurent. Pignorius de Charaćter. Ægypt. pag.* 2. *&c.* Item de Sabæis & Ægyptiis suspectis propter magiam illicitam; uti & de Janne ac Jambre famosis Ægyptiorum Magis, videatur in *disputatione de Janne & Jambre Zentgrafii ac Respondentis Strauchii Witteberga* 1669. *habita.* Parum quoque ad bonam autoritatem Persarum, Ægyptiorum, & Chaldæorum, in similibus rebus, conferunt verba *Reinesii in Epistol.* 25. *p.* 97. & *Var. Lection. l.* 3. *c.* 11. *p.* 515. Plura in hanc rem reperiuntur apud *Casp. Peucerum de divination. p.* 161. β. Confer etiam allegata de Ægyptiis in *Wendelini de admirandis Nili c.* 21. §. 8. *pag.* 161. Omnes quoque antiquas superstitiones à Chaldæis manasse, statuit *Zwingerus theatr. f.* 3107. Chaldæos priscos quidem minus reos fuisse illicitorum ausuum & Magiæ vetitæ, aut commercii cum Dæmone (quorum à quibusdam aliàs postulantur,) *Gaffarellus curiositat. inaudit. p.* 181. & 123. adstruere satagit; utrum verò in his omnium assensum obtineat, judicabit L. B. qui ex loco citato vel aliis autoribus istorum historiam vel facta trutinat. Has verò apud nationes, inprimis verò Ægyptios, illicita periapta ortum traxisse, atque postea ad alias nationes & posteros propagata eadem esse, non-nulli ex allegatis autoribus, & alii plures fidem faciunt. Cui lubet, de hoc ulterius etiam evolvat *Kircherum Oedipo Ægypt. Tom.* 2. *part.* 2. *Conringium l.* 1. *de med. Hermet. c.* 11. *p.* 108. *Joh. Angel. Astrolabio plano* aliosque plures. Loca plura idem indicantia etiam subinde consignata in nostro scrutinio deprehendentur. De variis orientalibus populis Magiæ deditis videatur etiam *Cornel. Agrippa de vanitat. scientiar. c.* 42. *p.* 159. Sic prosapiam Tilsemarum Sabæis, Arabum superstitiosissimis, transscribi scribit *Greg. Michaëlis in notis ad Gaffarelli Curiositat. inaudit. p.* 259. Præterea Arabici Medici vel magi mali æstimii sunt aliis autoribus, propter varias nugas amuletorum classi admixtas. Ex Græcis etiam & Arabibus autoribus ejusmodi *Al-*

bertum Magnum sua illicita & errata decerpsisse; Imò ex *Arabicis Magis* Latinos pejores factos, & ex imperito *Arabe Lapidario* transsumta quædam ab Arabe quopiam affingi *Dioscoridi*, quæ ipsius scripta vel meditata non sint, statuit *Joh. Rainoldus censura libror. Apocryphor. tom.* 1. *prælect.* 49. *p.* 513. Thessalia etiam ob Magica veneficia aliàs est suspecta; cùm Thessala philtra ex Poëtarum aliorumque recensione nota sint. Videatur in hanc rem inter alios *Barthius in Claudianum p.* 1121. *a.* De cantu, carmine vel voce illorum, quâ lunam aut sidera cœlo deduxerunt, testantur allegata apud *Cerdam in Virgil. Eclog.* 8. *p.* 159. ejusmodi incantationum etiam alio in loco nostri scrutinii mentionem fecimus *p.* 574. *&c.* Plura loca de Thessalorum isto reatu testantia congessit *Excell. Christ. Franc.* Paullini *Busone descripto p.* 3. De Ephesiorum fama mala repeti possunt, quæ jam ante à nobis data sunt in hoc nostro tractatu; iis etiam addatur *Ursinus in Analectis sacris vol.* 2. *l.* 2. *c.* 5. *p.* 48. *&c.* Etiamsi ex dictis his non accuratè superstitiosorum pentaculorum originem quivis colligere possit aut soleat, suspecti tamen sunt omninò illi populi propter varia medica ab iis provenientia nota. Concludimus itaque hanc sententiam verbis *Jac. Gaffarelli curiositat. inaudit. p.* 179. inquientis: Magica quidem ars satis certa, at ejus initium incertum est. Præterea Sinensium quoque fides in rebus medicis & amuletis exigua valdè existimatur à *Franc. Redi Experimentis natural. p.* 180. *&c.*

Similiter olim non admodum bona fuit laus Germanorum, quam illi sibi tribuisse meminit *Erasmus in laude moriæ*. Germani, inquit, corporum proceritate & Magiæ cognitione sibi placent. De eadem natione meminit quoque *Tacitus*, quòd maximè Idololatriæ quondam dedita fuerit, & quòd ex Ægypto promanaverit per totum ferè terræ orbem Idololatria; hinc etiam partem Svevorum Germaniæ populorum Isidi sacrificasse dicit. Nec mirum id admodum videri fortasis potest: cum majores nostri Germani Persarum olim fratres putati fuerint, iisque primâ origine conjuncti, & egressi inde post mortem Alexandri M. cùm omnia in Asia bellis arderent, idque *Michaël Piccartus* evincere nititur ex Religionis consensu, tum ex morum harmonia, tum ex authoritate Senecæ;

Albin

Albini Persæ Rhenumque biberunt.

Malè quoque inter alia audit *Agrippa* ideò, quòd Germanorum multorum animos Magicis ejusmodi dictis rebus illicitis imbuerit, de quo *Phil. Camerarius horar. succis. cent. 2. c. 76.* Cœnobia etiam inprimis in Germania artificiorum ejusmodi medicorum illicitorum scholæ & pædevteria extiterunt, in quibus hujusmodi variis negotiis ansam non ultimam dedisse videtur chymia, vel Alchymia plus justo curiosa, uti & simplicitas & impietas monachorũ. Caveant etiã hodiè chymiæ studio plus justo dediti istos libros chymicos, quibus Diabolus ejusque discipuli & hæretici non rarò irrita religionis dogmata commiscent, Sacram Scripturam miserè & perversè torquentes ac deturpantes. Hinc svadeo & opto ut propediem luci publicæ committantur Excell. Ehre-Gott *Dan. Colbergii* des *Platoni*schen *Hermeti*schen Christenthums *II. partes*, ad calcem quidem perductæ. Usus autem vel abusus potius harum artium frequens olim in Germania, ac cœnobiis præcipuè fuit, quemadmodum hoc multi tractatus Germanicâ lingvâ conscripti, & alia testimonia plura abundè comprobant: Hinc etiam celebris ille *Anglus Boyleus Tentaminibus p.* 16. Germanicam lingvam vocat *Hermeticam*; nec diffitetur idem laudatus autor, quin multa jam ante à Germanis inventa atque scriptis eorundem edita sint, quæ ipse pro suis inventis haberet, aut existimaret, atque typis publicis committeret. Optat ideoque alicubi ille autor, ut calleat lingvam Germanicam, quam autem an calluerit, & ex eo fonte quæpiam hauserit, suumque in usum & nominis æstimium converterit, uti quidam suspicantur, suo loco relinquimus. Minimè ego igitur dubitandum esse arbitror, quin adminiculô illô chymiæ Magica varia illicita in medicinam irrepserint, in qua re infeliciter cedente felices doctores & propagatores extiterunt ignorantiæ fratres illi, ceu ex claustrorum gregibus multi ante duo secula circiter salutati fuerunt. Simplicitas verò olim Germanos nostros non parum occupavit, quam in rebus ejusmodi vanis accusatam etiam à Doctore *Mart. Luthero* reperimus in *Hondorffii promptuar. Exemplorum pag.* 49. Exoptandum quoque foret, ne etiamnum in Germania & in sinu quidem Christianæ religionis restauratæ laterent ejusmodi variarum su-

perstitiosarum medelarum reliquiæ; quæ quidem in locis quibusdam certis, præ aliis frequentiores adhuc deprehenduntur. Aniles autem hujuscemodi elegantiæ (quibus mulierculæ nimioperè delectari novimus, & in præcedentibus ostendimus) non procul sæpe à veneficiis recedunt; unde Concionatores, & Christianè philosophantes illis publicè & privatim reclamare, & in restauratores & propagatores vel cultores animadvertere opus habent. Levibus quippe, vel exiguis talismodi rebus (medicam intentionem aut prætextum præ se ferentibus) facilè ad pejora aditus parari potest; cùm Dæmon inprimis etiam his rebus invigilet, suumque virus admisceat, uti pluries à nobis indicatum fuit; atque ideo his annectere lubet nobis illud *August. lib. 3. de spiritu & anima c. 26. p. ut. 416.* Dæmon, inquit, cùm sibi in quibusdam creditum fuerit, ad sua seducat. Suspicor quoque ex ejusmodi rebus facilè parabilibus, scilicet amuleticis, Medicis, & Magicis in Svecia aliisque regionibus veneficia citiùs oriri, & propagari illorum ductu, vel adminiculô. Constat quippe, quod teneræ ætatis liberi maleficii labe etiam ibi reperti subinde sint contaminati, illudque, ceu notum est, sæpe peregerint levibus gestibus, ceremoniis & rebus, alioquin planè inefficacibus; de quo *Gothofred. Voigtius deliciis Physic.* In partibus Septentrionalibus autem maleficas artes exerceri ex *Olao Magno de septentrionalib. Gentibus* scribit *Baricellus horto genial. p. 176.* Sic quòd in septentrionalibus regionibus remotioribus præcipuè exerceat Dæmon suas vires, docet item *Camerarius horis succisiv. cent. 1. cap. 73. p. 338.* Meliora vero indies de istis locis comperimus & adhuc expectamus. Quòd autem turpis ista notitia per traditiones à parentibus ad posteros ob simplicitatem, & levem suspicionem malæ sive etiam turpis rei & actionis, facilè transferatur, credibile est.

Parum boni itidem præsumimus de pentaculis non paucis, quæ prisci quidam Medici docuerunt, quùm constet, olim quosdam Medicos incantatores extitisse, de quo legere est in *Hornii historia nat. lib. 3. cap. 13. pag. 184.* Imò inter modernos medicos Christianos (quod tamen dolendum est) reperies sæpe, qui vanis, magicis, ac superstitiosis ejusmodi medicamentis admodum indulgent, istosque ausus incautos & nugas magiæ titulô occultant.

Scitè

Scite verò de his artificibus, circa superstitiosa hactenus refutata solicitis, dicta videntur, quæ prostant apud *Joh. Cunr. Dietrichium. Jatreo Hippocratico p. 977.* hæc, inquit, sunt præclara & mirifica Cabalistica secreta, propter quæ etiam cœlum fatigat superstitiosus Astrologus, elementa flagellat curiosus physicus, Tartara sollicitat magus; unde producuntur Judæastrorum Phylacteria, Græcorum *στοιχεῖα*, Arabum Thalismad contra omnia pericula. Applaudit postea iis facilè vulgus, qui allectus iis doctoribus, ipsos citiùs etiam sequitur, quàm rem licitam, vel piam; cui accedit incrementum, si antiquitas autoritatem quampiam irritis actionibus vel rebus conciliet. Ad ejusmodi affanias & illicitas curationes sese verò convertere ægrotos (addo etiam Medicos quosdam) quando de usitatis remediis desperant, sæpe experimur juxta *Plutarchum de fac. Lun.* Sed de his etiam quadantenus in præcedentibus actum est, ideoque pluribus ista refutare denuò supersedeo; cùm quemvis Christianum aliàs cautum esse deceat, ne illicitis medicamentis utatur.

Attigimus in antecedentibus varias itidem notas, quæ multa amuleta suspecta reddunt, ubi verba peculiaria pronuntianda, certum tempus aut ceremonias circa collectionem, aut præparationem illorum injunctas à quibusdam rejecimus, & quæ plura fuerunt alia scopum hunc concernentia; verum dictis modis pentacula, cæteroquin licita & naturalibus operationibus non penitus destituta, illicita omninò redduntur, atque ideò meritò fugienda sunt. De non nullis quoque ejusmodi rebus à medicis alioquin laudatis ac usurpatis, quibus alii superstitiosas simul ceremonias affigunt, atque ideo eas efficaciores censent, agit iterum *Gabr. Naudaus de studio militari l. 1. p. 431.* Persvasum quoque mihi habeo Imperatores, Magistratus & Respublicas propterea usum amuletorum subinde penitùs prohibuisse, (sive licita, sive illicita extiterint,) quia multa vana & suspecta licitis aliàs admisceri cœperunt. Causam hanc etiam esse arbitror, quod sub *Antonin. Caracalla* damnati sint Romæ, qui remedia à collo appensa pro tertianis & quartanis gestarent; ceu refert ex *Ælio Spartiano Cal. Rhodiginus lect. Antiqu. l. 9.*

l. 9. c. 23. p. 489 *Gregor. Michaëlis notis ad Gaffarelli curiositat. inaudit. p.* 289. *Delrio disquisit. Magic. tom.* 1. *l.* 1. *c.* 4. *quæst.* 4. *p.* 47. *Langius l.* 1. *Epistol.* 34. & alii plures. In loco postremo citato etiam concilia denominantur, quæ magicos characteres aut schedulas quasdam illicitas proscripserunt, iisque interdixerunt. Idem id sub Constantino (quòd in fine forsitan magis factum est, cùm ipse jam etiam Christianus adhuc indulgeret Paganorum superstitionibus, uti ex *Nic. Henelii otio Uratislaviensi cap.* 31. *p.* 253. constat) quoque observatum fuit, uti & sub aliis Imperatoribus, penes quos amuletorum usus prohibitus atque punitus fuit, de quo evolvatur *Marcellinus lib.* 19. dicens: si quis remedia quartanæ vel alterius doloris collo gestaret, ut veneficus reus capitis interibat. Plura loca, quæ idem hoc & præcedentia adstruunt, suppeditabit *Joh. Bapt. Casalius de veteribus sacris Christian. ritibus c.* 48. *p.* 268. & *Hier. Jordanus de divino in morbis c.* 53. *p.* 188. Similiter ex *Caroli magni l.* 6. *c.* 32. etiam philacteria, falsæ inscriptiones, aut ligaturæ prohibentur. Muhamedem etiam morem suspendendi amuleta penitùs prohibuisse his verbis latinè redditis: qui suspendit amuletum, non illi favet Deus, vel non illi complet negotium Deus; veluti interpretatur hoc *Joh. Läselius de podagra artic.* 2. *sub sect.* 3. *p.* 48. De ipsius posteris verò scil. muhametanis plures sententias paulò superius adduximus. Sic de anu quadam simplici, quæ intervallatis febribus leni carmine mederi consvevit, quòd occisa sit ut noxia, constat ex *Marcelli allegati lib.* 29. De similibus exemplis citatis videri quoque potest *Camerarius hor. succisiv. cent.* 3. *cap.* 30. *p.* 102. Imò uti antea innuimus, Magnates interdum interdixerunt de amuletis, quæ etiam melioris conditionis existere visa sunt, quoad primum intuitum, propter enormem abusum eorundem & superstitionem, eamque deteriorem sæpè futuris temporibus metuendam, cui vulgus aliàs nimioperè indulget, & sic, ceu notum, communiter mala solet à bonis ægrè separare; taceo pacta clandestina Dæmonis, quæ sæpe iis admixta sunt, etiamsi nemo facile de iis cogitet. De priori evolve sis *Camerarium l. c. p.* 103. De legibus & constitutionibus Imperatorum

torum ac Synodorum, usum amuletorum illicitorum prohibentibus, loquens etiam *Gabr. Naudæus de studio militari l. 1. p. 434.* claudit sua verba sequentibus: Verùm, ait, quia rigor ille, quo Φυσικὰ περιάμματα damnantur, non is ampliùs est, qui olim fuit, & unicuique impunè est usurpare insana hæc documenta, quæ nostra credulitas excogitavit ut à *Pomponio Lato* rectissimè appellantur.

Si ulterius inquiro in originem, vel inventionem amuletorum, deprehendo multa illorum joco quodam in usum tracta esse: innotuit quippe de carminibus quibusdam, vocabulis fictitiis, atque Barbaris, quæ pro disciplinis, memoriæ promptius tradendis excogitata, & à Professoribus vel doctoribus interdum proposita fuerunt hoc jocô additô, quòd horrisona istiusmodi vocabula vel febres, dentium dolores, ophthalmiam, mures glires, aliaque mala depellere polleant; innotuit, inquam, quòd id ipsum etiam eum in finem ab imperitis & credulis tentatum ac verum compertum fuerit; quod certè non à nudis illis schedulis, verbis in iis notatis, vel variô modô recitatis versibus, aliâve ratione applicatis provenit. Quis verò Satanæ malitiam semper ab ejusmodi effectibus certò excludet? cui volupe est ejusmodi historias evolvere, de noto illo versiculo,

Fecana, Cageti, Daphanes, Gebara, Gedaco;

quod scilicet jocô indicatus, seriò posteà febrifugus fuerit observatus, adeat *Joh. Henr. Ursini Acerram Philol. p. m. 466.* De eodem, & ophthalmia (imprecatione sordida atque dira chartæ inscripta) sanata in anu, videatur *Herm. Lignaridus oblectamentis Academicis c. 12.* Plura de similibus prostant apud *Joh. Manlium loc. communib. p. 740. & Ioh. Prætorium Alectryomantia p. 164.*

Risum merentur etiam varia amuleta, quæ subinde casu, vel mirificò aliô modô, nec adeò medicâ virtute semper, efficacia deprehensa fuerunt. Constat quippe inter alia de muliere vel matrefamiliâs, cui pro infelici rei domesticæ & damnorum emendatione aut aversione lapillus, aut aliud quid ridiculum, linteis probè occultatum, datum fuit, ut eum in finem sedulò à dictâ muliere per quævis loca & angulos domûs appensum istud de-

deportaretur: quô ipsô postea factum est, ut varii defectus ac damna, priùs neglecta, contecta vel ignota, postea deprehenderentur, ac ideò emendarentur, hinc felicior etiam rei domesticæ status subsecutus est, cui mater illa suâ sedula præsentiâ atque providentia ita prospexit meliùs, quàm antea. De quo *Herbergerus P. 2. die Elisabetha.* Sic Germani fimum domini, vel possessoris calceis in agros depòrtatum, meliùs stercorare volunt; uti & oculus Domini equos saginare dicitur. Plura ejusmodi stratagematis, ludicræ aut ingeniosæ intentionis, ac moniti ergò, sub alia intentione svasa pentacula possem jam recensere, quæ partim nota sunt, partim etiam de iisdem credi facilè potest, quòd talismodi periammata occasione ejusmodi olim in usum sint admissa, aut etiamnum ab ingeniosis haud difficulter inveniri possint, quibus postea à credulis & simplicibus vis medica & intrinsecus latens assignatur. In præcedentibus mentionem fecimus rerum turpicularum, quas olim quipiam contra incantationes, malevolas laudationes, invidiam, verba imprecatoria & similes actus infantium collo, aliisque rebus affixerunt: id verò inde præprimis ortum duco, quia constat, quod fabri ferrarii (his rebus olim inprimis indulgentes) ante fornaculam suam statuerint quædam ridicula, ut iis quasi arcerent invidiam, noxam aut præsentiam (à nimia prætereuntium vel otiosorum stantium & oscitantium, uti & invisorum spectatorum laudatione & curiositate) metuendam; atque isthæc dicebantur *βασκάνια*, uti legit & vult *Pollux l. 7. Onom. c. 25. p. 351.* Idem hoc adhuc hodiè ferè quibusdam facetis aut iracundis, loco vindicationis aliqualis in usu est, dum oculorum plus justo curiosorum, aut malevolorum vicinorum pruritum in suâ nova intentum, per obscœnos oppositos typos, aut effigies quandoque conantur à suis sedibus, ædibus, fenestris, locis secretis, hortis & negotiis avertere, ac pudorem ita ipsis incutere, ut lynceam suam attentionem cum abitu vel aversione oculorum permutent. Alioquin verò teste *Plutarcho sympos. l. 5. probl. 7.* omnia turpia malos invidorum oculos avertere, olim crediderunt. Dum igitur anus fortè vel matres meticulosæ rerum obscœnatum consequentem effectum observarunt,

runt, vel eodem scopô, vel confidentiâ ductæ in efficaciam earundem peculiarem, suis infantibus appenderunt. Veluti in hanc sententiam, post istas mea speculationes, inclinare deprehendi *Hier. Mercurialem in Var. Lect. l. 6. c. 10. p. 120.* Hactenus itaque recensiti fontes, quales sint amuletorum, pensitet curiosus Lector! Non possumus etiam alia intacta prætermittere, quæ itidem periammatibus quibusdam interdum ansam vel originem non admodum validam subministrare videntur. Viri astuti autem, Agyrtæ, Magiæ turpi dediti, & simplices homines varia periaptorum monstra facilè producere, & commentariis (quoad varias circumstantias superstitiosas atque vanas) sæpe augere possunt ac solent; & hi quidem ex ruditate, simplicitate & credulitate, illi verò ex simplicitate, nequitia, desideriô captandi lucri & aliis causis. Sic imperiti non rarò mirificè torquent verba vel characteres pentaculorum aut schedularum magicarum, quæ si non ex Barbaris vocibus constant, facilè tamen in illa, imperitiâ & confidentiâ suâ, convertunt eadem; veluti inter alia id patescit ex horrisonis vocabulis Hax pax adimax: in quibus vocibus falsò lectis, scriptis, aut fortè cujuspiam industriâ tortis vel mutatis, loco literæ a. priùs o. positum fuit. Origo autem horum verborum creditur hæc, quod quispiam pomum cuidam deglutiendum dederit, cui inhæserit schedula his verbis consignata: HocX poX moX Deus adjuvaX. Quæ verba postmodum forsan ignarus quispiam Latinæ linguæ nactus, crucisque illam notam superstitiosè insertam pro litera penultima Alphabeti Latini Ix, aut initiali vocis χειςȣ reputavit, & consequenter schedulam istiusmodi hac ratione consignatam contra febres appendendam communicavit. Quia itaque dictum periaptum adeò corruptum post illam originem ab imperitis in risum peritiorum abiit, ideò fortè postea præstigiatorum ludicræ actiones cœperunt exponi illis vocibus Ein hockes bockes machen; veluti etiam lusus mediante perâ versatili peragendi (Taschen-Spiele) eô nomine significari solent. Benè quoq; in dictam sententiam (quod scil. ex scriptorum imperitia varii errores oriri possint) disserit *Reinesius Epistol. 45. p. 383.* Illic autem autor notam illam elidendam esse putat, quæ ab imperitis versiculo inseritur, & collo

lo appenditur; nota autem illa est vaga individui indicandi, scilicet Gajus, Sega (juxta alios Cajus, Seja, Titius &c.) quæ nomina aliàs personam indifferentem denotant, de quibus actio & sermo aliàs est. Huc ergò iterum quadrant illa verba *Prudentii:*

—— —— sæpe observatio crevit
Ex anu quondam malè cœpta, deinde secutis
Tradita temporibus, seriisque nepotibus aucta.

In antecedentibus, & quidem amuletis pro illicita corporis induratione usitatis *p.* 452. mentionem fecimus τῦ Pentalpha, quod hoc primitus bonæ intentionis & significationis gratia usurpatum, postea verò in superstitiosum & illicitum abusum tractum sit, uti etiam hodie illud in multis Tilsemis & superstitiosis amuletis signatum conspicitur. Sic non infrequens etiam res est, ut literæ certæ Cabalisticè, vel more aliàs in inscriptionibus usitatô, positæ res certas & verba integra indicent, quod prius negotium Cabalisticum *Rasche Theboth* dicitur *Hebræis*, de quo *Glassius philol. sacr. l.* 2. *p.* 1. *tr.* 2. *sect.* 3. *p.* 306. Dehinc notum est, quod ejusmodi literæ vel characteres singularis significationis vel recordationis gratia olim, uti rebus aliis, ita annulis signatoriis præcipuè insculpti fuerint, quibus prisci symbola sua quasi expresserunt, vel aliud quid lepidi in memoriam sibi, aliisve revocare intenderunt. Quemadmodum similis penè hæc intentio familiaris est etiamnum hodie quibusdam desponsatis, qui rithmos vel verba certa, literis initialibus solum significata, persæpe annulis suis pronubis insculpi curant, non vituperandæ intentionis ergò. De variis imaginibus, typis vel signis, literis item & cruce Christi, uti & animalibus, aliisque rebus, quæ bonæ intentionis, significationis, vel commemorationis crebræ ergò olim annulis signatoriis insculptæ fuerunt, agit quoque *Theodor. Höpingius de insignium jure cap.* 10. *§.* 136. *&c. Joach. Camerarius cent.* 4 *Emblemat.* 71. *p.* 142. *& Jul. Reichelius de amuletis p.* 45.

Quis verò dubitabit ejusmodi characteres, notas, aut literas tractu temporis malè intellectas, & longè aliter, quàm fas est, acceptas, nec non planè amuleti loco, pro usu medico variô usurpatas esse. Quia itaque probatione non indigere hoc arbitror, ideoque

ideoque id exemplis dilucidare supersedeo. Hinc verisimile itidem est, quod multa hieroglyphica priscæ philosophiæ, Alchymiæ, & arcanorum picturæ, signa, & characteres obscuri sæpe ab imperitis (non sine persuasione & adminiculô vario itidem seductis) in usum medicum vocati, aliter accepti & propagati postmodum sint, quàm par fuit: quemadmodum ferè in hunc modum vel scopum annotata quædam prostant apud *Jac. Gaffarellum curiositatib. inaudit. p.* 140. 143. *&c.* In hanc rem non possum non etiam locum huc trahere ex *Nathan. Hodgesi Loimologia p.* 237. invehitur quippe illic, nec immeritò, in characteres, inquiens: inter alia quæ precor figurarum energia? nisi opinemur, eò, quòd res medicæ Hieroglyphicè pridem depictæ erant, ne rude vulgus sacra artis mysteria profanaret; adeoque plebs, interpretationis ænigmaticæ nescia, in ipsa characterum formatione & sculptura vim adversus luem pestiferam aliasque ægritudines præpotentem latere conjecit, & errorem posteris transmisit; Hactenus autor laudatus. Quis juret verò rationem hanc, vel adminiculum dictum Tilsemis efficiendis & à nobis superius perlustratis non ansam promptam itidem inter alia olim dedisse. Dehinc mirum quoq; non est, quin nummi antiqui, rari, & aurei inprimis, ac peregrinis literis aut signis notati, tractu temporis posteà longô aliô fine usurpati, colloq; appensi ac gestati sint, quàm quidem primitùs alii usui destinati iidem fuerunt: dum scilicet ornamenti potiùs, vel memoriæ gratia ad gestandũ aut asservandum dati fuerunt. Sæpe quippe fit, ut quis alteri suæ memoriæ alendæ, vel conservandæ ergò, aliumve in finem nummum offerat, ejusmodi ratum, annulum, vel clinodium aliud, quod quia provenit à persona charâ, meritò quoque magni æstimatur, posterisque ad asservandum non raro datur. Imo non nunquam etiam contingit, ut si quis ejusmodi res studiosè asservari velit à quopiam (cujus manus vel marsupium non adeò tenax nummorũ est) ut stratagemata, vel persvasiones variæ eum in finem illis annectantur vel affingantur: veluti totô die observamus hujusmodi persvasionibus liberos aut hæredes attentiùs res à parentibus traditas observare, manusque illorum (malè tenaces aliàs) magis attentas eâ ratione reddi ad conservandum

illa. Sic in communi vita, ceu frequenter observamus, matres aut patres familiās ad captum liberorum suorum se accommodantes iis varia svadent aut disſvadent, & quidem variis argumentis aut prætextu boni vel mali, quod inde eisdem immineat. Quid, si quis etiã aliquando (quôcunq; tandem persvasionis adminiculô) nummum aureum vel aliud quid simile, variis peregrinis & ignotis literis aut signis notatum, idque asservandum ac gestandum pro morbo quopiam arcendo, vel bono accersendo acceperit, atq; hac credulitate ad posteros illud propagarit! Hoc itaque modô hominum firma confidentia erga pendacula fictitia, vel minùs alioquin efficacia, extorquetur à vafris hominib9 ex aliis, cumprimis si illa variis ceremoniis additis præparantur vel porriguntur, aut planè etiam certis signis, literis, characterib9 ac figuris notantur. Modi vel mores verò ej9modi obscurandi rerum veram conditionem, atq; conciliandi authoritatem, vel æstimium rebus vilibus, admodum familiares sunt præstigiatoribus, Agyrtis, & similibus; velut hoc ex illorum negotiis, mercibus & medicamentis quotidie ferè innotescit. Similem quoque vel majorem efficaciæ splendorem atque autoritatem affingere possunt Tilsematum confectores suæ suppellectili (quod olim citiùs fortè effectum dederunt isti apud Ethnicos, uti & credulos, aut in superstitionem pronos, sive morbis vel angustiis variis circumfusos homines) dum astra, ipsorumque influxum in partem vocarunt, atque juxta has constellationes suas tilsemas conflarunt, majorique autoritate vel existimatione muniverunt. Atque ita miseri illi homines signum cum signatô, variaque corrasa, non sine superstitione & credulitate, potentiora putarunt; æquè ac quidã simplices fuerunt observati, qui vel pyxidem, chartam aliaque cum medicamentis contentis, devorarunt & efficacia magis putarunt, aut postmodum deprædicarunt. Sic inter alia æstuans amantium amor facilè sibi ejusmodi amuleta quoque effingere, & propagare potuit olim, & etiamnum hodiè potest: uti non rarò hi torques, inaures, annulos, armillas, vincula, nummos, aliaque similia de collo sive circa pectus pendula sibi invicem relinquere vel donare solent, quæ dictæ personæ amantes tantô sæpe amore

amore profeqvuntur, quantô fimiæ vix profeqvuntur catulos fuos, aut feles nepetæ herbam vel valerianæ radices: exofculantur quippe perfonæ illæ res iftas, nunquàm à corpore deponunt, imò focias fibi easdem per fomnum non raro adjungunt, & quæ plura alia favoris teftimonia erga ipfasmet ii depromunt. A Gallis etiam ejusmodi amantium vel amicorum donum corpori appenfum *un memoier*, dici notũ eft. Quia item res ejusmodi non rarò ex metallis conftant, *Gallis* iterum Medaglie dicuntur, veluti eædem non rarò etiam amuletorum claffem conftituunt, five intrant, uti fuperius *p.* 16. innuimus. Plura de illa voce, quod Arabibus pariter *Methalia* dicatur, & quid fint ejusmodi imagines vel *thoracidæ*, exponunt loca congefta apud *Exc. Georg. Francum diff. Medic. de lapicidina microcofmi in thorace p.* 8. §. 5.

Exprimunt alioquin ejusmodi memoriam dictis modis renovatam verba *Ovidii in Trift. Eleg.* 6.

In digito qui me fersque refersque tuo.

Non infrequens etiam eft in facris, ut commemoratio fedula vel amor & inclinatio erga hominem quempiam indicari foleat, figillô vel annulô manibus adhærente. Sufpicor item Deorum, beneficorum hominum, & Magnatum dono conceffas imagines, aliasve res à fubditis, gratis, aut piis vel religiofis hominibus, gratitudinis & devotionis ergò geftatas primitùs, poftea fæpè in amuleta converfas fuiffe; uti ferè de Alexandri imagine præfumere licet: dum Marcianorum familia illam frequenter geftaffe, vel aliis utenfilibus imaginem impresfiffe dicitur, quô fibi fortunam in fuis actionibus devincirent, aut compararent, de quo *Erafmus Adag. Chiliad. f.* 375. *Phil. Caroli Animadverf. ad Agellium & Q. Curtium p. m.* 655. *&c. Kirchmannus de annulis c.* 11. *&* 12. *Jacob. Pontanus bellar. Atticis p.* 701. *& Gabriel. Naudæus l. c. l.* 1. *p.* 37. Plura in hanc rem vide apud *Gregor. Michaëlem notis ad Gaffarelli curiofitat. inaudit. p.* 273. *Th. Hopingium de Jure infignium c.* 18. §. 7. *f.* 907. *Joh. Henr. Urfinum Analect. facr. volum.* 1. *pag.* 89. *Conrad. Dietericum Antiquit. Bibl. fol.* 722. *&c. Mart. de Roa fingular. facr. fcripturæ part.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *Joh. Baptift. Cafalium de veter. facr. ritib. Chrift. cap.* 48. Majorum autem fimulachra, ftatuæ, effigies ne

memoria variis modis excudta & expressa nobis potiùs calcar addere debent, ut illorum honorum, virtutum, ac præclarorum factorum vestigia legamus, & ea quæ à majoribus accepta sunt, vel majori laude, vel non minore splendore posteris tradamus; veluti eleganter de honore disserit *Gabr. Naudæus de studio milit. l. 2. p. 909.* Constat alioquin ex philologis & lexicographis de voce *niceteriorum*, quod victorum præmia eâdem significentur; hinc allegant illi etiam ex *Martialis lib. 6.* versum:

Et ceromatico fert niceteria collo.

Non impossibile verò est, quin dicta ista νικητήρια in amuletorum locum, & usum in bello pro victoria adipiscenda cesserint, vel admissa fuerint; veluti etiam inter amuleta pro fortitudine & victoria communicata nomen hoc specificum autorum ductu & usu ipsis tribuimus periaptis. Sic in literis Ephesiis injunctum olim fuisse legimus, ut quotidiè reminiscerentur alicujus ex antiquis, qui virtutem coluisset de quo *p. 453.* In his recensitis itaq; fortè non paucorum amuletorum & Tilsemarum adminiculum vel origo sita est, veluti jam ante etiam per scrutinium hoc nostrum quorundam horum mentionem inspersimus. Nec impossibile item videtur, ut amantes, vel qui venerantur certas personas aut res, citiùs istiusmodi rebus gestatis ad amatarum personarum recordationem permoveantur; cùm amantium personarum pulsus vel faciei rubor etiam indicet sæpè conceptos animi motus, quando redamantis vel amatæ personæ mentio solùm facta est, vel quando desiderium erga illam, absentem inprimis, ortum fuit. Hinc res istæ memoriam reparantes quasi amuleta, vel philtra interdum, & incidenter fiunt: Veluti de hac etiam materia egimus in præcedentibus *pag. 516.* Non plane dissimili modô virorum vel heroum imagines, aliæque res oculis obversantes posteris, vel aliis æmulis, facta eorum celebria vel observantiam in animum revacare, & illis æmulationem, atque consequenter alia facta, vel eventus laudabiles comparare possent. Sed hæc, (uti pluries antea dictum, & exempla etiam ideò adducta sunt) quia solùm per accidens amuletorum vices subeunt, aut effectus relinqvunt, non adeò ad nostram considerationem medicam pertinent; veuli etiam pro scopo nostro vel demonstratione originis vel inventionis

variæ

variæ & mirificæ amuletorum aliorum eadem adducta solùm volumus.

Progredimur adhuc ad alia non nulla, quæ mirabiliter quandoque amuletorum numerum auxerunt. Sic de amuleto quopiam, quod Palladium olim dictum, & de cœlo lapsum putatum fuit, crediderunt multi, quòd locum vel urbem illam, & Trojam inprimis incolumem & ab hostibus inexpugnabilem reddere polleret, (quamdiu Palladis illud simulacrum inviolatum illic asservaretur) de quo *Natal. Comes mythologia l. 4. c. 5. p. 306. Rosinus Antiquitat. l. 2. c. 12. p. 333. &c. Apollod. lib. 3. Bibliothec. Robert. Stephani Dictionar. voce Palladii, Laurenbergius Acerr. Philol. cent. 1. hist. 10. Scholiastes Sophoclis in Ajace Vincentius Chartarius de imaginibus Deorum p. 242.* De eodem, & quod imperii illud pignus, minuta Palladis effigies fuerit, enarrat *Philip. Caroli Animadvers. ad A-gellium & D. Curtium pag. m. 566.* Varias sententias de palladio illo, quale exstiterit periapton, congessit *Gabriel. Naudæus de studio militari l. 1. p. 371.* Volunt autē nonnulli palladium ex ossibus Pelopis constitisse, & Olympicum ex ossibus balenæ Indiæ, de quo *Elias Schedius de Dis Germ. Syngrammat. 2. c. 32. p. 395. Pierius Hieroglyphic. lib. 41. Phil. Camerarius hor. succis. cent. 1. cap. 60. p. 268. &c.* Varia autorum loca & sententias de palladii dicti forma externa, materia & usu etiam congessit *Jul. Reichelius de amuletis pag. 29. &c.* Verùm quod istud de palladio tropicè potius accipiendum sit, mavult *Natalis Comes l. c. l. 3. c. 4. p. 312.* qui Palladii loco intelligit religionem, sapientiam atque justitiam, quæ Rempublicam fartam tectamque conservare queant. De ancili seu pelta, quæ è cœlo in Numæ manus, ingruente peste, decidisse quipiam scribunt, non nulla autorum loca etiam prostant consignata apud *Jul. Reichelium l. a. pag. 32.* Dum Palladii & ancilis hujus de cœlo lapsorum mentio fit, recordor etiam magni quosdam æstimare nummos, qui subinde cum pluvia prodigiosa de cœlo lapsi creduntur, quemadmodum tales annotarunt *Hornius histor. natural. l. 2. c. 3. p. 89. Gaffarellus curiositat. inaudit. p. 411.* Alii quoque mentionem faciunt auri, quod itidem de cœlo lapsum esse volunt; atque hoc guttas Apollinis, seu spermata solis & Iridis ap-

appellant: hæc verò dicuntur esse lamellæ, scutellæ, vel nummi aurei, de quorum origine (utrum scilicet sint factitii, nec ne, & quod πτεραχέλιοι etiam dicantur) prostant non nulla annotata in *Reichelti l. d. p. 33. Michaelis notis ad Gaffarelli curiositat. in audit. p.412. & Miscellan. Acad. Leop. Cæs. dec. 2. Ann. 5. obs. 203. p. 417.* Cæterùm de pluvia aurea plura *prostant* apud *Ammianum l. 17. & Jonstonum Thaumatograph. p. 122. Joh. Adam. Weberum* in der Unterredungs-Kunst *part. 2. p. 567.* De argentea pluvia allegat etiam non nulla *Schottus phys. curios. p. 1508.* Positô autem illô, quod ejusmodi signatus, sive crudus nummus, vel aliud simile quid de cœlo lapsum fuerit, ecquis verò jussit illud amuleti loco recipere, aut inde amuletis autoritatem impertire. Mirum interim non est, quin homines quidam fortè aliqvando ejusmodi rem cœlo delapsam, vel putatã saltem, studiosè asservarint, & collo affixã gestarint, quam imperiti, vel posteri postea (quoquô etiam adminiculô vel persvasione majori intercedente) sancti instar vel memorabilis periammatis loco æstimarunt atque usurparunt, si non ab origine prima statim eundem in usum admissa ista fuit. Plura in hanc sententiam confirmandam trahi huc possunt ex iis, quæ superius de Pentalpha & signo illo crucis, quod Constantino Imperatori apparuit, &c. consignata sunt. In his verò, quæ hactenus adduximus, non nihil de tilsemis & similibus pseudo-amuletis interseruimus, idque ideò, ut mirabile ac lubricum quorundam periammatum fundamentum indicaremus; quod itidem locum habere videtur in variis aliis amuletis, quibus nihil aliàs suspecti aut ludicri admixtum esse communiter fermè existimatur.

Ecquis neget porrò artemisiam (Beyfuß) herbam, vulgò contra lassitudinem iter facientium commendatam, joco prius fuisse svasam aliquando, ejusque Germanicæ vocis, & proprii sensus loco potiùs quadrupedem eqvum intellectum, vel in mente reservatum fuisse, vel comitem etiam facundum, qui aliàs, juxta illud tritum, in via pro vehiculo est. His adminiculis verò levamen accedere lassitudini peregrinantium rumore vulgi vel experientiâ constat. Postquam diu antea speculationes has fovi, incidi casu in *Caspar. Hoffmanni de medicam. officin. l. 2. c. 22.* qui similiter

jocum

jocum quempiam de equo valido prolatum ansam illam dedisse suspicatur, ut Artemisia dicta (vel rectiùs Germanorum vox Beyfuß) loco amuleti contra lassitudinem facere perperam putata sit. Sic etiam inter vulgares & pauperes homines videbis non rarò à superstitiosis vel simplicibus matribus suis liberis in sacculo collo appendi panem, caseum, & nummulum, idque ideò, ne dictis puerulis noceat fascinum, aut marcor, vel tabes inde aliàs præcipuè dependens; quod vulgus exprimit wider das Beruffen oder böse Mäuler. Verùm medela hæc sine dubio aliquando svasa fuit ideò, quod pane, caseô, aliisve alimentis & pecuniâ non deficientibus benè educatio, & nutritio infantum peragi possit; nec adeò macies illorum metuenda sit, de quò communiter non est dubium. Hæc media verò continuata, & legitime porrecta, vel adhibita potius stomachum, quàm externum pectus juvant; quem effectum alioquin vix præstabit, exiguâ illâ & inefficaci vel umbratili quasi quantitate, appensa supellex dicta. Ne desit his quoq; solennitas quæpiam, vel superstitionis major apparatus, injungunt insimul anus, ut nummus antiqvus gladiis duobus vel crucis signô notatus (ein Kreutz-Trelheller/) eligatur; sacculus item appendendus sæpe ex rubro vel scarlatino panno, & ad cordis formam efformatur; & quæ sunt plures circumstantiæ non nunquam pro arcano isto vano adauctæ & adjunctæ. Porrò quis non suspicetur amphiboliam inesse Magneti commendato, quòd scilicet (si à peregrinantibus, vel amantibus, aut conjugibus gestetur) unionem & amicitiam nectat indissolubilem, & alat inter eos; quis inquam non suspicetur, quod potiùs animorum magnes moralis, harmonia vel conjunctio subintelligatur, quæ hôc modô citius, quàm à simplici vel vulgari isto magnete inter dictas personas excitatur. Effectꝰ ejꝰmodi, à Magnete profluentes vel expectati neutiquam etiam placent *Ans. Boët. de Boot in gemmar. historia l. 2. c. 253.* hinc *Marbodeum* etiã, versiculis describentem vires illas, nugari dicit *Bootius*. De Lysimachia herba superiùs fuit dictum, *p.* 79 quod si inter altercantes projiciatur, conciliationem illorũ efficiat. Sed aliud quid fortè sub Lysimachia prius indicatum fuit; juxta Græcam derivationem vel originem vocis enim herba, pugnam solvens sonat, vel denotat eadem vox. Sine dubio verò dictus

effectus à solutione, manibus vel violentia adhibitâ (verberibus aliisque adminiculis masculis) inter pugnantes citiùs procuratur, quàm si fasces illius herbæ inter illos projicias; nisi fortè sufficientem murum constituant illi. Quis non pariter hariolettur aliquando ex joco vel tropico quodam sensu pollicem furis commendatum fuisse venditoribus vel mercatoribus, quod scilicet ille his felicitatem ac bonum proventum, vel lucrum in mercimoniis variis tractandis spondeat & procuret, quis inquam non hariolettur, quod potiùs furtivi astus & negotia in mercatura ditare polleant; & sæpe etiam sine magno molimine, atq; juxta ipsorum mentem ac verba, propter affluentem benedictionem divinam. Sicut etiam prius illud sacra scriptura ferè innuit, quod injustitia instar clavi mercatoriis actionibus infixa sit. Consentit pene cum his meis meditatis *Joh. Prætorius* von Diebs-Daumen *pag.* 158. Alioquin etiam magnopere studet amphiboliis Diabolus, quò miseros & credulos homines decipiat, inque corporis ac animæ perniciem præcipitet; veluti oraculorum effata & Satanæ promissa, veneficis aliisque ipsius mancipiis data, id sæpe comprobant. Tremendo ex hoc dolo Satanæ forsitan non absurdè periaptorum quorundam, & quidem seriorum aliàs existimatorum, aut ludicrorum originem deducere licet.

Persæpe etiam accidit, ut res naturales, horridæ, impudicæ & sordidæ, nominibus modestis, mitibus, facetis, ac tropicis efferantur, vel appellentur, quæ, si proprio sensu accipiantur, magnum errorem pariunt. *Erasmus de rerum & verborum copia l.* 1. *p. m.* 21. sub titulo sordidorum verborum inter alia ita loquitur: Chirurgi ac Medici coguntur interdum uti verbis aptis potiùs, quam splendidis. Sic *Pythagoras* jubet, ut à fabis abstineant; hoc verò quispiam interpretatur, quòd mares desistere debeant à contrectatione, vel alio commercio papillarū muliebrium in mammis, hodiè pravô quopiam à Gallis collectô more oculis aliisq; sensib9 etiam expositis. Mammæ enim summa pars seu papilla faba nominatur, uti locus extat apud *Ruffum Ephesium l.* 1. *c.* 11. Hinc poëta:

Qui sapitis juvenes fabulo subducite dextras!

Similiter etiam mulieres à fabuli, seu testiculi, vel glandis penis attactu & cæteris actionibus illarum partium abstinere debent;

ut-

utpote quæ homonymia inter utrasque res obtinet; de quibus modò dictis videatur plenius agens *Lindenius Medic. Physiol. c.7. artic. 3. p. 369.* Sic ad *Marcelli Cumani observat. medic. 4. pag. 34. Georg. Hieron. Velschius scholio* commentatur ita: per *castaneam* intelligenda est glans illius patris, quæ viros facit. Quam fabam rubram vocabat *Burchiellus*, nequissimâ amoris definitione, quam *Bernia Satyricus* Italus Platonicæ præferendam ridiculè contendebat *epist. ad Cæsar. Raum. p. 36.* Quia de fabis prohibitis mentio hactenus incidit, addimus etiam hoc, quòd alii arbitrentur *Pythagoram* interdixisse fabis (attestantibus *Gelliô noct. Attic. l. 4. c. 11. Schröterô pharmacopœia Med. chym. l. 4. p. 68.* aliisque pluribus) tanquam signatô, non autem signô: quòd olim regimini destinati fabis, veluti sortis adminiculô, electi sint; hinc volunt *Pythagoram* prohibuisse degustare fabas, hoc est, regimini anxiè intentum esse, aut istud venari. Sicuti etiam quibusdam in locis adhuc fabaginos reges eligunt, de quibus *Erasmus in Adag.* 10. *fabam ne comedito:* in quam rem paria habet *Mart. Schockius de cerevisia c. 7. p. 54.* Verùm *Hieron. Mercurialis Var. lection. l. 4. c. 6. p. 81.* non applaudit, circa hanc rem, etiam illi sententiæ, quam quidam fovent de Pythagoreorum illo præcepto ideò constituto, quòd scilicet comestæ fabæ mulieres infœcundas reddant. De eo etiam, & quòd non divinationem prohibeant fabæ, sed quod præceptum illud potiùs in judicum officium declinandum inclinet, audiri meretur *Mauritius Calanus de proprietat. individualibus lib. 1. c. 4. p. 31. &c.* Dictæ illius prohibitionis alii etiam alias potiùs rationes indicare malunt: quòd scilicet fabæ more leguminum, flatus excitent, & ad venerem irritent, aliaque mala corpori inducant, de quo iterum *Gellius l. 4. c. 10.* Duabus illis datis rationibus etiam inniti *Pythagoræ* interdictionem arbitratur *Jac. Masenius speculo imaginum veritat. occult. cap. 60. num. 9. pag. 721.* Conferri itidem potest de hac materia *Th. Reinesius var. lect. p. 281.* De iisdem, & quod somnia turbulenta concitent, atque propter signaturam ad venerem commoveant, agit quoque *Joh. Bapt. Porta Phytognom. cap. 10.* de quo etiam *Weckerus de secretis l. 5. c. 7. p. 260.* De eo verò, quod fabæ somnia turbulenta excitent, & ad melancholiam

liam disponant, vide *Plutarchum in sympofiac.* Tandem illius interdicti quibusdam videtur ferè etiam ratio esse hæc, quòd animas mortuorum in flores lugubres vel nigros fabarum migrasse olim statuerint quipiam, anili illô argumentô, scil. à signatura coloris tristis ducti aut seducti potiùs. Sed prima illa *p.666.* de fabis adducta interpretatio forsitan non omninò absona est. Sic quælibet lingva ferè svevit vocabula certa variô modô accipere, velut vox salis, & salitum esse in Latina & Germanica lingva varias significationes obtinet. Merentur quoq; legi in meam hanc sententiam facientia annotata apud *Phil. Caroli Animadvers. in Agellii l.4. c.11. p.263. &c.* ubi dictus hic autor inculcat præceptum illud Pythagoræ, æquè ac alia ejusmodi similia, in ænigmate prolatum ad simplicem verborum sensum non reducendum esse. Cur verò *Plato* & *Pythagorei* fabulis non usi sint, constat inter alios etiam ex *Macrobii saturnal. l.1. cap.2. p.14. &c. & ex Joh. Gvil. Stuckii de conviv. antiq. lib. 3. f. 296.* De ejusdem interdicti expositione, & quòd *Pythagoras* ipse neutiquam ab usu fabarum crebrô abstinuerit, conferatur *Pancirollus cum notis Salmuthi de rebus memorabil. p.2. tit.10. p.180.* & de variis aliis hactenꝰ propter fabas adductis *Fr. Bernius arcan. moral. à Paulo Patre edit. Symbol.33. p.442.* Ut paucula adhuc rem illam collustrantia subjiciam, claret ex autoribus, quòd partes inverecundæ subinde etiam malorum vel pomorum, nucum, olerum, florum, & natura muliebris saltûs atque horti nomine indicentur vel designentur, de quo *Just. Lipsius Antiqv. lect. l.3. c.1. p.127. &c.* Addo, quòd etiam genitale arvum dicatur à *Virgilio Georg. lib. 3.* Cœterùm quòd venerea verba omnibus ferè gentibus allegorica & ficta in usu sint, lingvarum periti facilè noverint, de qua re plura innotescent ex *Abr. Sculteti Exerc. Evangel. l.1. c.43. Phil. Caroli l. 2. lect. variar.* aliisque pluribus.

Innumera ejusmodi alia jam ante, sine nostra recensione, nota sunt, quæ in communi vita, in physicis, aliisque rebus sæpe obscurô vel tropicô sensu efferuntur; unde multorum errorum ansa nasci potest. Quantumvis hæc res non indigere videatur prolixô testimoniô, cùm exempla dicta, & adhuc dicenda de eôdem loquantur; citamus tamen non immeritò benè etiam de hac ma-

materia differentem *Franc. Vallesium philos. sacra c.16. p. 127.* ubi monet, quòd in antiquæ legis sacræ præceptis non nulla allegorica reperiantur, quæ non in sensu literali solo accipienda sint, quem modum docendi multi imitati sint veterum philosophorum, præcipuè *Pythagoras*, cujus adhuc extent symbola multa; quale etiam sit illud: *salem apponito*, h. e. prudentiam & integritatem in rebus gerendis. Sic Hieroglyphicam rationem scribendi Ægyptiis sacerdotibus in sacris etiam usitatam fuisse, idem autor innuit. Novimus insuper inter alia in Academiis, quæ depositionis ritum adhuc exercent, cum quâpiam expositione sal sapientiæ in os immitti solere, de *quo Zeilerus in Miscellaneis p.332.* Si verò hujusmodi rebus (amuleta quandoque mira occasione constituentibus) paulisper adhuc inhærere licet, forsitan & hæc suspicio hic locum invenit de Eryngio, planta alioquin satis nota, & Germanicâ lingvâ Manns-Treu dicta, id est conjux marito fideliter adhærens & impurum illicitumq; amorem fugiens. Radicem verò illam si quæ gremio gestat, vel ore detinet, voluerunt quidam, quòd juxta illa verba *Lotichii*

Illicitos nunquam conjux meditetur amores.

Suspicor itaq; aliquando fidelitatem, nec non pudicum, atque constantem amorem conjugũ fuisse à quopiam indicatũ verbis istiusmodi Germanicis, quem effectum postmodum alii in radicem dictam transtulerunt, vel eâdem exposuerunt aut expresserunt. De vi autem hujus radicis, quòd alterutram personam amantem alliciat, & philtri instar sit, si alterutra illarum hanc gestet; uti & de vana hujus radicis electione, legenda non nulla prostant in *Mylii horto philos. p.602.* Superiùs etiam suspicio vel error alius, de malè intellectis vel inter se permutatis vocabulis duobus, scilicet de Eryngio expositus & à *Casmanno* allegatus fuit, quod nempe vox *ἠρύγγιον* barbam denotet, quâ si caper detineatur, (juxta tritum) grex integer sistatur, quod Eryngio alii attribuunt, si hæc capro appendatur. Porrò ut inseramus his etiam illud superstitiosum negotium, nimirum quod panis, qui primùm in nuptiali convivio sponsæ vel recens nuptis comedendus apponitur mensæ, si studiosè asservetur, postea dicatur conjuges illos pane non carere permit-

 tere

tere velut vulgi persvasio & superstitio seriò alias inculcat, multisque in locis non intermittit. Verùm quàm diu panis ille asservatur ab illis hominibus, fortè non deest illis panis, utrum verò aliô pane necessariô non destituantur iidem, admodum ambigui eventus res est. Panis spiritualis verò asservatus citiùs mysticum illum effectum edit. Infinita alia istiusmodi ludicra non sunt ignota, quæ aliô fine sæpe commendata,& aliô usurpata vel adhibita fuerunt, & tamen proprium sensum vel expectatum effectum explevisse postea observata sunt, quæ tamen minimè naturali & ordinariâ suâ efficaciâ id præstiterunt. Ex hactenus itaque dictis abundè, uti reor, dispalescit, quòd ex sensu ambiguo, malè intellecto, vel tropicè proposito, sæpe irritus sensus & actio emergere possit; quemadmodum de variis ejusmodi, tàm in profanis, quàm sacris Scriptoribus obviis rebus consuli potest *Daniel. Fesselius Adversar. sacr. Salom. Glassius Rhetoric. sacra, Joh. Nic. Wernerus opuscul. philol.* item ii, qui fabulas, hieroglyphica, emblemata, & similia congesserunt, uti & *Joh. Pratorius in Philosophia colus. Ursinus Analect. sacror. l. 1. Anal. 15. p. 27. Michaël Piccardus obs. hist. polit. decad.* 3. *c.* 4. *p.* 144. *Camerarius horis succis. cent.* 2. *cap.* 90. *pag.* 343. & alii. Priusquam verò hanc sectionem,& hanc materiam de infirma basi quorundam amuletorum, ipsisque amuletis suspectis quibusdam aut inefficacibus claudamus, adhuc pauca verba huc trahemus ex *Casparis Reiesii Camp. Elys. qv.* 23. §. 17. *pag.* 258. si, inquit, amuleta naturaliter vim habere non posse deprehendantur, nec à peritis & doctis Medicorum libris, ut tali efficaciâ dotata approbentur, tunc enim de pacto sunt suspecta, & ut talia abjicienda partim ut vana, partim ut ridicula &c. Atque sic satis hactenus forsitan de periammatibus planè illicitis in prima sectione,aut parum efficacibus in hac finienda jam sectione actum fuit; restat itaque ut etiam dispiciamus, utrum supersit vis quæpiam medica, & æstimium, quod in Medicina postremò his jure quopiam competat, ne accincta itineri eadem planè è Republica medica & memoria emigrare teneantur.

SECT. III.

SECTIO III.

Judicium applaudens amuletis licitis & tolerandis.

TEstimonia atque loca varia, veritatem & applausum amuletis naturalibus ac licitis conciliantia, quæ in præcedentibus passim interseruimus, denuò jam propter prolixitatem fugiendam repetere supersedemus. Nec immorabimur iterum considerationi operationis & hujus modo, quomodo nimirum periapta agere in corpus soleant vel debeant, cùm de his itidem aliquoties in nostro Scrutinio spatsim, & in specie etiam mentio facta sit. Nimium acerba verò & injusta videtur quorundam sententia, dum omnia illi periapta indifferenter rejiciunt, quia in classe istorum reperiuntur superstitiosa, dæmoniaca, & inefficacia. Proinde rectè *Delrio disquisit. Magic. tom.* 1. *c.* 4. *quæst.* 4. *p.* 45. in eos invehitur, qui temerè omnium periaptorum usum condemnant, & quidem ex patribus non satis intellectis. Toleranda etiam esse physica & licita periapta, cum aliis statuit *Andreas Laurentius operum therapeut. tract. de strumar. Sanat. l.* 1. *c.* 5. *f.* 12. Dubii verò redduntur lectores, qui in varia judicia autorũ incidunt, dum adeò discrepant benè vel malè amuletis cupientes &c. Instituimus autem non immeritò jam scopum nostrum circa materiam periaptorum occupatum, juxta tenorem Symboli illius *Societas Anglica Regia:* Nullius in verba! Notum præterea est, quòd vitium id reputetur, fidem scilicet adhibere omni & nulli. Cùm itaque nihil turpis, impii, illiciti, vel suspecti in amuletis quibusdam deprehendamus, nec omnem rationem operationis ab iis abesse suspicemur, (licet experientia firma vel ampla de quibusdam non pateat, & quidem cuivis) cur non locum iis in medicina, & quandoque etiam iis tanquam superfluis medicamentis concedamus? Atque ideò pensi habenda sunt verba *Cardani in Apolog. Achon. l. p. m.* 1075. dicentis: amu-

amuleta non semper vires suas ostendunt, quandoquidem nec ea quæ per os assumuntur. Commendamus igitur iterum Curiosis hanc materiam periammatum, ne fortè injuria fiat iis innocentibus, & ne immerenter omnia omninò ista indifferenter, propter difficultates aut experientiam modicam, proscribantur. In præcedenti sectione *p.*642. adduximus, amuleta multa ideò Medicis versatis nec admodum credulis suspecta esse, quod à plebejis, credulis aliâve notâ suspecta laborantibus originem vel usum commendatum trahant. Verùm nisi notæ suspectæ aliæ, superiùs in prima sectione hujus capitis attactæ, amuletis adhæreant, plebejorũ medici ausus & encomia medicamentorum non omnia planè spernenda sunt; cùm eorum experientia in simplicib9 medicamentis videatur firmior, quàm peritorum medicorũ, qui propter rationem variam status compositis magis communiter inhiant; de quibus nos alio tempore pollicemur plura.

Restant itaque eum in finem nobis adhuc quædam disquirenda, quæ amuletis patrocinari possunt; ea verò consistunt in variis argumentis sequentibus, non penitus spernendis: sic *Cnæffelius*, (uti patet ex *Miscellaneis Academ. Leopold. Cæsar. Dec.* 1. *anni* 6. & 7. *appendice*) de amuletis mensium fluxui oppositis agens, atque superstitiosa & magica periapta improbans, in hæc verba prorumpit: loquor de amuletis Physicis, medicis, licitis, & naturalibus, quæ occultâ suâ proprietate divinitus in prima sui creatione indita, semper eodem modô agunt in corpora, quibus applicantur, sive suâ sympathiâ sive antipathiâ. Patrocinium quoque aliquod amuletis accedit ex verbis *Joh. Dan. Mylii Antidotar. Medic. Chymico l.* 1. *cap.* 6. *pag.* 66. quamvis hic autor, verbis mox recensendis, videatur etiam characteribus inprimis, schedulis, & illicitis pentaculis autoritatem quampiam lucrari velle. Sic autem ille inquit: Mirum admodum & incredibile tibi videri non debet à Medicina juvari posse hominem, etsi intrò illam in corpus non assumat, sed sigilli modô & more de collo tantùm suspensam gestet. Vides enim similem operationem fieri in vesica à cantharidibus. Nam urina sangvinolenta fit, si cantharides saltem manu contineas, cum tamen vesica, quæ conceptaculum urinæ est, interiùs

in imo corpore consistat, manus verò, extra corpus posita, à vesica quàm longissimè absit; hæc *Mylius*. De dicto vero cantharidum effectu plura testimonia similia passim obvia coacervare hoc loco supersedeo, cùm *in dissertatione de mictione cruenta* egerim de hac materia,& adhuc aliis in locis inposterum forte de eadem acturus sim. Non possumus etiam non accedere sententiæ illi, quam fovet *Caspar. Reiesius Camp. Elys. quæst.* 23. §.19. & 20. admittit autem ibi pendacula minùs suspecta, inquiens inter alia: Secundò in communi usu sunt multa ex gemmis, lapidibus, herbis, radicibus, quibus quotidie uti videmus, & in Medicorum libris frequenter legimus, quorum licet multò inferior sit virtus ab illa, quæ prædicatur, & effectus rarò conspiciantur, qui illorum efficaciam comprobent, aliquando tamen aliquid præstare observatum est, vel ex propriæ naturæ & materiæ vi, vel ex gestantis imaginatione, vel quomodocunqve eveniat; dummodo citra omne pactum adhibeatur, methodicâ curatione in usum venire poterunt: nam licet minùs efficacia sint, in gratiam tamen ægrorum, corpore sive animô laborantium, illis licitè uti posse dicimus; hoc enim modô animorum superstitionem, & impostorum fraudem, minimè confirmamus, de his enim ut *Conciliator* ait, ut libitum fuerit, quisque opinetur. Dolus etiam aliquando bonus permittitur; licet insimul sanitatis hostes seu morbos quâcunqve ratione oppugnare: quia ut in præcedentibus ex *Gabriele Ayala (in Epigrammat. Medic. de honestis Medicorum imposturis* §. 17.) dicebamus, dummodo nullum contra religionem peccatum committatur, omnia sunt licita. Sic autem *ille l. c.*

Prosit ut ægrotis, medicam nil dedecet artem,
Id fiat salvâ relligione modò.
Vana superstitio procul hinc, magicique susurri,
Nemo tanti, à queis decipiatur, emat.

Idem hoc statuit sæpius à nobis laudatus *Sachsius Gammarolog. p.* 877. Præterea teste *Andreâ Laurentiò operibus therapevt. tr. de strumarum Sanatione l.* 1. *c.* 5. *f.* 20. infinita ex plantis parantur amuleta, quæ contactu morbos pellunt, & mira præstant. Lapidibus etiam eadem vis inesse dicitur, quamvis autor hic l. a. videatur

plus, quàm par est, multis periaptis tribuere. *Johannes Michaëlis notis MS. ad Rolfincii Chymiam in art. form. redact. cap. de amuletis p.* 450. ait: experientia testatur amuleta non esse frustranea; & paulò post ea ita pergit: amuleta ex simplicibus semper tutò possunt usurpari; quæ verò cum characteribus fiunt, semper sunt suspecta. Sic de iis, quæ in Epilepsia alias adhibentur, hunc in modum loquitur *Jac. Tappius dissertat. de sens. internor. facult. læsion. c.* 8. *p.* 70. §. 146. non prorsus etiam, ait, negligenda amuleta collo & brachiis alliganda, cùm ea tam veteres quàm recentiores valdè commendent. Idem *ille in* §. 151. pergit hoc modô: huic medicamentorum usui conjungenda est conveniens diæta, quæ ita comparata esse debet, ne impediat medicamentorum usum, sed potiùs iis cooperetur. Non alienus etiam est ab hac sententia (ubi præmisit discursum de illicitis & rejiciendis characteribus, aliisqve similibus periaptis) *Joh. Freitagius noctib. Med. cap.* 39. *p.* 189. inquiens: hîc verò non agimus de periaptis & amuletis, quæ naturales & insitas quasdam habent vires contra peculiares quosdam morbos, quale est pæoniæ radix, & viscus quercinus, quæ appensa medentur puerorum epilepsiæ, & succinum paralysi, & corallia ventriculo. Habent enim congenitam naturaliter vim, quòd applicata nobis, à calore nostro in actum deducta, occultos de se tacitâ exhalatione vires affricent & communicent. Similem facultatem gemmis non nullis inesse, ex totius substantiæ proprietate naturali, non inficior: in magnete res est ad oculum perspicua; à qua sententia etiam non est alienus *Th. Bartholinus cent.* 3. *hist. anat.* 72. Sic *Joh. Wierus de præstigiis Dæmon. l.* 5. *c.* 20. applaudit pariter amuletis physicis & licitis in morbis usitatis, & quidem persvasus ille à non nullis magneticis rerum operationibus, posteaquam illicita magica & absurda cum suis patronis priùs refutavit. Admittit non minùs licita amuleta Sympathiâ vel Antipathiâ agentia *Longinus in Trino magic. medic. cap.* 10. *pag.* 17. & 18. Olim *Pamphilius* arbitratus est stercus lupi alligatum vi incantationis mederi colicæ, quod tamen edoctus experientiâ defendit *Galenus l.* 6. & 10. *de simpl. med.* dum inquit: Periaptis sic confidere oportet, ut substantia illorum, & non incatationis Magorum verba juvent.

vent. Licitis itaque ille indulget & digna usu censet, quod alios etiam statuere observamus. Fovet pariter hanc sententiam *Job. Langius l. 1. Epist. med. 34. p.* 160. ubi ligaturas physicas in amuletis agnoscit & *p.* 161. ab amuletorum substantia, vaporum defluviis inspiratis vires corporis refici, internamque morbi causam alterari posse statuit. Testimonia quoqve de licitis & tolerandis amuletis peti possunt ex *Rodolphi Goclenii de magnetica vulnerum curatione*, qui tractatus etiam insertus est *Sylv. Rattrayi theatro Sympathet. p.* 185. *Idem Goclenius tr. de peste p.*73. *&c.* inter alia periaptorum defensionem ita prosequitur: Si testimoniis certandum esset, votaq; colligenda forent pro sententia affirmante illud, tempus & charta me deficerent in illis annumerandis. Ibidem autor dictus etiam periammata fidei non incertæ ducit, & docet. *Martinus Schmuckius tr. de occulta magico-magnetica morb. curatione* similiter amuletorum defensionem suscipit, verùm quia varia superstitiosa suæ doctrinæ non rarò admiscet, non satis dextrum vel bonum patronum agit causæ suæ, vel materiæ alioquin non temnendæ. Reperies itidem admittere & approbare periaptorum usum *Mich. Doringium de Medicina & Medicis sect. 3. cap. 7. & Heurnium Methodo ad praxin. l. 3. c. 28. p.* 401. ubi ultimus hic autor non omnia periapta superstitiosa putat esse, sed ea ex naturæ abstrusis alias causas agnosere, quorum operationes nostris sensibus non sint perviæ, putat.

Reiner. Solenander sect. 1. consil. 20. *f.* 87. postquam de pedibus testudinis masculæ in podagra, non sine emolumento appendendis, egit, patrocinium amuletorum ita suscipit: nolim inquit, hoc aut simile remedium parvi fieri, quod ab usu communi, aut à ratione alienum videatur: nam multa sunt in rerum natura, quæ experientia talia comprobat, licet ratio nihil inveniat, quô illa dijudicet. His jungi quoque merentur quæ de lapidis nephritici operatione demonstrata adducit, & confirmat de aliis non paucis amuletis, alioquin approbatis, *Unzerus de Nephrit. l. 1. cap. 24. pag. m.* 131. *&c.* De bono effectu periammatum, & quòd absque superstitione paroxysmos cohibeant, testatur quoque *Hæferus Herc. Med. p. m.* 278. Si quæ plura adhuc de æstimio, defensione & cau-

tionibus amuletorum adducere licet, non omittenda videntur verba *Kozacki de Sale cap. 2. sect. 18.* amuletorum usus, inquit, est valdè magnus, imò & utilis ac necessarius, non saltem pestis tempore, sed & quotidiè in multis salinis affectibus reprimendis & arcendis &c. & paulò post *l. a. p.* 110. idem ille pergit: qui ergò feliciter uti vult amuletis, ille non solùm oportet ut conscius sit singulorum compositionem amuleti ingredientium; sed constitutionis vaporum, & morborum, quibus ea applicare vult, ne videlicet plus noceat, prodesse volens. Sæpè quippe tutius adhibentur simplicia, interdum composita; sæpè vegetabilia sola, interdum mineralia adhibere consultiùs. Sæpè attractiva pedibus alligare, quàm repercussiva pectori applicare, vel naribus admovere necesse est &c. Plura similia de utilitate pendaculorum inquiri possunt *l. a. p.* 111. & 112. Admittit pariter, atque contra *Erastum* antepileptica & alia periammata defendit *Joh. Alb. Sebizius Exercit. pathol. tom. 1. p. 26.* Adeat etiam, cui lubet, propter hanc rem *Berneggerum in Cornel. Tacitum quæst. 39.*

Recordamur quoque, quosdam solùm alioquin pro præservatione, quosdam verò pro curatione ista majoris æstimare: Hinc præter loca, inter periammata pestis de hac materia citata, denuò allegamus *Kozackum de Sale c. 2. sect. 20. p. 112.* qui sic statuit: amuleta sine diaphoreticis suum opus perficere possunt. Nulla autem est vel diaphoreticorum, vel amuletorum utilitas pro futuro, sive ad præservationem, sed saltem pro præsenti ad symptomatum mitigationem. Abundè etiam de venenatorum pendaculorum æstimio & autorum judicio in præcedentibus actum fuit, quanti scilicet ista pestis tempore vel præservationis vel curationis loco existimanda sint; hinc de mitiorũ tantùm periaptorũ valore, & quòd præservationis gratia quoque tolerari possint, loqui videtur *Gockelius de peste c. 19. p. 7.* amuleta, inquit, quorum basis in Cardiacis & Bezoarticis remediis consistit, quia cor contra contagiosi draconis insidias, pestis tempore, animant ac muniunt, non sunt spernenda, & experientiâ constat illa quàm plurimis profuisse. Addunt his alii, quod solius confidentiæ ergò (ne adeo in terrorem proni sint tempore pestis) gestari etiam possint amuleta, de quo in

præ-

præcedentibus plura pariter occurrerunt. Porrò *Petr. Forestus obs. l. 9. obs. 52. p. 301.* dum observationes aliquot de verbena, contra capitis dolorem proficua, tradit, inter alia in hæc verba prorumpit: habent, ait, medicamenta etiam præter rationem, quam nos ignoramus, aliquid divini. Quod rectè quidem inter maximos Medicos quondam habitus, *Herophilus* fertur dixisse: Medicamenta divinum munus esse. Et id quidem non sine ratione, quamvis eam ignoremus, ut mea fert opinio. Plura alia ibidem annotata, quæ singulariter usum amuletorum svadent, ex loco dicto peti possunt. Si nobis licet alios adhuc autores, præter adductos citare, qui Periaptis favent, non possumus intacta etiam prætermittere verba antea citati *Heurnii l. c.* qui ait, periaptis lubenter olim utebantur doctissimi Medici, cùm invictum foret malum alterantibus & purgantibus. Similia verba penè ex *Thoma Bartholini Epist. de transplantat. morbor.* paulò inferius dabimus. Æstimium hoc innuit etiam *Hartmannus prax. chym. c. 245. §. 10.* inquiens; sunt qui amuletis & periaptis multum tribuunt, nec forsitan præter rem. *Rolfincius Chymia in artis form. redact. p. 410.* dicit amuleta celebrem chymicorum classem constituere. Magni quoque, imò nimii ferè facit (uti facilè præsumi potest, qui scripta hujus legit) *Trallianus l. 10. cap. ultimô.* hinc præcipit illic, ut non nisi virtutis studiosis patefiant amuleta, quò non facilè aliis vel indignis communicentur; quod alios etiam autores injungere observavimus. *Bettus de ortu & natura sanguinis sect. 15. pag. 156.* statuit ita de iis: singulis intentionibus quadrare videntur periapta ea, quæ sensim sine sensu operantur (si qua fides istis accommodanda est, & certè aliquam his deberi à rerum natura usuque manifestum est) hujusmodi enim spiritum augendi, minuendi, comprimendi & attemperendi habent. Observantur etiam ex priscis autoribus quidam crebrò commendare pendacula in suis libris practicis; quemadmodum *Sebastianus Montuus* singulis morborum therapeiis amuletum annectere dicitur. Claudent hactenus adducta (loco plurium testimoniorum, pro periaptorum encomiis) verba *Casp. Bartholini de lap. nephrit. c. 8. p. 23.* quibus hic catalogum suum amuletorum claudit, inquiens; Cæterùm de amule-

muletis & periammatis consulantur *Trallianus*, *Albertus*, *Villanovanus*, *Marcellus*, *Fernelius*, *Platerus*, *Renodaus* & alii, quibus plus fidei habendum, quàm amuletorum injuriosis osoribus. Idem autor *l. 2. c. 11. p.* 28. exemplis multis ac testimoniis amuleta licita defendere allaborat, velut etiam ideò *Gesneri* atque *Erasti* insolentiam potissimùm taxat, quòd usum omnem amuletorum damnent ac derideant. Ibidem quoqve autor dictus *cap. 9. pag.* 18. satis probabiliter contra *Gesnerum* tuetur vires atque usum licitum amuletorum. Si placet eodem in loco *c.* 8. *p.* 18. videri quoque potest *Bartholinus*, quomodo excuset lapidem nephriticum, quòd sibi non profuerit. Toleramus verò non immeritò hujus autoris patrocinium contra eos susceptum, qui nimiam vim vel injuriam inferunt amuletis; quamvis paulò ante citati autores quidam, inprimis *Trallianus*, *Albertus* aliive plures in omnibus suis dogmatibus non apud omnes existimentur testes omni exceptione majores; de quibus & nostram & aliorum sententiam in antecedentibus aperuimus. Imò ipsemet *Bartholinus* in citato tractatu non omni autori, vel amuleto fidem indubitatam impertitur, quod varia suspensi animi verba ibidem expressa non obscurè indicant. Sicuti ergò quadantenus *Bartholini* laudati partes tuemur, ita etiam non obloquimur *Mich. Doringio de Medic. & Medicina p.* 106 *&c.* qui pariter notat atque refutat *Tatianum Assyrium & Erastum*, quòd omne amuletum repudient. Nolumus etiam hoc loco intacta prætermittere verba *Henr. Petrai Nosolog. Harmonicæ tom. 1. dissert.* 6 §. 54. *p.* 113. recenset autem, ac præmittit illic autor multa medicamenta & amuleta, quæ aliàs experientiâ confirmata creduntur, aque post hæc scribit ita: Sic natura minimis maxima ad socordiam nostram redarguendam occultavit, & uni morbo magnam remediorum farraginem opposuit &c. *Joh. Gerardus Vossius de Philosophia & Philosophor. Sectis l.* 1. *c.* 8. *p.* 64. temere, ait, *Remigius Lotharingius lib.* III. *dæmonolatr. cap.* III. universa damnat περίαπτα, cùm quædam ob συμπάθειαν, vel ἀντιπάθειαν prosint occultâ proprietate &c. Et paulò post ea his pergit: quare negari non debent aliqua occultam habere facultatem, quâ de collo pendentia, ubi incaluerunt à corpore nostro, profluvia quædam, nobis

bis nescientibus effundant, cutique nostræ, vel ori etiam, ac naribus infundant, eôque pactô morbis variis prosint.

Non leve quoque patrocinium accederet amuletis, si quid veri indagaretur de animalibus, quòd scilicet quædam sese periaptis certis muniant contra varios suos hostes, vel insultus aliorum noxiorum animalium, de quo in *Catalogo nostro amuletorum* non nulla tradita prostant. De his inter alios autores *Ger. Joh. Vossius in institution. orator. l. 2. c. 15. p. 308.* Palumbo, inquit, laurus, cornici verbenaca supina, aquilæ callitrichus, turdo myrtus, aut alaudæ gramen amuletum quoddam esse ex *Zoroastre mago libro quinto decimo* scribit *Cassianus Bassus*, vel quisquis auctor γεωπονικῶν, *Constantino Cæsari* adscriptorum. Natura verò videtur aliàs animalibus dictitare, quæ salubria ipsis sunt, quæ nos tamen non adeò promtâ mente consequi semper possumus. Sic videmus bruta quædam se certis vegetabilibus delectare, quæ sine dubio ipsorum sanitati congrua sunt: ex multis solùm feles listo, qui magnoperè valerianæ radicibus, & nepetâ, vel mentâ cattariâ se delectant. Hinc fortè isti, aliisque non nullis plantis agnomen additum est; sicut etiam gramen caninũ alias, aliæ plantæ ursinæ, raninæ inde fortè &c. dicuntur; quamvis etiam ejusmodi agnomen interdum ignobilem magis conditionem plantarum vel medicamentorum denotet, de quo nos fortassis alio loco & tempore plura trademus. Illud interim totô die innotescit, quòd pabula vel alimenta non eadem omni homini, vel bruto congrua sint, sicuti modò hoc animal in hoc pabulum, aliud in aliud fertur. Observamꝰ etiam cuivis plantæ sua peculiaria & distincta ferè insecta insidere, ex eâdem ista nutriri, ac tandem cum hujus interitu vel marcore iterum perire ac disparere. Constat itidem quòd variis in regionibus vel locis quædam bestiæ vel insecta neutiquam reperiantur, vel illuc delata persistere possint; quòd fortè non semper adeò magicis actionibus nefariis, quàm singulari illius loci proprietati, non facilè semper explicabili, tribuendum est. Si itaque de solo vel terra, plantis, vel aliis rebus quid, ex istiusmodi locis in alia loca deportatum, similem præstaret effectum, amuleticæ doctrinæ demonstratio hinc etiam emergeret. Postremum hoc illustrat quadante-

liam disponant, vide *Plutarchum in sympofiac.* Tandem illius interdicti quibusdam videtur ferè etiam ratio esse hæc, quòd animas mortuorum in flores lugubres vel nigros fabarum migrasse olim statuerint quipiam, anili illô argumentô, scil. à signatura coloris tristis ducti aut seducti potiùs. Sed prima illa *p.666.* de fabis adducta interpretatio forsitan non omninò absona est. Sic quælibet lingva ferè svevit vocabula certa variô modô accipere, velut vox salis, & salitum esse in Latina & Germanica lingva varias significationes obtinet. Merentur quoq; legi in meam hanc sententiam facientia annotata apud *Phil. Caroli Animadverf. in Agellii l.4. c.11. p.263. &c.* ubi dictus hic autor inculcat præceptum illud Pythagoræ, atque ac alia ejusmodi similia, in ænigmate prolatum ad simplicem verborum sensum non reducendum esse. Cur verò *Plato* & *Pythagorei* fabulis non usi sint, constat inter alios etiam ex *Macrobii saturnal. l.1. cap.2. p.14. &c. & ex Joh. Gvil. Stuckii de conviv. antiq. lib. 3. f. 296.* De ejusdem interdicti expositione, & quòd *Pythagoras* ipse neutiquam ab usu fabarum crebrô abstinuerit, conferatur *Pancirollus cum notis Salmuthi de rebus memorabil. p.2. tit.10. p.180.* & de variis aliis hactenus propter fabas adductis *Fr. Bernius arcan. moral. à Paulo Patre edit. Symbol.33. p.442.* Ut paucula adhuc rem illam collustrantia subjiciam, claret ex autoribus, quòd partes inverecundæ subinde etiam malorum vel pomorum, nucum, olerum florum, & natura muliebris saltûs atque horti nomine indicentur vel designentur, de quo *Just. Lipsius Antiqv. lect. l.3. c.1. p.127. &c.* Addo, quòd etiam genitale arvum dicatur à *Virgilio Georg. lib. 3.* Cæterùm quòd venerea verba omnibus ferè gentibus allegorica & ficta in usu sint, lingvarum periti facilè noverint, de qua re plura innotescent ex *Abr. Sculteti Exerc. Evangel. l.1. c.43. Phil. Caroli l. 2. lect. variar.* aliisque pluribus.

Innumera ejusmodi alia jam ante, sine nostra recensione, nota sunt, quæ in communi vita, in physicis, aliisque rebus sæpe obscurô vel tropicô sensu efferuntur; unde multorum errorum ansa nasci potest. Quantumvis hæc res non indigere videatur prolixô testimoniô, cùm exempla dicta, & adhuc dicenda de eôdem loquantur; citamus tamen non immeritò benè etiam de hac ma-

materia differentem *Franc. Vallesium philos. sacra c.16. p.127.* ubi monet, quòd in antiquæ legis sacræ præceptis non nulla allegorica reperiantur, quæ non in sensu literali solo accipienda sint, quem modum docendi multi imitati sint veterum philosophorum, præcipuè *Pythagoras*, cujus adhuc extant symbola multa; quale etiam sit illud: *salem apponito*, h. e. prudentiam & integritatem in rebus gerendis. Sic Hieroglyphicam rationem scribendi Ægyptiis sacerdotibus in sacris etiam usitatam fuisse, idem autor innuit. Novimus insuper inter alia in Academiis, quæ depositionis ritum adhuc exercent, cum quâpiam expositione sal sapientiæ in os immitti solere, de *quo Zeilerus in Miscellaneis p.332.* Si verò hujusmodi rebus (amuleta quandoque mira occasione constituentibus) paulisper adhuc inhærere licet, forsitan & hæc suspicio hic locum invenit de Eryngio, planta alioquin satis nota, & Germanicâ lingvâ Manns-Treu dicta, id est conjux marito fideliter adhærens & impurum illicitumq; amorem fugiens. Radicem verò illam si quæ gremio gestat, vel ore detinet, voluerunt quidam, quòd juxta illa verba *Lotichii*

Illicitos nunquam conjux meditetur amores.

Suspicor itaq; aliquando fidelitatem, nec non pudicum, atque constantem amorem conjugũ fuisse à quopiam indicatũ verbis istiusmodi Germanicis, quem effectum postmodum alii in radicem dictam transtulerunt, vel eâdem exposuerunt aut expresserunt. De vi autem hujus radicis, quòd alterutram personam amantem alliciat, & philtri instar sit, si alterutra illarum hanc gestet; uti & de vana hujus radicis electione, legenda non nulla prostant in *Mylii horto philos. p.602.* Superiùs etiam suspicio vel error alius, de malè intellectis vel inter se permutatis vocabulis duobus, scilicet de Eryngio expositus & à *Casmanno* allegatus fuit, quod nempe vox *κύγκα* barbam denotet, quâ si caper detineatur, (juxta tritum) grex integer sistatur, quod Eryngio alii attribuunt, si hæc capro appendatur. Porrò ut inseramus his etiam illud superstitiosum negotium, nitirum quod panis, qui primùm in nuptiali convivio sponsæ vel recens nuptis comedendus apponitur mensæ, si studiosè asservetur, postea dicatur conjuges illos pane non carere permit-

tere velut vulgi persvasio & superstitio seriò aliàs inculcat, multisque in locis non intermittit. Verùm quàm diu panis ille asservatur ab illis hominibus, fortè non deest illis panis, utrum verò aliô pane necessariô non destituantur iidem, admodum ambigui eventus res est. Panis spiritualis verò asservatus citiùs mysticum illum effectum edit. Infinita alia istiusmodi ludicra non sunt ignota, quæ aliô fine sæpe commendata, & aliô usurpata vel adhibita fuerunt, & tamen proprium sensum vel expectatum effectum explevisse postea observata sunt, quæ tamen minimè naturali & ordinariâ suâ efficaciâ id præstiterunt. Ex hactenus itaque dictis abundè, uti reor, dispalescit, quòd ex sensu ambiguo, malè intellecto, vel tropicè proposito, sæpe irritus sensus & actio emergere possit; quemadmodum de variis ejusmodi, tàm in profanis, quàm sacris Scriptoribus obviis rebus consuli potest *Daniel. Fesselius Adversar. sacr. Salom. Glassius Rhetoric. sacra, Joh. Nic. Wernerus opuscul. philol.* item ii, qui fabulas, hieroglyphica, emblemata, & similia congesserunt, uti & *Joh. Praterius in Philosophia colus. Ursinus Analect. sacror. l. 1. Anal. 15. p. 27. Michaël Piccardus obs. hist. polit. decad. 3. c. 4. p. 144. Camerarius horis succis. cent. 2. cap. 90. pag.* 343. & alii. Priusquam verò hanc sectionem, & hanc materiam de infirma basi quorundam amuletorum, ipsisque amuletis suspectis quibusdam aut inefficacibus claudamus, adhuc pauca verba huc trahemus ex *Casparis Reiesii Camp. Elys. qu.* 23. §. 17. *pag.* 258. si, inquit, amuleta naturaliter vim habere non posse deprehendantur, nec à peritis & doctis Medicorum libris, ut tali efficaciâ dotata approbentur, tunc enim de pacto sunt suspecta, & ut talia abjicienda partim ut vana, partim ut ridicula &c. Atque sic satis hactenus forsitan de periammatibus planè illicitis in prima sectione, aut parum efficacibus in hac finienda jam sectione actum fuit; restat itaque ut etiam dispiciamus, utrum supersit vis quæpiam medica, & æstimium, quod in Medicina postremò his jure quopiam competat, ne accincta itineri eadem planè è Republica medica & memoria emigrare teneantur.

Sect. III.

SECTIO III.

Judicium applaudens amuletis licitis & tolerandis.

TEstimonia atque loca varia, veritatem & applausum amuletis naturalibus ac licitis conciliantia, quæ in præcedentibus passim interseruimus, denuò jam propter prolixitatem fugiendam repetere supersedemus. Nec immorabimur iterum considerationi operationis & hujus modo, quomodo nimirum periapta agere in corpus soleant vel debeant, cùm de his itidem aliquoties in nostro Scrutinio sparsim, & in specie etiam mentio facta sit. Nimium acerba verò & injusta videtur quorundam sententia, dum omnia illi periapta indifferenter rejiciunt, quia in classe istorum reperiuntur superstitiosa, dæmoniaca, & inefficacia. Proinde rectè *Delrio disquisit. Magic. tom.* I. *c.* 4. *quæst.* 4. *p.* 45. in eos invehitur, qui temerè omnium periaptorum usum condemnant, & quidem ex patribus non satis intellectis. Toleranda etiam esse physica & licita periapta, cum aliis statuit *Andreas Laurentius operum therapeut. tract. de strumar. Sanat. l.* 1. *c.* 5. *f.* 12. Dubii verò redduntur lectores, qui in varia judicia autorũ incidunt, dum adeò discrepant benè vel malè amuletis cupientes &c. Instituimus autem non immeritò jam scopum nostrum circa materiam periaptorum occupatum, juxta tenorem Symboli illius *Societas Anglica Regia:* Nullius in verba! Notum præterea est, quòd vitium id reputetur, fidem scilicet adhibere omni & nulli. Cùm itaque nihil turpis, impii, illiciti, vel suspecti in amuletis quibusdam deprehendamus, nec omnem rationem operationis ab iis abesse suspicemur, (licet experientia firma vel ampla de quibusdam non pateat, & quidem cuivis) cur non locum iis in medicina, & quandoque etiam iis tanquam superfluis medicamentis concedamus? Atque ideò pensi habenda sunt verba *Cardani in Apolog. Achon. I. p. m.* 1075. dicentis: amu-

amuleta non ſemper vires ſuas oſtendunt, quandoquidem nec ea quæ per os aſſumuntur. Commendamus igitur iterum Curioſis hanc materiam periammatum, ne fortè injuria fiat iis innocentibus, & ne immerenter omnia omninò iſta indifferenter, propter difficultates aut experientiam modicam, proſcribantur. In præcedenti ſectione *p.*642. adduximus, amuleta multa ideò Medicis verſatis nec admodum credulis ſuſpecta eſſe, quod à plebejis, credulis aliâve notâ ſuſpecta laborantibus originem vel uſum commendatum trahant. Verùm niſi notæ ſuſpectæ aliæ, ſuperiùs in prima ſectione hujus capitis attactæ, amuletis adhæreant, plebejorũ medici auſus & encomia medicamentorum non omnia planè ſpernenda ſunt; cùm eorum experientia in ſimplicibꝰ medicamentis videatur firmior, quàm peritorum medicorũ, qui propter rationem variam ſtatus compoſitis magis communiter inhiant; de quibus nos alio tempore pollicemur plura.

Reſtant itaque eum in finem nobis adhuc quædam diſquirenda, quæ amuletis patrocinari poſſunt; ea verò conſiſtunt in variis argumentis ſequentibus, non penitus ſpernendis: ſic *Cnoeffelius,* (uti patet ex *Miſcellaneis Academ. Leopold. Cæſar. Dec.* 1. *anni* 6. *&* 7. *appendice*) de amuletis menſium fluxui oppoſitis agens, atque ſuperſtitioſa & magica periapta improbans, in hæc verba prorumpit: loquor de amuletis Phyſicis, medicis, licitis, & naturalibus, quæ occultâ ſuâ proprietate divinitus in prima ſui creatione indita, ſemper eodem modô agunt in corpora, quibus applicantur, ſive ſuâ ſympathiâ ſive antipathiâ. Patrocinium quoque aliquod amuletis accedit ex verbis *Joh. Dan. Mylii Antidotar. Medic. Chymico l.* 1. *cap.*6. *pag.* 66. quamvis hic autor, verbis mox recenſendis, videatur etiam characteribus inprimis, ſchedulis, & illicitis pentaculis autoritatem quampiam lucrari velle. Sic autem ille inquit: Mirum admodum & incredibile tibi videri non debet à Medicina juvari poſſe hominem, etſi intrò illam in corpus non aſſumat, ſed ſigilli modô & more de collo tantùm ſuſpenſam geſtet. Vides enim ſimilem operationem fieri in veſica à cantharidibus. Nam urina ſangvinolenta fit, ſi cantharides ſaltem manu contineas, cum tamen veſica, quæ conceptaculum urinæ eſt, interiùs in

in imo corpore consistat, manus verò, extra corpus posita, à vesica quàm longissimè absit; hæc *Mylius*. De dicto vero cantharidum effectu plura testimonia similia passim obvia coacervare hoc loco supersedeo, cùm *in dissertatione de mictione cruenta* egerim de hac materia, & adhuc aliis in locis inposterum forte de eadem acturus sim. Non possumus etiam non accedere sententiæ illi, quam fovet *Caspar. Reiesius Camp. Elys. quæst.* 23. §. 19. & 20. admittit autem ibi pendacula minùs suspecta, inquiens inter alia: Secundò in communi usu sunt multa ex gemmis, lapidibus, herbis, radicibus, quibus quotidie uti videmus, & in Medicorum libris frequenter legimus, quorum licet multò inferior sit virtus ab illa, quæ prædicatur, & effectus rarò conspiciantur, qui illorum efficaciam comprobent, aliquando tamen aliquid præstare observatum est, vel ex propriæ naturæ & materiæ vi, vel ex gestantis imaginatione, vel quomodocunqve eveniat; dummodo citra omne pactum adhibeatur, methodicâ curatione in usum venire poterunt: nam licet minùs efficacia sint, in gratiam tamen ægrorum, corpore sive animô laborantium, illis licitè uti posse dicimus; hoc enim modô animorum superstitionem, & impostorum fraudem, minimè confirmamus, de his enim ut *Conciliator* ait, ut libitum fuerit, quisque opinetur. Dolus etiam aliquando bonus permittitur; licet insimul sanitatis hostes seu morbos quâcunqve ratione oppugnare: quia ut in præcedentibus ex *Gabriele Ayala* (*in Epigrammat. Medic. de honestis Medicorum imposturis* §. 17.) dicebamus, dummodo nullam contra religionem peccatum committatur, omnia sunt licita. Sic autem *ille l. c.*

Prosit ut ægrotis, medicam nil dedecet artem,
Id fiat salvâ relligione modò.
Vana superstitio procul hinc, magicique susurri,
Nemo tanti, à queis decipiatur, emat.

Idem hoc statuit sæpius à nobis laudatus *Sachsius Gammarolog. p.* 877. Præterea teste *Andreâ Laurentiô operibus therapeut. tr. de strumarum Sanatione l.* 1. *c.* 5. *f.* 20. infinita ex plantis parantur amuleta, quæ contactu morbos pellunt, & mira præstant. Lapidibus etiam eadem vis inesse dicitur, quamvis autor hic l. a. videatur

 plus,

plus, quàm par est, multis periaptis tribuere. *Johannes Michaëlis notis MS. ad Rolfincii Chymiam in art. form. redact. cap. de amuletis p.* 450. ait: experientia testatur amuleta non esse frustranea; & paulò post ea ita pergit: amuleta ex simplicibus semper tutò possunt usurpari; quæ verò cum characteribus fiunt, semper sunt suspecta. Sic de iis, quæ in Epilepsia alias adhibentur, hunc in modum loquitur *Jac. Tappius dissertat. de sens. internor. facult. læsion. c. 8. p. 70. §. 146.* non prorsus etiam, ait, negligenda amuleta collo & brachiis alliganda, cùm ea tam veteres quàm recentiores valdè commendent. Idem *ille in* §. 151. pergit hoc modô: huic medicamentorum usui conjungenda est conveniens diæta, quæ ita comparata esse debet, ne impediat medicamentorum usum, sed potiùs iis cooperetur. Non alienus etiam est ab hac sententia (ubi præmisit discursum de illicitis & rejiciendis characteribus, aliisqve similibus periaptis) *Joh. Freitagius noctib. Med. cap. 39. p.* 189. inquiens: hîc verò non agimus de periaptis & amuletis, quæ naturales & insitas quasdam habent vires contra peculiares quosdam morbos, quale est pæoniæ radix, & viscus quercinus, quæ appensa medentur puerorum epilepsiæ, & succinum paralysi, & corallia ventriculo. Habent enim congenitam naturaliter vim, quòd applicata nobis, à calore nostro in actum deducta, occultos de se tacitâ exhalatione vires affricent & communicent. Similem facultatem gemmis non nullis inesse, ex totius substantiæ proprietate naturali, non inficior: in magnete res est ad oculum perspicua; à qua sententia etiam non est alienus *Th. Bartholinus cent. 3. hist. anat.* 72. Sic *Joh. Wierus de præstigiis Dæmon. l. 5. c.* 20. applaudit pariter amuletis physicis & licitis in morbis usitatis, & quidem persvasus ille à non nullis magneticis rerum operationibus, posteaquam illicita magica & absurda cum suis patronis priùs refutavit. Admittit non minùs licita amuleta Sympathiâ vel Antipathiâ agentia *Longinus in Trino magic. medic. cap.* 10. *pag.* 17. & 18. Olim *Pamphilius* arbitratus est stercus lupi alligatum vi incantationis mederi colicæ, quod tamen edoctus experientiâ defendit *Galenus l. 6. &* 10. *de simpl. med.* dum inquit: Periaptis sic confidere oportet, ut substantia illorum, & non incatationis Magorum verba juvent.

vent. Licitis itaque ille indulget & digna usu censet, quod alios etiam statuere observamus. Fovet pariter hanc sententiam *Joh. Langius l. 1. Epist. med. 34. p.* 160. ubi ligaturas physicas in amuletis agnoscit & *p.* 161. ab amuletorum substantia, vaporum defluviis inspiratis vires corporis refici, internamque morbi causam alterari posse statuit. Testimonia quoqve de licitis & tolerandis amuletis peti possunt ex *Rodolphi Goclenii de magnetica vulnerum curatione*, qui tractatus etiam insertus est *Sylv. Rattrayi theatro Sympathet. p.* 185. *Idem Goclenius tr. de peste p.* 73. *&c.* inter alia periaptorum defensionem ita prosequitur: Si testimoniis certandum esset, votaq; colligenda forent pro sententia affirmante illud, tempus & charta me deficerent in illis annumerandis. Ibidem autor dictus etiam periammata fidei non incertæ ducit, & docet. *Martinus Schmuckius tr. de occulta magico-magnetica morb. curatione* similiter amuletorum defensionem suscipit, verùm quia varia superstitiosa suæ doctrinæ non rarò admiscet, non satis dextrum vel bonum patronum agit causæ suæ, vel materiæ alioquin non temnendæ. Reperies itidem admittere & approbare periaptorum usum *Mich. Doringium de Medicina & Medicis sect. 3. cap. 7. & Heurnium Methodo ad praxin. l. 3. c. 28. p.* 401. ubi ultimus hic autor non omnia periapta superstitiosa putat esse, sed ea ex naturæ abstrusis alias causas agnoscere, quorum operationes nostris sensibus non sint perviæ, putat.

Reiner. Solenander sect. 1. consil. 20. *f.* 87. postquam de pedibus testudinis masculæ in podagra, non sine emolumento appendendis, egit, patrocinium amuletorum ita suscipit: nolim inquit, hoc aut simile remedium parvi fieri, quod ab usu communi, aut à ratione alienum videatur: nam multa sunt in rerum natura, quæ experientia talia comprobat, licet ratio nihil inveniat, quò illa dijudicet. His jungi quoque merentur quæ de lapidis nephritici operatione demonstrata adducit, & confirmat de aliis non paucis amuletis, alioquin approbatis, *Unzerus de Nephrit. l. 1. cap.* 24. *pag. m.* 131. *&c.* De bono effectu periammatum, & quòd absque superstitione paroxysmos cohibeant, testatur quoque *Hœferus Herc. Med. p. m.* 278. Si quæ plura adhuc de æstimio, defensione & cau-

 tioni-

tionibus amuletorum adducere licet, non omittenda videntur verba *Kozacki de Sale cap. 2. sect.* 18. amuletorum usus, inquit, est valdè magnus, imò & utilis ac necessarius, non saltem pestis tempore, sed & quotidiè in multis salinis affectibus reprimendis & arcendis &c. & paulò post *l. a. p.* 110. idem ille pergit: qui ergò feliciter uti vult amuletis, ille non solùm oportet ut conscius sit singulorum compositionem amuleti ingredientium; sed constitutionis vaporum, & morborum, quibus ea applicare vult, ne videlicet plus noceat, prodesse volens. Sæpè quippe tutius adhibentur simplicia, interdum composita; sæpè vegetabilia sola, interdum mineralia adhibere consultiùs. Sæpè attractiva pedibus alligare, quàm repercussiva pectori applicare, vel naribus admovere necesse est &c. Plura similia de utilitate pendaculorum inquiri possunt *l. a. p.* 111. & 112. Admittit pariter, atque contra *Erastum* antepileptica & alia periammata defendit *Joh. Alb. Sebizius Exercit. pathol. tom.* 1. *p.* 26. Adeat etiam, cui lubet, propter hanc rem *Berneggerum in Cornel. Tacitum quæst.* 39.

Recordamur quoque, quosdam solùm alioquin pro præservatione, quosdam verò pro curatione ista majoris æstimare: Hinc præter loca, inter periammata pestis de hac materia citata, denuò allegamus *Kozackum de Sale c.* 2. *sect.* 20. *p.* 112. qui sic statuit: amuleta sine diaphoreticis suum opus perficere possunt. Nulla autem est vel diaphoreticorum, vel amuletorum utilitas pro futuro, sive ad præservationem, sed saltem pro præsenti ad symptomatum mitigationem. Abundè etiam de venenatorum pendaculorum æstimio & autorum judicio in præcedentibus actum fuit, quanti scilicet ista pestis tempore vel præservationis vel curationis loco existimanda sint; hinc de mitiorũ tantùm periaptorũ valore, & quòd præservationis gratia quoque tolerari possint, loqui videtur *Geckelius de peste c.* 19. *p.* 7. amuleta, inquit, quorum basis in Cardiacis & Bezoarticis remediis consistit, quia cor contra contagiosi draconis insidias, pestis tempore, animant ac muniunt, non sunt spernenda, & experientiâ constat illa quàm plurimis profuisse. Addunt his alii, quod solius confidentiæ ergò (ne adeo in terrorem proni sint tempore pestis) gestari etiam possint amuleta, de quo in

præ-

præcedentibus plura pariter occurrerunt. Porrò *Petr. Forestus obs. l. 9. obs. 52. p. 301.* dum observationes aliquot de verbena, contra capitis dolorem proficua, tradit, inter alia in hæc verba prorumpit: habent, ait, medicamenta etiam præter rationem, quam nos ignoramus, aliquid divini. Quod rectè quidem inter maximos Medicos quondam habitus, *Herophilus* fertur dixisse: Medicamenta divinum munus esse. Et id quidem non sine ratione, quamvis eam ignoremus, ut mea fert opinio. Plura alia ibidem annotata, quæ singulariter usum amuletorum svadent, ex loco dicto peti possunt. Si nobis licet alios adhuc autores, præter adductos citare, qui Periaptis favent, non possumus intacta etiam prætermittere verba antea citati *Heurnii l. c.* qui ait, periaptis lubenter olim utebantur doctissimi Medici, cùm invictum foret malum alterantibus & purgantibus. Similia verba penè ex *Thoma Bartholini Epist. de transplantat. morbor.* paulò inferius dabimus. Æstimium hoc innuit etiam *Hartmannus prax. chym. c. 245. §. 10.* inquiens; sunt qui amuletis & periaptis multum tribuunt, nec forsitan præter rem. *Rolfincius Chymia in artis form. redact. p. 410.* dicit amuleta celebrem chymicorum classem constituere. Magni quoque, imò nimii ferè facit (uti facilè præsumi potest, qui scripta hujus legit) *Trallianus l. 10. cap. ultimò.* hinc præcipit illic, ut non nisi virtutis studiosis patefiant amuleta, quò non facilè aliis vel indignis communicentur; quod alios etiam autores injungere observavimus. *Bettus de ortu & natura sangvinis sect. 15. pag. 156.* statuit ita de iis: singulis intentionibus quadrare videntur periapta ea, quæ sensim sine sensu operantur (si qua fides istis accommodanda est, & certè aliquam his deberi à rerum natura usuque manifestum est) hujusmodi enim spiritum augendi, minuendi, comprimendi & attemperendi habent. Observantur etiam ex priscis autoribus quidam crebrò commendare pendacula in suis libris practicis; quemadmodum *Sebastianus Montuus* singulis morborum therapeiis amuletum annectere dicitur. Claudent hactenus adducta (loco plurium testimoniorum, pro periaptorum encomiis) verba *Casp. Bartholini de lap. nephrit. c. 8. p. 23.* quibus hic catalogum suum amuletorum claudit, inquiens; Cæterùm de amule-

muletis & periammatis consulantur *Trallianus*, *Albertus*, *Villanovanus*, *Marcellus*, *Fernelius*, *Platerus*, *Renodaus* & alii, quibus plus fidei habendum, quàm amuletorum injuriosis osoribus. Idem autor *l. 4. c. 11. p.* 28. exemplis multis ac testimoniis amuleta licita defendere allaborat, velut etiam ideò *Gesneri* atque *Erasti* insolentiam potissimùm taxat, quòd usum omnem amuletorum damnent ac derideant. Ibidem quoqve autor dictus *cap. 9. pag.* 18. satis probabiliter contra *Gesnerum* tuetur vires atque usum licitum amuletorum. Si placet eodem in loco *c.* 8. *p.* 18. videri quoque potest *Bartholinus*, quomodo excuset lapidem nephriticum, quòd sibi non profuerit. Toleramus verò non immeritò hujus autoris patrocinium contra eos susceptum, qui nimiam vim vel injuriam inferunt amuletis; quamvis paulò ante citati autores quidam, inprimis *Trallianus*, *Albertus* aliive plures in omnibus suis dogmatibus non apud omnes existimentur testes omni exceptione majores; de quibus & nostram & aliorum sententiam in antecedentibus aperuimus. Imò ipsemet *Bartholinus* in citato tractatu non omni autori, vel amuleto fidem indubitatam impertitur, quod varia suspensi animi verba ibidem expressa non obscurè indicant. Sicuti ergò quadantenus *Bartholini* laudati partes tuemur, ita etiam non obloquimur *Mich. Doringio de Medic. & Medicina p.* 106 *&c.* qui pariter notat atque refutat *Tatianum Assyrium & Erastum*, quòd omne amuletum repudient. Nolumus etiam hoc loco intacta prætermittere verba *Henr. Petrai Nosolog. Harmonicæ tom.* 1. *dissert.* 6 *§.* 54. *p.* 113. recenset autem, ac præmittit illic autor multa medicamenta & amuleta, quæ aliàs experientiâ confirmata creduntur, aque post hæc scribit ita: Sic natura minimis maxima ad socordiam nostram redarguendam occultavit, & uni morbo magnam remediorum farraginem opposuit &c. *Joh. Gerardus Vossius de Philosophia & Philosophor. Sectu l.* 1. *c.* 8. *p.* 64. temere, ait, *Remigius Lotharingius lib.* III. *dæmonolatr. cap. III.* universa damnat περίαπτα, cum quædam ob συμπαθίαν, vel ἀντιπαθίαν prosint occultâ proprietate &c. Et paulò post ea his pergit: quare negari non debent aliqua occultam habere facultatem, quâ de collo pendentia, ubi incaluerunt à corpore nostro, profluvia quædam, nobis

bis nescientibus effundant, cutique nostræ, vel ori etiam, ac naribus infundant, eôque pactô morbis variis prosint.

Non leve quoque patrocinium accederet amuletis, si quid veri indagaretur de animalibus, quòd scilicet quædam sese periaptis certis muniant contra varios suos hostes, vel insultus aliorum noxiorum animalium, de quo in *Catalogo nostro amuletorum* non nulla tradita prostant. De his inter alios autores *Ger. Joh. Vossius in institution. orator. l. 2. c. 15. p.* 308. Palumbo, inquit, laurus, cornici verbenaca supina, aquilæ callitrichus, turdo myrtus, aut alaudæ gramen amuletum quoddam esse ex *Zoroastre mago libro quinto decimo* scribit *Cassianus Bassus*, vel quisquis auctor *γεωπονικῶν*, *Constantino Cæsari* adscriptorum. Natura verò videtur aliàs animalibus dictitare, quæ salubria ipsis sunt, quæ nos tamen non adeò promtâ mente consequi semper possumus. Sic videmus bruta quædam se certis vegetabilibus delectare, quæ sine dubio ipsorum sanitati congrua sunt: ex multis solùm feles sisto, qui magnoperè valerianæ radicibus, & neperâ, vel mentâ cattariâ se delectant. Hinc fortè isti, aliisque non nullis plantis agnomen additum est; sicut etiam gramen caninū alias, aliæ plantæ ursinæ, raninæ inde fortè &c. dicuntur; quamvis etiam ejusmodi agnomen interdum ignobilem magis conditionem plantarum vel medicamentorum denotet, de quo nos fortassis alio loco & tempore plura trademus. Illud interim totô die innotescit, quòd pabula vel alimenta non eadem omni homini, vel bruto congrua sint, sicuti modò hoc animal in hoc pabulum, aliud in aliud fertur. Observamꝰ etiam cuivis plantæ sua peculiaria & distincta ferè insecta insidere, ex eâdem ista nutriri, ac tandem cum hujus interitu vel marcore iterum perire ac disparere. Constat itidem quòd variis in regionibus vel locis quædam bestiæ vel insecta neutiquam reperiantur, vel illuc delata persistere possint; quòd fortè non semper adeò magicis actionibus nefariis, quàm singulari illius loci proprietati, non facilè semper explicabili, tribuendum est. Si itaque de solo vel terra, plantis, vel aliis rebus quid, ex istiusmodi locis in alia loca deportatum, similem præstaret effectum, amuleticæ doctrinæ demonstratio hinc etiam emergeret. Postremum hoc illustrat quadante-

danteq; Insula Malta, in qua minùs persistere dicuntur viperæ venenatæ; imò terra istius Insulæ etiam perimere istas ori illarum indita dicitur. De cujus uberiori expositione, aliis exemplis & testimoniis instituenda, uti & de priori, nimirum nefaria quapiam arte certis in locis animalia non tolerante, alio loco inposterum agemus. Hæc omnia verò quis satis cognita se habere gloriabitur. Multa equidem indefessa curiosorum virorum ac Collegiorum industria quotidie de difficilibus hujusmodi naturæ mysteriis demit, sed sine dubio magnus numerus eorundem adhuc restabit, in quibus indagandis sera posteritas suum studium collocare poterit. Præterea si quid veri subest illi enarrationi, à nobis pariter in præcedentibus attactæ, quod casu interdum quædam amuleta detecta vel inventa sint, veluti de dictamno, ferro caballino, satyrii radice, lacerta, aliisque pluribus scribunt autores, indagationem accuratiorem omninò exposcerent amuleta varia.

Præter hactenus adducta videtur etiam necessitas, vel auxilii promti desiderium in morbis gravibus amuletorum usum svasisse ægrotis; veluti cuivis notum est, quòd in morbis istiusmodi, & horrendis, mortemve minantibus affectibus desiderata auxilia conquirant, & quidem plebeji inprimis, undecunque possunt. Observamus quippe quòd in hæmorrhagiis, peste, fascino, mulierum abortu præcavendo, item pro partu promovendo, apoplexia, epilepsia, variisque morbis puerorum commiserationem svadentibus, & in iis affectibus, quibus dolores aut cruciatus magni ac perseverantes juncti sunt, observamus inquam, quòd in his malis medelas varias conquisiverint omni tempore, quò subitam opem conferrent ægrotantibus, vel saltem eos non sine intentione vel conatu medendi linquerent. Hinc unà factum est ut multa irrita & illicita inter periapta irreperent, de quo antea etiam scrutinium hoc nostrum mentionem injecit. Nemo quoq; posthæc jure Medicis vitio vertet, si in dictis morbis urgentib9 inter alia medicamenta varia periammata simul adhibeant, & quidem si hæc modò ab omni mali & suspicionis nota libera sint, atque medicinæ fundamentis aut rationibus non admodum refragentur. Non infrequens enim est in praxi, ut in morbo gravi modò interna, eaque varia simul

mul adhibeantur: dum ſcilicet interdum venæ ſectio, fonticuli vel cauſtica, clyſteres, ſternutatoria, inunctiones, frictiones, ſuffimigia, epithemata, vel epicarpia, odorifera, & ſimilia medicamenta vel actiones medicæ, cum variis internis medicamentis atque confortantibus adhibentur. Quid itaque vetat, ne unà etiam apotropæa licita Medicus admittat, reliquis medicamentis internis non poſthabitis; & id quidem eò citius fieri poteſt, ſi ægrotantes vel adſtantes urgeant aut expetant amuleta. Imò ſi ægrotantes nolint, aut non poſſint interdum medicamenta interno uſui deſtinata aſſumere, ad amuleta mentem atque manum applicare expedit. Infantuli enim (de quo benè etiam monere tandem vidimus *Remb. Dodonæum prax. Med. l. 1. c. 36. p. 124.*) & delicati ſubinde non medicamentis internis adeò, & ingratis inprimis, quàm verbis aut attactu curari volunt; quibus tamen quadantenus reſpondimus in præcedentibus *p.* 429. Citandus nobis etiam, propter modò dictam materiam, eſt (venerandô ſeniô atque meritis conſpicuus apud Lipſienſes) Nob. *Gottfr. Welſchius* in Hebammenbuche *part. 3. c. 23. appendic. p. 731. &c.* dum inculcat, ut in infantium morbis partim ad nutrices, partim ad externa medicamenta dirigatur curatio; quia ægrè illi, & ingrata inprimis, admittunt medicamenta, & quia ventriculi illorum hæc non benè ferre poſſunt; hinc inter alia externa in febribus rutam recentem tuſam cum aceto plantis pedum imponi eorundem jubet. His itaque, & iis inprimis ægrotis, quibus ob faucium & oris occluſionem (ab Angina, Epilepſiâ, aliisve malis oriundam) nihil medicamenti ingeri poteſt, inter alia medicamenta externa etiam periammata licita applicari queunt. Melius quippe dictâ hac ratione eſt, ſi Medicus aliquid, quàm nihil agat, ne ita ſe conſiliô vel auxiliô iſtis in malis dubiis deſtitutum fateatur. Ille quippe, ſi præmittat etiam commendationes amuletorum eximias, aliave ſtratagemata, ſubinde ex his famam non levem adipiſci poteſt; ſi ægroti ex faucibus mortis erepti id poſtea tribuunt medici arcanis & inſontibus adminiculis medicis. Sic inter dubios ejusmodi morborum ſtatus etiam in Angina extrema aliàs litigioſi clyſteres nutrientes adhiberi ſolent.

Si itaque à quopiam desiderentur forsan amuleta, eadem medicamentis reliquis adjungi possunt; sic enim fiet ut scommata quadantenus à se declinet Medicus, si fortè mors inevitabilis sequatur. Medicus quippe pro vulgi opinione & voluntate sæpè tenetur aliquid moliri, quod vix ausus fuisset ingenio suo relictus. Taceo hîc, quòd Medici conniventia, vel consensus & astus in Melancholicorum curatione subinde multum efficiat, si scilicet assurgat desiderio illorum, reliquis tamen vel clanculum non neglectis, quæ sana medendi ratio dictitat. Mirificè insuper alioquin etiam se conformare hominum vel ægrotorum voluntati tenentur multi Medici, quibus nondum rumor vulgi devinxit morositatis, imperii, aut autoritatis dictaturam. Aliquoties etiam conqueri audivi imperitos de Medicis, qui in morbis subitaneis ac lethalibus non multa vel sumptuosa præscripserunt, quòd hi ideò non satisfecerint curationi legitimæ atque requisitæ; cùm tamen morbi sævitia Medici peritiam & sufficientem adhibitam medelam potius eliserit. Indignam enim reputarunt illi curationem ejusmodi (ex paucis vel minùs sumtuosis præsidiis constantem) personis divitibus, celebribus aut magni æstimatis, quæ aliquot grossorum valorem non excessit. Quanta verò aliàs confidentia magnatum, ac divitum etiam sit communiter posita in medicamentis peregrinis, & sumtuosis, vel saltem præditis illorum titulis aut inscriptionibus, quotidiana experientia, (eaque Medicis inprimis innotescens) contestatur. Hinc etiam medicamentum, quod sapit, ostendit vel continet perlas, bezoar, unicornu, gemmas, aurum & argentum, & similia alia, longè efficacius communiter existimatur, quàm quod his (vel nomine saltem eô, sive prætextu ingredientium dictorum) destitutum est. Sic mundus regitur opinionibus, & Medicus in tempore desipiens, vel cum vulgò errans, narrans, aut consentiens, maximè sapit.

Præterea de amuletorum operatione non impossibili, quam eadem in corpus immittere valeant, mediante circulatione sangvinis, constat. Quomodo verò circulationis hoc negotium, juxta neotericorum sanas rationes absolvatur, optimè docet (fulgidum illud nostri temporis Medicinæ apud Lipsienses sidus (*Exc. Johan. Bohnius*

nius (curioso atque utili in tractatu) *circulo Anatomico physiolog. progymnasm.6.p. 97. &c.* Si itaque exterius in locis applicantur medicamenta, quibus arteriæ & venæ magis subjacent, quod ibi dicta medicamenta vires suas ad intimas partes mittere possint, de eo in præcedentibus fusiùs actum fuit. Præter illa dicta verò loca confirmabunt ulterius externorum medicamentorum operationem possibilem *Sennertus de consens. & dissens. pag. 345. Tandlerus dissert. phys. Medic. p. 226. & 227. Pechlinus de purgantibus c. 30. p. 407. Haferus Herc. Medic. l. 2. c. 1. p. 89. Dodonæus allegatus l. c.* & *Rob. Boyle de specif. Medic. pag. 26. 37. & 90. &c.* quibus in locis admodum autor addictus est doctrinæ amuletorum, eaq; melius ac citiùs per cutim suas vires sangviferis aliisque vasis communicare posse arbitratur, ac si medicamenta intùs in corpus assumantur, quæ nimirum in stomacho, intestinis, aliisq; partibus non levem jacturam virium & quantitatis patiantur, antequam ad loca affecta ista deveniant. Addatur idem autor *Boyleus de Athmosphæris corp. c. 7. p. 55. in Experim. philos. &c.* Superatis itaque his scopulis ac remoris, Medicus utique periaptis uti potest, si vult, imò propter unitam efficaciam majorem, aliosque hactenus dictos impulsus (nisi quid majus, vel vetitum obstet) quoq; tenetur. Suum itaque valorem tribuimus amuletis, licet iis encomiis non semper eadem respondeant, quæ veteres aut credulos ipsis subinde tribuere observamus. Auscultare verò tenemur adhuc nonnullis objectionibus, monitis, vel cautionibus, quas autores quidam circa periaptorum usum injungunt, vel depromunt. Alioquin *Haferus in Hercul. Med. l. 3. cap. 4. p. 176.* non necesse esse dicit, medicamenta exhibere, quæ totâ substantiâ agunt, ubi manifestæ qualitates sufficiunt; quod crebro etiam indicat *Erastus*. Verùm nihil vetat, quò minùs hæc æquè ac alia adhibeantur, uti antea innuimus, modò licitè, citò, tutò atque jucundè morbi tollantur. Non nostra etiam est sententia, ut in amuletis spes omnis curationis ponatur, & reliqua negligantur; præstabunt interim periapta quod possunt, & rejicienda non planè sunt, propter multas rationes passim à nobis hactenus recensitas. Accedo quippe ego lubenter illorum sententiæ, qui nolunt fidendum esse unicè periaptis, & quidem inter alia ideò, ne fortè recrudescat morbus, qui (ne-

glectis seriis magis aliis medicamentis) à dictis istis periaptis solùm sopitus videtur; quando scilicet materia morbifica non satis exhauritur & è corpore derivatur, quocunq; congruò evacuationis modò, aut sufficienti & continuatâ alteratione, aliâve curatione perseveranti emendatur. Hanc sententiam fovet etiam inter alios *Koziakus de Sal. p. 306. Hæferus l. c. lib. 6. c. 3. pag. 284. Schorerus Medicin. peregrinant. p. 113. Casp. Bravo disp. Apolog. sect. 5. Resolut. 4. p. 184.* aliique plures. Sed idem hoc contingit etiam in aliis morborum curationibus, licet optima medendi methodus adhibeatur, si non continuetur aliquandiu curatio, usque dum penitus omnis morbi minera vel radix sit exstirpata: veluti nos ratiocinati sumus de usu corticis chinæ &c. in *Miscellan. Academ. Leopold. Cæs. Dec. 2. Ann. 7. obs.* Laudanda itaque sunt illa medicamenta, & probè annotanda simul, quæ subitò juvant; & si amuleta congrua pluribus in locis simul applicarentur, fortassis pariter effectus laudabilis citiùs expectandus foret, quam si exigua nimis periammatis portio, & unicæ solùm parti admovetur. Aqua, ceu constat alioquin, potis est delere ignem vel incendia, sed requitur etiam sufficiens, vel proportione flammæ delendæ respondens illius quantitas; quâ neglectâ, irrita erit ipsius delendi facultas desiderata: quid æquè proderunt igitur optima medicamenta sine sufficienti quantitate, aliisq; requisitis adhibitis. Non diffitemur insimul ab exigua portione amuleti varii (licet non omnis) efficacis aut potentis in corpus etiam vim quampiam transire posse, veluti inter alios autores de hoc videri potest citatus *Rob. Boyle de specif. medicament. p. 19. & 89.* His etiam addi possunt, quæ paulò inferiùs de metallicis quibusdam &c. ex eodem autore quoque confirmata adhuc sequentur. *Fabric. Hildanus cent. 3. obs. 2.* inculcat, ut prudenter amuleta usurpentur, nec continuò, cum plurimùm ita noceant, & sæpè Apoplexiam, Paralysin, aliaque gravissima simptomata producant. Sed eadem forsitan hîc subest ratio, propter quam paulò ante allegatus *Schroerus* cautè tractanda esse vult pentacula; quod fiet si reliqua in curatione quavis necessaria simul observentur. Proinde illud *Hildani* monitum fortè non per se adeò ferit & suspecta reddit amuleta, quòd excitent affectus illos, sed per accidens potiùs id fit, quatenus quis in levibus affectibus, vel initio morborum

borum graviorum, dictis amuletis unicè fortasſis fidens, reliqua neceſſaria medicamenta varia negligit, unde morbi leves poſtea incrementa ſumere, & conſequenter hæc falsò periaptis imputari poſſint. Idem illud malum dictum etiam de venenatis amuletis ſtatuit *Rolfinccius chym. in artis form. redact. lib. 6. ſect. 18. c. 3.* Huic ſuffragatur quoque *Herm. Grubius de arcanis medicor. p. 54.* quo in loco autor etiam ſtatuit, quòd fructu ſuô gaudeant amuleta multa, licet his ſuperſtitioſa, & effectui ſuo commendato minùs reſpondentia, admixta reperiantur. *Helmontius tumulo peſt. fol.* 180. inquit: Zenexton indicationem curativam in præſervando cuſtodit: attamen à ſanativo ſuperatur in hoc, quod ſanativum non ſolùm debeat interimere venenum, ſed etiam per ſudorem protrudere; ubi reliqua purgantia & educentia ſimul injunguntur. Eadem penè ſententia annotata proſtat apud *Sennertum prax. l. 6. p.* 249. Adductis aſſentitur inter alios plures etiam *Cnœffelius appendice Miſcellaneor. Acad. Leopoldin. Caſ. Dec.* 1. *ann.* 6. *& 7. pag. 177.* ex quo loco verba quædam, propter generalem quampiam de amuletis doctrinam, huc transſcribam: Certum eſt, inquit, quòd emplaſtrum meum febrifugum omnes febres intermittentes, præſertim autem tertianam notham, & ſpuriam, ſæpius ſine adhibitione alicujus medicamenti cohibere ſoleat, etiam ipſas febres peſtilentiales. Interim tamen methodica cura non negligenda eſt, quæ cauſam occaſionalem removere, recidivam præcavere, & ab aliis ſyptomatibus (quæ aliquando febres malè vel non penitùs curatas ſeqvuntur) defendere ſolet. Teſtatur tamen *Helmontius* quoque, velut in præcedentibus idem hoc attigimus, quòd febres innumeras ſuô emplaſtô ſolô ſopitas & ſublatas obſervarit; & quidem ſine evacuatione evidenti, nec recidivas hanc curationem ſecutas eſſe vult, quod non omnes alioquin ita promptè concedunt. Sed de recidivis, quomodo interna inprimis medicamenta iſtos morbos antevertere poſſint, ſuperiùs *p.* 491. *&c.* egimus. Non infimam opem itidem adſcribit cauſticis vel aliis febrifugis externis *Fel. Platerus de febribus p.* 196. *&c.* de quibus etiam inter febrifuga collegimus ac dedimus nonnulla.

Sic inter experimenta de periaptis peculiare eſt etiam illud, quod de hæmatite ſalubri in hæmorrhagia (citra perſvaſionem vel

confidentiam erga lapidem illum conceptam) annotatum prostat apud *Boyleum de virtute gemmarum p. m.* 198. de quo plura inter amuleta hæmorrhagiis apposita. De aliorum periaptorum efficacia observationes peculiares annotatas, & in Catalogo nostro amuletorum commemoratas jam denuò repetere supersedeo, quas fortè casu minùs evenisse dicendum est, vel in dubiũ vocare penitꝰ licebit. Prolixitatis vitandæ gratia de insipidis objectiones superiꝰ ventilatas iterũ hoc loco attingere nolo, cum procul dubio insipidis etiam vis medica & amuletica inesse queat. De gemmis, aliisque rebus solidis ac duris, metallicis ac mineralibus, quibus itidem non magna efficacia concessa videtur, vel creditur pariter, non omninò dubitabimus; cum metallica, mercurialis, antimoniata arsenicalis vel alia similis potestas quibusdam rebus indita utique vires exserere possit, experientiâ hac in re suffragante, etiamsi exteriùs loco amuleti applicentur ejusmodi res; de quo pariter jam actum esse alio in loco nostri scrutinii recordamur, & si placet, videri potest *Rob. Boyle de specific. remediis p.* 33. *& c.* 89. 120. 168. *& c.* Autor hic etiam cantharidum, opii, magnetis & similium aliorum efficaciam compertam perpendi vult ab iis, qui de amuletorum vi nimium ambigunt. Imò idem autor de camphora, aliisq; similibus odoratis, citius vim in corpus spargentibus minùs dubitandum esse censet.

Præterea multos propter amuletorum operationem suspensos tenet latens causa, quam quia non omnes statim investigare queunt, ideò illa explodunt atque rejiciunt. Verùm his cogimur recitare verba *Aristotelis 8. Physicorum text.* 22. qui ait: relinquere sensum propter rationem, est imbecillitas quædam intellectus. Idem ferè hoc indicat *Fr. Vallesius controvers. med. & Philosoph. l.* 8. *c.* 5. ridiculum est, inquit, id quod experientiâ constat negare, eò quod eventus causa ignoretur. Idem hoc ferè inculcat *Ruellius de natur stirp. cap.* 28. *f.* 338. Statuit quoque *Andr. Matthiolus Epist. nuncupator. ad herbarium suum Germanicum:* non protinus historiis fidem omnem derogandam esse. Legi in hanc sententiam pariter merentur, quæ, de amuleto sambuci agens, scribit *Grülingius florileg. chym. part.* 23. *cap.* 17. Audiendus hic etiam videtur *Galenus l.* 2. *de simpl. medic. facult. c.* 3. *& lib. de method. med. c.* 4. *& c. Aphor.*

Com.

Com. 24. inquiens: divinum quoddam habere creditur experientia, quæ non nulla certè verissima sensibus nostris sæpè objiciat, quorum rationem reddere sit omninò impossibile; his tamen fidem omnem esse exhibendam. Evolvatur etiam idem autor *l.* 6. & 10. *de simplic.* Dum verò hîc experientiæ mentionem facio, non illam attendendam esse arbitror, quæ semel, vel casu, aut ab imperito fortè observata est; sed quæ legitimæ experientiæ (& quidem à superstitione, aliave suspicione mali liberæ) attributa continet. Hac occasione etiam audiendum & adducendum esse arbitror encomium amuletorum (non infimi alioquin inter Medicos) *Thomæ Bartholini Epist. de transplantat. morbor. p.* 6. dum enim ille amuleta quædam recenset, inquit: hujus census plura Medicorum veterum scriptis recentiorumqve experimentis nobilitata sunt. Huc taquam ad sacram anchoram Medicus subinde confugit, ubi illa parum proficiunt ex voto, quæ manifestâ ratione agunt. Non patitur natura angustis se limitibus circumscribi, nec nostro se semper intellectui subjicit. Externorum vis per experientiam nobis patet, quanquam causas ignoremus &c. Negandum neutiquam est, quod totô ferè die prudentes Medici in arte nostra longa experiri non nihil novi possint, quod priùs non adeò putarunt vel sciverunt, modò non reluctentur hujꝰ sedulæ indagationi præconceptæ opiniones, segnities, aliave plura obstacula culpanda. Benè etiam ratiocinantem *Blochwitium* de sambuco aliisqve pentaculis superiùs adduximus, qui censet non ideò vires illas rejiciendas esse, quòd in comitiali morbo (æque ac alia multa medicamenta, tum in hoc, tum in aliis morbis) non respondeant semper encomio suo. Verum omninò est, quòd impeditarum virium, in medicamentis vel curationibus variis, multæ causæ vel rationes possint esse: veritati itaq; inhiandum est, nec inhærendum speculationibꝰ inanibus, aut experientiæ vanæ. *Grembsius in arbore integr. & ruinos. hom. l.* 1. *c.* 7. §. 3. *n.* 17. de gemmarum viribꝰ variis loquens, experientiam supra probationes esse, & similia plura de hac materia statuit. Medium verò semper nos amplexi sumus, inter opiniones autorum de amuletis discrepantium: dum scil. non nimis multũ illis æstimii indifferenter assignavimus, nec omnem existimationem omnibus iis detrahendam esse statuimus. Varia omninò (ut constat, & jam ante dictum fuit à nobis) obstacula possunt occurrere, quæ effectum amuletorum salubrẽ vel secundũ frustrari, aut remorari illum possunt, uti de amuleto, seu febrifu-

go *Helmontii* inter alia indicatum fuit; proinde cùm luce suâ hæc dicta radient, & dubium non admittant, prolixiùs demonstrare ista supersedemus. Non ergò injuria doctrinæ amuletorum inferenda est utrôq; modô dictô excedente & peccante, atque ideò meritò culpalndo. Recordamur quoq; nos in superioribus amuleta aliquoties arcanis annumerasse, autoribus quibusdam id postulantibus vel statuentibus; non omnia itaque interiori naturæ sacrariô clausa promiscuè omnib9 patent, juxta *Senecal. 5. quæst.* Hinc certè etiam multa adhuc in doctrina amuletorum latere, nec adeò perspecta penitùs illa jam esse constat. Si ergo in hactenus datis, non ad cujusq; votum exhausimus vel dilucidavimus eandem doctrinam, nostri intellectus angustia & imperfectitudo in rerum causis cognoscendis veniam nobis exorabunt; fatemur autem lubentissimè nostram illam imperfectitudinem, quæ nobis cum multis hominibus communis est, juxta querelas *Scaligeri in Sect. 12. Exercitat. 307. Sect. 29. & Exercitat. 101. sect. 14.* contentas. Similem ignorantiam in multis obviam fatetur quoque *Grubius de transplantatione morbor. p. 7.* Non abludunt itidem ab his verba *Lucretii*, ita canentis;

Multa tegit sacrô involucrô natura, nec ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia. Multa
Admirare modò, nec non venerare: nec illa
Inquires, quæ sunt, hæc nos vix scire putandum,
Est procul à nobis adeò præsentia veri!

Fecimus itaque in hoc nostro scrutinio quod potuimus, reliqua committimus & commendamus meditationi ac scrutationi eruditorum, iisque felices successus in hac materia dilucidanda apprecamur. Forsitan inposterum nobis meditationes plures & meliores suborientur, quas itidem non celabimus; si modò hæc à nobis tradita aliquib9 non displiceant; omnibus autem placere vix quicquam aut quisquam potest. Interim recordamur illorum verborum *Ciceronis, erudientis nos in Tuscul. qv. 3.* quòd fateatur optimus quisque & gravissimorum Philosophorum, multa se ignorare, & multa sibi etiam atque etiam discenda esse. Denique finem his meditatis imponere lubet verbis *Augustini l. 1. de Trin. c. 3.* quisquis hæc legit, ubi pariter hæsitat, quærat mecum, ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me, ubi meum, revocet me.

Gratia sic Jovæ nostris dedit his quoqve

FINEM!

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

Alrau-

Amu-

Augu-

Bufones

Syno-

che-

incu-

Cruci-

D.

Febri-

 folia

Hiera-

Imagi-

hyst

Lum-

primùm

pro-

 Cau-

reme-

veneſi-

P.

pro-

Pyri-

contra

 glo-

Thee

Tru-

F I N I S.

ERRATA.

p. 30. l. 28. immaturo p. 49. l. 28. l. commentum. p. 59. l. 21. leg. suspensus p. 63. l. 21. p. 69. l. 6. alii scarabei. p. 84. l. 33. & p. 75. l. 18. leg. filo. p. 40. l. 24. salventur. p. 141 l. 15. plura. p. 169. l. 30. abrasam. p. 175. l. 31. concilianda. p. 179. l. 27. pelle p. 182. l. 23. ceramnium. p. 186. l. 10. exercere dicitur, ceu. p. 188. l. 14. leg 76. p. 183. l. 19. experiantur. p. 188. l. 17. leg. retineat, constat ex Frid. Hoffmanni clave Schröd.. p. 156. p. 188 l. 31. pro: & qva, leg. atque p. 189. l. 15. pro: & leg. vide p. 190. l. op. l. credunt l. 10. pro ullo leg. illo. p. 192. l. 19. leg. Idem hoc. p. 192. l. 33. l. colligendis. p. 193. l. 15. pro suus leg. hujus. l. 16 pro propter, leg. praetervolantis. p. 194. l. 24. leg. vectis. p. 200. p. 207. l. 7. hucusq.. p. 213. l. 24. agit Bartholinus p. 214. l. 28. leg. probat. p. 219. l. 1. quadam. p. 218. l. 5. illius. p. 221. l. 11. alia. p. 223. l. 35. placent. p. 224. l. 3. pro agit, lege ei suggeret Jul. Bartoloccius l. 14. plura habet. p. 243. l. 34. leg. charadris. p. 263. l. 22. cyclaminos radix. p. 275. l. 2. gentiana. p. 297. l. 27. fuerit. p. 315. l. 17. septica. p. 318. l. 11. pica. p. 373. l. 15. etiam tradentem. p. 379. l. 29. scrutaribus. p. 409. l. 13. vandis) praeterimus, de quibus. p. 417. l. 26. dicitur, p. 434. l. 6. &, delentur. p. 470. l. 8. spongia perpetuent. p. 503. l. 20. ferme. p. 510. l. 19. immorabimur. p. 532. l. 24. conspiratio. p. 548. l. 7. part. p. 553. lin. 10. potuerint. p. 563. l. 3. influxui. p. 505. l. 8. te. p. 603. l. 30. pro rite, leg. illa. p. 640. l. 32. memini. p. 642. l. 32. habere. p. 644. l. 19. venator. l. 20. venatorio. p. 647. l. 22 opponenda. p. 648. l. 20 fola.

p. 25. l. 32. castario. l. 35. philosophandi. p. 39. 21. auriculis. p. 8. l. 7. auxiliis. p. 89. l. 23. hyperici. p. 123. l. 21. Fumanello. p. 129. l. 13. abditis. p. 142. l. 29. extitisse. p. 145. l. 17. denegatam. p. 146. l. 14. Incantationem. p. 170. l. 7. leg. 1687. edit. §. 5. p. 182. l. 22. Fallopio. p. 190. l. 12. De. p. 192. l. 28.

ERRATA.

leg. (quem. p. 200. lin. 26. leg. herbario. p. 203. lin. 10. leg. 91. l. 14. leg. hæmor- p. 205. l. 23. Chirurgisch. p. 206. l. 27. hæmorrhoidum. p. 207. lin. 23. Aldrovandus. p. 212. l. 7. leg. corio. p. 214. l. 1. Feilomastix, l. 9. Georg. l. 36. quædam. p. 216. l. 3. Causinus, l. 12. expedit. p. 217. l. 17. castorium. p. 217. l. 30. Läet vid. hujus. p. 224. ἀμυντηρίοις. p. 253. l. 22. innotescit. p. 264. l. 31. corali. p. 266. l. 14. servata. p. 272. l. 4. caudam, l. 9. cerebrum, l. 17. odorem. p. 275. l. 35. pulices. p. 283. l. 34. periculosum. p. 293. l. 35. ferre. p. 304. p. 310. l. 16. morsum. p. 311. impugnantes, l. 22. semper. p. 312. lin. 33. adeoq;. p. 315. l. 31. frigore. p. 348. l. 2. admini- p. 363. l. 31. absurdam. p. 394. l. 10. Asplenum, lin. 11. fœminis. p. 398. l. 3. effectum, l. 5. Torpedo. p. 402. l. 15. orbiculo. p. 422. l. 33. Thesaurarius. p. 426. l. 35. exposuimus. p. 444. l. 34. Caco. p. 453. l. 21. l. c. 3. f. 1. lin. 29. familiaribus, l. 34. intentione. p. 458. l. 25. reperiri, testan- p. 473. l. 9. aliquando. p. 486. l. 3. corrumpens. p. 497. l. 17. fruticum. p. 504. l. 35. obtinuit. p. 513. l. 23. ista. p. 514. l. 20. sanitati. p. 530. l. 31. totam. p. 537. l. 32. amuletis. p. 541. l. 32. ionalorumve. p. 544. l. 18.) deleatur. p. 586. l. 35. vel. p. 605. l. 6. posfit. p. 624. l. 18. Argentorati. p. 644. l. 16. quoque. p. 678. l. 27. atq;. p. 688. lin. 4. culpando.